BARBARORUM LEGES ANTIQUÆ

CUM NOTIS ET GLOSSARIIS.

VOLUMEN PRIMUM.

BARBARORUM
LEGES ANTIQUÆ
CUM NOTIS ET GLOSSARIIS.

ACCEDUNT

FORMULARUM FASCICULI

ET SELECTÆ CONSTITUTIONES MEDII ÆVI.

Collegit, plura Notis & Animadversionibus illustravit, Monumentis quoque ineditis exornavit

F. PAULUS CANCIANI

Ord. Serv. B. Mariæ Virginis S. T. D.

VOLUMEN PRIMUM

Quo continentur Edicta Regum Ostrogothorum, Leges Langobardicæ, Capitularia Principum Beneventi, & Constitutiones Regni Siculi.



VENETIIS MDCCLXXXI.

Apud { Sebastianum Coletium, et Franciscum Pitterium

SUPERIORUM LICENTIA AC PRIVILEGIO.

PETRO LEOPOLDO AUSTRIÆ ARCHIDUCI,

BOHEMIÆ ET HUNGARIÆ REGIO PRINCIPI,

MAGNO ETRURIÆ DUCI &c. &c. &c.

SEBASTIANUS COLETIUS ET FRANCISCUS PITTERIUS

F.

CUM ea ſit Legum humanarum vis & natura, ut iiſdem conſociati homines, ac civilis communionis vinculo juncti recta vivendi norma ducantur, nulla idcirco Natio, nulla unquam Gens exſtitit, barbaris licet incultiſque aſſueta moribus, quæ aliquo Legum præſidio ſuorum ſocietatem, conjunctionemque non putaverit eſſe ſervandam. Cujus quidem rei teſtis eſt hæc ipſa, quæ tuo Nomine, OPTUME PRINCEPS, prodit inſcripta Legum a barbaris Gentibus conditarum Collectio; in ea etenim veterum in Europa Regum ac Principum jura, qui præcipue Romani Imperii Provincias longe lateque occuparunt, Populorum, ac Civitatum conſuetudines, potioris Europæ partis,

 ac

ac Italici Regni præſertim civilis ſtatus , & nova atque a Romana plerumque diſſimilis gubernationis forma uno ſub aſpectu conſpicitur ; tum quæ omnium mens fuerit , qui Legibus hiſce condendis animum adhibuerunt , quod conſilium , ut nimirum natura ac ratione duce ſuis edicerent recta facere, vetarent delinquere, imperiis & poteſtatibus parere juberent , & tranquillum pacatumque Reipublicæ ordinem conſtituerent . Hinc licet barbaris hominum ingeniis excogitatæ primitus fuerint, & novis poſteriorum ætatum juribus & conſuetudinibus permixtæ interdum legantur pro ipſa rerum ac temporum , & Populorum , quæ ſæpe contigit, varietate, licet commune Jus antiquum a Romanis inductum partim fœde corruperint , partim etiam immutaverint , non ideo ſpernendæ & repudiandæ ſunt ab hominibus Juris peritis ; quin ex ea , quæ ſub palliolo ſordido in eiſdem elucet , imperandi prohibendique ſapientia , plurimæ utilitates vitiorum emendatrices, commendatriceſque virtutum hauriri , & in publicum bonum derivari maxime poſſunt . Sane quot inde uſus , aut mores , aut inſtituta ſuperſunt , quibus plures adhuc Europæ Nationes utuntur, & Pagos, Urbes, Provincias vetuſtiſſimo , maximeque utili privilegio regi permittunt ? Nonne ipſa publici Juris æque civilis ac eccleſiaſtici forma & ratio , quæ apud illas in ſcholis , in foris, in conſiliis, in judiciis, in publica rerum adminiſtratione viget, pars quædam eſt, nec exigua, priſcæ hujus & barbaricæ, ut ajunt, Legum lationis? Utque ea ſilentio prætereamus , quæ ad civilem illarum Gentium conditionem illuſtrandam ſpectant , & in hiſce Legum monumentis continentur, uberrima quidem & præſtabilia ; ut omittamus ſingula a barbaris hiſce Populis, eorumque Regibus ſive lege, ſive rogatione , ſive conjunctis ſuffragiis præclare , ſciteque ſancita , quæ in Hiſpaniis, quæ in Galliis, quæque apud veteres Anglos, & in cunctis Germaniæ aliiſque Europæ partibus placuere, ac Romano jure ferme poſthabito iis in locis, ubi antea obtinuerat, ipſis Romanis civibus, & Coloniis , & Magiſtratibus , conſenſu, uſuque probata fuerunt; quid non ſapientiſſime, moderatiſſimeque conſtitutum ſæpe præferunt Leges, quas in hoc Libro exhibemus, ad ſtabiliendum Italiæ Regnum, ad Provincias firmandas, ad ſanandos Populos, ad Religionis cultum tuendum ? Barbari ſane Oſtrogothi, qui Italiæ Imperium tenuerunt; at Theoderici, & Athalarici Edicta quam Romanis legibus ſunt conſentanea ? at in Caſſiodori Formulis, quibus Oſtrogothi Reges Dignitates, & officia ad normam fere publici juris, & Romani regiminis conferre conſueverunt , quæ non cum ſollerti conſilio , & providentia mirifice conjuncta? Barbara Langobardorum Gens, & effera cultu & agreſtis ; at quam multa recte , prudenterque proviſa , & bene , ac ſubtiliter, minuteque perſpecta ? cum ea, quæ familias, quæ Urbes , quæ Langobardici in Italia Regni Provincias ſpectant , eorumque & publicum & privatum commodum, tum illa in primis,

mis, quæ pro Religione & ſacrorum jure pie fuerunt decreta. Inter quæ haud commemoremus oportet Caroli Magni, Ludovici Pii, & aliorum Imperatorum ac Regum uſque ad Lotharium II. Auguſtum Leges ſacratas Langobardicis additas, glorioſe quidem ad celebritatem memoriæ, ac pro illo tempore ac Italiæ ſtatu ſatis utiliter; non a Rogerio, ac utroque Guillelmo Siciliæ Regibus, & Friderico II. Imperatore ad formandum Regni Siculi regimen probe, nec parum novata in Romano & Langobardico jure, quibus potiſſimum incolæ utebantur adhuc ſub Northmannis Ducibus; non Beneventanorum Principum in ſuis legibus edicendis temperatam prudentiam; ut eo demum declinet oratio, quo Tua nos dignitas, OPTUME PRINCEPS, Tua ſapientia vocant, ac ſumma rerum poteſtas, & unde quiſque ſentiat, atque intelligat, nihil æquius, nihil utilius, nihil huic Operi univerſo honorabilius fieri potuiſſe, quam ut Primus Barbaricarum Legum Tomus benignitatis, & clementiæ Tuæ favore tectus, Tuis ſub auſpiciis in publicam lucem ederetur. Etenim, ſi forte manus Juri huic noſtro eſſent afferendæ, ſi quis auctoritate præditus, & neceſſitate compulſus, aut utilitate adductus, aut præſtantiori gubernationis forma allectus aliam Juris ſanciendi, vel immutandi rationem meditaretur, an non (abſurda licet in ſpeciem aliquam, & a noſtris moribus omnino aliena quandoque ex iiſdem Legibus in animum incurrant) valde utile foret, hanc ejuſmodi Legum Complexionem præ oculis habere, quam cum recentibus inſtitutis & uſibus comparare, ex qua plurimarum legum noſtrarum ſtirpem agnoſcere, & in novo Jure cum veteri illo quamdam quaſi ſenſuum, ac conſiliorum, & ejuſdem propoſiti affinitatem inſpicere queat? Hinc illas evellendi diſcrimen, & utilitatem pendit; hinc novitatis cum vetuſtate conciliandæ modum inquirit, & facilius invenit; hinc melius contemplatur & conſiderat, quomodo vetus illa Legum, & Inſtitutorum natura & forma novo conveſtiri habitu poſſit, quam apte noſtris necti, quam opportune cuique Civitatis, aut Reipublicæ generi accommodari, ut præſenti rerum, locorum, hominumque conſtitutioni provide inſerviant.

Verum enimvero hæc Tua nimirum laus eſt, hæc divina virtus plane admiranda, quæ jamdudum multorum & magnorum in Tuos hujuſcemodi meritorum fama pervagatur; cum ab ipſo ſuſcepti Regni exordio huc curas omnes & cogitationes converteris, ut ſapienti conſilio, & novis interdum providentiæ cautionibus Juris in primis procurationem ſtabiliendam ſuſciperes, ſartam tectamque defenderes, & incommoda averteres, ac labes purgares, quibus lædi polluique, ac graviter affici Etruriam ſenſeras, vel neglecta optimarum legum cuſtodia, vel inepta earum, quæ minus cum aliis cohærebant, ſuperſtitione. Neque Te propterea ullus ambitionis amor movit, ut Legislatoris fortaſſe nomen, & immortalitatem acquireres. Quid enim Tibi ad

veram gloriam deesse unquam potest, aut ab Augusta generis nobilitate, aut a virtute donatum, quo cum potentissimorum, clarissimorumque Patrum & Majorum tuorum majestate, ac meritis jure contendas? At noscendarum tui Regni legum justa cupiditas impulit, at sollers studium, & Principe dignum, ut, quæ intacta servanda, quæ novis firmanda præsidiis essent, novis augenda institutis, ac pulcriori specie ornanda, ingenii subtilitate, judicii prudentia, moderatione consilii, totius animi sapientia, fortitudine, æquitate circumspiceres attente, caute decerneres, recte sancteque juberes. Et hac quidem vera Principis laude, in qua socium habes neminem, ex qua nihil sibi quisquam decerpit, non gravi & periculosa novandi cupidine Populos moderaris, & omnia excitas, quæ desuefacta, quæ neglectione abjecta, quæ contemptu perculsa, atque prostrata esse videntur: quodque maximum est, ita bonitate & clementia cuncta temperas, ita gravitate coerces, ut sciant omnes & fateantur, se a sapientissimo æque ac amantissimo Principe gubernari. Jure igitur meritoque hæc Legum Barbaricarum Collectio Tibi uni dicanda erat, qui veram Legislatoris dignitatem præfers, veram Legum lationis formam & usum tenes, perficis etiam imperii potestate; unus autem potes cognoscere, quæ vis, quæ illarum utilitas sit, qui finis; & iisdem sagaciter adeo ac providenter uti, ut in civilis status bonum, in judiciorum & justitiæ adjumentum, in ampliorem Reipublicæ universæ felicitatem vertantur. Quod itaque Tui juris esse putamus, Tibi offerimus sacramusque, hac spe freti, & orantes, ut Volumen hoc Regali Tui Nominis ornamento decoratum Tua quoque benignitate accipias, Tuoque patrocinio tuearis, ejusdemque Nominis gloria, quam præsens hæc ætas reveretur, quam posteri alent, quam ipsa æternitas semper admirabitur, & integram servabit atque incolumem, commendari illustrarique consentias.

CON-

CONSPECTUS
HUJUS PRIMI VOLUMINIS.

Pre-

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Gio. Tommaso Mascheroni* Inquisitor General del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato *Barbarorum Leges &c. Tomo I. Ms. con Prefazione e Dedica Ms.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a *Niccolò Coleti* Stampator *di Venezia*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 22. Maggio 1781.

(Andrea Querini Rif.
(Alvise Vallaresso Rif.
(Girolamo Ascanio Giustinian K. Rif.

Registrato in Libro a Carte 9. al Num. 65.

Davidde Marchesini Segr.

28. Giugno 1781.
Reg. nel Mag. Eccel. contro la Bestemmia a C. 102. t.

Andrea Sanfermo Segr.

ADMONITIO.

Quæ in Constitutionibus Regni Siculi occurrunt errata (ex quibus quamplurima notulis emendata sunt) ea tribue religiosæ exactitudini, non negligentiæ, Typographi: ipsa enim adinvenies & in editione Friderici Lindenbrogii, viri cæteroquin in perquirendis, conferendis, atque edendis antiquis codicibus accuratissimi.

PRÆ-

PRÆFATIO
COLLECTORIS.

J. M. J.

VEteres quamplurium Populorum Europam incolentium Leges, quos generatim *Barbaros* nostra appellavit antiquitas, tibi exhibeo, Erudite Lector: Leges, inquam, illas, quæ potiorem, nobilioremque Europæorum partem olim regebant, & quæ subinde (prout humanarum rerum sors est) a foris, & a scholis desierunt.

Irato ne, an propitio Numine leges ipsæ desierint, non disceptabo: hæc enim sera nimis est inquisitio. Neque tempus teram prædicandis ipsarum encomiis, cum placita summorum Imperantium celebrante præcone non egeant. At vero quoniam adversus leges Germanici instituti, quibus integra collectio nostra ferme completur, calamum strinxere plerique non infimi nominis Jurisconsulti, illas non modo ævo nostro inutiles, sed & ineptiis & absurditatibus refertas conclamantes; idcirco pauca præfari juvat, primum quidem de aptitudine atque præstantia, exinde vero de utilitate & usu legum, quibus paruere Germani, atque illi, qui iisdem ac Germani generalibus institutis vivebant, sive hi proprie e Germania, sive e Septentrione originem duxerint, sive aliunde ortum habentes illa a communi cum Germanis Scythica antiquitate acceperint (de quo quæstionem non instituo), quos omnes uno sermone, & una voce complectens, latiori coercito vocabulo, ex nostro loquendi more, *Barbaros* appellabo.

Singula singillatim non persequar, quæ veluti futilia, aut absona traduxere Jurisperiti: id enim ab aliis perdoctis viris actum jam est, & præsertim a celebri Heineccio (1), cujus opera præ omnium manibus versantur. Quorum momenta hic exscribere, pædagogi saperet ineptiam.

Sed in Barbarorum antiquitatibus vel mediocriter versato vix opus est alienis uti studiis, qui proprio marte æquitatem non modo, sed & pulchritudinem legum deprehendere valet etiam in iis, quæ magis videntur inepta. Æquum enim ea de re feret judicium, qui leges revocabit ad trutinam instituti, ac formæ regiminis, cui suberant populi, quibus illæ conditæ sunt.

E contra neque solide, neque recte philosophantur, qui Barbaricarum rerum incuriosi adversus leges hasce sententiam ferunt, utcumque prima fronte rationi consona ea esse videatur; cum res ipsa suadeat ex propriis gentium institutis disquirendum esse, cur ea, quæ absona nobis essent, apta illis redderentur & æqua: perspectis enim populi moribus, facile dignoscitur & ratio legum. Ita ex. gr. dum spectemus, Barbarorum Respublicas societates una civiles ac militares fuisse, eosdemque fuisse milites quos & cives, quamplurium legum, hac illac in eorum Codicibus occurrentium, attento Lectori perspicua fit æquitas atque elegantia; quippe quæ vel militarem disciplinam, vel militarium jura proprie respiciunt, & quæ cæteroquin haud semel asperæ, aut ineptæ, ne dicam prorsus absurdæ, jure merito censendæ essent, si simplici civi, non militi, latæ forent.

Nævos in legibus utique deprehendes; sed vide ne nævi ipsi afficiant potius Legislatores, quam leges. Etenim sedulo animadvertere oportet, non Regem, aut Principem populo, sed populum sibimet ipsi leges tulisse; & populum quidem militarium, rei bellicæ studiosissimum, libertatis maxime avidum, atque iis, quæ ad religionem spectant, ferme usque ad superstitionem addictum. Hinc vero decantatissimum illud jus, quo sicut inter gentes, & regna, ita & inter privatas personas dirimendæ prælio causæ solius Dei judicio committi censebantur; jura purgationum per ignem, per aquam, &c. quibus identidem unius supremi Numinis justitiæ, atque innocentiæ vindicis judicium prodigio expectabatur; jura privatæ vindictæ, atque alia, quæ in legalibus Barbarorum libris occurrunt, nobis quidem insueta sunt, & si Diis placet, vitium redolentia; sed quæ aperte produnt præfatarum populi habitudinum, præcipue vero libertatis, effectus.

Absurdum est, criminis reum privatæ læsi vindictæ atque inimicitiæ committere. Absurdum est de privatis civium causis duello decernere. Sed quis cordatæ mentis sibi persua-

(1) Heinec. Elem. Jur. Germ. Præf. Tom. I.

ſuadere unquam poterit legum civilium adinventa fuiſſe jura hæc, quæ remotiſſimæ ſunt antiquitatis, & ſtatui hominis extra civilem ſocietatem conſtituti coæva? Ea ſane legibus proprie tribuenda non ſunt, ſed populo legislatori, qui vel veteribus præjudiciis, vel juribus ac libertatibus etiam ex rudi, atque indigeſta natura ortum ducentibus, quamvis in civili ac militari ſocietate conſtitutus, nuncium omnino mittere non patiebatur.

Quin imo hinc belle effulget Legislatorum, legumque ſapientia, quod hæc ipſa vitia, quæ nullo fræno coercita, bellicæ diſciplinæ, & civili ſocietati ſuſdeque vertendæ nata erant, legum ſanctitate non modo perſtricta, ſed & ita vallata fuerint, ut evaderent in jura legalia, & judicialia, quæ litibus & quæſtionibus exſtinguendis ultima remedia a civibus ipſis haberentur.

Hæc equidem perſpicuo eſſe poſſunt exemplo, ut, ſi quæ abſurda aut futilia in Barbarorum legibus deprehenduntur, ea vitio legum adſcribenda non ſint; quippe quæ noſtris quidem inſpectis moribus abſona ſunt, ſed moribus gentium, quibus leges ipſæ edicebantur, accommoda, ſeu in publicam utilitatem directe comparata, ſeu præjudiciis populi non abſque prudentiſſima circumſpectione relicta.

Ejuſmodi autem legum ſuffultas præſidiis optime ſtetiſſe Reſpublicas Barbarorum ipſe nos certiores reddit effectus. Illis quippe populis datum fuit, non modo adverſus invicta Romanorum arma propriam libertatem iterum, iterumque tueri, ſed & Romanos appetere, Urbi æternæ excidium afferre, Romanum Imperium in fruſta diſcerpere, & ſuper ejus lacertis potentiſſima regna per ſæcula duratura fundare. Certo certius, ut recte quoque animadvertit Heineccius (1), abſque eximiis inſtitutis & legibus, optimique regiminis forma id obtineri vix poterat.

Quæ autem ex libertate manabant vitia, hæc bonis abunde rependebantur. Dum enim populus militaris, atque liberrimus ſibi leges ediceret, haud ægre quiſque ſibi perſuadere poteſt, in id præcipua incubuiſſe ſtudia, & concordia conſpiraſſe ſuffragia, ut civilis libertas, ac popularia jura ſarta tecta ſervarentur, atque a quocumque diſcrimine vindicarentur, non modo adverſus tum exterorum, tum civium, violenta atque injuſta tentamina, ſed & adverſus ipſos militiæ, ac reipublicæ Officiales, qui vel regendo populo, vel publicis adminiſtrandis juribus præficiebantur; ne ſcilicet concredita ſibi in utilitatem publicam auctoritate, adverſum cives abuterentur. Memorandum præbet exemplum Salica Lex necis cæteroquin infligendæ ſat parca: hæc enim Gravionem, ſeu ſublimis ſubſellii Judicem, qui vel executionem juris pro creditore contra debitorem, ſeu fidejuſſorem implere neglexerit, vel hac de cauſa aliquid ſupra legem, aut debitum præſumpſerit, jubet ut *ſe redimat, aut de vita componat* (2).

Unum hic incidit obſervare, quod ævo ſuo contigiſſe commemorat Salvianus. Quo tempore Barbari in Romanorum Imperio novas ſibi ſedes figebant, evenit, ut Romani in Provinciis in Barbarorum ditionem redactis viventes, novorum Principum ſuaviori deguſtato regimine, in jus Romanæ Reipublicæ redire non amplius cogitarent; quin imo & eſſent etiam ex Romanis civibus, qui a publicorum onerum exactoribus atque adminiſtratoribus ultra debitum preſſi, ex Romanorum emigrarent regionibus, & ad Barbaros ſe ſe transferrent, ut ea rerum ſecuritate, ac libertate civili inter devictos & dedititios inibi ſub tutamine juris gauderent, qua in Romano Imperio inter concives frui datum non erat. Et dicere auſim, hanc non poſtremam ex cauſis fuiſſe, qua Barbarorum fortuna in Gallia certe & in Hiſpania altas adeo radices egerit; quod ſcilicet Provinciales illi ſub Barbaris vivere mallent, quam ſub Romanis.

Salvianum ipſum audi, qui haud ſemel eo ipſo æſtu, quo Romanorum vitia luget, Barbarorum laudes canit (3). *Inter hæc*, inquit, *vaſtantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcantur, in tantum, ut multi eorum & non obſcuris natalibus editi, & liberaliter inſtituti ad hoſtes fugiant, ne perſecutionis publicæ afflictione moriantur, quærentes ſcilicet apud Barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos Barbaram inhumanitatem ferre non poſſunt. Et quamvis ab his, ad quos confugiunt, diſcrepent ritu, diſcrepent lingua, ipſo etiam, ut ita dicam, corporum atque induviarum barbaricarum fœtore diſſentiant, malunt tamen in Barbaris pati cultum diſſimilem, quam in Romanis injuſtitiam ſævientem. Itaque paſſim vel ad Gothos, vel ad Bagaudas, vel ad alios ubique dominantes Barbaros migrant, & commigraſſe non pœnitet. Malunt enim ſub ſpecie captivitatis vivere liberi, quam ſub ſpecie libertatis eſſe captivi. Itaque nomen civium Romanorum aliquando non ſolum magno æſtimatum, ſed magno emptum, nunc ultro repudiatur, ac fugitur: nec vile tantum, ſed etiam abominabile pæne habetur. Et quod eſſe majus teſtimonium Romanæ iniquitatis poteſt, quam quod plerique, & honeſti, & nobiles, & quibus Romanus ſtatus ſummo & ſplendori eſſe debuit & honori, ad hoc tamen Romanæ iniquitatis crudelitate compulſi ſunt, ut nolint eſſe Romani? Et hinc eſt, quod etiam hi qui ad Barbaros non confugiunt, Barbari tamen eſſe coguntur:*

(1) Heinec. l. c.

(2) Pactus Leg. Sal. antiquus Tit. 53. 54. Confer & Leg. Burgund. in Præfat.

(3) Salvianus de Gubern. Dei Lib. V.

tur: scilicet ut est pars magna Hispanorum, & non minima Gallorum. Omnes denique, quos per universum Romanum orbem fecit Romana iniquitas jam non esse Romanos. Et inferius: *Ubi, aut in quibus sunt, nisi in Romanis tantum hæc mala? Quorum injustitia tanta, nisi nostra? Franci enim hoc scelus nesciunt. Hunni ab his sceleribus immunes sunt. Nihil horum est apud Vandalos, nihil horum apud Gothos. Tam longe enim est, ut hæc inter Gothos Barbari tolerent, ut ne Romani quidem, qui inter eos vivunt, ista patiantur. Itaque unum illic Romanorum omnium votum est, ne unquam eos necesse sit in jus transire Romanorum. Una & consentiens illic Romanæ plebis oratio, ut liceat eis vitam, quam agunt, agere cum Barbaris. Et miramur, si non vincantur a nostris partibus Gothi, cum malint apud eos esse, quam apud nos, Romani. Itaque non solum transfugere ab eis ad nos fratres nostri omnino nolunt, sed ut ad eos confugiant, nos relinquunt.* Hactenus Salvianus.

Quoniam Barbaros cum Romanis aliquatenus comparavimus, præstat ut & Barbaricas cum Romanis legibus comparemus: cum Romanis legibus, inquam, quæ tanto in pretio apud eruditos habentur, tanto studio recoluntur in Lyceis, tanta fiducia allegantur in foris, ut parum absit, quin Evangeliis æquiparentur. Arborem ex radice perscrutemur.

Jam præfatus sum leges inter Barbaros a populo latas esse. Id enim e veterum Barbarorum jure publico erat, ut quod omnium interesset, omnium suffragiis sanciretur. Itaque tum leges condere, tum de aliis gravioris momenti in Republica negotiis decernere (re prius inter Optimates, aut delectos Proceres pertractata) ad populum universum pertinebat; hæc enim tandem sanciebantur in Generalibus Comitiis, in quibus post Optimates Populus omnis potiebatur jure ferendi suffragii; Populus, inquam, omnis personaliter intercedens, non, ut in Parliamentis nostris Feudalibus nunc Communitatibus moris est, per communem suffragatorem; quod sequioribus modo sæculis obtinuisse docent Antiquitatum studiosi. Atque hujus popularis prærogativæ, ferendi scilicet in Generalibus Comitiis suffragii, exempla apud Germanos licet rariora, adhuc sæculo undecimo, imo & serius occurrere innuunt erudite allegata a Mettingio (1).

Rem graphice pingit Tacitus, dicens: *De minoribus* (2) *rebus Principes consultant, de majoribus omnes: ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes pertractentur.* Hinc haud semel in antiquis Barbarorum legalibus codicibus mentio fit *omnium* (3); *omnis gentis, quæ in Anglia Orientali habitat* (4); *cuncti populi Christiani* (5); *omnis populi consentientis in publico concilio* (6); *universæ consentientis multitudinis* (7); &c., quorum scilicet suffragiis leges illæ edicebantur.

Hic necesse est cœptam orationem paulisper abrumpere, ut fores præcludantur æquivocis. Dum *cunctum populum* audis, cave ne cogites tumultuarium adeo conventum, ut vulgus omne Generalibus Comitiis cum jure suffragii interesset, usque ad vilissimæ plebeculæ fæces. Facile enim intelliges tantum populum illum, qui *pars Reipublicæ* erat. Cujusmodi certe non erant servi, neque manumissi privato jure a dominis quantumvis plena libertate donati (dummodo jus civitatis ex postliminio his non inesset), neque innumera gens illorum, qui ex ejusmodi manumissorum genere ortum ducebat. Dominus enim servo, ejusque progeniei, jura libertatis dare utique poterat, jura vero militiæ & civitatis dare non poterat. *Diversi sunt actus*, ut optime observat Mettingius (8), *dare libertatem, & dare jus militiæ, sive civitatis. Primus domino privato competit: at postremus de tota Republica dependet.* Quod & confirmatur ex Tacito hæc de Germanis scribente (9): *Liberti non multum supra servos sunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis dumtaxat iis gentibus, quæ regnantur. Ibi enim & super ingenuos & super nobiles ascendunt* (10). *Apud cæteros impares libertini libertatis argumentum sunt.*

Restat igitur, ut cum præfato Mettingio, aliisque eruditis viris, nomine *populi*, qui in Generalibus Comitiis loco, & suffragio gaudebat, intelligamus Gentiles, qui ex ingenua genealogia oriundi, honoratæ militiæ juribus gaudentes, originis jure pars Reipublicæ essent. Quibus accensendi & ii, qui Reipublicæ decreto inter ingenuos gentiles adsciti, honoratoque armorum jure donati, in partem Reipublicæ vocati forent: de quibus, ni fallor, exemplum suppeditat Paulus Diaconus (11) referens, Langobardos, *ut bellatorum pos-*

(1) Vide Metting. de Mil. Vet. Sect. IV. art. 3. & Sect. V. art. 3.
(2) Tacit. Germ. cap. XI.
(3) Leg. Angl. Wihtredi Prol.
(4) Fœdus Alfredi, & Guntrunni.
(5) Pact. Leg. Sal. post Prolog. Lex Baivar. Lex Alaman. Prol. & fine.
(6) Lex Alaman. Tit. XLI. n. 3.
(7) Decr. Tassilon. Prologo.
(8) Mettingius l. c. Sect. II. art. 10.
(9) Tacit. l. c. cap. 25.
(10) Quod de quibusdam tantum intelligendum est, qui (ut puto) nobilibus officiis donabantur a Regibus. (11) Paul. Diac. lib. I. cap. 13.

possent ampliare numerum, *plures a servili jugo ereptos ad libertatis statum perduxisse*. Sane vero omnes isti in Edicto Rotharis Langobardorum Regis apte designantur nomine *cuncti felicissimi exercitus nostri* (1), cujus consilio, ac consensu Edictum illud prolatum est.

Hi porro in universum militiæ, ac Reipublicæ addicti, veluti *Liberi homines* quoad Rempublicam, vel si voce latino-barbara uti mavis, *Liberi Barones*, a minuti popelli multitudine quodam nobilitatis fulgore emicuisse, per se planum est. Inter nobiles equidem non recensebantur, præsertim cum penes antiquos Barbaros origine nobiles, seu *Adelingi*, fere haberentur tantummodo geniti ex iis clarissimi sanguinis familiis, ex quibus Reges, ac supremi Principes eligi consueverant. Arbitror tamen (quod & probare possem, si hic ea de re ex professo ageretur) servorum, ac manumissorum statu sensim desinente, ingenuos illos, ut supra vulgi turbam aliqua ratione eminerent, *nobilitatis* titulo generatim distingui cœpisse; ac verissime scripsisse reor Cl. Eccardum: *Ingenui* (2) *quidem sunt*, *qui nostro tempore Barones*, *& Nobiles sic dicti*: *Nobiles vero veterum sunt Principes nostri*. Atque hinc ortum duxisse puto nobilium familiarum ingentem numerum; hinc enatam esse opinionem, quod munus Nobilium proprium militia sit; hinc factum esse, ut apud nos voces *Nobilis*, & *Gentilis homo*, eadem pæne significatione adhibeantur. Spero, mihi non indignaturos fore Nobiles nostros isthæc legentes: certus sum enim, quod qui genealogiam suam ex ingenuo milite Barbaro derivare posset, egregiam sane præseferret sanguinis nobilitatem.

Cæterum, hujus popularis juris in edicendis legibus nobile consectarium fuisse reor originem moris, ut Barbarorum leges personales potius essent quam territoriales; ut scilicet quisque ingenuus, una cum iis, qui ejus juri subesse reputabantur, illi modo legi haberetur obnoxius, quam vel ex suo, vel ex familiæ suæ facto ipse sibimet tulisse censeretur. Quod in Italia certe quoad plura juris objecta circiter usque ad condita Statuta perdurasse innuunt antiqua monumenta, ex quibus colligitur alios quidem Langobardorum lege vixisse, alios lege Salica, alios lege Ripuariorum &c. Imo mos inter gentes inoletus, jurisque constructio id effecit, ut idem obtineret etiam quoad populos, quibus par ratio non suberat: sicque Provinciales Romani in regionibus in Barbarorum ditionem redactis degentes vivere permittebantur lege Romana.

Sed revertamur in viam. In lege tot sapientum prædiscussa consilio, & amplissimi militarium cœtus sancita suffragio, haud facile videtur latere potuisse quid inconcinnum, aut noxium, & quod in publicam utilitatem non cederet. Et siquid præter spem (ut in humanis legibus, quantumvis sapientissime expensis, non semel accidit) aut minus utile, aut minus aptum inesse ex post facto deprehenderetur, aut procedente tempore, ac circumstantiis variantibus, in utilitatem publicam comparatum amplius non esse dignosceretur, id parato subsequentium Comitiorum remedio corrigere pronum erat. Et sane legum correctiones factas fuisse ex pluribus colligimus, & præcipue ex Prologis legum Langobardorum Regum Grimoaldi, Liutprandi, & Rachis, in quibus fit aperta professio *corrigendi* quoque, *minuendi*, *revocandi*, quæ in antecessorum legibus purganda videbantur.

Et certe ex præfato ordine in construendis legibus servato, præcellentiam Barbaricarum legum supra Romanas evincit Hugo Grotius, Juris Publici Magister nulli secundus, hæc scribens: *In publico jure* (3) *primum est ipsa conformatio legum*, *quæ apud Romanos a voluntate pendebat Principis*, *hominis unius*, *falli mutarique facilis*. *Inde tot repugnantia Imperatorum inter se Edicta*. *Solus Justinianus non tantum vetera novavit pleraque*, *Triboniani ad omnia venalis arbitrio*, *sed ipse de eadem re ter*, *quater*, *mutavit sententiam*. *Apud veteres illos populos* (Barbaros) *a Principe*, *Ordinumque delectis bene expensæ leges tria habebant commoda*: 1. *quod nihil publice noxium latere poterat inter tot monitores*: 2. *quod prompto animo servabantur quæ communis consensus sanxerat*: 3. *quod eadem nunquam*, *aut nonnisi summa causa urgente mutabantur* . . . *Nihil ibi ad speciem*, *omnia ad utilitatem publicam comparata*. Hæc vir doctissimus, qui exinde ad specialia descendens, & de matrimoniis, tutelis, contractibus, alienationibus, testamentis, successionibus ab intestato, possidendi securitate, judiciis, differens, Barbaricarum legum præstantiam, & pulchritudinem pandit ubique.

Sed lucidius adhuc Romanis legibus Barbaricas præcellere dignoscimus ex conceptuum simplicitate, qua leges ipsæ edicebantur. Eximia sane Romano juri laus deneganda non est; quippe quod vel unico Pandectarum volumine veræ, ac solidæ jurisprudentiæ inexplebilem claudat thesaurum, cunctaque præbeat, quæ juris universalis codici efformando, saltem quod ad privatorum causas pertineat, satis superque sunt. At vero varietatibus, in-

(1) Leg. Lang. Ed. Mur. Edict. Roth. v. finem.
(2) Eccard. not. ad Pact. Leg. Sal. Tit. XI. lege 3.
(3) Grot. Præf. ad Hist. Goth. p. 65.

inconſtantiis, ſubtilitatibus, juris fictionibus, adeo refertum eſt, ut jus certum non ſatis conſtituat, neque ſatis clarum atque perſpicuum, ut facile intelligatur a populo, cui leges edictæ ſunt. Hinc ampla illa, atque pæne innumera Gloſſatorum & Commentatorum volumina, quibus integras Bibliothecas onerare poſſis, & quæ, num legum ſenſum clariorem, aut obſcuriorem reddiderint, dubito. Quo fit, ut Romanas leges eludere facile ſit; difficile in illas non impingere; & proclive ſit in vera præſcripti intelligentia aſſequenda perpetuo nutare: quod legum bene conſtitutarum argumentum certe non præbet.

Barbaricis porro populis (ſi forte Wiſigothos excipias, qui plurima e Romano pœnu depromſerant) digeſti, atque univerſalis Codicis inſtituendi animus non inerat; ſed leges ferre conſueverant, prout Reipublicæ ac gentis neceſſitas, vel utilitas poſtulare videbatur. At vero quas ferebant leges, eas mira ſimplicitate, ac claritate, brevitate quoque edicebant; quo lex ipſa ſibi ipſi interpres etiam rudi populo eſſet, & præſcripti æquitatem patefaceret, & ſibi authoritatem conciliaret.

Grotium iterum audiamus. *Sordebunt*, inquit (1), *leges Gentium Septemtrionalium ſola Romana mirantibus. Ego in Romanis legibus ſubtilitatem minima quæque perſequentem, varietatem, inconſtantiam video: tantam denique molem, & in mole perplexitatem, ut nemo tam felicis ſit memoriæ, cui non ſæpe eveniat in leges incurſare. At Philoſophia legem vult eſſe ſimplicem, brevem, claram, qualia ſunt patrumfamilias in familiam ſuam imperia. Tum vero nihil mutata duratio multum ſecum habet authoritatis. Hec ego in Septemtrionalium noſtrorum legibus invenire me gaudeo.* Ita Grotius, qui ex effectibus ſubdit, ſe quoque arbitrari *ipſi Deo eam ſimplicitatem præ argutiis placuiſſe*.

Præfatos Romanæ Jurisprudentiæ nævos adhuc ante invecta Juſtinianæa jura optime perſpexerant & Barbari; ac dum Provincialibus inter eos viventibus uſum Romani Juris reliquerant, in id incubuerunt, ut Romanarum legum codice uterentur Barbarici regiminis inſtitutis accommodo, in primis vero breviato, atque ab inconſtantiis, & ſubtilitatibus expurgato. Quod proſpero eventu præſtitit Alaricus Wiſigothorum Rex celebri codice, qui *Breviarium Aniani* vulgo nuncupatur.

In hunc porro finem illud conditum fuiſſe Romanarum legum Breviarium docet exemplar authoritatis ab Alarico Rege præfixum. Ibi enim hæc leguntur: *Utilitates populi noſtri propitia divinitate tractantes, hoc quoque quod in legibus videbatur iniquum, meliori deliberatione corrigimus, ut omnis legum Romanarum & antiqui juris obſcuritas, adhibitis Sacerdotibus, ac Nobilibus viris, in lucem intelligentiæ melioris deducta reſplendeat, & nihil habeatur ambiguum, unde ſe diuturna, aut diverſa jurgantium impugnet objectio.*

Præclarum Alarici Regis exemplum ævo noſtro ſuperavit Boruſſorum Rex potentiſſimus, qui *Corpus Juris Friderici* concinnari præcepit, in quo dubiis, ac difficultatibus ſemotis, atque ſubtilitatibus ac juris fictionibus hac illac in Romano jure occurrentibus exulare juſſis, leges editæ ſunt, ordini quidem, ac principiis Romanarum plurimum conformes, ſed jus certum, atque perſpicuum conſtituentes, ac ea brevitate, claritate, ac ſimplicitate expreſſæ, quæ Barbaricarum Legum formam æmulatur.

Gundebaldus itidem Burgundionum Rex Romanarum legum ſyntagma ſe editurum promiſerat Provincialibus ſub ejus ditione degentibus. Etenim in Conſtitutione Legibus Burgundionum præmiſſa inter cætera hæc habet: *Inter Romanos vero interdicto ſimili venalitatis crimine, ſicut a parentibus noſtris ſtatutum eſt, Romanis Legibus præcipimus judicari: qui formam & expoſitionem legum conſcriptam, qualiter judicent, ſe noverint accepturos, ut per ignorantiam ſe nullus excuſet.*

Promiſſa præſtitiſſe Gundebaldum libro, qui *Lex Romana*, ſeu *Reſponſa Papiani* dictus eſt, quamplurium magni nominis eruditorum ſententia eſt, & ſolidis quidem rationibus innixa; de quo & ego aptiore loco fuſius differam.

Quod ad Regnum Francorum attinet, uſum ibidem Romani Breviarii obtinuiſſe innuunt Formulæ ſecundum Legem Romanam, quæ ex vetuſtiſſimo Codice Cl. Jacobi Sirmondi in lucem editæ ſunt, & quas in Regno Francico concinnatas fuiſſe, ipſa earum lectio ſatis evincit. In his Romanam legem ex Aniani Breviario allegari pluribus in locis indigitat Hieronymus Bignonius notis eruditiſſimis, quas iiſdem Sirmondicis Formulis ſubnexuit.

Sed & *Reſponſa Papiani* in Francorum ditione uſu non caruiſſe docet Charta anni DCCCIV., qua Harwichus Villam in pago Andegavenſi ſitam Monaſterio Prumienſi concedit; in qua charta Codex ille expreſſe memoratur his verbis: *Cum in libris* (2) *Theodoſiani, & Hermogeniani, ſeu Papiani, per quem lex continet, ſcriptum eſt, quod donatione traditio ſubſequatur &c.*, quod ad Titulum XXII. Reſponſorum Papiani relatum eſt. Ex quo ſane doctiſſimus Joannes Chriſtophorus Amadutius (3) optime collegit,

(1) Grotius l. c. pag. 63.
(2) Ap. Martene & Durand Veter. Scriptor. & Monum. Tom. I. col. 56.
(3) Amadutii Leges Novellæ Præf. art. XXIV.

legit, in Francorum regno, & quidem vel Prumiæ in ditione Trevirensi, vel Andegavi sub Archiepiscopatu Turonensi, obtinuisse Librum Papiani.

Si vero de Italia nostra sermo sit, adhuc regnantibus Ostrogothis Alarici Codicem penes nos quoque receptum fuisse docent eruditi. Sequioribus autem ævis ejusmodi obtinuisse compendia pro iis, qui Romana lege vivebant, ambigendum non est, cum ea supersint usque in hodiernam diem. Antiqui enim Codices in usum fori conscripti, ac præsertim Mutinenses, Muratorio teste (1), præter Legem Salicam, Langobardicam, Ripuariam, Alamannicam, Baivaricam, ipsam quoque Romanam *contractam ac breviatam* distincto ordine complectuntur. Sit ne hic Alaricianus Codex, an Papiani liber, an vero aliud Romanæ legis breviarium, mihi incompertum, aut huc usque anecdotum, dicerem, si vel unum ex Manuscriptis, in quibus Lex ipsa descripta est, inspicere potuissem. Illud autem nunc satis est nosse, Majores nostros breviato, atque ad simplicitatem redacto Romanarum legum libro usos esse.

Ut ad Barbaricas generatim leges revertamur, sanctiones concisa & clara brevitate expressæ, ambagibus, ac subtilitatibus minime refertæ, id quoque in utilitatem publicam præstabant, ut lites & querelæ forenses minuerentur. Quæ magis adhuc imminuebantur, dum plurima juris objecta, disceptationum civilium seminaria, ex iis præsertim, quæ ad varia successionum genera pertinent, Barbaris aut comperta non essent, aut certe non usitata. Aliunde vero expedita judiciorum forma, argutiis, tricis, & nimis exquisitis Forensium cautelis locum non habentibus, id agebat, ut lites exortæ quam cito finirentur. *Judicia apud Romanos in immensum tracta*, inquit laudatus Hugo Grotius (2), *nec verum tantum, sed & vitæ gravi dispendio inter tam longas cruces: apud Septemtrionales litigandi temeritas sponsionibus, & pignoribus coercita; ipsis judiciis nihil expeditius*. Et de Italia nostra Muratorius ait (3), *che un gran bene si godeva in allora, cioè quello di sbrigar presto le liti, senza vederle incamminare alla eternità*. Regnante adhuc Carolo V. invictissimo Cæsare, Jura Langobardica, atque antiqua instituta e Siciliæ Regno penitus eliminata non erant; & mirando memoratur exemplo (4), quod eo tunc in amplissimo S. R. C. Neapolitano assisterent non plures, quam viginti caussarum Patroni, & quinquaginta circiter Procuratores. Hodie Barbaricis institutis, ac codicibus non utimur, Romanorum voluminum dictatis plurimum inhæremus, & centenos caussarum Patronos, & millenos Procuratores habemus.

Comparatione igitur Romanarum legum cum Barbaricis instituta facile inferimus, Romanas quidem solidæ, atque universalis Jurisprudentiæ studio, etiam supra quam par est exquisito, præcellere; Barbaricas simplicitate, & æquitate necessitatibus atque utilitatibus propriæ Reipublicæ aptata præfulgere: illas aptiores esse instituendo Jurisconsulto; has regendo, cui ferebantur, populo: illas a doctioribus, has a sapientioribus latas esse.

Hic autem unum animadvertere oportet semper sedulo perpendendum, quotiescumque agitur de legibus, & moribus Barbarorum Germanici instituti. Animadvertendum est, scilicet, quod quæ huc usque disserui, non omnia in singulis legibus, ac populis pari nitore elucescunt. Qui enim leges ex. gr. Frisionum, Alamannorum, Baivariorum, Burgundionum, Wisigothorum, conferat, aperte perspiciet, quasi per gradus alteram ab altera secedere, & a Barbaricarum gentium moribus diverti. Non quod antiquitus iisdem generalibus institutis non regerentur Barbari plerique Europam incolentes, & præcipue Germani, & Septemtrionales; sed quod alii citius, alii serius, alii plus, alii minus, a politico patrum systemate digressi sunt. Quod factum potissimum arbitror ex illorum consuetudine cum Romanis, e quorum legibus ac moribus alii quidem plura, alii pauciora, alii fere omnia nacti sunt, ut Ostrogothi in Italia, qui legibus, ac juri publico Romanorum vix non in omnibus se se accommodarunt. At vero vel ex mera legum lectione cordatus Lector haud ægre secernet codices, qui plus antiqui moris sapiunt, & minus a Barbarica simplicitate recedunt.

Hactenus de aptitudine atque præstantia; nunc de Barbaricarum legum utilitate & usu dicendum est. Equidem non desunt, qui dicant: Cui bono obsoletas leges iterato in lucem proferre, & rem fato functam veluti e sepulchro evocare? Ut hoc ergo expendamus, ante omnia in causam inquirendum est, qua leges illæ ab usu fori desierunt.

Ego Europam integram non perlustrabo; neque enim valeo, Italus de Italicis loquar; nam quod in Italia accidit, idem & in reliquis Europæ partibus ferme accidisse reor.

Si ergo de Italico Regno sermo est, fama quidem aliquando tulit (5), Langobardicas le-

(1) Murat. Antiq. Ital. Diss. XXII. Confer eandem Diss. Ital. scriptam.
(2) Grotius l. c. pag. 67.
(3) Murat. l. c.
(4) Pecchia lib. II. cap. 36.
(5) Vide Sigon. lib. XI. de Regno Italiæ, aliosque Script.

leges decreto Lotharii II. Augusti, suadente Irnerio, abrogatas fuisse. At Cl. Muratorius (1) evidenter evincit famæ hujus falsitatem pluribus argumentis, inter quæ illud videtur omni exceptione majus, quod in plurimis Contractuum, & Testamentorum chartis, usque ad finem circiter sæculi XII. occurrat clausula: *Ego N. N., qui professus sum ex natione mea lege vivere Langobardorum*. Sane vero hæc ostendunt, Langobardicas leges a Lothario II. abrogatas non fuisse, & famæ contra prolatæ tuto negandam esse fidem.

Rem acu tetigit Muratorius ipse (2), ratus usum Langobardicarum legum potissimum exolevisse, ex quo post pacem Constantiæ (an. MCLXXXIII.) Italiæ Civitates, Reipublicæ formam induentes, condiderunt sibi Statuta, seu municipales leges, prout unaquæque sibi accommodas, atque utiles esse censebat. Quod alibi quoque factum existimo. Postquam enim novæ Constitutiones sive Generales, sive Provinciales, sive Municipales conditæ sunt, hæ in foris, ut par est, allegari cœperunt, posthabitis juribus antiquis, sive Barbaris, sive Romanis. Romana vero Barbaris in hoc feliciora fuere, quod illa præ his, veluti in subsidium juris, adhiberi consueverint, non quidem ex summorum Imperantium decreto, sed ex temporum circumstantiis; cum scilicet Jus Romanum illud esset, cui eo tunc darent operam legum studiosi, & quod in Academiis & Universitatibus invaluisset.

At vero (ne extra Italiam divagemur) Jus Langobardicum continuo ubique non desiit: in partibus enim Transtyberinis per aliquot exinde sæcula usus illius perduravit. In Constitutionibus quippe Regni Siculi expresse cautum est, ut jus dicatur *secundum* (3) *Constitutiones nostras; & in defectu earum secundum consuetudines approbatas: ac demum secundum Jura Communia, Langobarda videlicet & Romana, prout qualitas litigantium exegerit*. Et quidem jus Langobardicum in Regno Siculo non tantum servatum, sed per illud derogatum fuisse juri Romano, adeo ut hoc allegari non posset in causis, in quibus illud contrarium esset, tradit oculatus sæpe testis, qui summulam differentiarum, seu varietatum inter Jus Romanum & Langobardicum scripsit, Bartholus de Saxoferrato, sive (ut rectius alii censent) Andreas de Barulo (4).

Quod & sæculo XVI. alicubi servatum fuisse diserte testatur Julius Ferrettus, qui in Regno ipso Siciliæ Regii Auditoris munere fungebatur. Ejusmet verba referam: *Contigit me* (5) *Julio Ferretto Auditore Regio tunc Dei gratia existente pro Cæsarea & Catholica Majestate Caroli V. Imperatoris in Provincia Principatus ultra Serras Montorii Regni Siciliæ citra Farum; quod dum quidam Mercurius de Merculiano Doctor, & Civis Neapolitanus probe coram me allegasset secundum jus Romanum in ardua quadam causa, in casu discordante a jure Longobardo, & adversarius ejus Joannes Marcus de Atripaldo Jurisperitus habuisset libellum juris Longobardi in manica, & illum denique exhibuisset, dicens: Domine secundum jus Longobardum hic vivimus, & secundum id judicatur, juxta consuetudinem antiquissimam hujus Regni, quæ est optima legum interpres, præfertur juri Romano. Quo viso tacuit Mercurius, & voluntariam cum rubore sententiam contra se sumpsit.*

Quamdiu post Ferrettum usus Langobardici juris perduraverit, & num in aliquo Regni Siculi angulo adhuc perduret, ignoro. At si penitus exolevit, nil mirum quod exoleverit; imo mirum, quod tamdiu perduraverit. Etenim Jus Romanum illud est, quod in Academiis atque Universitatibus jam a sex, vel septem sæculis legitur; atque Romani Juris Doctores sunt, qui aut juri dicundo præficiuntur, aut in foro causas agunt. E contra vero Leges Langobardicæ contemptui adeo habitæ sunt, ut a plerisque *leges asininæ, leges porcorum, irrationabiles, factæ a bestialibus, fæces, & non leges*, appellarentur. Ita ex summa existimatione, qua habita fuere jura Romana, & ex existimationis jactura, quam passa sunt jura Barbarica, id tandem evenit, quod evenire pronum erat, ut cum de jure quasi subsidiario tantum ageretur, illa penitus invaluerint, hæc penitus defecerint ab usu fori.

In potiori saltem Europæ parte idem ferme accidisse puto, quod in Italia; videlicet, non summorum Imperantium expressa jussione, sed novis inductis Constitutionibus, & Statutis, ac juris Romani violenta irruptione factum esse, ut veterum Barbarorum leges neque in subsidium juris amplius in foris allegarentur. De quo tamen exactius viderint Eruditi, qui patriis juribus operam navant.

Si res ita se habet; ergo Barbaricæ leges exoleverunt, quia in desuetudinem abiit illas in foris allegare; exoleverunt, inquam, *per non usum*. Nunc illud quæro a Jurisconsultis, an simplex non usus sufficiat exstinguendo legis vigori, adeo ut omni penitus auctoritate destituatur. Contrariam certe tuentur sententiam viri doctissimi, asserentes legem per se perpetuam non censeri sublatam per non usum, sed per contrarium ei legi usum: " Cujus (6) contrarius usus non ostenditur, ea utique perpetim manere putatur, " ut quandocumque casus evenerit, recte quis ea uti possit etiam post mille annos. "

(1 Murat. Præf. ad Leg. Langob. (2) Murat. l. c. (3) Const. R. Sic. C. *Puritatem*. (4) Summula differ. in Procem. (5) Ferrettus, Addit. Aureæ in Summul. Bartholi in Procemio. (6) Lindenbr. Præf. ad Cod. LL. Antiq. Confer Villadiego Præf. ad Fuero Juzgo. Goldast. Præf. ad Collect. Leg. &c.

Concludunt igitur, Barbaricas leges, " quatenus id ratio suadeat, & tempora permittant, non tantum in foro utiliter proferri, sed juri quoque Romano pro statu provinciarum recte præferri posse. "

Hæc tantum delibasse in eruditorum gratiam satis sit; in re etenim versor, cui ego enucleandæ impar sum. Præstat (ut egregie perpendit Cl. Muratorius) sententiam Jurisconsultis relinquere, seu verius summis Imperantibus, quorum est de legum vigore decernere. Ego interim de evidentioribus agam.

Si de Transtyberina Italia sermo sit, non modo in Constitutionibus Regni Siculi haud pauca ex Langobardico jure desumpta deprehenduntur; sed teste nuperrimo Scriptore Carolo Pecchia, viro eruditissimo atque hisce in rebus apprime versato (1), quarundam Civitatum Statuta, seu Consuetudines adhuc in viridi observantia existentes, vel a Legibus Langobardicis veluti filiæ a matre descendunt, vel ab illis quamplura mutuatæ sunt.

Cistyberinæ Italiæ Statuta, ut verum fatear, ego non pervolvi: sed nemo facile sibi persuadebit, in iis valedictum penitus fuisse consuetudinibus, atque institutis, quæ ex legibus, quibus patres nostri paruere, ortum ducebant. Et certe quædam observari cerno, quorum ratio e Barbarorum principiis pulchre depromitur.

In Germania plures consuetudines ex antiquis Germanicis juribus superesse testatur Heineccius, quas ex suis fontibus vir doctissimus derivavit in egregio libro, qui *Elementa Juris Germanici tum veteris, tum hodierni*, inscriptus est. In Hispania Legum Recompilationem multis refertam esse, quæ in Wisigothorum Legibus occurrunt, docet Hispanus magni nominis Jurisconsultus Alphonsus de Villadiego. Memini quoque me legisse, in Jus Commune Angliæ irrepsisse non paucas ex Legibus ab Anglosaxonibus, & a Danis constitutas. Ut vel ex hoc capite consulendarum legum, consuetudinumque antiquarum utilitatem, ne dicam necessitatem, se se prodere planum sit, cum primigenia ratio, & verax Constitutionum spiritus, vix aliter perspectus esse possit, quam per recursum ad instituta, & ad fontes, ex quibus Constitutiones ipsæ prodierunt.

Hæc solide observat quoad Germaniam suam Petrus Georgisch, his verbis (2): " Cum non solis Legibus Romanis vivatur in Germania, sed potius ea, quæ scriptis legibus inducta, postea vel in consuetudinarium jus abierint, vel una cum mutata Reipublicæ facie, in leges Provinciales nova Dominantium territorialium legislatione transfusa fuerint, & constanti usu non solum adhuc serventur, sed præferri etiam ipsis subsidiariis juribus debeant; palam inde fit, noviora Germanica jura, sive consuetudinaria, sive scripta, & sive universalia, sive particularia illa sint, ex eo, unde originem suam traxere, interpretanda, illustrandaque esse. Agnoscunt, & intelligunt omnes ii, qui hactenus patriæ jurisprudentiæ curatiorem operam navarunt, sine cognitione veterum institutorum felici successu in interpretatione recentiorum legum, & consuetudinum procedi haud posse, illamque quam maxime ceu primarium, & præcipuum fontem omnis interpretationis Juris Germanici coli debere. Imo agnoscunt genuinum jus patrium fere nonnisi ex his legibus antiquis, Regumque Francorum Capitularibus promanasse, ac toties proinde omnes ad illas provocant. " Hucusque Georgischus.

Quamvis ergo concederemus, Barbaricas leges adeo antiquatas esse, ut jus nullum amplius faciant, indubie tamen arbitror, illas pro locorum, atque caussarum opportunitate utiliter allegandas esse, ut ipsarum perspecta habeatur notitia, & rationes exponantur eorum, quæ adhuc servantur, statutorum, consuetudinum, atque institutorum ab illa antiquitate derivatorum. Et ex eo certe hujusce generis caussis robur accederet, quæ utinam quandoque periculum non subeant, eo quod ex antiquorum jurium neglectu, atque inscitia, vera, & genuina rerum ratio neque sat apte, neque sat perspicue allegari valeat.

Uberiorem autem fructum nanciscentur antiquitatum studiosi. Qui Romanis antiquitatibus dant operam, tot, tamque multa ex antiquis monumentis, atque Scriptoribus ad rerum illustrationem depromere possunt, ut copia mensuram excedat. At cum ad inferiora sæcula descendimus, adeo miseri efficimur, ut necessariis quoque destituamur. Et Cl. Muratorius (3) jure merito dixit, quod *qui Barbarica sæcula Italiæ pingenda sibi proponit, regionem ingreditur tenebris, & caligine non modica circumfusam*. Et quod de Italia ipse dixit, de cæteris quoque regionibus, quibus dominati sunt Barbari, æquo fere jure dici potest. Ipse eruditissimus vir, instructissima perscrutatus archivia, innumera enucleatus monumenta, magnis illis Voluminibus, quæ ad Italicas Medii Ævi antiquitates illustrandas conscripsit, gloriam equidem, cui parem nemo, sibi acquisivit, verumtamen haud semel usque ad rerum apicem pervenire non potuit.

In tanta ergo rerum penuria vellem, ut quis mihi indigitaret, quonam in agro uberior, purior, atque exquisitior messis simul collecta inveniri possit, quam in antiquis legibus, ac formulis, quas nunc trado. Nemo, arbitror, inficias ibit, has cæteris omnibus monumentis absque comparatione purius, vividiusque lumen effundere, illustrandis antiquitatibus medii Ævi.

Et

(1) Pecchia lib. II. cap. 27. (2) Georgisch Præf. ad Corp. Jur. Germ. Ant.
(3) Mur. Præf. ad Antiq. Ital. Medii Ævi.

Et non modo illustrandis antiquitatibus medii Ævi, sed & remotioribus antiquitatibus Barbarorum. Legibus antiquissimis gentium patriis institutis mordicus inhærentium malo fato destituimur. Non quod ex archiviis defecerint, sed quod nunquam scriptis traditæ fuerint: neque sane scriptas leges habere poterant, qui scribere contemnebant, seu (ut verius dicam) qui scripturæ, ac litterarum artem non callebant.

Ipsi Gothi minores, quamvis cæteris Barbaris aliquanto cultiores, tandem Christianismo suscepto, tradente Jornande (1), ab eorum Primate Ulfila litteris instituti dicebantur. *Hunni*, inquit Procopius (2), *etiamnum rudes plane sunt litterarum; quas ne auribus quidem admittunt, neque eorum pueri in labore litterario adolescunt*. Tacitus (3) de Germanis in universum scribit: *Litterarum secreta viri pariter, ac fœminæ ignorant*. Albertus (4) Krantzius de Wandalis agens ait, quod *in latissima ea gente diu nullæ litteræ, quibus antiquitatum memoria servaretur, viguerunt, primumque illis, sicut plerisque, cum Christianismo sunt invectæ*. Imo is quorundam Wandalorum animis inhæserat litterarum contemptus, ut etiam cultioribus ævis eradicari non potuisset. Hoc testatur Krantzius ipse, referens (5) quod *cum Johannes Henrici filius Dominus Magnopolensis diu litteris institisset apud Parisios, factus in Theologia Magister: reversus in terram, irrisione suorum litteras contemnentium, appellatur patrio nomine* Knese Janike.

Tribue hæc, si placet, Barbarorum sive crassitudini, sive ruditati: mihi quidem tribuenda videntur rei bellicæ studio, quæ Reipublicæ basis erat præcipua, & cui studia litterarum maxime adversari opinabantur. Et sane cum Barbari quidam expugnatis Athenis *omnes libros*, ut refert Zonaras (6), *in unum acervum congestos crematuri essent, unus ex cordatioribus populares suos a proposito revocavit; quod Græci, dum iis rebus occupati rem militarem negligerent, facile superari possent*.

Id namque persuasum habebant Barbari, status militaris vigorem litteris enervari. Quam certe litterarum contemptus causam afferebant Ostrogothorum Proceres, etiam cum in Italia rerum potirentur. Cum enim defuncto Theoderico Rege, Amalasuntha filium suum Athalaricum in regno successorem ad tres viros applicuisset e senibus Gothis delectos, quos omnium intelligentissimos, ac moderatissimos noverat, *collecti spectatissimi quique* (ita Procopius (7)) *Amalasuntham adeunt, & queruntur, nec honeste Regem, nec commode sibi educari: litteras a fortitudine longe esse disjunctas, traditamque a senibus institutionem in timiditatem, & animi humilitatem plerumque verti: itaque oportere, ut in re bellica futurus animosus, amoto Doctorum metu armis exerceatur. Theodericum allegant, nunquam passum Gothorum liberos ad Ludimagistros mitti: cum diceret omnibus, eos nunquam hastam, aut gladium despecturos mente intrepida, si scuticam tremuissent. Subjiciunt debere ipsam reputare cum animo, ereptum sibi fato Theodericum, postquam tot potitus provinciis, Regnumque alienum adeptus esset, quamvis litteras ne tantillum quidem auribus admisisset. Ergo, inquiunt, hos Domina pædagogos in præsens valere jube, & Athalarico convictores aliquot æquales adhibe, qui ætate cum ipso florentes ad generose, & more Barbaro regnandum impellant*.

Neque tamen putandum est, Barbaros, antequam litterarum usu donarentur, exleges penitus fuisse. Censent quidem aliqui, illos absque legibus proprie dictis vixisse, meris consuetudinibus contentos. Atque id insinuare videtur Tacitus (8) de Germanis dicens, quod *plus ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges*: & apertius Justinus (9), qui de Scythis differens, hæc habet: *Justitia gentis ingeniis culta, non legibus*. Isidorus quoque (10) de Wisigothis ait, eos ante Euricum *moribus tantum, & consuetudine* vixisse. Sed facile præfati Historici isthæc scripserunt, quod legales codices in Barbarorum Republica nullos extare animadvertissent.

Et sane ex ipsomet Tacito (11) novimus, apud Germanos celebrata comitia, constitutos Principes, qui jura per pagos, vicosque redderent, delicta certis pœnis coercita, rem militarem miro ordine excultam, jura circa successiones, servos, libertos, agriculturam, certis regulis definita; uno verbo Rempublicam optime administratam fuisse. Credat Judæus Apella, hæc absque sancitis legibus servari potuisse.

Sed & contrarium aperte docet Epilogus Edicti Rotharis Regis Langobardorum, qui primus suæ gentis leges scripto mandari jussit. Ibi enim hæc leguntur: *Præsentes vero dispositiones Edicti, quæ Deo jubente, atque propitio, & summis vigiliis ad cælestem favorem præstitis, inquirentes, & remorantes antiqua: Leges Patrum nostrorum, quæ scriptæ non erant, condidimus, & . . . in hoc membranam scribere jussimus. Pertractantes, & sub hoc tamen capite reservantes, ut quod adhuc adnuente divina clementia per subtilem inquisitionem de antiquas leges Langobardorum tam nosmet ipsos, quam per antiquos homines memorare potuimus, in hoc Edicto adjungere prævidimus*. Hæc rudi satis latini-

(1) Jorn. de Reb. Gæt. cap. 51. (2) Procop. de Bello Goth. lib. IV. cap. 19. (3) Tacit. Germ. cap. 19. (4) Krantzius Wandal. in principio. (5) Krantzius ibid. lib. VII. cap. 42. (6) Zonaras Annal. lib. XII. V. Murat. Annal. ad an. CCLXIX. (7) Procop. l. c. lib. I. cap. 2. (8) Tacit. Germ. c. 19. (9) Justin. Hist. lib. II. (10) Isid. in Chron. (11) Tacit. l. c. cap. 11. 12. 18. 20. 25. 26.

tate conſcripta oſtendunt Barbaros non conſuetudinibus modo, ſed & legibus inſtructos fuiſſe, antequam hæ litteris mandari conſueviſſent.

Quas ergo Barbari eo tunc ſibi leges tulerant, eas, ut verbis utar Pauli noſtri de Langobardis loquentis (1), *ſola memoria & uſu retinebant*. Nec immerito quoque eruditis viris perſuaſum eſt, leges ipſas juvandæ memoriæ cauſa concinnatas fuiſſe carminibus; quod, ut Tacitus de Germanis refert, *unum apud eos memoriæ & annalium genus erat*. Et re vera in Sveogothicis Pandectis, quæ aliarum antiquiorum explicationes ſunt aut excerpta, ſimiles vocum exitus, quos Italice *rime* appellamus, hac illac hodiedum ſupereſſe, teſtatur Cl. Johannes Ihre (2), ſat probabili argumento, illas concinnatas quondam fuiſſe hoc verſuum artificio, quod ſane juvandæ memoriæ aptiſſimum eſt, & quod ipſe eruditiſſimus Author (3) adductis argumentis cenſet apud Gothicas gentes ab ultima antiquitate in uſu extitiſſe, & omnino Scythicæ inventionis fuiſſe in Europa.

Quod vero ad rem, de qua agimus, attinet, Barbari (quantum noſſe poſſumus) leges ſuas ſcriptis non tradiderunt ante ſæculum Chriſtiani nominis quintum; aliæ ſæculo ſexto, aliæ ſeptimo exaratæ ſunt, aliæ ſub Carolo Magno, qui, tradente Eghinardo (4), *omnium nationum, quæ ſub ejus dominatu erant, jura quæ ſcripta non erant, deſcribi ac litteris mandari fecit*. Aliæ denique remotiorum gentium leges, ſerius, ſeriuſque ſcribi cœperunt.

Hinc eſt, quod ſcriptæ Barbarorum leges antiquiſſima gentium inſtituta in univerſum non exprimant; litteris quippe traditæ ſunt, poſtquam Barbari arctiora cum exteris inierant commercia, alieniſque moribus ſibi adoptatis a priſca ſimplicitate, & ab inſtitutis patrum multifariam, multiſque modis deſciverant. Inter hæc ſilentio præterire non poſſum memorandam metamorphoſin, quæ novam pæne formam Rebuſpublicis Barbarorum dedit, & tot novarum legum de proprietate immobilium agentium cauſa fuit; quod ſcilicet tempore conditorum codicum agri a ſingulis poſſiderentur; qui tamen antiquitus *Communales*, ut vulgo dicimus, erant, & Communitatis nomine, Cæſare (5) & Tacito (6) referentibus, poſſidebantur, portione quotannis civibus diſtributa, atque ad utendum fruendum ad annum tantummodo aſſignata.

Sed & Religionis mutatio nonnullam in legibus mutationem invexit. Neque enim Chriſtiana Religione ſuſcepta ea omnia ſervari licebat, quæ Ethnica ſuperſtitio induxerat: alia vero contra ſervanda erant, quæ Ethniciſmi tempore minime recolebantur. Et quidem mutationes hac de cauſa in legibus factas fuiſſe expreſſe docet Prologus, qui quibuſdam Legis Salicæ editionibus præfixus eſt; in quo legitur, Theodoricum Francorum Regem conſcribi juſſiſſe Leges Francorum, Alamannorum, & Baivariorum, atque in iis, *quæ erant ſecundum conſuetudinem Paganorum, mutaſſe ſecundum legem Chriſtianorum*.

Quod ſi variationibus iſtis illas quoque ſuperaddas, quas ipſum labens tempus, circumſtantiæque variantes induxerunt, facilè intelliges Barbarorum leges tot mutationes perpeſſas fuiſſe, ut illis uti in univerſum nequeamus, antiquiſſimis gentium inſtitutis enucleandis. Verum enim vero recenſere par eſt, in legibus ipſis non omnes patrum conſuetudines, ac traditiones abrogatas fuiſſe, neque omnes illas, quæ mutationibus fuerunt obnoxiæ, novam adeo faciem induiſſe, ut aliqua priſci moris non præſeferant lineamenta. Et ſane experientia comperimus, antiquos Scriptores de Barbarorum moribus atque inſtitutis agentes ex legibus, & leges viciſſim ex antiquis Scriptoribus paſſim aptiſſime illuſtrari.

Itaque attentus Lector in legibus deprehendet remotæ Barbaricæ antiquitatis præclara monumenta, eoque majori in pretio habenda, quo pauca cæteroquin habemus antiquiora, illaque ab exteris Scriptoribus tradita, qui quoniam Barbarorum inſtituta ſat non habebant perſpecta, aut inepte de rebus illorum differunt, aut fabulas ac portenta veritatibus immixta haud ſemel nobis obtrudunt. Adeo ut de Germaniæ antiquitatibus actum pæne eſſet, ſi exili illo libello deſtitueremur, quem de moribus Germanorum expreſſe conſcripſit Tacitus, qui res ipſemet diligenter inveſtigavit. Ex hoc autem libello plurimæ ex Barbarorum legibus egregiam illuſtrationem nanciſcuntur.

Barbaricæ quidem antiquitates a noſtratibus fere negliguntur; ſed infeliciter negliguntur. Neque enim inutile, neque injucundum eſt noſſe inſtituta, quæ a Gentibus illis in Provincias quondam Romanorum inducta, recta in medium Ævum magna ex parte deſcenderunt, pleraque etiam, aut aliquas perpeſſa mutationes, aut nullas, pervenerunt uſque ad noſtra tempora. Quorum verum ſpiritum, rationem, & originem, rerum Barbaricarum ſtudio neglecto, penitus ignoramus.

Quod autem antiquariis generatim utile, id penitus neceſſarium arbitror iis, qui antiquitatibus Eccleſiaſticis ſua ſtudia impendunt. Ego experimento didici, Canonum quamplurium, præſertim inter Barbaros conditorum, genuinum ſenſum ac ſpiritum plene aliter aſſecutum non iri, quam inſpectis moribus Gentium, quibus Canones ipſi edicebantur. Adde ritus, & inſtituta, & opiniones, & ſuperſtitiones, & errores, qui ex Barbarorum principiis inter Chriſtianos devenerunt. Atque illas in diſciplina variationes poſt Barbarorum irruptionem inductas, unde profectas eſſe arbitrabimur, niſi ex eo, quod Sancta Jeſu Chriſti Eccleſia no-

---

(1) Paul. Diac. lib. IV. cap. 44. (2) Ihre Gloſs. Sveogoth. V. *Baſt*. (3) Idem Ib. V. *Rim*. (4) Eghin. Vit. Car. M. c. 29. (5) Cæſar de Bello Gallico lib. VI. cap. 22. & lib. IV. cap. 1. (6) Tacit. Germ. cap. 26.

novorum filiorum moribus & consuetudini vitæ, uti mater amantissima se se accommodaret, in Christianæ Religionis profectum? Ut sane impossibile sit, horum originem, rationemque enucleare, nisi in novorum hospitum, qui hisce causam dederunt, instituta inquiramus.

Erit præterea, quid reponatur quibusdam ex eruditorum vulgo, qui buccis crepantibus quasi usurpationes adversus Civilem Potestatem *temporibus ignorantiæ* factas venditant ea ipsa, quæ ex Barbarorum Jure Publico profluunt, atque ab ipsis in Romanas quondam Provincias inducta sunt. Cum enim Barbaricæ gentes ex una quidem parte studiosissimæ essent libertatis, ex altera vero religione quam maxime tenerentur; illud consequens erat, ut Regis quidem, qui Magistratus modo Reipublicæ censebatur, potestas atque majestas circumsepta foret, summa vero dignitas atque authoritas Sacerdotibus, utpote divinæ voluntatis interpretibus, tribueretur.

Atque ita porro res se habebat. Apud Burgundos, Ammiano Marcellino teste (1), *Rex generali nomine appellatus Hendinos, & ritu veteri potestate deposita renovetur, si sub eo fortuna titubaverit belli, aut segetum copia negaverit terra; quemadmodum & Ægyptii casus ejusmodi assignare solent Rectoribus. Sacerdos apud Burgundos omnium maximus appellatus Sinistus, & fuit perpetuus, obnoxius discriminibus nullis, ut Reges*. Apud Slavos Rugianos, referente Helmoldo (2), *Rex modicæ æstimationis est comparatione Flaminis. Ille enim responsa perquirit, & eventus sortium explorat. Ille ad nutum sortium, & porro Rex & Populus ad illius nutum pendent*. In idem ferme recidit, quod de exercitalibus Germanis ait Tacitus (3): *Nec Regibus infinita, aut libera potestas: & Duces exemplo potius quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsunt. Cæterum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, nisi Sacerdotibus permissum: non quasi in pœnam, nec Ducis jussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt*. Ipsosque Sacerdotes & generalibus interfuisse Comitiis, & quidem cum prærogativæ, & superioritatis peculiari jure, idem Tacitus (4), dum de Comitiis agit, clare innuit dicens: *Silentium per Sacerdotes, quibus tum & coercendi jus est, imperatur*.

Pauca hæc ex pluribus cursim excerpta satis suadent, jus coercendi in civilibus, prærogativam in administratione Reipublicæ, jus sessionis in Publicis Comitiis, æstimationem capitis Episcopi alicubi majorem æstimatione capitis Regis, aliaque ejusmodi in Barbaricis codicibus occurrentia (circa quæ, quid de Divino, aut Ecclesiastico jure sentiendum sit, penes Theologos judicium esto) si politicum certe Barbarorum systema spectes, ex æquissimis titulis in Ecclesiasticos olim derivasse. Erant quippe veterrima gentium instituta, & antiquorum Flaminum jura, quæ Christianis sacris inductis, inter alias quidem gentes cumulatius, inter alias vero remissius, in novorum sacrorum Antistites, atque Ministros transfusa deprehenduntur. Et utiliter quidem in publicum, cum non modo Christiana Religio, atque animorum cultura, sed & ipsa Regalis Majestas, quæ ex lasciviente populorum libertate, Barbaro vigente Ethnicismo, modica in existimatione habebatur, inducta Domini Nostri Jesu Christi doctrina de obedientia & honore summis Potestatibus exhibendo, magnum ex Ecclesiasticis Præsidibus susceperit incrementum. Lege inter cætera ex Conciliorum Toletanorum Canonibus depromptum Prologum Codicis Legum Wisigothorum lingua Hispano-Romantica conscripti, qui *Forum Judicum*, vulgo *Fuero Juzgo*, nuncupatur. Atque inde porro est, quod Religionis mutatio, quæ cæteroquin Publica gentium jura intervertere nata non erat, illud tamen, Deo sic disponente, intervertit, ut Regalis quidem majestatis splendor atque authoritas magis magisque in dies enitesceret, & vicissim Ministrorum Religionis jura in civilibus, variis juxta varias gentes gradibus, a præfatis antiquis juribus minuerentur.

Aliam quoque e Barbaricis legibus atque formulis gratiam nanciscentur Ecclesiasticarum rerum studiosi. Occurrent enim, quæ ad studia Ecclesiastica directo spectant. Capitularia præsertim Regum Francorum, & Leges Anglosaxonicæ, ejusmodi legibus plurimum refertæ sunt. Occurrent Canones quamplurimi, ex SS. Patrum dictis excerpti, vel in Sacris Conciliis editi, qui civili authoritate ita recipiebantur, ut in legem Regni transirent, & ex authoritate quoque civili vis exsecutiva accederet iis, quæ Ecclesiasticis Canonibus sancita fuerant. Spero etiam in his aliqua extare, quæ in amplissimis collectionibus Canonum frustra quæruntur. Ut & hinc, quod ad res Ecclesiasticas attinet, elucescat nostræ collectionis utilitas.

Nunc de hujus Editionis consilio paucula dicenda supersunt. Quas Eruditi huc usque Barbarorum leges sive conjunctim, sive sejunctim e Mss. Codicibus ediderunt, editasque castigarunt, eæ uberrimam præbent messem amplæ & ornatæ collectioni concinnandæ. Alienis uti laboribus in Collectoris gloriam utique non cedit; sed id parum interest, dummodo cedat in publicam utilitatem. Hoc jampridem præstiterat Petrus Georgisch, qui Cl. Heineccii consilio *Corpus Juris Germanici antiqui*, legibus ex selectioribus editis excerptis, tradiderat.

Gloriam merentur, qui vel e tenebris veteres Codices eduxerunt, vel cum illis collatas castigaverunt leges antiquas. Inter quos merito recensentur Basilius Johannes Herol-dus,

(1) Ammian. Marcellin. lib. XXVIII. cap. 12. (2) Helmold. lib. II. cap. 12.
(3) Tacit. Germ. cap. 7. (4) Id. Ibid. cap. 11.

dus, Stephanus Baluzius, & præcipue qui ex professo *Codicem Legum antiquarum* sibi edendum proposuit, Fridericus Lindenbrogius.

Et plurimum quidem debet eruditus Orbis Lindenbrogio; sed nihil ejus laudibus detractum velim, dum dixero, legum collectionem Lindenbrogiana multo meliorem tradi posse; in re enim versamur, cui clarius lumen in dies effudit recentior eruditorum industria, & longioris ævi diligentia. Id perspexerat hoc, quo vivimus, sæculo Cl. Georgius Eccardus, qui *multis partibus* (1) *Lindenbrogii Codicem meliorem se dare posse* affirmabat. Quod neque frustra neque inconsulto vir doctissimus jactitavit, cum ipsemet scripserit, se leges ipsas jam asservare (2) cum variis Mss. collatas, & notis suis expositas atque illustratas.

Ego vero jam proposueram edere meam, cum in manus mihi incidit Collectionis Eccardinæ (nunquam, quod ego sciam, editæ) conspectus, qui Bibliothecæ Germanicæ (3) insertus est. Et conspectus ipse animum mihi addidit; etenim spero hanc, quam nunc trado, uberiorem, ac selectiorem, forte & ornatiorem prodire Lindenbrogiana non modo, sed etiam ea ipsa, quam edendam sibi proposuerat Eccardus. Absit gloriola; nam vulgatum illud adagium, *Facile est inventis addere*, ubi de collectionibus agitur, luce meridiana clarius est.

Eruditorum ergo, quorum nomina opportunis locis debito cum honore recensere par erit, fulcris innixus, Legum Barbaricarum collectionem edo, quæ rerum ubertate, atque delectu, uti spero, alias omnes post se relinquet. Neque illam nudam, incomptamque tradere visum est, sed notis, & glossariolis e præclaris Authoribus depromptis illustratam, quibus legum textus vel castigetur, vel explanetur, ut genuinum illarum sensum Lector facilius assequatur, & de Barbarorum institutis ex fontibus ipsis cum oblectamento edoceatur. Pluribus & ego notas, & animadversiones ab ingeniolo meo profectas subnectam; & nonnullis selectis ineditis monumentis, quæ mihi ad manus sunt, editionem hanc exornatam prodire curabo.

In Codicum ornatum aptis subnectentur locis plerique fasciculi formularum. Formulæ quippe sunt legum optimæ, eæque authenticæ interpretes, ac illarum veluti perpetua Commentaria. Adde, quod usuum forensium notitiam præbent, & quamplura, quæ ad Jura Publica Barbarorum pertinent, quasi sub oculis exhibent. Uno verbo sunt Legum pedissequæ, ab illis neutiquam disjungendæ.

In coronidem Operis aliquot sequioris ætatis Constitutiones superaddere placuit, quas *Constitutiones medii Ævi* jure optimo appellare est. Sunt autem Constitutiones illæ, sive Generales, sive Provinciales, queis veteres leges in foris locum cesserunt, ut supra jam monui. Has vere dicere possis Barbaricarum legum filias, sed illegitimas. Etenim quamvis in iis nuncium penitus missum non fuerit antiquis Barbarorum institutis, haud pauca tamen immutata sunt, aut alienis intermixta, sive ex Romano, sive ex Canonico jure depromptis, sive ex consuetudinibus labente tempore inductis.

Ut vero Constitutionum ipsarum copia opus nostrum non prægravet, & ne a primigenio Barbaricarum legum tradendarum instituto nimis aberrem, media incedere semita deliberavi; ut scilicet singulis Voluminibus unicam ex Constitutionibus illis ad summum adjicerem. Sic enim & optima erit seligere, & studiosis exhibere quæ satis sunt, ut dignoscant, quomodo ab antiquis institutis sensim descitum sit variis in Provinciis, ac Regnis; & præcipue ut perspecta habeant plurima (ne dicam omnia) ad rem Feudalem spectantia, quæ medio ævo vigebant, ex quibus tam multa in Feudales Consuetudines, quæ hodie dum obtinent, devenerunt. Quod certe haud levi emolumento simul, atque oblectamento studiosis futurum erit.

Tandem prætereundi mihi non sunt Viri honestissimi, qui huic Collectioni edendæ impensas & operam contulerunt, & qui nulli studio pepercerunt, nullive pretio, ut typis prodiret, pro rerum contentarum dignitate, emendatis. Et sane præter consuetas in prælo correctiones accurata diligentia habitas, exemplaria ipsa, ex quibus hæc deprompta sunt, collata, & sedulo examine emendata fuerunt, antequam prælo subjicerentur. Obtineri equidem non potuit, ut ab omni penitus labe purgarentur; imo sæpe sæpius prudentiæ visum est, præsertim in legum textubus, sphalmata intacta relinquere, potius quam quidquam ex arbitrio immutare. Attamen affulget spes, ut Editio hæc, quamvis non omnino a typographicis erroribus immunis, inter emendatiores merito haberi possit. Quod eorum laudi dictum sit.

Hæc sunt, de quibus præmonitum te volebam, optime Lector. Tu his utere, & vale.

---

(1) Fabric. Supplem. ad Biblioth. Lat. pag. 334. Hamburgi MDCCXII.
(2) Eccardi Præf. ad Leg. Sal. & Rip.
(3) Biblioth. Germ. Vol III. part. 1. pag 296.

EDI-

EDICTA
REGUM OSTROGOTHORUM
ET
MAGNI AUR. CASSIODORI
SENATORIS
FORMULÆ

Cum Notis in Athalarici Edicta, & in Formulas, quas ex Guillelmo Fornerio, Petro Broſſæo, & Franciſco Jureto deprompſit

R. P. D. JOHANNES GARETIUS

O. S. B. Monachus e Congregatione S. Mauri.

IN EDICTA
REGUM OSTROGOTHORUM
MONITUM COLLECTORIS.

INter eruditos compertum eſt, Oſtrogothis in Italia regnantibus, Jus obtinuiſſe Romanum (1). Habuere quidem Gothi antiquas quaſdam ſuæ Gentis Leges, quæ jam ſcriptis traditæ erant: Dicenæus enim, referente Jornande (2), qui *venit in Gothiam, quo tempore Romanorum Sylla potitus eſt principatu ..... cernens Gothorum animos ſibi in omnibus obedire, & naturale eos habere ingenium, omnem pæne Philoſophiam eos inſtruxit; erat enim hujus rei magiſter peritus. Nam Ethicam eos erudivit, ut Barbaricos mores ab eis compeſceret: Phyſicam tradens naturaliter propriis legibus vivere fecit, quas uſque nunc conſcriptas* Bellagines *nuncupant. Logicam inſtruens &c.*

Quid vero Leges, ſeu *Bellagines* illæ? Vis nominis indicat (3) particularia quædam Statuta; ſicut & apud Anglos Statuta, quæ Collegia, Societates, Communitates ad ſui regimen conficiunt, hodiedum *By-Laws* appellantur. At vero cujus generis fuerint hæc Statuta Gothorum, in incertum adhuc inquiritur; illud tamen, quod ad rem noſtram attinet, vel ipſis perpenſis Jornandis verbis, obſervante etiam Cl. Heineccio (4), certo conſtare videtur, in legum civilium cenſu minime habitas ab Oſtrogothis fuiſſe.

Et ſane quod in Italia non alias a Romanis leges proprie dictas ſcriptas haberent, præclarum perhibuere teſtimonium Gothorum Oratores coram Romani exercitus imperatore Belliſario, fidenter aſſerentes, quod lippis & tonſoribus notum erat (5): *Italiæ*, inquiunt, *Regnum adepti, leges ac regiminis formam, haud minori ſtudio, quam quivis Imperatorum veterum conſervavimus; neque ulla prorſus Theoderici, aliuſve cujuſpiam Gothorum Regis lex ſcripta extat vel inſcripta.*

Nullum ergo Oſtrogothæ in Italia proprium Corpus Juris habuerunt. Hinc & ea, quæ Reges in Edictis populis ſibi ſubditis *Barbaris atque Romanis* obſervanda ſanxerunt (ſi pauca excipias ex patrii forte Gothorum inſtituti reliquiis deſumta) ex Jure Romano deprompta ſunt, aut interpolata; hoc eſt, ut in Theoderici Edicto legitur, (6) *ex veteris juris ſanctimonia*, ex Gregoriano puta atque Hermogeniano, & præcipue Theodoſiano Codicibus, & Prudentum quorundam effatis; *& ex novellis legibus*, videlicet ex Corpore Novellarum Conſtitutionum Theodoſii, Valentiniani, Martiani, Majoriani, Severi, Leonis, & Anthemii. Ipſa Oſtrogothorum Edicta, quæ trado, totidem Romani Juris aſſertiones, confirmationeſque eſſe dignoſcuntur, dum in iis (7) uſualium Jurium Publicorum, Legumque omnium (Romanarum ſcilicet) obſervantia cunctis præcipitur & reverentia.

Theoderici Regis Edictum CLIV. capitibus conſtans, Oſtrogothici Juris ſum-

(1) V. Proleg. in Cod. Theod. Gothofr. c. 3.
(2) Cap. 11.
(3) *Bellagines*. Vox compoſita ex duabus Gothicis, *By*, pagus, habitatio, & *Lag*, Lex, vel Statutum. Vide Wachter. V. *Bellagines*. Ihre V. *By*.
(4) Hiſt. Juris Rom. ac Germ. Lib. 1. n. 11. in notis.
(5) Procopius lib. 1. cap. 6.
(6) Edictum Theoder. in fine.
(7) Edict. Theod. in princ. Edict. Athalar. in fine.

mam ferme continens, a Petro Pithoeo publici juris factum, Lindenbrogius quoque & Georgifchus Legum antiquarum collectionibus inferuerunt. Addo ego ex Caffiodorio faltem Athalarici Regis in Simoniacos Conftituta, aliudve Edictum XII. Capitibus diftinctum. Hæc, inquam, addo, quoniam Sanctionum generalium, perpetuarum, & ad formam legis fervandarum identidem rationem habere, vel ex fubjunctis Epiftolis abunde patet.

Caffiodorii Formulas prætermittendas non duco, ut pote quæ plura fuppeditant, quibus Jus Publicum Oftrogothicum, feu, ut verius dicam, Romano-Gothicum, in Italia illuftretur. Notafque fubjicio plurima eruditione refertas, quas ex Fornerio, Broffæo, & Jureto deprômptas *Variorum* libris interferuit accuratiffimus Operum Caffiodorii editor Joannes Garetius. Ex quibus præcipue Oftrogothorum convenientia cum Romanorum juribus & moribus perfpicua fiet.



EDI-

EDICTA
REGUM OSTROGOTHORUM.

EDICTUM
THEODERICI REGIS.

CAPITA EDICTI.

I. JUdex si pecuniam acceperit, ut male judicet.
II. Judex si, contra statum aut fortunas cujuslibet ut sententiam proferret, pecuniam acceperit.
III. Judex si immerito a provincialibus aliquid acceperit.
IV. Si officium cujuslibet judicis ultra jussionem acceperit.
V. Si sententia non præsentibus dicatur.
VI. Ut ad officium & sollicitudinem judicis pertineat, quomodo in executionem mittantur judicia,
VII. Judex ut discussis allegationibus vel documentis utriusque partis, verum judicet.
VIII. Sine judicis auctoritate nullum ingenuorum debere teneri.
IX. De his qui aliquid adversum hoc præsumpserint.
X. Cujuslibet rei possessorem per judicis auctoritatem debere conveniri, & expectare cognitionis eventum.
XI. Si possessor pulsatus legibus non reddiderit rem petitam.
XII. De his, qui per XXX. annos quamlibet rem jugiter possederint.
XIII. De his, qui alterum quolibet crimine pulsaverint.
XIV. Ut sub alterius nomine nullus accuset.
XV. De percussore ad se veniente.
XVI. De his, qui ad possessionem alienam violenter vadunt.
XVII. De raptore ingenuæ mulieris aut virginis.
XVIII. De parente raptæ, aut curatore ejus.
XIX. De servo, qui querelam de raptu viderit dissimulari.
XX. De raptu, intra quæ tempora concludatur.
XXI. Si ancillam alienam aut originariam congregata multitudine rapiat.
XXII. De conductore conscio aut connivente.
XXIII. De his qui intestati mortui fuerint.
XXIV. Quando debet fiscus agere.
XXV. Unumquemque possessorem apud judicem fisci nomine pulsandum.
XXVI. De intestatis clericis, & religiosis personis.
XXVII. Curialis si sine successore intestatus defecerit.
XXVIII. De data testandi licentia.
XXIX. Si testator aut litteras ignoret, aut non possit subscribere.
XXX. De falsariis.
XXXI. Ut voluntatem suam facere volenti nullus contradicat.
XXXII. De his qui ab intestato possunt succedere.
XXXIII. De Barbaris, qui voluerint jure testari.
XXXIV. De subreptione Romani aut Barbari.
XXXV. De delatoribus.
XXXVI. Si quis ad nuptias non legitimas adspiraverit.
XXXVII. Intra annum mortis mariti si mulier nupserit.
XXXVIII. De adultero & adultera.
XXXIX. Qui ut adulterium fieret, domum præstiterit.
XL. Qui falsum fecerit, aut usus fuerit.
XLI. Qui falsum nesciens allegaverit.
XLII. Qui varium vel falsum testimonium dixerit.
XLIII. Nullum debere ad potentem Romanum aut Barbarum suas actiones transferre.
XLIV. Nullum Romanum aut Barbarum tanquam defensorem aut suffragatorem in alieno stare negotio.
XLV. Nullum debere alienæ rei nec suæ titulos ponere.
XLVI. Si quis in ea re, quam possidet, conventus, ut adversario suo resistat, titulos posuerit.
XLVII. Si quis possessa ab aliis prædia titulis occupaverit.
XLVIII. Libertos originarios aut servos contra patronos suos, eorumque liberos, non audiri.

E D I C T U M.

Querelae ad nos plurimae pervenerunt, intra provincias nonnullos legum praecepta calcare. Et quamvis nullus injuste factum possit sub legum auctoritate defendere: nos tamen cogitantes generalitatis quietem, & ante oculos habentes illa, quae possunt saepe contingere, pro hujusmodi casibus terminandis, praesentia jussimus edicta pendere: ut salva juris publici reverentia, & legibus omnibus cunctorum devotione servandis, quae Barbari Romanique sequi debeant super expressis articulis, edictis praesentibus evidenter cognoscant.

Priore itaque loco statuimus, ut si judex acceperit pecuniam, quatinus adversum caput innocens contra leges & juris publici cauta judicaret, capite puniatur.

II. Judex si pecuniam, contra statum aut fortunas cujuslibet ut sententiam proferret, acceperit, & ex hac re *sub justa fuerit examinatione convictus, in quadruplum quod venalitatis studio accepit, exsolvat, illi profuturum, contra quem redemptus docebitur tulisse sententiam.

III. Judex quod immerito provincialibus rapuerit, amissa dignitate qua male usus est, in quadruplum reddat his duntaxat, quibus immerito constat ablatum: & si defunctus fuerit, ab ejus heredibus haec poena poscatur.

IV. Officium cujuslibet judicii, quod quid ultra quam jussum est, exegerit, in quadruplum sub fustuaria poena cogatur exsolvere iis, quibus inlicite monstrabuntur ablata.

V. Sententia non praesentibus partibus dicta nullius momenti sit; nisi adversus eum prolata doceatur, qui tertio conventus, & edictis solemniter inclamatus, adesse contempserit.

VI. Ad officium sollicitudinemque judicis pertinet, ut ea scripto lata definiant, quae apud se aguntur, sententia: & in executionem mitti jubeant, quod fuerit judicatum.

VII. Judex discussis utriusque partis suggestionibus atque documentis, id solum judicare debet, quod juri & legibus viderit convenire.

VIII. Sine competentis judicis præcepto nullus ingenuorum sustineat detentionis injuriam, aut ad judicium deducatur, vel in privata habeatur cujuslibet præsumptione custodia.

IX. Si quis autem aliquid eorum admiserit, ad violentiæ pœnam, qua capitalis est, se non dubitet esse rapiendum.

X. Qualemcunque cujuslibet rei possessorem conveniri judiciaria auctoritate decernimus, & expectari semper justæ cognitionis eventus. Quod si quis qualemcunque possessorem possessione dejecerit, amissionem, pro tanta præsumptione, vel bonæ litis incurrat; reformata scilicet possessione quam occupaverit, fructus quoque duplos pro tanta temeritate persolvat. Quod si illam possessionem occupaverit, quæ eidem minime debebatur, hanc pœnam habeat, ut & rem cum fructibus in eo statu domino reddat invasam, & æstimationem rei pervasæ subire cogatur, fisci juribus profuturam. Cujus decreti justi atque legitimi omnes per provincias judices, & urbe venerabili constitutos, vel eorum officia, jubemus esse custodes: ita ut si aliquid extiterit, quo se putent exigendæ mulctæ superius comprehensæ pares esse non posse, relationem ad scrinia nostra transmittant, ut a nobis, si ratio poposcerit, districtius vindicetur.

XI. Quod si possessor pulsatus legibus, non reddiderit rem petitam, & sub cognitionis eventu adversus eum legibus fuerit lata sententia, a die qua per auctoritatem conventus est, & dedit responsum, expensas litis vel sumptus victus exsolvat. Hoc remedio fiet, ut in mala causa nullum litigare delectet.

XII. Qui per triginta annos quamlibet rem jugiter possidere fuerit adprobatus, neque publico, neque privato nomine patiatur aliquam penitus quæstionem. Tali autem professori (1) etiam auctorum proauctorumque suorum tempora secundum leges proficere debere censemus; illud adjicientes, ut si intra triginta annos mota lis fuerit (2), nec finita, superveniens conclusio triginta annorum, eandem sine aliqua dubitatione consumat: quia cuivis satis credimus abundeque sufficere, intra XXX. annos & actiones suas rite componere, & eas publico judicio, vel privata definitione peragere. Ita ut circa pupillarem ætatem privilegia antiquis vel novellis legibus concessa, serventur, vel circa eos qui ex quo competere poterant post vicesimum & quintum annum intra tricesimum suas legibus proposuerint actiones. Cui casui quinquennii beneficium novella lege probamus adjectum.

XIII. Qui alterum quolibet crimine putaverit accusandum, non prius audiatur, nec de exhibitione aliquid jubeatur, nisi se præmissæ inscriptionis vinculis obligarit, & istud caverit apud competentem judicem, se eam pœnam subiturum, si non probaverit, quod intendit, quam possit reus convictus secundum leges excipere; & usque ad eventum judicii, tam reus, quam accusator, æquali custodiæ sorte teneantur. Nisi forte aut minora sint crimina, in quibus fidejussor præberi debeat, aut reus adeo nobilis & splendidi honoris sit, ut suæ committi debeat dignitati.

XIV. Sub alterius nomine nullus accuset: quia improbum judicamus, ut quis alienæ utilitatis vel voluntatis, quasi sub specie accusationis, executor existat.

XV. Qui percussorem ad se venientem ferro repulerit, non habetur homicida: quia defensor propriæ salutis videtur in nullo peccasse.

XVI. Qui ad possessionem alienam violentus advenerit cum multitudine congregata, si aut ipse, aut aliquis ex eodem numero, casu, dum repellitur violentia, occisus fuerit, is qui per necessitatem hoc fecit, a metu pœnæ liber habeatur.

XVII. Raptorem ingenuæ mulieris aut virginis, cum suis complicibus vel ministris, rebus probatis juxta leges jubemus extingui: & si consenserit rapta raptori, pariter occidatur.

XVIII. Si parentes raptæ, aut curator ejus, quæ minore ætate rapta est, exequi & vindicare talis facti culpam forte neglexerit, pactum quod non licet de hoc crimine faciendo, pœnam patiantur exilii.

XIX. Servus vero si querelam de raptu dissimulari a dominis, & pactione crimen senserit definiri, atque judiciis prodiderit, libertate donetur.

XX. Raptum intra quinquennium liceat omnibus accusare, post quinquennium vero nullus de hoc crimine faciat quæstionem, etiamsi intra suprascriptum tempus egisse aliquid de legibus doceatur: maxime cum & filii de hoc matrimonio suscepti, exacto quinquennio legitimorum & jure & privilegio muniantur.

XXI. Si quis ancillam alienam aut originariam violenter cum multitudine congregata rapuerit, si ingenuus est, raptoris pœna feriatur, quia violentiæ crimen admittit: si servus est aut colonus, & sua hoc tantum voluntate commisit, simili ratione puniatur.

XXII. Si vero conscio conductore, aut jubente, aut connivente, vel non prohibente hoc fecerit, etiam conductor ipse, tanquam facti reus, simili pœna feriatur. Si autem domino sciente vel jubente hoc fecit, eandem possessionem, de qua raptor egres-

(1) Fortasse, *possessori*.

(2) Al. *ultra triginta annorum mortalis fuerit*.

egressus est, fisco profuturam dominus incunctanter amittat.

XXIII. Si quis intestatus mortuus fuerit, is ad ejus successionem veniat, qui inter agnatos atque cognatos gradu vel titulo proximus invenitur, salvo jure filiorum ac nepotum.

XXIV. Fiscus tunc agat, quando nec parentum, nec filiorum, nec nepotum, nec agnatorum, nec cognatorum, nec uxoris & mariti, quæ succedat, extare comperitur persona, secundum veterum constituta: ita ut fiscus, quotiens locum successionis invenerit, vel aliqua sibi competentia repetit, actionem, remota titulorum vel officii præsumptione, proponat; quia tunc fiscus unamquamque rem merito potest & sine oppressionis alienæ injuria vindicare, cum intercedente sententia pro ipso fuerit judicatum. Nobis enim, sicut & Principes voluerunt, jus cum privatis volumus esse commune.

XXV. Unumquemque possessorem fisci nomine apud competentem judicem statuimus debere pulsari.

XXVI. Clericos religiosasque personas intestatas deficientes, quotiens defuerit qui jure succedat, locum Ecclesiæ suæ secundum leges facere debere præcipimus.

XXVII. Curialis si sine successore, quem leges vocant, intestatus defecerit, excluso fisco curiæ suæ locum faciat.

XXVIII. Faciendorum testamentorum omnibus, quos testari leges permittunt, damus late licentiam: ita ut septem aut quinque testes ingenui ac puberes, in conspectu testatoris, uno tempore, eodem rogante subscribant.

XXIX. Quod si testator aut literas ignorando, aut per necessitatem vicinæ mortis, propriam subscriptionem non potuerit commodare, tunc octavus testis pro testatore adhibeatur hujusmodi, de cujus fide dubitari omnino non possit: scituris testibus & scriptore præcipue testamenti, quod si quid falsitatis extiterit, sub cognitione decursa se supplicium evadere non posse, quod circa falsarios legum dictat auctoritas.

XXX. Sciat autem scriptus heres, vel legatarius, aut libertus, quod si eis conniventibus, aut scientibus, tale aliquid temptatum fuerit, se non solum emolumento ipso, vel fructu ejus scripturæ esse privandos, verum etiam falsi pœnam declinare non posse. In hoc reatu erit, quisquis operam aut studium faciendis adhibuerit talibus testamentis: cum voluntates velimus esse liberas mortuorum, & nihil ibi sibi aliena debeat persuasio vindicare.

XXXI. Ne quis voluntatem suam facere volentem, aut testes, quolibet nomine deterreat, aut contradictor existat: cum, si quid actionis fuerit, eam legibus adversum heredem possit exercere.

XXXII. Barbaris, quos certum est Reipublicæ militare, quomodo voluerint & potuerint, faciendi damus licentiam testamenti, sive domi, sive in castris fuerint constituti.

XXXIII. Is qui ab intestato defuncti sperat hereditatem, si volentem testatorem prohibeat facere testamentum, tanquam ab indigno ejus hereditas auferatur.

XXXIV. Nemo aut Romanus, aut Barbarus, rem petat alienam: quam si per subreptionem impetraverit, non valebit, & eam se non dubitet cum fructibus redditurum. Salvo eo, quod super hac parte superiora nostra edicta jus sanciunt.

XXXV. Is qui quasi sub specie utilitatis publicæ, ut sic necessarie faciat, delator existit, quem tamen nos execrari omnino profitemur, quamvis vel vera dicens legibus prohibeatur audiri: tamen si ea, quæ ad aures publicas detulerit, inter acta constitutus non potuerit adprobare, flammis debet absumi.

XXXVI. Si quis ad nuptias non legitimas adspiraverit, legum censuram penitus non evadat: qui nec justum matrimonium, nec filios sciat se habere legitimos.

XXXVII. Intra annum mortis mariti nulla ad secundas nuptias migret: sed nec furtim se misceat illi, cujus post annum erit uxor futura; quia leges videtur circumscribere voluisse. Idcirco utramque personam stupri ream esse præcipimus. Quam querelam damus tantum filiis & propinquis, ut quod in talibus causis legibus competit, exsequantur.

XXXVIII. Adulteri vel adulteræ intra judicia convicti, interitum non evadant: ministris ejusdem criminis, aut consciis, pariter puniendis.

XXXIX. Qui, ut adulterium fieret, domum vel casam præbuit; quive mulieri, ut adulterio consentiret, suasit, capite puniatur.

XL. Qui falsum nesciens allegavit, ad falsi pœnam minime teneatur.

XLI. Qui falsum fecerit, vel sciens falso usus fuerit, aut alterum facere suaserit, aut coegerit, capitali pœna feriatur.

XLII. Qui varium, aut falsum testimonium dixerint, aut utriusque (1) parti prodiderint, in exilium dirigantur.

XLIII. Nullus ad potentem Romanum aut Barbarum proprias quolibet titulo transferat actiones. Quod si fecerit, jacturam litis jurgator incurrat, & is qui susceperit, medietatem pretii rei æstimatæ fisco cogatur inferre. Qua pœna teneri præcipimus etiam eos, qui rem in lite positam in hujusmodi crediderit transferendam esse personam; quoniam volumus, ut remota persona potentioris, æqua jurgantes sorte confligant.

(1) Al. *utrique*.

gant. Litigantibus vero post causæ terminum, largiendi quod vicerint, cui voluerint personæ, concedimus potestatem.

XLIV. Nullus se potens Romanus aut Barbarus tanquam defensor aut suffragator negotio misceat.

XLV. Nullus alienæ rei vel suæ titulos prorsus adfigat: cum soli fisco hoc privilegium, his quæ possidet jure vel corpore, videatur esse concessum.

XLVI. Is qui in ea re quam possidet, judicis præceptione conventus, titulum potentis nomine adfixum adversario suo crediderit opponendum, ejus possessionis aut casæ, quam sub hac fraude vindicare temptaverit, amissione puniatur: nec repetendæ actionis, etsi competere possit, habeat facultatem.

XLVII. Ille vero qui possessa ab aliis prædia titulis occupaverit, capite puniatur.

XLVIII. Libertos originarios, vel servos, dominos aut patronos suos eorumque liberos deferentes, in quolibet negotio prohibemus audiri: quia hujusmodi personæ neque in civilibus, neque in criminalibus causis contra patronos aut dominos eorumque liberos, etiamsi pro his dicant, vocem possunt habere legitimam; quos in hujusmodi facto deprehensos, in ipso actionis exordio gladiis oportet extingui.

XLIX. Hoc etiam de familiaribus servari debere censemus, qui cujuslibet familiaritati vel domui inhærentes, delatores aut accusatores emerserint: excepto tamen crimine majestatis.

L. Occultis secretisque delationibus nihil credi debet: sed eum qui aliquid defert, ad judicium venire convenit; ut si, quod detulit, non potuerit adprobare, capitali subjaceat ultioni.

LI. Donationes sub hac solemnitate præcipimus celebrari. Quod si cujuslibet pretii res mobilis fortasse donetur, vel certe mancipium, sola traditione largientis sit perfecta donatio; quæ tamen scripturæ fide possit ostendi, cui testium subscriptio adjecta monstretur.

LII. Si vero prædium rusticum aut urbanum quisquam libero arbitrio conferre voluerit, scriptura munificentiæ etiam testium subscriptionibus roborata gestis municipalibus allegetur; ita ut confectioni gestorum præsentes adhibeantur tres curiales, aut magistratus, aut pro magistratu defensor civitatis cum tribus curialibus, aut duumviri, vel quinquennalis: qui si defuerint, in alia civitate quæ hæc habuerit, allegationis firmitas impleatur, aut apud judicem ejusdem provinciæ, quod donatum fuerit, allegetur.

LIII. De traditione vero quam semper in locis secundum leges fieri necesse est, si magistratus, defensor, duumviri aut quinquennalis forte defuerint, ad conficienda introductionum gesta, tres sufficiant curiales: dummodo vicinis scientibus impleatur corporalis introductionis effectus.

LIV. Passim matrimonia dissipari non patimur. Ideo uxor a marito, aut maritus ab uxore, nisi probatis causis, quas leges comprehendunt, omisso repudio, a jugali vinculo non recedant. Causæ autem istæ debent esse divortii. Si maritus aut homicida, aut maleficus, aut sepulchrorum violator ab uxore in examine fuerit adprobatus. Maritus quoque his criminibus convictam merito dimittat uxorem, si adulteram, si maleficam, vel etiam quam vulgus adpellat aggagulam, in judicio potuerit adprobare. Quibus edoctis, maritus & dotem lucretur, & sponsalitiam recipiat vel sibi habeat largitatem, & tituli utriusque proprietatem secundum leges filiis eum jubemus servare communibus. Pari etiam modo, si mulier maritum superioribus criminibus involutum in judicatione convicerit, & dotem recipiat, & sponsalitiam lucro habeat largitatem. Cujus tamen sponsalitiæ tantum donationis proprietatem liberis communibus etiam ipsa conservet: nubendi vero, vel non nubendi licentiam pro constitutis veteribus sortiatur.

LV. Omnes appellationes suscipiant ii provinciarum judices, a quibus provocari potest: quando optimæ conscientiæ conveniat etiam superfluam appellationem sine dubitatione suscipere, dum de appellationis merito facer possit perpensis legibus cognitor judicare. Quod si judex sua absentia procuravit, ne appellatorios libellos accipiat: in locis celeberrimis, qui appellare voluerit, libellum de absentia judicis de sua appellatione habere debere censemus. Judex autem, qui aut suscipere appellationem contempserit, aut certe in custodiam dederit, aut verberaverit, aut aliquo dispendio læserit appellantem, decem librarum auri amissione feriatur, quas fisci compendiis cura sacri cognitoris præcipimus aggregari; officium quoque, cujus interest, mulctæ legitimæ subjacebit.

LVI. Abactor animalium vel gregum atque pecorum alienorum, sive ea de stabulis, sive de pascuis abegerit, gladio puniatur, & in quadruplum amittentis damno de ejus substantia consulatur. Quod si servus aut originarius fuerit, dominus pro his conventus legibus, si maluerit, aut, ut supra diximus, satisfaciat, aut impetitos ad pœnam mortis judici publico tradere non moretur.

LVII. Abactor si usque ad unum equum, duas equas, totidemque boves, & usque ad decem capras, & quinque porcos tulisse tam de stabulis, quam de pascuis fuerit adprobatus, sive per surreptionem, sive ea violenter abduxerit, severissime puniatur: quidquid vero intra suprascriptum numerum animalium vel porco-

rum

rum (1) a quocunque ſublatum fuerit, tanquam furtum ſub quadrupli pœna ſolvatur.

LVIII. Qui bovem, vel equum errantem, vel aliud pecus abduxerit, furti magis reus tenendus eſt, & in quadruplum animalia vel pecora ſublata reſtituat: niſi ea ab eo die quo invenerit, ſeptem diebus continuis in publicis celeberrimiſque locis, aut ante prætorium judicis propoſuerit; hoc enim facto nullius pœnæ damna ſuſtineat.

LIX. Qui ingenuam virginem per vim corruperit, ſi idoneo patrimonio gratulatur, & eſt genere nobilis, eandem accipere cogatur uxorem; ita ut ei ſponſalitiæ titulo largitatis quintam partem patrimonii ſui noverit conferendam. Quod ſi jam habens uxorem iſta commiſerit, tertiam partem patrimonii ſui illi, quam per vim corruperit, ſub idonea & ſollenni ſcriptura dare cogatur; ut illa, quæ per eum jacturam pudoris incurrit, honeſtum poſſit invenire conjugium. Si autem nullo patrimonio aut nobilitate fulcitur, oppreſſor & violator pudoris ingenui, ſupplicio adficiatur extremo.

LX. Si quis viduæ ſtuprum violenter intulerit, cujuslibet loci corruptor ſit, adulterii pœna depereat.

LXI. Si quis vero etiamſi cum volente & adquieſcente vidua hoc crimen admiſerit, flammis ultricibus exuratur: *illa* quoque adulterii pœna damnanda, quæ non erubuit ſervili ſubjacere libidini.

LXII. Si matrona vidua alicujus libidine volens corrupta ſit, ſtuprum admittitur: niſi forte vilis vulgariſque ſit mulier. Cum his enim viduis adquieſcentibus ſi quis concubuerit, quas artis operam, aut miniſterii laborem publice exercere conſtiterit, hoc crimine nec ipſe nec illæ teneantur obnoxii.

LXIII. Si ſervus alienus aut originarius ingenuam virginem per vim corruperit, aut ſtuprum viduæ per vim intulerit, convento domino, rebus diſcuſſis atque patefactis, capite feriatur.

LXIV. Ancillam alienam virginem vel originariam, cujuslibet ætatis, quiſquis ingenuus, nulli tamen quolibet modo obnoxius civitati, corruperit, ſi dominus voluerit, aut corruptor ipſe rogaverit, & apud geſta profeſſus fuerit, manſurus in domini mulieris poteſtate, ejus quam vitiavit contubernium non relinquat, nec, eadem mortua, diſcedendi habeat facultatem. Quod ſi dominus ancillæ non conſenſerit, aut ille profiteri noluerit, tunc aut hujus meriti duo mancipia domino tradat, ejus juri profutura, ſi ejus ſubſtantia patiatur: aut ſi hoc implere non potuerit, cæſus diſtrictiſſime fuſtibus vicinæ civitatis collegio deputetur; quod judex ejuſdem loci, periculi ſui memor, implere & cuſtodire debebit.

LXV. Quoties ſe ancillæ ingenuus, aut originarius, aut ſervus forte miſcuerit, neceſſe eſt ut omnis matrem ſequatur agnatio, id eſt, filii omnes ad dominum ancillæ pertineant.

LXVI. Quoties vero ſe originariæ ſervus alienus ingenuuſve miſcuerit, nihilominus omnes filii matrem ſequantur.

LXVII. Si vero originarius alienus ſe originariæ fortaſſe conjunxerit, duas filiorum partes originarii dominus, & tertiam ſobolis originariæ dominus conſequatur.

LXVIII. Originaria ex quo (2) de ingenuo ſolo diſceſſerit, intra vicennii ſpatia repetatur. Quod ſi (3) originaria, exemptis viginti annis, domino ſub hac præſcriptione perierit, ſimul ejus (4) agnatio, intra viginti annos ſuſcepta a domino mulieris, ſervato novellæ legis tenore non pereat.

LXIX. Quiſquis curialem, aut collegiatum, aut ſervum, per triginta annos poſſederit, qui nullam patriæ ſuæ collationem ſubiiſſe monſtratur (5), eos prædiorum dominis jubemus adquiri: quia in nullo tricennalis legis ſaluberrimum conſtitutum ſub qualibet patimur occaſione turbari; quam ſive adverſum privatum, ſive adverſum fiſcum, ſuam, quemadmodum leges præcipiunt, obtinere convenit firmitatem. Et quia frequenter ſcimus tales calumnias in perniciem dominorum, conniventibus ruſticis aut curialibus excitari, quo conlationem (6) præſtitiſſe dicantur: hoc eatenus valebit, ſi ſciente poſſeſſionis domino, & non reluctante, aut certe procuratore conductoreque ejus, cum dominus in tranſmarinis fuerit regionibus conſtitutus, conlationem præſtitam fuerit adprobatum.

LXX. Si ſervus cujuslibet nationis ad quamlibet Eccleſiam confugerit, ſtatim domino veniam promittente reddatur: nec enim ultra unum diem ibidem reſidere præcipimus. Qui ſi exire noluerit, vir religioſus archidiaconus ejuſdem Eccleſiæ, vel preſbyter atque clerici, eundem ad dominum ſuum exire compellant, & domino indulgentiam præſtanti ſine dilatione contradant. Quod ſi hoc ſupraſcriptæ religioſæ perſonæ facere forte noluerint, aliud mancipium ejuſdem meriti domino dare cogantur: ita ut etiam illud mancipium, quod in Eccleſiæ latebris commoratur, ſi extra Eccleſiam potuerit comprehendi, a domino protinus vindicetur.

LXXI. Si quis in cauſa publici debiti ad Eccleſiam quamlibet convolaverit, archidiaconus eum compellat egredi, ad edenda legibus ratiocinia ſua: aut ſi hoc facere noluerit, ejus ſubſtantiam, quam ad Eccleſiam detulit, ſine mora contradat. Quod niſi fecerit, quanti intereſt utilitatis publicæ,

---

(1) Al. *vel pecorum*.
(2) Al. Codd. *ex eo*.
(3) Al. *Quæ ſi*.
(4) Al. *ſunt ejus*.
(5) *Patriam ſuam collationem jubiſſe monſtretur*.
(6) Al. *conſolationem*.

blicæ, archidiaconus cogatur exſolvere.

LXXII. Teſtamenta, ſicut leges præcipiunt, allegentur: hoc modo fides voluntatis alienæ titubare non poterit.

LXXIII. Auctoritates quorumlibet judicum, vel præcepta cujuslibet ſedis ac poteſtatis, ſola publica ſervata civitate exequantur officia: & conventum ſufficiat promittere, ſe ad judicium eſſe venturum, nihil ultra præſumat apparitor. Et illius ſedis apparitor executiones ſuſcipiat, unde præcepta manaverint. Quod ſi alterius miles, alterius judicis auctoritatem exequi forte temptaverit, amiſſionem cinguli fuſtibus cæſus incurrat: litigator autem negotium incunctanter amittat.

LXXIV. Si petitor improbe litem cujuſcunque rei alteri forte commoverit, & fuerit ſub juſta examinatione convictus, ex die plantati ſolenniter jurgii, ſumptus & litis expenſas, quas ſe pulſatus immerito ſuſtinuiſſe docuerit, a petitore recipiat, ſub æſtimatione ſcilicet judicis, aut bonorum virorum ex delegatione noſcentium: quorum juſtitiæ & deliberationis erit, quales ſumptus litis & expenſas eum, qui importune alterum ad publicum deduxerit examen, redhibere conveniat.

LXXV. Qui etiam armatis hominibus, ferro, fuſte, lapide, de poſſeſſione quemquam, domo, villa expulerit, expugnaverit, obſederit, clauſerit, aut ſi forte propter hanc rem quis homines ſuos præſtiterit, locaverit, conduxerit, turbam, ſeditiones, incendium fecerit, ad violentiæ pœnam, quæ eſt ſuperius adſcripta, teneatur. Si quis autem ſepeliri mortuum, quaſi debitorem ſuum adſerens, prohibuerit, honeſtiores bonorum ſuorum partem tertiam perdant, & in quinquennale exilium dirigantur: humiliores cæſi fuſtibus, perpetui exilii damna ſuſtineant.

LXXVI. Illi res occupata per violentiam intra annum momenti jure ſalva proprietatis cauſa reddetur: qui eandem rem, quam alterius præſumptione perdidit, nec violenter, nec abſcondite, nec precario poſſidet.

LXXVII. Si ſervi de irrogata violentia convicti fuerint, aut certe confeſſi, & hoc domini præcepto factum ſub juſta & diligenti cognitione conſtiterit, domino ad violentiæ pœnam retento, pervaſa reddantur, ſervis nihilominus extremo ſupplicio puniendis, ſi violentiam eos ſua temeritate commiſiſſe claruerit.

LXXVIII. Qui ingenuum plagiando, id eſt ſollicitando, in alia loca translatum aut vendiderit, aut donaverit, vel ſuo certe ſervitio vindicandum crediderit, occidatur.

LXXIX. Qui ingenuum in ſervitutem tenet, nec conditioni poteſt obnoxium comprobare, & calumniæ & injuriarum reus teneatur adſtrictus.

LXXX. Qui mancipium alienum ſollicitaverit, tres alios ejuſdem meriti, & ipſum domino cum peculio ſuo reddat. Quod ſi quis a quolibet bona fide ſuſcipitur, quo ſe dicat ingenuum, ſuſcipientis hæc debet eſſe cautela, ut eum ducat ad geſta, & ſe profiteatur ingenuum: quo facto, dum a domino ſervus aut originarius poſtulatus fuerit & probatus, ſolus ſine retinentis incommoditate reddatur.

LXXXI. Si quis neſciens a plagiatore mancipia comparaverit, reatu plagii non poteſt obligari.

LXXXII. Si ingenuus diſtrahatur, nullum præjudicium ſui ſtatus incurrit, niſi forte tacendo de ingenuitate ſua, emptoris ignorantiam major ætate circumvenerit. Nam de plagio adverſum venditorem pro defenſione vel injuria ſua agere potuit: niſi pretium, quod pro eo datum fuerit, cum ſuo voluerit venditore partiri. Tunc enim, præjudicium conditionis incurret, quod ſibi ipſe diſſimulando & conſentiendo pepererit.

LXXXIII. Qui ingenuum cœlaverint, vendiderint, vel ſcientes comparaverint, humiliores fuſtibus cæſi in perpetuum dirigantur exilium; honeſtiores, confiſcata tertia parte bonorum ſuorum, pœnam patiantur nihilominus quinquennalis exilii.

LXXXIV. Quiſquis ſervum, ſive colonum alienum, ſciens fugitivum ſuſceperit, aut occultaverit, ipſum domino cum mercedibus & peculio ejus, & ejuſdem meriti alterum reddat. Quod ſi ſecundo aut tertio eundem fugitivum idem apud quem fuerat, ſuſcipiendum eſſe crediderit, præter ipſum cum mercedibus, tres alios domino ejus tradat. Mancipium tamen ipſum, ne forte propter capiendum lucrum callide & doloſe a domino ad domum ejus, qui ſuſceperat, immiſſum fuerit, oportet in examinatione torqueri: ut ſi per interrogationem in quæſtionem poſiti conſtiterit a domino ſuo ad domum alterius fraudulenter immiſſum, fiſci protenus compendiis adplicetur.

LXXXV. Servos ſollicitatos ab altero, vel furto ablatos, ſi ſcientes alii ſuſceperunt, non tantum de his ſuſceptis conveniri & eos reddere debent, ſed etiam ad pœnalem actionem furti detinendi ſunt.

LXXXVI. Qui ſervum alienum invito domino apud ſe tenuerit, furti eſt actione pulſandus.

LXXXVII. In fuga poſitus ſervus nec vendi, nec donari poteſt.

LXXXVIII. Si abactor, ſollicitator, ac fur, antequam per auctoritatem judicis convincatur, mortuus fuerit, heredes ejus pro delicto auctoris ſui in nullo teneantur obnoxii, niſi ob earum tantum rerum repetitionem, quas ad eos perveniſſe conſtiterit.

LXXXIX. Si quis ſibi, ut aliquem terreat, militiam confinxerit, vel adſumpſerit quam non habet poteſtatem, viliores fuſtibus cæſi perpetuæ relegationis mala ſuſtineant, honeſtiores exilii patiantur incommoda.

XC.

XC. Qui teſtamentum, codicillum, tabulas, rationes, geſta, libellos, cautiones, epiſtolas in fraudem alterius, quocunque loco deleverint, mutaverint, ſubjecerint, ſubrepſerint, incenderint, raſerint; aut æs, argentum, vel ferrum inauratum ſcientes pro auro dederint, vel vendiderint, vel ſuppoſuerint; quique pro argento ſtannum ſubjecerint, vel exteriorem circulum ſolidi præciderint, quive, ut id fieret, juſſerint, operamve dederint, pœnam ſuſtineant falſo crimini conſtitutam.

XCI. Qui teſtibus pecuniam dederit, ut falſum teſtimonium dicant, vel certe quod ſciunt taceant, aut non exprimant veritatem, vel judici præmium dederint, ut ſententiam contra juſtitiam dicat, vel non judicet, humiliores capite puniantur, honeſtiores bonorum ſuorum amiſſione multentur.

XCII. Si ſponſa perſuaſa ab ſponſo ad ejus domum non tradita venerit, ſponſus raptoris crimine non teneatur.

XCIII. Invitus pater familiam ſuam in matrimonium nulli dare compellatur.

XCIV. Parentes qui cogente neceſſitate filios ſuos alimentorum gratia vendiderint, ingenuitati eorum non præjudicant; homo enim liber pretio nullo æſtimatur.

XCV. Nec pro pignore filii a parentibus alicui dari poſſunt: & ſi ſciens creditor ingenuos pro pignore a parentibus ſuſceperit, in exilium dirigetur. Operas enim tantum parentes filiorum, quos in poteſtate habuerint, locare poſſunt.

XCVI. Qui in libertate degens ad ſervitutem vocatur, rei partes ſuſtinet: ideo petitori ejus, vel illi qui ſe dominum dicet, incumbet ſervum ſuum docere. Si vero ex poſſeſſione ſervitutis in libertatem reclamet, defenſori ejus neceſſe eſt liberum comprobare.

XCVII. Qui caſam, domum, aut villam alienam inimicitiarum cauſa incenderit: ſi ſervus, colonus, ancilla, originarius fuerit, incendio concremetur: ſi ingenuus hoc fecerit, reſtituat quidquid diſpendii acciderit per illud, quod commovit, incendium; ædificiumque renovet, & æſtimationem inſuper conſumptarum rerum pro pœna talis facti cogatur exſolvere; aut ſi hoc ſuſtinere pro tenuitate nequiverit, fuſtibus cæſus perpetui exilii relegatione plectatur.

XCVIII. Ex eo vero incendio, quod incaute ſervus aut colonus in domini ſui agro ſupponit, ſi vicini forte arbores frugiferas, aut ſylvas, vineta, vel ſegetem læſerit, ſive aliud quodlibet diſpendium adtulerit, aut æſtimatione habita dominus ejus, per quem vicino damnum continget, ſartiat atque compenſet: aut ipſum qui ignem ſuppoſuit, ſi hoc magis elegerit, pro facti culpa tradat judici puniendum.

XCIX. Qui hominem ſine audientia, & ſine poteſtate vel juriſdictione judicis competentis, immerito juſſerit vel ſuaſerit occidi, tanquam reus homicidii occidatur.

C. Servus alienus in alterius caput torqueri non poteſt: niſi delator, aut accuſator, cujus intereſt probare quod intendit, pretium ejus, quantum dominus taxaverit, inferre paratus ſit.

CI. Qui ſervum ideo comparavit, ne adverſum ſe torqueretur, reſtituto pretio reſoluta venditione, adverſum eum qui fraudulenter emerat, debet ſubjici quæſtioni.

CII. Si ſervus ad hoc fuerit manumiſſus ne torqueatur, quæſtio de eo nihilominus haberi poteſt.

CIII. Ubi quod facinus commiſſum dicitur, ibi deferendum & vindicandum eſt. Hi enim qui accuſantur, de provincia ad aliam provinciam transferri non debent, ne per longum iter eripiantur, aut fugiant: nec intereſt ſi ingenui, vel liberti, vel ſervi ſint, qui aliquid criminoſum commiſiſſe dicuntur.

CIV. Qui effodiunt terminos, vel exarant limites, finem ſcilicet deſignantes, aut arbores terminales evertunt; ſi ſervi ſunt aut coloni, & ſine conſcientia vel juſſu domini fecerint, puniantur. Si vero hoc imperante domino factum eſſe conſtiterit, idem dominus tertiam partem bonorum ſuorum perdat, fiſci juribus profuturam: ſervo ipſo aut colono nihilominus capite puniendo.

CV. Eos terminos obſervandos, quos duorum fundorum dominus inter utrumque prædium, cum ex his unum alienaret, ſervari debere conſtituit; non eos, qui ſingulos fundos antiqua inſtitutione ſeparabant.

CVI. Quoties aliquod negotium conſenſu litigantium, aut ſententia judicis, ſacramentis fuerit diffinitum, retractari non poterit: nec de perjurio agere cuiquam vel movere permittitur quæſtionem.

CVII. Qui auctor ſeditionis vel in populo, vel in exercitu fuerit, incendio concremetur.

CVIII. Si quis pagano ritu ſacrificare fuerit deprehenſus, arioli etiam atque umbrarii, ſi reperti fuerint, ſub juſta æſtimatione convicti, capite puniantur; malarum artium conſcii, id eſt malefici, nudati rebus omnibus, quas habere poſſunt, honeſti perpetuo damnantur exilio, humiliores capite puniendi ſunt.

CIX. Si ſervus aut colonus domino neſciente violenter aliqua rapiat, dominus ejus intra annum in quadruplum, poſt annum in ſimplum convenietur. Aut pro noxia certe, ſi hoc magis elegerit, ipſum ſervum vel colonum noverit ad pœnam judici contradendum: ita ut, quod ad eum ex ipſa ſervi violentia perveniſſe conſtiterit, reddat. At ſi conventus eum fugiſſe dixerit, executionem ejus conquerenti dediſſe ſufficiat.

CX. Qui ſepulchrum deſtruxerit, occidatur.

CXI. Qui intra urbem Romam cadavera ſepe-

sepelierit, quartam partem patrimonii sui fisco sociare cogatur: si nihil habuerit, cæsus fustibus civitate pellatur.

CXII. Damnatorum ex quibuslibet criminibus bona filiis primum ac parentibus, vel propinquis, usque ad tertium gradum proficiant: quod si eos non habuerint, fisco omnia solvantur.

CXIII. Si curialis damnatus filios reliquerit, totum quod dimisit, ipsi capiant: si non habuerit filios, ad curiam ejus perveniant facultates; excepta causa majestatis, in qua omnium damnatorum bona nec ad filios, si habeant, sed ad solum fiscum, secundum legum cauta, necesse est pervenire.

CXIV. Si addictos damnatosque judiciis clerici vel quilibet alii violenter eruerint, ipsi ad pœnam, vel ad dispendia teneantur, quæ sententia in convictos prolata statuisse monstrabitur: & si conniventia judicis vel conludio hoc claruerit perpetratum, quinque auri libras idem judex cogatur exsolvere.

CXV. Qui pecuniam fisco vel publicis rationibus competentem furandi studio tulerit, eam reddat in quadruplum.

CXVI. Qui sciens ex rapinis aliqua a raptore, id est fure, servanda susceperit, eadem qua raptor pœna teneatur.

CXVII. Servus si furtum fecerit, vel damnum cuilibet dederit, nisi ejus dominus hoc pro sui qualitate reddere vel sarcire paratus sit, noxæ eum dare cogitur: quod & de animalibus faciet, si alicui damna generaverint.

CXVIII. Si propter furtum servi dominus conventus furem ipsum magis tradere, quam defendere eum in judicio voluerit, illa etiam quæ ad eum ex ipso furto pervenisse constiterit, pariter debebit exsolvere.

CXIX. Si quid de taberna vel stabulo perierit, ab his qui locis talibus præsunt, vel qui in his negotiantur, repetendum est, ita ut præstent sacramenta de conscientia sua suorumque: & si hoc fecerint, nihil cogantur exsolvere, aut certe quantum petitor juraverit se in eo loco perdidisse, restituant.

CXX. Si servus furtum fecerit, & manumissus a domino fuerit, vel venditus alteri, vel donatus, causam de furto tum ipse manumissus dicat, vel ille qui eum emit, aut cui donatus est. Noxa enim semper caput sequitur. Et non solum is qui furtum facit, sed etiam is cujus opera vel consilio furtum factum fuerit, furti actione tenebitur.

CXXI. Si procuratori, vel conductori, sive colono, vel servo alicujus, invito vel nesciente domino, mutuam pecuniam quis dederit, nec ipsi domino, nec rei ejus aliquod præjudicium comparetur: sed ex peculio servi vel coloni, considerata vel servata prius indemnitate domini, consulatur petitionibus creditoris.

CXXII. Amittant repetitionem debiti creditores, qui cautiones debitorum suorum potentibus tradiderint, & per eos magis exactionem mutuæ pecuniæ voluerint procurare.

CXXIII. Capiendorum pro suo arbitrio pignorum unicuique licentiam denegamus: ita ut, si probabile fuerit, hoc agendi judicis præstet auctoritas.

CXXIV. Creditor si debitori suo res sibi non obligatas violenter rapiat, intra annum criminis admissi conventus, sub pœna quadrupli præsumpta restituat; post annum vero in simplum debebit exsolvere. Quod etiam de fructibus violenter ablatis servari debere legum ratio persuadet.

CXXV. Si quis de Ecclesiis, id est locis religiosis, homines traxerit, vel aliquid violenter crediderit auferendum, capite puniatur.

CXXVI. Nullus post hæc curialium, sive tabulariorum, aut susceptorum, in Ecclesia residens pictacia delegationis emittat: sed si quem fisco debitorem novit, exponat eum extra Ecclesiam constitutus, aut certe delegat facturus cum eo, qui se debitorem negaverit, publice rationem. Quod si mutuum quis, cum sibi delegatur, & se non debere clamaverit, violenter crediderit exigendum, in quadruplum extorta restituat.

CXXVII. Delegari nemo debet invitus: sed si is qui a creditore suo delegatur, consensum delegationi præbens debere se fateatur, & redditurum spondeat, quod promisit, cogatur exsolvere.

CXXVIII. Filius in potestatem patris positus, vel servus, aut colonus, si a patre, vel domino, in qualibet culpa non defendantur de ipso delicto vel crimine, tradendi sunt judici competenti: nisi forte filiusfamilias ipse defendere pro delicto, quo impetitur, in judicio se voluerit.

CXXIX. Qui per mendacium, vel subreptionem aliquid impetraverit, nec ipsi prosit, nec alterum lædat.

CXXX. Quod promissum fuisse constiterit, ut fur comprehendatur, merito debetur, & oportet exsolvi.

CXXXI. Qui de debito in judicio convicti vel condemnati fuerint, intra duos menses, a die latæ sententiæ, solutionem procurare debent: quod si non fecerint, per auctoritatem judicis, ad ejus petitionem qui vincet, capi eorum pignora debent & distrahi: ut quod sententia juste lata constituit, possit impleri.

CXXXII. Qui possessor ad judicium venit, non est cogendus dicere unde tenet, nec onus ei debet probationis imponi: quia hoc magis petitoris officium est, ut rem quam repetit, doceat ad se pertinere.

CXXXIII. Mulier, etiamsi per cautionem alienum debitum se reddituram spondeat, non tenetur.

CXXXIV. Amittat sortem debiti creditor, qui ultra legitimam, centesimam crediderit a debitore poscendum.

CXXXV.

CXXXV. Fidejussor qui redimendo pignora ejus debitoris, pro quo fidem dixerat, a creditore liberavit, oblata sibi debita pecunia restituere pignora debitori compellatur.

CXXXVI. Si quisquam rem suam nesciens a possessore conduxerit, nihil sibi præjudicat: sed de proprietate ipsius agere poterit.

CXXXVII. Si quis nesciens alienam aream esse, ædificium in ea construxerit, sumptus quos fecit, recipiat: sed amittat, quam in solo alieno fecerat mansionem.

CXXXVIII. Si una res a duobus temporibus diversis comparetur, ille potior erit, & dominium ejus magis acquiret, cui traditam fuisse claruerit.

CXXXIX. Auctor venditionis, etiamsi privilegium habeat sui judicis, tamen defensurus venditionem suam, forum sequatur emptoris.

CXL. Qui de re comparata pertulerit quæstionem, ipse petitori respondere compellitur, nec ad auctorem suum proponentem repellit: quem necesse est ad hoc tantum ipse commoneat, ut factum suum in judicatione (1) defendat.

CXLI. Quicunque fugere solitum vendiderit ignoranti, si emptorem quoque fugerit, & pretium venditor reddat, & damna sarciat, quæ per eundem contigerint fugitivum.

CXLII. Liceat unicuique domino ex prædiis, quæ corporaliter & legitimo jure possidet, rustica utriusque sexus mancipia, etiamsi originaria sint, ad juris sui loca transferre, vel urbanis ministeriis adplicare, ita ut & illis prædiis adquirantur, ad quæ voluntate domini migrata fuisse constiterit, & inter urbanos famulos merito censeantur: nec de ejusmodi factis atque ordinationibus, velut sub oppositione originis, quæstio ulla nascatur. Alienare etiam supradictæ conditionis homines liceat dominis, absque terræ aliqua portione, sub scripturæ adtestatione, vel cedere, vendere cui libuerit, vel donare.

CXLIII. Circa Judæos privilegia legibus delata serventur: quos inter se jurgantes, & suis viventes legibus, eos judices habere necesse est, quos habent observantiæ præceptores.

CXLIV. Quicunque susceptores fuerint fiscalium titulorum, in emittendis possessorum securitatibus nomine singularum possessionum, professionem earum evidenter designent: acceptam quoque pro earum functione exponant pecuniæ quantitatem. Quod si aliquis professionem locorum, nomina summamque perceptæ pecuniæ, in securitatibus a se factis comprehendere forte noluerit, & hujus culpæ reus in judicio fuerit adprobatus, quadruplum ejus pecuniæ, quam possessor se dedisse probaverit, eidem cogatur exsolvere. Quod etiam circa discussorem similiter convenit custodire, si de quibus titulis quas summas a præsumptoribus vel reliquatoribus exegerint, in securitatibus emittendis signare noluerint.

CXLV. Si quis Barbarorum tertio competentis judicis auctoritate conventus, & edictis sollemniter inclamatus, ad judicem, cujus præceptione conventus est, venire neglexerit, merito sub discussione causæ sententiam excipiet contumaciæ, adeo ut judicetur, de quo conventus est, perdidisse negotium: dummodo tertio quemlibet capillatorum fuisse conventum, aut cautionis ab eodem emissæ fides ostendat, aut ingenuorum vel honestorum testium dicta confirment, quibus manifeste clareat, auctoritate pulsatum, contemsisse dare responsum, nec voluisse ad judicium convenire.

CXLVI. De frugibus ab aliquo ex fundo cujuslibet sublatis, tam colonus, quam dominus, quia utriusque interest, agere potest.

CXLVII. Placita bona fide & definita venditio a venditore rescindi non potest: sed pretium, quod ab emptore debetur, repetendum est.

CXLVIII. Servi aut coloni ab hostibus capti & reversi, domino restituantur: si non sunt ante ab altero, vendentibus hostibus, in commercio comparati.

CXLIX. Si quis exactorum, vel susceptorum, majorem mensuram, vel majus pondus adhibuerit, dum fiscales traduntur species, quam publicæ ordinationis moderatio antiquitus provisa constituit, ad judicem continuo cum ipsis mensuris & ponderibus deducatur: ut si fuerit de eorum iniquitate convictus, inde quadruplum pro utilitate illius, quem gravavit, male susceptarum specierum damna sustineat. Quod etiam circa negotiatores observari debere censemus in commerciis, si injusta pondera vel mensuras adhibuisse fuerint adprobati.

CL. Nulli liceat invito domino, rustico alieno operas aut obsequium imperare, nec ejus mancipio aut bove uti, nisi hoc forte idem rusticus aut conductor ipsius, vel dominus sua voluntate præstiterit. Qui contra fecerit, det pro unius rustici, vel unius bovis diurna opera, quam præsumsit, auri solidum unum.

CLI. Sive seges aliena, sive quælibet arbor cujusque dolo dejecta fuerit, aut aliquid damni provenerit, in quadruplum ejus nomine, qui hoc fecerit, addicatur.

CLII. Si alienus servus ab aliquo, vel rusticus occidatur, in potestate habet dominus ejus aut criminaliter de obnoxii sui morte agere, & homicidam capitaliter accusare; aut de damno certe amissi mancipii civiliter actionem proponere, ita ut pro uno servo occiso duos tales recipiat.

CLIII. Uxor pro marito non debet conveniri: res ejus aut sponsalis munificentia pro

(1) Al. *in inditione*.

pro mariti obnoxietate poſcatur, legum prudentia & moderatione ſervata.

CLIV. Die Solis, qui Dominicus nuncupatur, ſed & diebus Paſchalibus, nullum præcipimus conveniri: qui contra fecerit, ſacrilegii reus habeatur.

Hæc quantum occupationes noſtræ admittere, vel quæ nobis ad præſens occurrere potuerunt, a victis (1) tam Barbaris, quam Romanis, ſumus profutura complexi: quæ omnium Barbarorum ſive Romanorum debet ſervare devotio. Quæ comprehendere nos vel Edicti brevitas, vel curæ publicæ non ſiverunt, quoties oborta fuerint, cuſtodito legum tramite terminentur. Nec cujuslibet dignitatis, aut ſubſtantiæ, aut potentiæ aut cinguli vel honoris perſona, contra hæc, quæ ſalubriter ſtatuta ſunt, quolibet modo credat eſſe veniendum, quæ ex novellis legibus, ac veteris juris ſanctimonia, pro aliqua parte collegimus: ſcituris cognitoribus univerſis, ac jura dictantibus, quod ſi in aliquo hæc edicta fuerint violata, ſe proſcriptionis deportationiſque pœna merito eſſe feriendos. Quod ſi forſitan perſona potentior, aut ejus procurator, vel vice-dominus ipſius, aut certe conductor, ſeu Barbari, ſeu Romani, in aliquo genere cauſæ præſentia non permiſerint edicta ſervari, & judex, cujus intererit, obſiſtere, aut vindicare, aut obviare non potuerit, in noſtram illico, ſi ſibi conſulit, inſtructa ex omnibus relatione, dirigat, depoſita totius formidinis ſuſpicione, notitiam. Hac enim ſola ratione a culpa eſſe poterit abſolutus. Quia quod pro omnium provincialium ſecuritate proviſum eſt, univerſitatis debet ſervare devotio.

EXPLICIT EDICTUM THEODERICI REGIS.

ATHALARICI REGIS
IN SIMONIACOS
CONSTITUTA.

JOANNI PAPÆ (2) ATHALARICUS REX.

Decreta promulgat ſaluberrima in Simoniacos juxta antiqua Senatuſconſulta.

SI antiquis Principibus ſtudium fuit leges exquirere, ut ſubjecti populi delectabili tranquillitate fruerentur: multo præſtantius eſt talia decernere, quæ poſſunt ſacris regulis convenire. Abſint enim a noſtro ſæculo (3) damnoſa compendia. Illud tantum vere poſſumus lucrum dicere, quod conſtat divina judicia non punire. Nuper ſiquidem ad nos defenſor Eccleſiæ Romanæ flebili allegatione pervenit, cum Apoſtolicæ Sedi peteretur Antiſtes, quoſdam nefaria machinatione neceſſitatem temporis aucupatos ita facultates pauperum extortis promiſſionibus ingravaſſe, ut, quod dictu nefas eſt, etiam ſacra vaſa emptioni publicæ viderentur expoſita. Hoc quantum fuit crudele committi, tanto glorioſum eſt adhibita pietate reſecari. Atque ideo Sanctitas veſtra ſtatuiſſe nos præſenti definitione cognoſcat, quod etiam ad univerſos Patriarchas, atque Metropolitanas Eccleſias volumus pertinere, ut a (4) tempore ſanctiſſimi Papæ Bonifacii (5), cum de talibus prohibendis ſuffragiis P. C. Senatuſconſulta nobilitatis ſuæ memores condiderunt: Quicumque in Epiſcopatu obtinendo ſive per ſe, ſive per aliam quamcumque perſonam aliquid promiſiſſe declaratur, ut execrabilis contractus cunctis viribus effœtetur. Si quis autem in hoc ſcelere deprehenditur fuiſſe verſatus, nullam relinquimus vocem: verumetiam ſi aut repetendum, aut quod acceptum eſt non reddendum eſſe crediderit, ſacrilegii reus protinus habeatur: accepta reſtituens compulſione Judicis competentis. Juſtiſſimæ ſiquidem leges, ut bonis aperiunt, ita claudunt malis moribus actionem. Præterea quicquid in illo Senatus decretum eſt conſulto, præcipimus in eos modis omnibus cuſtodiri, qui ſe quoquo modo per interpoſitas (6) quaſcumque perſonas ſceleſtis contractibus miſcuerunt. Et quia omnia

---

(1) Leg. forte: *devictis*.

(2) *Joanni Papæ*, hujus nominis ſecundo, cujus ad Juſtinianum Imp. epiſtola, ac Juſtiniani ad ipſum exſtat in l. ult. inter claras, C. de ſumm. Trin. & Fid. Cathol. de quo apud Caſſiod. Var. l. 9. epiſt. 17. & lib. 11. epiſt. 2. *Forn.*

(3) *A noſtro ſæculo*. L. ult. C. de pact. ap. Caſſiod. Var. lib. 1. epiſt. 5. lib. 2. epiſt. 13. lib. 8. epiſt. 28. *Forn.*

(4) *A tempore*. Vide l. 51. Quemquam, C. de Epiſc. & Cler. Novel. quo oportet Epiſcopum eligere cap. 9. Platinam in Canone pag. 88. & in Bonifac. 3. pag. 75. *Juretus*.

(5) *Papæ Bonifacii* ſecundi, prædeceſſoris ſcilicet tui. *Forn.*

(6) *Interpoſitas perſonas*. Quarum interventu

omnia decet sub ratione moderari ; nec possunt dici justa, quæ nimia sunt ; cum de Apostolici consecratione Pontificis intentio fortasse pervenerit (1), & ad Palatium nostrum producta fuerit altercatio populorum, suggerentes nobis intra tria millia solidorum cum collectione chartarum censemus accipere. A quibus tamen minus omnes idoneos rei ipsius consideratione removemus : quia de Ecclesiastico munere pauperibus est potius consulendum. Alios vero Patriarchas, quando in Comitatu nostro de eorum ordinatione tractatur, in supradictis conditionibus, atque personis intra duo millia solidorum jubemus expendere. In civitatibus autem suis tenuissimæ plebi non amplius quam quingentos solidos se distributuros esse cognoscant. Reliquos accipientes, & Edicti præsentis, & Senatusconsulti nuper habiti pœna constringat : sed & dantes Canonum severitas persequatur. Vos autem, qui Patriarcharum honore reliquis præsidetis Ecclesiis, quoniam (2) constitutio nostra ab illicita promissione liberavit, restat ut bona imitantes exempla, sine aliquo Ecclesiarum dispendio dignos Majestate Pontifices offeratis. Iniquum est enim, ut locum apud vos habeat ambitus, quem nos laicis divina consideratione præclusimus. Quapropter si quis Apostolicæ Præsulem Ecclesiæ, vel Patriarcharum Episcopum, sive per se, sive per parentes, aut servientium quascumque personas aliqua suffragii (3) crediderit ambitione promovendum, & ipsum reddere accepta definimus, & quod est Canonibus statutum, eum modis omnibus esse passurum. Si quis vero quæ dederit, aut promiserit, eodem superstite timuerit publicare, ab heredibus, vel proheredibus ejus Ecclesia repetat, cujus suffragio Antistes deprehenditur ordinatus : nota infamiæ nihilominus superstites inurente. Reliquos quoque Ordines sub eadem fieri districtione præcipimus. Quod si forsitan dolosæ machinationis invento sacramentis persona intercedentibus fuerit obligata, ut salvo statu animæ commissam iniquitatem neque approbare possit, neque audeat accusare ; damus licentiam quibuslibet honestis personis in singulis quibusque civitatibus apud Judices competentes hoc crimen deferre ; & quicquid ex ea potuerit probatione recolligi, ut ad (4) probationem insequentes animemus, tertiam partem judicatæ rei ille (5) percipiat, qui tale facinus voluerit publicare. Reliqua ipsis Ecclesiis proficiant, quæ videntur extorta, aut in fabricis earum, aut in ministeriis nihilominus profutura. Decet enim ad usus bonos convertere, quæ voluit perversitas inimica fraudare. Quiescat igitur malignantium prava cupiditas. Quo tendunt, qui a fonte præclusi sunt ? Recolatur, & timeatur Simonis justa damnatio, qui emendum credidit totius largitatis Auctorem. Orate igitur pro nobis, Edicta nostra custodientes : quia divinis noscitis convenire mysteriis. Sed quo facilius Principis votum universorum mentibus innotescat, hoc Senatui, hoc populis per Præfectum Urbis præcipimus intimari ; ut generalitas agnoscat nos illos persequi, qui Majestati divinæ potius viderentur adversi. Vos quoque hoc universis, quos Deo propitio regitis, Episcopis intimate : neque sit alienus a culpa, qui potuit agnoscere constituta.

SALVANTIO VIRO ILLUSTRI, PRÆFECTO URBIS, ATHALARICUS REX.

Jubet, ut Edictum suum & Senatusconsulta de abigenda Simonia tabulis marmoreis incidantur, & ante atrium Basilicæ sancti Petri collocentur.

GRata res est cuncta profutura vulgare ; ut generale fiat gaudium, quod potuit esse votivum. Alioqui læsionis causa noscitur (6), si beneficia potius occulantur. Dudum siquidem Senatus amplissimus a splendore suo cupiens maculam fœdissimæ suspicionis abradere, provida deliberatione constituit, ut in beatissimi Papæ consecratione nullus se abominabili cupiditate pollueret, pœna etiam constituta, qui talia præ-

ventu fraudes sæpe fiunt, l. 18. deferre, l. 45. in fraudem, §. conductor, l. 46. confertur, §. quod a præside, de jure fisci, l. un. de mulieribus, quæ se prop. serv. junx. l. un, Cod. de cont. jud. l. 9. quamvis, de reb. eor. Cicero in Cluent. de Avilio se Asinium simulante : qui supposita, inquit, persona falsum testamentum obsignandum curavit. Novel. 124. περὶ δικαζομένων. Quod enim plerique per se ipsi verentur, id per alios non verentur efficere : ut Stolo, qui cum legem rogasset, ne quis plus quam 500. jugera possideret, supposita filii emancipati persona, mille possidere inventus sua ipsius lege damnatus est. Varro lib. 1, cap, 2. de Re rustica. A. Gellius lib. 21. c. 1. Plin. lib. 18. c. 3. *Forn.*

(1) V. C. *provenerit*. Jur.

(2) Accursius, *quem*.

(3) *Suffragii ambitione*. Justinianus cum sine suffragio, id est pecunia ac sordibus, magistratus deferri prohiberet, Novel. 8. gravissime adjecit, nundinationem magistratuum, omnium scelerum fontem esse, iniquitatis principium ac finem, ἀργυρολογεῖν τὰς ἀρχὰς πάσης ἐστὶ πονηρίας προοίμιόν τε καὶ πέρας : quanto magis ambitum largitionum, & sordes Ecclesiasticorum munerum ex sacerdotiorum collatione fugere necesse est ? Concilium Chalcedonense : εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο, καὶ εἰς πρᾶσιν καταγάγοι τὴν ἄπρατον χάριν, &c. Qui pretio gratiam, quæ vendi nequit, vendiderit, &c. c. si quis Episcopus, c. sanctorum 1., c. ex multis, 1. q. 3. Hanc venalitatem etiam Anthemius detestatur, l. si quemquam, C. de Episc. & Cler. Exstant & Pontificum de simonia constitutiones lib. 5, Decretal. Eodem pertinet sequens Athalarici ad Salvantium epist. 16. *Forn.*

(4) Alii, *approbatione*.

(5) Ac. *illius*.

(6) Grulartus, Cujacius, & Forn. *nascitur*.

præsumere tentaviſſet: non injuria, quia tunc electi vere meritum quæritur, cum pecunia non amatur. Quod nos laudantes, & augentes inventum, ad beatiſſimum Papam direximus conſtituta, quæ his ante lata præfulgent; ut ab honeſtate ſanctæ Eccleſiæ profanus ambitus auferatur. Hoc (1) vos ad notitiam Senatus, & Romani populi volumus ſine aliqua dilatione perducere; quatenus cunctorum figatur cordi, quod cupimus omnium ſtudio cuſtodiri. Verum ut principale beneficium & præſentibus hæreat ſæculis, & futuris, tam Definita noſtra, quam Senatuſconſulta tabulis marmoreis præcipimus decenter incidi, & ante (2) atrium beati Petri Apoſtoli in teſtimonium publicum collocari. Dignus enim locus eſt, qui & glorioſam mercedem noſtram, & Senatus ampliſſimi laudabilia decreta contineat. In quam rem illum direximus, quo redeunte noſcamus impleta, quæ juſſimus. Incertum enim videtur habere, quod præcipit, cui rerum effectus tardius innoteſcit.

EDICTUM

ATHALARICI REGIS.

I. Contra pervaſores bonorum alienorum.
II. Contra affigentes titulos nomine publico.
III. Contra obtinentes callide & perverſe ſententiam Principum.
IV. Contra dividentes aliena matrimonia.
V. Contra adulteros.
VI. Contra eos, qui duabus uxoribus copulabantur.
VII. Contra Concubinarios, & Concubinas.
VIII. Contra eos, qui terrore donationes extorquebant.
IX. Contra maleficos.
X. Contra homicidas.
XI. Contra eos, qui in una cauſa ſecundo a Judicibus ordinariis provocabant.
XII. Contra violatores Edictorum tam ipſius, quam Theoderici.

PRovide decrevit Antiquitas univerſitatem Edictis generalibus admoneri, per quæ & delictum omne corrigitur, & excedentis verecundia non gravatur. Cuncti enim ſibi æſtimant dici, ubi nullum conſtat exponi; & ſimilis fit innocenti, quem contigerit ſub communione purgari. Hinc & noſtra vere pietas cuſtoditur, dum feriato gladio naſcitur metus, & provenit ſine cruore correctio. Commovemur enim placati: minamur otioſi; & clementer iraſcimur, quando vitia ſola damnamus. Diu eſt, quod diverſorum querelæ noſtris auribus crebris ſuſurrationibus inſonarunt, quoſdam civilitate deſpecta affectare vivere belluina ſævitia: dum regreſſi ad agreſte principium, jus humanum ſibi æſtimant feraliter odioſum. Quos nunc apte judicavimus comprimendos; ut eo tempore inimica bonis moribus crimina perſequamur, quo hoſtibus Reipub. divina virtute reſiſtimus. Utrumque quidem noxium, utrumque pellendum: ſed tanto gravius graſſantur vitia, quanto magis probantur interna. Unum recumbit in altero. Facilius quippe inimicorum acies cadunt, ſi noſtro ævo delicta ſubducimus.

Primum humano generi noxiam pervaſionem (ſub qua nec dici poteſt civilitas, nec haberi) ſeveritate legum, & noſtra indignatione damnamus: ſtatuentes, ut Sanctio divi Valentiniani adverſum eos diu peſſime neglecta conſurgat, qui (3) prædia urbana vel ruſtica, deſpecto juris ordine, per ſe ſuoſque præſumpſerint, expulſo poſſeſſore, violenter intrare; nec aliquid de ejus diſtrictione deteſtabili volumus temperatione mitigari: inſuper addentes, ut ſi quis ingenuorum ad ſatisfaciendum legi ſuperius definitæ idoneus non habetur, deportationis protinus ſubjaceat ultioni: quia plus debuit cogitare jura publica, qui ſe noverat alibi non poſſe ſuſtinere vindictam. Judices igitur competentes, ad quos poteſt admiſſum

(1) *Hoc vos ad notitiam*. Hic obiter animadverſione digna duco, quod Senatuſconſulta ad diuturnitatem marmoreis tabulis incidi juſſit Athalaricus, ut olim æreis, l. 2. de orig. jur. Plato in Minoe refert, Talum Regem Cretæ pagos quotannis luſtrantem leges æneis tabulis cælatas circumtuliſſe, indeque Ærei nomen ei inditum, ἐν χαλκοῖς γράμμασιν ἔχων γεγραμμένους τοὺς νόμους, ὅθεν χαλκοῦς ἐκλήθη. Alterum, quod in edito & conſpicuo loco, nempe atrio beati Petri collocentur, quo cuique pateant, & de plano legantur. Sic idem Plato lib. 11. de legib. præcipit rerum venalium leges medio in foro columnæ affigi, θεῖναι ἐν στήλῃ πθέντα τῆς ἀρχῆς νόμιμα. Demoſthen. Philipp. 3. Γράμματα τῶν προγόνων τῶν ὑμετέρων δεικνύων ἃ ἐκεῖνοι κατέθεντο, εἰς στήλην χαλκῆν γράψαντες εἰς ἀκρόπολιν. *Forner*.

(2) *Ante atrium*. Leges olim in atriis Eccleſiæ locabantur, Cui. in lib. 1. feud. tit. 17. Et lib. 3. Capit. Car. Mag. tit. Quomodo. Sic Rector Eccleſiæ. Vide Novell. 8. Juſtiniani in fine. *Juret*.

(3) *Qui prædia*. Vide L. ſi quis in tantam Cod. Theod. de vi. §. 68. Gr. & Cuj.

ſum facinus pertinere, ſi, invaſorem cum poſſint amovere, pertulerint tenere præſumpta, & adepti cinguli honore priventur, & fiſco noſtro tantum fiant obnoxii, quantum præſumptor potuiſſet addici: in auctoribus tamen facinoris manentibus conſtitutis. Quod ſi quis in tantam raptatus amentiam, tyrannico ſpiritu juri publico parere neglexerit, viribuſque præpotens (1) deſtinati officii ſpreverit paucitatem, relatione Judicis noſtris auribus notabilis ingeratur; ut indulta executione Sajonum, ultionem ſentiat vigoris regii, qui obedire noluit cognitori.

II. Et quia ſummis Principibus juris communione vivendum eſt: ſi quis, legum (2) ordine prætermiſſo, nomine publico titulos præſumpſerit affigere, in tantum poſſidenti fiat obnoxius, quantum Sanctio ſuperius memorata teſtatur. Merito enim & ſacrilegii pœna percellitur, qui iniquo pervaſionis (3) pondere auſus eſt Majeſtatem Regii nominis ingravare. Litis quoque expenſas judicio ſuperatus exolvat: quod hinc dantur fomenta deteſtabilis jurgii, cum improbi vincuntur illæſi; nec dolet calumniantibus pudoris damnum, ſi evaſerint diſpendia facultatum.

III. Si quis autem de noſtris ſcriniis aliquid crediderit promovendum, adverſario ſuo quantum ad cauſam ejus pertinet, de conſecuta (4) ſerie juſſionum nihil æſtimet ſupprimendum: ni fecerit, careat impetratis: vel ſi aliquid ex eo agere tentaverit, nihilominus habeatur infirmum: quia illos ſolos volumus uti beneficiis noſtris, quos non cognoſcimus ſtudere verſutiis.

IV. Qui ſuaſione plectenda matrimonia dividere nititur aliena, ipſius conjugium habeatur illicitum; ut magis contigiſſe ſentiat ſibi, quod in altero malignus exercere tentaverit. Si vero pro conjunctionibus charitate privatur, futurum matrimonium illi jure denegamus: quia non meretur jugalis reverentiæ præmia conſequi, qui in genialis thori auſus eſt diviſione graſſari. Sed ne aliquos hujus ſceleris reos ultio noſtra derelinquat, illos quos ſpes non habet præſentis conjugii, vel futuri, ſi quid in alienos thalamos doloſa machinatione præſumpſerint, facultatum ſuarum media portione priventur, ſtatim fiſci juribus applicanda. Si vero prohibente pauperie in aliquorum ſubſtantia nequierit vindicari, pœna relegentur exilii: ne, quod dictu nefas eſt, ideo videantur comminationem juris publici evadere: quia viliſſimæ noſcuntur ſubjacere fortunæ. Sed hæc de ſollicitatoribus affectus alieni pietas noſtra decrevit.

V. Cæterum in adulteris totum diſtrictiſſime volumus cuſtodiri, quicquid divali potuit commonitione decerni.

VI. Uno tempore duabus nemo copuletur uxoribus: quia ſe noverit rerum ſuarum amiſſione plectendum. Nam aut libido eſt, & recte perfrui non ſinitur: aut cupiditas, & jure nuditate damnatur.

VII. Si quis autem ſuperflua turpique cupidine conjugali honeſtate deſpecta, ad concubinæ elegerit venire complexus: ſi ingenua fuerit, jugo ſervitutis cum filiis ſuis modis omnibus addicatur uxori; ut illi ſe per honeſta judicia ſentiat ſubdi, cui per (5) illicitam libidinem credidit poſſe præponi. Quod ſi ad tale flagitium ancilla pervenerit, excepta pœna ſanguinis, matronali ſubjaceat ultioni; ut illam patiatur judicem, quam formidare debuiſſet abſentem.

VIII. Donationes nullius terror extorqueat: nullus acquirere per fraudem, vel execrabilem laſciviam concupiſcat. Sola enim honeſtas merito capit lucrum de legibus. In allegationem juſtiſſimæ largitatis illam diſtrictionem volumus cuſtodiri, quam pro veritate ſollicite legalis ſanxit Antiquitas. Sic enim, ut ipſa teſtatur, & fraudi non patebit occaſio, & veritati major creſcit auctoritas. Alioqui nulli præcipimus videri firmum, quod ipſe conditor, non implendo quæ leges vel jura præcipiunt, fecit incertum.

IX. Maleficos (6) quoque, vel eos, qui ab eorum nefariis artibus (7) aliquid crediderint expetendum, legum ſeveritas inſequatur: quia impium eſt, nos illis eſſe remiſſos, quos

(1) Ac. *præpoſteris*.

(2) *Si quis, legum ordine prætermiſſo, nomine publico titulos præſumpſerit affigere*. Solius fiſci eſt titulos alienis prædiis imponere; nec licet privato, vel ſuis rebus potentiorum, alieniſve proprios, aut publicos imponere titulos, imprimere ſigna, ſuſpendere regia vela, ſive, ut Ambroſius loquitur, cortinas regias: qua de re extant multi loci in Novellis & in Codice: quin etiam Eccleſiæ titulorum impoſitio interdicitur Synodo a Gregorio Mauricii Auguſti tempore habita: a fiſco igitur ſolo jure imponuntur, videlicet teſtato, publicis perſonis præſentibus, & ſolemni juris ordine ſervato. Gregorius etiam in quadam epiſtola queritur de Stephano quodam chartulario, quod nomine fiſci loca ſingulorum invaderet, ac titulos imponeret indicta cauſa. *Broſſ.*

(3) Non *Perſuaſionis*. Pervadere, ap. Caſſiod. Var. lib. 1. epiſt. 15. & alias ſæpe. Pervaſionis actio. l. 5. l. 6. C. Theod. de denunt. & edit. reſcript. Novell. Valentin. 12. de Epiſ. aud. Idem mendum ex cap. 25. lib. 5. Etymologiarum pridem ſuſtuleramus, quod tamen in recentiſſima editione repetitum, *perſuaſio*, pro *pervaſio*, ſcriptum vidimus. Quid, quod & aliis auctorum libris inſidet? Vitruvius lib. 9. cap. 4. fin. *Singulis menſibus ſol ſigna perſuadens* (pro *pervadens*) *auget & minuit dierum & horarum ſpatia*. Salvianus Maſſilienſis Epiſcopus lib. 4. de providentia, ubi divitum rapinas increpat, perſuaſionibus præpotentum, &c. Idemque lib. 5. bis eodem verbo citra mendum utitur, pervaſoribus & pervaſionibus. Euſeb. quoque Emiſſenus Homil. 11. de Paſcha: *Pervaſorem derelinquit, remanet præda deceptus, & raptor orbatus*. Forn.

(4) Ms. & Ac. *conſueta*.

(5) Ac. *pollicitum*.

(6) *Maleficos*. Conſtantinus: Cæteri quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat. l. 5. C. de malef. & mathem. de quibus libro 4. epiſt. 22. *Forn.*

(7) *Actibus*. Quamvis hæc lectio defen-

quos cæleſtis pietas non patitur impunitos. Qualis enim fatuitas eſt, Creatorem vitæ relinquere, & ſequi potius mortis auctorem? Turpis actus ex toto ſit a Judicibus alienus. Nemo faciat, quod jura condemnant: quia decretali pœna plectendi ſunt, qui ſe prohibitis exceſſibus miſcuerunt. Quid enim in aliis damnent, ſi ipſi ſe inhoneſta contagione commaculent?

X. Sit etiam ſub divitibus tuta mediocritas. A cædis temperetur inſania. Nam præſumptio manuum, actus probatur eſſe bellorum, maxime in eis, quos tuitionis noſtræ munit auctoritas. Si quis autem contra facere improba præſumptione tentaverit, violator noſtræ juſſionis habeatur.

XI. Appellari a ſubjecto Judicibus ordinariis in una cauſa ſecundo non patimur: ne quod ad remedium repertum eſt innocentis, aſylum quodammodo videatur eſſe criminoſis (1). Si quis vero vetita iterare tentaverit, negotio privatus abſcedat.

XII. Sed ne pauca tangentes, reliqua credamur noluiſſe ſervari, omnia Edicta tam noſtra, quam domni avi noſtri, quæ ſunt venerabili deliberatione firmata, & uſualia jura publica, ſub omni cenſemus diſtrictionis robore cuſtodiri; quæ tanto munimine ſe tegunt, ut noſtra quoque jurisjurandi interpoſitione cingantur. Quid per multa diſcurrimus? Legum uſualis regula, & præceptorum noſtrorum probitas ubique ſervetur.

SENATUI URBIS ROMÆ ATHALARICUS REX.

Scribit ſe Edictum duodecim capitum edidiſſe; & jubet, ut in Senatu recitetur, & Præfecto Urbis per triginta dies locis celeberrimis proponatur.

LAudabilium juſſionum cauſas plerumque præbet vituperabilis exceſſus alienus; & miro modo momenta juſtitiæ de iniquitatis occaſione naſcuntur. Silet enim æquitas, ſi culpa non vociferetur admiſſa; & feriatum quieſcit Principis ingenium, quod non fuerit aliqua querela provocatum. Conquerentium ſiquidem vocibus adacti, & frequentium populorum de rebus quibuſdam interpellatione commoniti, neceſſaria quædam Romanæ quieti edictali programmate duodecim capitibus, ſicut jus civile legitur inſtitutum, in ævum ſervanda conſcripſimus: quæ cuſtodita reſiduum jus non debilitare, ſed potius corroborare videantur. Hæc (2) in cœtus veſtri ſplendore recitentur, & per triginta dies (3) Præfectus Urbis locis celeberrimis faciat ſolemni more proponi; ut noſtra civilitate recognita, ſpes truculentis moribus auferatur. Nam qua confidentia protervus aſſumat, quod Principis agnoverit damnaſſe clementiam? Redeat amor omnibus diſciplinæ, per quam & parva coaleſcunt, & potiora ſervantur. Ideo enim exercitus noſtros, juvante Deo, crebris expeditionibus commonemus (4); ut univerſitatem compoſitam vivere legibus ſentiamus. Reddatur hæc animo noſtro viciſſitudo præmiorum: ut quem Reipub. utilitatibus cognoſcitis occupatum, rariſſima querelarum aditione (5) pulſetur. Teneant Judices legitimas diſtrictiones: votum fœdiſſimæ (6) venalitatis abjiciant. Metus cuncta componit, ſi reus crimen in judicante non invenit.

AD UNIVERSOS JUDICES PROVINCIARUM ATHALARICUS REX.

Sancit, ut Edictum ſuum per triginta dies in conventibus publicis more ſolemni recitetur.

CUm vos provinciis noſtris, juvante Deo, annua reparatione præſtemus; nec deſint judicia per univerſos fines Italiæ diſtributa, intelligimus de inopia juſtitiæ copiam venire cauſarum. Culpa ſi quidem veſtræ probatur eſſe negligentiæ, quoties a nobis coguntur homines legum beneficia poſtulare. Nam (7) quis eligeret tam longe petere, quod in ſuis videret ſedibus adveniſſe? Sed ut vobis verſutas excuſationes, & duras (8) neceſſitates Provincialibus tolleremus, de aliquibus caſibus hactenus peſſimo torpore neglectis edictalis programmatis definitione cenſuimus; ut & vobis creſceret confidentia recte judicandi, & paulatim audacia maligna poſſit imminui. Quod more ſolemni per conventus publicos triginta dierum facite proponi; ut jure condemnatus habeatur, qui poſt hæc remedia manere præſumpſerit deſperatus.

MA-

di poſſit ex l. 4. C. Eod. magis tamen quod in Mſ. offendimus, *artibus* arridet. Arg. l. 6. multi, & l. ult. C. eod. & d. 22. *Forn.*

(1) Vide Novell. Theod. Titul. 44. Ne duciani &c. Et Juſtiniani Inſtit. Titul. de pœna temere litigantium. *Juret.*

(2) *Hæc in cœtus veſtri.* Superioris Edicti in Senatu recitatio, ex Rom. inſtituto, quo leges & conſtitutiones Imperatorum in Senatu recitatæ confirmabantur, l. 8. humanum, C. de legibus & S.C. quem morem nos alias fuſius exponemus. *Forn.*

(3) *Per triginta dies.* Triginta diebus propoſita pendebant Edicta, ſeu leges Principum; ut Epiſt. ſequenti. Exemplum apud Joſephum Antiq. lib. 19. cap. 5. *Juret.*

(4) Gr. Cuj. & Ga. *commovemus*. Ex Garetio.

(5) Ed. *editione*. Ex Gar.

(6) *Fœdiſſimæ venalitatis.* Sordes nummariorum judicum magiſtratuumque his formulis graviter a Caſſiodoro identidem exagitatas legimus apud Philonem Judæum, de officio judicis differentem. *Forn.*

(7) *Nam quis eligeret tam longe petere.* Romanis Imperatoribus ſemper maximæ curæ fuit, ne litigantes in longinquis auditoriis conſectandis vexarentur ſumptibus & labore. Eoque referre poſſum, quæ ſcribit Juſtinianus Novell. 17. §. ſi tibi, & Novell. 23. §. illud: quibus adde Valentinianum Novel. 10. tit. de conf. & Marcianum Nov. 1. nemin. exhib. Majorianum Nov. 14. de indulg. releg. *Broſſ.*

(8) *Duras neceſſitates provincialibus.* Ne provinciales cogantur ad comitatum Principis jus petere, cavetur etiam form. 22. lib. 6. & Novell. Juſtin. 17. *Forn.*

MAGNI AUR. CASSIODORI

SENATORIS

FORMULARUM

PARS PRIOR.

Var. Lib. 6.

Formula Consulatus.

I.

Priscorum judicio qualis sit Consulatus, hinc omnino datur intelligi, quando inter mundi dignitates eximias solus meruit habere (1) palmatas vestes, quas felicitas dabat: præmia vincentium, nomen annorum; compensatio sola, cui debebantur omnia. Statum Reipub. Romanæ viri fortis dextera tuebatur, fortunas omnium, ac liberos hujus consilia vindicabant, & tot magnis debitis sola erat hujus retributio dignitatis, reperta in libertatis ornatum, inventa ad generale gaudium. Per illam nimirum status Imperii jugiter crevit: illam semper felix Roma suscepit: merito pridem (2) genus habebatur imperii: merito supra omnes cives poterat, qui ab hoste patriam vendicabat: utilitates publicas sub æquitate disponens, jus dicebat etiam capiti: sed tuto illi commissa est potestas necis, qui fuerat auctor salutis. Hinc est, quod etiam fasces, atque secures tantæ potestati præceptæ sunt illigari; ut cum tardius solverentur, moram deliberationis acciperent, si de cæde, aut nece hominis aliquid censuissent: ita ut cum omnia ejus traderentur arbitrio, ne insolesceret animo, Consul dictus est, a consulendo. Hinc tanta largitas profluebat, ut illa dextra, quæ sanguinem copiose fuderat hostium, vitæ auxilium civibus manaret irriguum. Sic quos felices per bella fecerat, studio largitatis explebat. In augmentum (3) etiam publicæ gloriæ solvebat famulos jugo servili (4), qui libertatem tantæ dederat civitati. Sed nunc sumitis ista felicius: quando nos habemus labores Consulum, & vos gaudia dignitatum. Palmatæ siquidem vestræ, nostræ probantur esse victoriæ; & prosperrimæ (5) conditionis eventu vos in pace ingenuitatem ceditis famulis, cum nos securitatem demus per bella Romanis. Atque ideo per illam Indictionem Consulatus (6) te decoramus insignibus. Pinge vastos humeros vario colore palmatæ: validam manum victoriali sci-

---

(1) *Solus meruit habere palmatas vestes*, &c. Ex his verbis apparet habuisse Consules prætextas & palmatas vestes, quæ Capitolinæ dicebantur; & cum Imperatores cuipiam Consulatum decreverant, ad eum tale aliquid datis litteris adscribebant: *Te manet Capitolina palmata*; quod ex Vopisco probo. Vide Lazium cap. 4. lib. 9. Comment. *Broff.*

Vide Festum & Servium. *Grul. & Cuj.*

Vide Mamertinum initio Panegyrici, pag. 174. *Juret.*

(2) Alii, *quidem*.

(3) Alii, *argumentum*.

(4) Augmentum Consulatus, servorum manumissio est, l. un. ff. De offic. Consul. l. 5. & l. 20. si rogatus, de manumiss. vindic. Sunt autem octo hic obiter observanda, a Cassiodoro accuratius, quam usquam a quoquam notata Consulatus argumenta: 1. fastis dare nomen: 2. fasces & secures habere: 3. manumittere: 4. vestis palmata: 5. victorialis scipio: 6. aurati calcei: 7. sella curulis: 8. denique missilia, quæ hoc versu significantur: *Ad has largitates veniatis, qui vos pares tantis expensis esse cognoscitis*. De quibus ap. Cassiod. Var. lib. 2. epist. 2. egimus. Insignia Consularitatis, ac potestatis dicuntur initio lib. 6. Cod. Theod. *Forn.*

Sic Ammian. Marcell. lib. 22. *Mamertino* Consule Kal. Januariis *ludos edente, manumittendis ex more inductis per admissionum Proximum*. Claudianus in Eutropio lib. 1,

Libertatemque daturus,
Quam nondum meruit, scandit sublime tribunal.

Sic in lib. 3. Heracliani. Cod. Theodos. de infir. his quæ sub tyran. *Juret.*

(5) *Prosperrimæ conditionis eventu*. Solebant illi, qui Consulatum inierant, manumissiones expedire, servis imponere vindictam, eosque ad libertatem perducere. Ideoque factum puto, ut Ulpianus lib. 2. de officio Consulis, de manumissionibus tractaverit, officiumque Consulis esse dixerit, consilium præbere manumittere volentibus. De Circensium editione, deque manumissionibus, quæ a Consulibus statim atque magistratum inierant, expediebantur, Ammianus quædam memoriæ prodidit lib. 22. Eodem pertinet Sidonii Apollinaris carmen in Panegyrico ad Anthemium in fine: & Claudiani in 4. Consulatu Honorii. *Broff.*

(6) *Consulatus insignibus*. Insignia magistratus, παράσημα, qualia Justinianus Novell. 24. de Prætore Pisidiæ describit, δίφρος τε ἐξ ἀργύρου, καὶ πέλεκυς καὶ ῥάβδοι, &c. *Forner.*

ſcipione nobilita: lares proprios etiam calceis auratis egredere: ſellam curulem pro ſua magnitudine multis gradibus eniſus aſcende; ut in otio ſubjectus merearis, quod nos per maximos labores aſſumimus imperantes. Rem victoriarum agitis, qui bella neſcitis: nos, juvante Deo, regimus, nos conſulimus, & (1) veſtrum nomen annum deſignat. Viciſtis felicitate Principes, qui & honores ſummos geritis, & dominationis tædia non habetis. Quapropter erige confidentiam mentis tuæ. Conſules eſſe magnanimos decet. Opes privatas non cogites, qui gratiam publicam donando habere decreviſti. Hinc eſt enim, quod alios Judices etiam non rogantes evehimus: Conſules autem ſperantes tantummodo promovemus; ut ſoli ad has largitates veniatis, qui vos pares tantis expenſis eſſe cognoſcitis. Alioqui onera eſſent potius, non honores, ſi ſupra vires aliquid imponeremus invitis. Fruere igitur decenter optatis. Hic eſt ambitus, qui probatur. Eſto mundo clarus, tibi proſperrimus, tuis autem poſteris feliciter imitandus.

Formula (2) Patriciatus.

II.

SI antiquitatis ordinem perſcrutemur origine dignitatum, Patriciorum (3) familia Jovi noſcitur fuiſſe dicata; ut ſummi Dei (ſicut putavere) cultura locum primarium poſſideret. Sed quia vos aliquid habere decebat eximium, & nomen ipſum Patribus magna ſe vicinitate jungebat; ſuperſtitione derelicta, ad veſtrum cœtum felici conditione migravit: quia Pontificalis laus conſcientiæ Senatui recte poterat convenire. Sic ex Augurali familia Reges quoque legis inſtitutos, non injuria: quia decuit a tali propoſito venire, qui publica poterat jura tractare. Hinc eſt, quod & honor ipſe cinctus eſt, cum vacaret, nihil juriſdictionis habens, & judicantis cingulum non deponens: in quo felicitas perpetua naſcitur, dum ſucceſſoris ambitio non timetur. Nam mox ut datus fuerit, in vitæ tempus reliquum homini fit coævus: ornatus individuus cingulum fidele, quod neſcit ante deſerere, quam de mundo homines contingat exire. Credo ad ſimilitudinem Pontificatus, unde venerat, rem fuiſſe formatam; qui ſacerdotium non deponunt niſi cum vitæ munera derelinquunt. Additur, quod leges tantam illis reverentiam detulerunt, ut in ſacris poſitus, cum hoc fuerit honore præcinctus, paternæ poteſtatis nexibus exuatur, niſi contra ſpecialiter a Principe caveatur. Quod conſtat ratione probabili conſtitutum; ut qui ampliſſimum genium pretioſæ libertatis acceperat, viliſſimam conditionem cum ſubditis non haberet. Præfectorios, & aliarum dignitatum viros præcedit, uni (4) tantum cedens fulgori, quem interdum etiam a nobis conſtat aſſumi. Proinde neceſſario laudatam intellige dignitatem: ne aut nos parum dediſſe videamur, aut tu negligentius tractes, ſi te aliquid mediocre ſuſcepiſſe putaveris. Quapropter ab illa Indictione noſtro munere ſublevatus, Patriciatus culmen aſcende, quod quidam juridicorum a Patribus (5) dictum eſſe voluerunt: facturus omnia, quæ tantam reverentiam decent. Nam quamvis magna contulerit noſtra clementia, habes adhuc, quod expectes, ſi te probabiliter tractare contendas.

Formula Præfecti Prætorio.

III.

SI honoris alicujus eſt origo laudabilis: ſi bonum initium ſequentibus rebus poteſt dare præconium: tali auctore Præfectura Prætoriana gloriatur, qui & mundo prudentiſſimus, & Divinitati maxime probatur acceptus. Nam cum Pharao Rex Ægyptius de periculo futuræ famis inauditis ſomniis urgeretur, nec viſionem tantam humanum poſſet relevare conſilium, Joſeph vir beatus inventus eſt, qui & futura veraciter prædiceret, & periclitanti populo prudentiſſime ſubveniret. Ipſe primum hujus dignitatis infu-

(1) *Et veſtrum nomen annum deſignat*. Nominibus Conſulum Roman. anni numerabantur, apud Caſſiod. lib. 9. ep. 29. Juſtinian. Novell. 105. ὅπως τῷ χρόνῳ γενήσεται. Seneca lib. 3. cap. 31. de ira: *Dedit duodecim faſces, ſed non fecit ordinarium Conſulem: a me numerari voluit annum, ſed deeſt mihi ſacerdotium*. Pacatus Panegyriſtes Theodoſio ſeniori: *Conſul quis creatur, habiturus eſt nomen annus*. Apuleius Apologia 2. ad Claud. Maximum Proconſulem: *Signa, quæ impreſſa ſunt recognoſcat, Conſules legat, annos computet*. In veteri lapide:

Ter vice qui ſacra diſcinxit jurgia Judex,
Conſul & æterno decoravit nomine faſtos.

Hinc editæ rationes cum die & Conſule, l. 1. l. 6. ſi quis ex §. ſi initium, D. de edendo. Libellis accuſatorum dies & Conſules exprimebantur, l. 3. de accuſ. Leges inter Cod. conſtitutiones ſine die, & Conſule promulgatæ. Ut mihi non ſit dubium, quin Lactantius lib. 6. Conſules his verbis intelligat: *Qui ad gerendos*, inquit, *magiſtratus vitæ ſuæ operam convertunt, ut faſtos ſignent, & annis imponant nomen*. For.

(2) Patriciatus ſummus honos, ut Curia, ſic patria poteſtate liberat. Hic, & §. filiusfamilias, tit. Quib. mod. jus patr. pot. ſolv. l. ult. C. de decur. lib. 10. l. ult. de Conſul. lib. 12. Cod. ap. Caſſiod. Var. lib. 8. epiſt. 21. & lib. 10. epiſt. 7. *Forner*.

Vide Baronium in Notationibus ad diem 29. Auguſti in Martyrol. Rom. *Juret*.

(3) Gr. & Cuj. *Potitiorum*.

(4) *Uni tantum cedens fulgori*: intelligit Conſulatum. Vide Symmachum lib. 4. Ep. 8. *Juret*.

(5) *A Patribus*. Suidas, πατρίκιος, ὁ πατὴρ τῆς [illegible]. Juſtin. d. §. filiusfam. d. l. ult. C. de Conſulib. *Forn.*

ſulas conſecravit: ipſe (1) carpentum reverendus aſcendit: ad hoc gloriæ culmen evectus, ut per ſapientiam conferret populis, quod præſtare non potuerat potentia Dominantis. Ab illo namque Patriarcha, & nunc Pater appellatur Imperii: ipſum hodieque reſonat vox (2) præconis, inſtruens Judicem, ne ſe patiatur eſſe diſſimilem. Merito, ut cui tanta poteſtas potuit dari, videretur ſemper ſubtiliter admoneri. Quædam enim huic dignitati & nobiſcum jura communia ſunt. Exhibet enim ſine præſcriptione longinquos, magna quantitate mulctat errantes, fiſcum pro ſua deliberatione diſtribuit, evectiones ſimili poteſtate largitur, vacantia bona proſcribit, delicta provinciarum Judicum punit, verbo (3) ſententiam dicit. Quid eſt, quod non habeat commiſſum, cujus eſt vel ipſe ſermo judicium? Pene eſt, ut leges poſſit condere, quando ejus reverentia poteſt negotia ſine appellatione finire. Ingreſſus Palatium noſtra conſuetudine frequenter adoratur; & tale officium morem videtur ſolvere, quod alios potuit accuſare. Poteſtate igitur nulla dignitas eſt æqualis. Vice Sacra ubique judicat. Nullus ei miles de fori ſui auctoritate præſcribit, excepto Officiali Magiſtri militum: credo, ut vel illis aliquid Antiquitas cederet, qui videbantur pro Repub. bella tractare. Curiales etiam verberat, qui appellati ſunt legibus Minor Senatus. In officio ſuo jus retinet ſingulare, & talibus tantiſque noſcitur jubere, quos etiam provinciarum non audeant Judices in aliqua parte contemnere. Officium plane geniatum, efficax, inſtructum, & tota animi firmitate prævalidum; qui ſic peragent juſſa, ut nullis morentur dilationibus imperata. Militia perfunctis Tribunorum & Notariorum honorem tribuit; & milites ſuos illis exæquat, qui inter Proceres mixti noſtris conſpectibus (4) obſecundant. Gratanter (5) implemus, quæ ille conſtituit; cujus reverentia & nos ita conſtringimur, ut ſine dubitatione faciamus, quæ illum decreviſſe cognoſcimus. Non immerito, quando Palatium ſua proviſione ſuſtentat, ſervientibus nobis procurat annonas, humanitates quoque Judicibus ipſis facit, Legatos gentium voraces explet ordinationibus ſuis, & licet aliæ dignitates habeant titulos præfinitos, ab iſta totum pene geritur, quicquid in Imperio noſtro æquabili moderatione tractatur. Hanc denique curarum omnium pulcherrimam molem (quod proſperum nobis, utile Reipub. ſit) ab illa Indictione tuis humeris decenter imponimus; quam tu & ingenii virtute ſuſtineas, & ſumma fide tractare contendas. Quæ quantum diverſis ſollicitudinibus conſtringitur, tanto magis laudes ampliſſimas dignitas hæc triumphat. Et ideo tantum lumen gloriæ ſit actionibus veſtris, ut & in Palatio noſtro fulgeat, & in provinciarum longinquitate reluceat. Par tibi ſit cum poteſtate prudentia: conſcientiæ tuæ quadrifaria virtus aſſideat. Tribunal tuum ideo tam excelſum factum eſſe noveris, ut locatus ibi nihil humile abjectumque cogitares. Conſidera quid debeas dicere, quod a tantis excipitur. Monimenta publica talia contineant, quæ ſe legiſſe nullus erubeſcat. Præſul mirabilis partem non habet cum delictis: quia niſi aliquid egregium aſſidue fecerit, culpam vel otioſus incurrit. Nam ſi prædictus auctor ſanctiſſimus ille recolatur, quoddam ſacer-

dotium

(1) *Ipſe carpentum reverendus aſcendit*. Præfecti Prætorio carpentis uſi ſunt, eaque aſcendere poterant, ut etiam Præfecti Urbis, qui mos Sacerdotibus ſacris antiquitus conceſſus, ut ex Suetonio in Claudio cap. XI. conſtat, *Matri carpentum, quo per Circum duceretur*; & in Caligula, cap. 15. *Matri Circenſes carpentumque inſtituit, quo in pompa traduceretur*. Matronæ quoque vulgo carpentis utebantur ad ſacra, ſicut teſtatur Ovid. lib. 1. Faſt.

Nam prius Auſonias matres carpenta vehebant;
Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor.

Sed poſtea hic mos in deſuetudinem abiit. *Broſſ.*

(2) *Vox præconis*, ap. Caſſiod. Var. lib. 11. epiſt. 3. quæ in judiciis tum publicis, tum privatis adhibeatur. l. 2. de jur. immunit. l. pen. de integr. reſtit. l. ult. C. de feriis, Quintil. lib. 6. c. 4. Euſeb. lib. 4. Eccl. hiſt. cap. 15. Agathias judicium ab Juſtiniano inſtitutum deſcribens lib. 4. de Bello Gothico ait: *Inſtruens judicem*. Donatus in Terentianum Phormionem act. 1. ſcena 2. Demoſthen. pro Creſiphonte. Lucianus in Bis accuſato: qua de re alias forte pluribus. *Forn.*

(3) *Verbo ſententiam dicit*. Inter jura, & poteſtatis Præfecti Prætorio inſignia, ne ex ſcripto ſententiam ferat, l. 2. C. de ſent. ex brevi recit. Quod cæteris Judicibus non eſt permiſſum, qui ex tabella litigantibus ſententiam edebant. Symmachus lib. 1. epiſt. 27. l. 34. l. ult. C. de præd. dec. l. ult. C. de princip. agent. in reb. l. in ſacris, C. de prox. ſacr. ſcrin. 12. ſed opportuniore aliquando loco nos id proſequemur. *Forn.*

(4) Gr. & Cuj. *juſſionibus*.

(5) *Gratanter implemus quæ ille conſtituit*. Præfectis Prætorio datam fuiſſe pleniorem licentiam ad diſciplinæ publicæ emendationem Juriſconſultus l. 1. D. de off. Præf. Præt. auctor eſt. Tempore Conſtantii Imperatoris omnes caſtrenſes, ordinariæque poteſtates, ut honorum omnium apicem priſcæ reverentiæ more Præfectos ſemper ſuſpexere Prætorianos, ut Ammian. Marcellin. lib. 21. tradit. Præfecturæ meritum cæteris dignitatibus anteſtare Valentinianus, Valens, & Gratianus in l. 1. C. de officio Vicarii definiunt; & merito: etenim Præfectura Prætoriana quidam principatus quondam Imperii erat, attamen ſine purpura. Et in eo diſcrimen Principis & Præfecti ſtatuebatur, quod ſacram purpuram, & Imperatorias infulas non geſtaret. Deinde Præfectis Prætorio rerum ſumma commiſſa fuit propter loci dignitatem, ut teſtantur Imperatores Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius in l. quilibet 40. C. de decur. lib. 10. Patres Imperii etiam vocantur, ut teſtatur Autor. Qui autem plura de autoritate, munere, & dignitate Præfecti Prætorio ſcire voluerit, conſulat Dion. lib. 52. Suetonium in Galba cap. 14. in Tito cap. 6. *Broſſ.*

dotium est Præfecturæ Prætorianæ competenter agere dignitatem.

Formula Præfecturæ Urbanæ.

IV.

CUm de dignitate commissa laus semper Judicis æstimetur; & potior habendus est, quam sint illi, quibus præesse cognoscitur; nemo amplius videtur erigi, quam cui potuit Roma committi. Grande est quidem Procerem esse: sed multo grandius de Proceribus judicare. Senatus (1) ille mirabili opinione gloriosus probatur habere Præsulem, quem mundus suscipit jura condentem. Eoque fit, ut illi utantur in Senatu potestate perfecta, qui apud te trepidant dicere proprias causas. Verum hæc quoque modestia cognoscitur esse prædicanda; ut optent (2) se legibus teneri, quæ ab ipsis sciuntur posse constitui. Quæ res pro parte nobis absolute communis est: sed hac sola ratione discreti, quod alteri subdi non possumus, qui Judices non habemus. Respice tot doctos viros, & considera quale sit his aliquid dicere, nec erroris verecundiam formidare. De talibus disceptas, quos tibi cognoscis esse potiores. Sic ergo locum tuum tracta, ut omnes te Judicem honoratæ congregationis agnoscant. Consides supra omnes scilicet Consulares: sententiam primus dicis; & in illa libertatis aula reverendus aspiceris, in qua commissos habere mundi Primarios approbaris. Quis jam de obscuro vitio (3) cogitare possit, qui se inter morum lumina tot esse cognoscit? Vis odium non recipere? Studium a te gratificationis exclude. Publicum amorem necesse est habeas, si secretius nil promittas. Erit nimirum magnum, & singulare præconium, si Judices non accipiant, ubi sunt, qui multum dare contendant. Ditioni (4) tuæ non solum Roma commissa est (quamvis in illa contineantur universa), verum etiam intra centesimum milliarium potestatem te protendere antiqua jura voluerunt: ne tantæ civitatis Judicem muralis agger includeret, cum Roma omnia possideret. Tu etiam ex designatis lege provinciis, ab appellatione cognoscis. Advocati tibi militant eruditi: quando in illa patria difficile non est Oratores implere, ubi Magistros eloquentiæ contingit semper audire. Carpento veheris per nobilem plebem: publica te vota comitantur: favores gratissimi consona tecum voce procedunt. Bene age, quia te veniente licet populis conticere. Habes copiose, unde tibi gratiam tantæ civitatis acquiras, si merces diversæ sub nulla venalitate vendantur: si exhibitio salubriter accensa thermarum, rapinarum ardoribus non tepescat: si spectaculum, quod præbetur voluptati, non sit causa litigii. Suaviter enim cogit gratum esse populum, quisquis in certaminibus partium declinat injustum. Tanta est enim vis gloriosæ veritatis, ut etiam in rebus scenicis æquitas desideretur. Admonitionum igitur ordine decurso, per Indictionem illam habitu te togatæ dignitatis ornamus; ut indutus (5) veste Romulea, jura debeas affectare Romana. Nam si isti dignitati par fueris, nihil est quod a nobis minime consequaris. Ad omnia enim tali suffragio eris nihilominus dignus, si actionem tuam laudet Senatus. Perfecta enim rei fides est, ubi consentanei testes probantur esse Summates.

Formula Quæsturæ.

V.

SI tantum claræ sunt dignitates, quantum nostris affatibus (6) perfruuntur: si præsentia frequens prodit Dominantis affectum; nullus ita Judicum potest esse gloriosus, quam ille, qui est in cogitationum nostrarum participatione susceptus. Aliis enim pecuniæ publicæ committimus procurationem: aliis causas concedimus audiendas: aliis (7) patri-

(1) *Senatus ille mirabili opinione gloriosus*. Epictetus cum ab Hadriano Imperatore interrogaretur quid esset Senatus; Ornamentum, dixit, urbis, splendor civium. Sic legati a Pyrrho interrogati quid de Romanis sentirent, responderunt urbem sibi templum visam, Senatum vero Regum consessum. Quidam eum vocarunt recti bonique præceptorem: alii mundi lumina. Probus apud Vopiscum ait Romanos Senatores mundi Principes esse, tales semper fuisse, & inposterum futuros. Petronius in Satyrico vocat Senatum recti bonique præceptorem; Prudent. lib. 1. in Symmachum, mundi lumina. Sic Ammianus Marcellinus, ubi de Constantio Romam ingresso ait: *Cumque Urbi appropinquaret*, ait, *Senatus officia, reverendasque patriæ stirpis effigies ore sereno contemplans, non ut Cyneas ille Pyrrhi legatus, in unum coactam multitudinem Regum, sed asylum mundi totius adesse æstimabat*. Cicero Senatum principem salutis, publicæque mentis appellat. Vide Majorian. Novell. 3. de ritu imperii sui. Virgil. 6. Æneid. l. 74. C. Theod. de Decurio. Quintil. declam. 329. *Broff.*

(2) Ed. Niv. & Ga. *oporteret*. Ex Garetio.

(3) Gr. & Cuj. delent hoc nomen.

(4) D. Juret. legit *dicationi*, ut *Ep. 7. lib. 11. Var.* et Ac. *dictioni*.

(5) *Indutus veste Romulea*. Togam intelligit, qua Romani cives utebantur, l. 23. sed etsi accepto, de jur. fis. quo allusum lib. 3. epist. 17. *Vestimini moribus togatis: exuite barbariem*. Notatur Antonius a Dione lib. 50. ὅτι ἐκ τῶν πατρίων ἔχρητο. Tertullianus de pallio: Salvian. lib. 4. de providentia: Claudian. in Ruffinum l. 2.

Barbariem revocat.
Nec pudet Ausonios currus & jura regentem
Sumere deformes ritus, vestemque Getarum,
Insignemque habitum Latii mutare, &c.

Toga advocatorum l. 3. C. de advoc. diverf. judic. Præfecturæ urbanæ familia, quæ hic dicitur, Ulpiano sunt Stationarii: l. 1. de off. præf. urb. *Forn.*

(6) Gr. Cuj. & Cor. N. *aspectibus*. Ex Gar.

(7) Alii, *matrimonii*,

patrimonii nostri jura delegamus; Quæsturam toto corde recipimus, quam nostræ linguæ vocem esse censemus. Hæc nostris cogitationibus necessario familiariter applicatur, ut proprie dicere possit, quod nos sentire cognoscit: arbitrium suæ voluntatis deponit; & ita mentis nostræ velle suscipit, ut a nobis magis putetur exiisse, quod loquitur. O quam arduum est, subjectum verba Dominantis assumere, loqui posse, quod nostrum credatur, & provecti in publicum decorem gloriosam facere felicitatem! Considerate quid ponderis habeatis pariter, & decoris. Si (1) quid dubitamus, a Quæstore requirimus: qui est thesaurus (2) famæ publicæ, armarium legum, paratus semper ad subitum; & (ut ait Tullius magister eloquentiæ) nihil præstabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum mentes, allicere voluntates, impellere quo velit, unde autem velit deducere. Nam si Oratoris est proprium graviter & ornate dicere, ut possit animos judicum commovere; quanto facundior debet esse, qui ore Principis populos noscitur admonere, ut recta diligant, perversa contemnant, bonos sine fine laudent, pessimos vehementer accusent? Ut pene feriata sit districtio, ubi prævalet eloquentiæ fortitudo. Sit imitator prudentissimus Antiquorum, mores alienos corrigat, & suos debita integritate custodiat. Talem denique oportet esse Quæstorem, qualem portare Principis decet imaginem. Nam si nos (ut assolet) causam gestis audire contingat; quæ auctoritas erit linguæ, quæ sub oculis regale genium possit implere? Adesse debet scientia juris, cautela sermonis, ut nemo debeat reprehendere, quod Principem constiterit censuisse. Opus erit præterea firmitas animi, ut a justitiæ tramite nullis muneribus, nullis terroribus auferatur. Nam pro æquitate servanda & nobis patimur contradici, cui etiam oportet obediri. Sed vide, ut tantum doctrinæ deferas, quatenus probabiliter omnia perquisitus exponas. Aliæ quippe dignitates assessorum solatia quærunt: tua vero dignitas Principi consilia subministrat. Atque ideo prudentiæ, vel eloquentiæ tuæ fama provocati, Quæsturam tibi, gloriam litterarum, civilitatis templum, genitricem omnium dignitatum, continentiæ domicilium, virtutum omnium sedem, per illam Indictionem, Deo præstante, concedimus; ut sic agas, quemadmodum te parem rebus prædictis esse contendas. Ad te enim provinciæ sua vota transmittunt: a te Senatus juris quærit auxilium: a te docti probantur expetere, quod noverunt; & necesse tibi est omnibus sufficere, quantos a nobis contigerit legum remedia postulare. Sed cum hæc omnia feceris, nullis elationibus efferaris, nulla mordearis invidia, alienis calamitatibus non læteris: quia quod odiosum est Principi, non potest convenire Quæstori. Exerce potestatem Principis, conditione subjecti. Sic ore vero (3) glorificatus eloquere, ut te tamen rationem credas nobis judicibus redditurum: ubi aut culpabilis vicissitudinem recipit, aut boni propositi gloriam laudatus aequirit.

Formula Magisteriæ Dignitatis.

VI.

Reverendum honorem sumit, quisquis Magistri nomen acceperit: quia hoc vocabulum semper de peritia venit; & in nomine cognoscitur, quid sit de moribus æstimandum. Ad eum nimirum Palatii pertinet disciplina: ipse insolentium (4) scholarum mores procellosos moderationis suæ terminis prospere differenat. Tam multi ordines sine confusione aliqua componuntur; & ipse sustinet onus omnium, quod habet turba discretum. Sic nominis sui gravitate perfunctus, ornat actibus Principatum. Per eum Senator veniens nostris præsentatur obtutibus: admonet trepidum: componit loquentem: sua quin etiam verba solet inserere, ut nos decenter omnia debeamus audire. Aspectus Regi haud irritus, promissor collocutionis nostræ, gloriosus donator aulici consistorii, quasi quidam lucifer; nam sicut ille venturum diem promittit, sic iste desiderantibus vultus nostræ serenitatis attribuit.

(1) *Si quid dubitamus, a Quæstore requirimus*. Ad Quæstoris officium pertinet orationes Imperatorum, & cætera Senatui nota facere, quod constat ex Suetonio in August. cap. 65. in Nerone cap. 15. & in Tito c. 6. Ælio Spartiano in Hadriano, statim in principio; Cornelio Tacito lib. 16. quod designare voluit Sidonius Apollinaris in Panegyrico Major.

— Cujus dignatur ab ore
Cæsar in orbe loqui, licet & Quæstore diserto
Polleat.

Ulpianus etiam in l, 1. D. de off. Quæstor. refert Candidatos solis Principum libris in Senatu legendis vacasse. *Broff.*

(2) *Thesaurus famæ publicæ, armarium legum*. Quæstor sacri Palatii petitionibus subscribebat, vel etiam responsa reddebat; & ut hoc loco omne ejus officium paucis exsequar, leges dictabat, precesque ac responsa subnotabat, ut constat ex notitia Romani Imperii, & Nov. 53. & 114. l. ult. C. de divers. rescr. Symmachus ad Auson. *Quæstor es, memini: consilii regalis particeps, scio: precum arbiter, legum conditor, recognosco*; & alio loco: *Te magis Quæsturæ honos, & condendarum sanctionum usus exercuit*. Procop. lib. 1. de bello Persico. His de causis justitiæ & legum custos appellatur, & thesaurus famæ publicæ, & armarium legum, ut in Nov. Valent. de homic. cas. fact. Denique is plane est Quæstor, quem in Aula Cancellarium appellamus. Ad Quæstorem etiam pertinebant memoriales, hoc est leges, & rescripta excipiebant, & implebant, id est perscribebant, aut perscribi curabant. *Broff.*

(3) Alii, *nostro*.

(4) Vide leges sub titulo de privilegiis scholarum. *Juretus*.

buit. Causarum præterea maximum pondus in ejus audientiæ (1) finibus optima securitate reponimus; ut ejus curis fidelibus sublevati, utilitatibus publicis vivacius occupemur. Veredorum (2) quin etiam opportunam velocitatem, quorum status semper in cursu est, diligentiæ suæ districtione custodit; ut sollicitudines nostras, quas consilio juvat, beneficio celeritatis expediat. Per eum exteris gentibus ad laudem Reipub. nostræ (3) ordinatur humanitas; & nolentes redeunt, quos merentes exceperit. Per eum quippe nobis Legatorum, quamvis festinantium, prænuntiatur adventus: per eum nominis (4) nostri destinatur evectio; & isti principaliter creditur, quod tam necessarium esse sentitur. His etiam laboribus æstimaris potestatem maximam huic decrevit Antiquitas; ut nemo Judicum per provincias fasces assumeret, nisi hoc & ipse fieri decrevisset. Subdidit ejus arbitrio aliena judicia, ut ad ipsum rediret, quod alter visus est præstitisse. Molestias quidem non habet exigendæ pecuniæ, sed aperte bono fruitur potestatis adeptæ (5): credo, ut ex diversis titulis deflloraretur dignitas, ad levamen Principis instituta. Peræquatores etiam victualium rerum in urbe regia propria voluntate constituit, & tam necessariæ rei Judicem facit. Ipse enim gaudium populis, ipse nostris temporibus præstat ornatum: quando tales viros copiæ publicæ præficit, ut plebs querula seditionem nesciat habere satiata. Officium vero ejus tanta genii prærogativa decoratur, ut militiæ perfunctus muneribus, ornetur nomine Principatus; miroque modo inter Prætorianas cohortes, & Urbanæ Præfecturæ milites videantur invenisse primatum, a quibus tibi humile solvebatur obsequium. Sic in favore magni honoris injustitia quædam a legibus venit, dum alienis excubiis præponitur, qui alibi militasse declaratur. Adjutor etiam Magistri nostris præsentatur obtutibus; ut vicaria sorte beneficii eligamus ejus præsidium, qui nobis præstat fidele solatium. Hanc igitur dignitatem, tot titulis claram, tot insignibus opulentam, per Indictionem illam, gubernandam tibi, congrua gravitate, committimus; ut omnia quæ gesseris, Magister fecisse videaris: quia nihil moribus residuum relinquitur, si (quod absit) a tanta maturitate peccetur.

Formula Comitivæ Sacrarum Largitionum.

VII.

Grata sunt omnino nomina, quæ designant protinus actiones: quando tota ambiguitas audienti tollitur, ubi in vocabulo concluditur, quid geratur. Donis enim præsidere regalibus Comitivam Sacrarum Largitionum indicia rerum verba testantur. Quod vere decorum, vere fuit omnimodis exquisitum, in donorum regalium parte sequestratam facere dignitatem, & alterius honorem dicere, dum nos constet dona conferre. Actus innocens, pietatis officium, illud semper ingerere, unde se fama Principis possit augere. Regalibus magna profecto felicitas militare donis, & dignitatem habere de publica largitate. Alii Judices obtemperant residuis virtutibus Regnatoris: hæc sola est, quæ tantummodo serviat ad momenta pietatis. Nihil enim per ipsam districtum geritur, nil severum forte censetur: sed tunc obsequitur, quando pro nobis vota funduntur. Supplicum per te fortunas erigimus, Cal. Januariis affatim dona largimur, & lætitia publica militia tua est. Verum hanc liberalitatem nostram alio decoras obsequio, ut figura vultus nostri metallis usualibus imprimatur; monetamque facis de nostris temporibus futura sæcula commonere. O magna inventa prudentum! O laudabilia instituta Majorum! ut & imago Principum subjectos videretur pascere per commercium, quorum consilia invigilare non desinunt pro salute cunctorum. Sed huic (ut ita dixerim) munerariæ dignitati, præconem largitatis nostræ, publicæ felicitatis indicium, locum quoque Primiceriatus adjungimus; ut per te demus honores, per quem & nostræ pecuniæ conferimus largitates. Merito, quando & simili gratia utraque præstantur, & ab uno debuerunt Judice geri, quæ parili videntur laude conjungi. Parum est autem, quod provinciarum Judices tuæ subjaceant dignitati: ipsis quoque Proceribus chartarum confirmas officium; dum perfectum non creditur, nisi a te fuerit pro solemnitate completum. Vestis quoque sacra tibi antiquitus noscitur fuisse commissa; ut quicquid ad splendorem Regum pertinet, tuis non minus ordinationibus obediret. Curas quoque littorum adventitia lucri provisione committis. Negotiatores, quos humanæ vitæ constat necessarios, huic potestati manifestum est esse subjectos. Nam quicquid in vestibus, quicquid

(1) Ac. *audaciæ*.

(2) *Veredorum opportunam velocitatem*. Evectiones dantur a Principe, vel a Præfecto Prætorio, vel Magistro officiorum: ad eos refertur, si quid minus legitime in usurpando cursu publico factum sit; l. 3. C. de cursu publico: idcirco non mirum, si evectiones dant; Præsidibus autem dandarum evectionum facultas non est, ut Nov. Maior. de cursu publico, nisi publicarum functionum prosecutoribus. *Broff.*

(3) Cor. Gam. *nostra*. Ex Garetio.

(4) Jur. legit *numinis*.

(5) Grul. & Cuj. *indemptæ*.

quid in ære, quicquid in argento, quicquid in gemmis ambitio humana poteſt habere pretioſum, tuis ordinationibus obſecundat; & ad judicium tuum confluunt, qui de extremis mundi partibus advenere. Salis quoque commercium, inter veſtes ſericas, & pretioſiſſimam margaritam, non inepte tibi deputavit Antiquitas; ut ſapientiam tuam evidenter oſtenderet, cui talis ſpecies deputata ſerviret. Quapropter per illam Indictionem Comitivæ Sacrarum, & Primiceriatus tibi conferimus dignitates; ut multis laudibus decorari poſſis, qui honorum numeroſitate præcingeris. Utere igitur ſolemniter titulis tuis; & ſi quid tibi de antiquo privilegio uſus abſtulit, plurima certe, quæ vindicare debeas, dereliquit: quando duarum dignitatum glorioſa quidem cura, ſed & laborioſa cuſtodia eſt, quæ tibi copioſum fructum decoris afferunt, ſi probis moribus excoluntur.

Formula Comitivæ Privatarum.

VIII.

Comitiva Privatarum, ſicut nominis ipſius ſentitur inſonare vocabulum, per Rationalium (1) curam, quondam Principum privatam fertur gubernaſſe ſubſtantiam. Et quia Judicis faſtigium exercere non poterat inter homines extremis conditionibus inclinatos, alios quoque titulos provida deliberatione ſuſcepit: ne dignitas Latialis cauſam tantum videretur habere cum famulis: ſed actibus urbanis tunc ſe felicius occupavit, poſtquam agreſtium cauſas decenter amiſit. Quid enim prius facerent inter ſervos jura publica, qui perſonam (2) legibus non habebant? Non ibi advocatus aderat: non ſe partes ſolemni actione pulſabant. Erat ſecretarium impolita (3) ſeditione confuſum; & appellabatur abuſive judicium, ubi non allegabantur a partibus dicta prudentium. Utitur nunc dignitas liberorum cauſis; & legitimus Præſul veraciter habetur, quando de ingenuorum fortunis diſceptare poſſe ſentitur. Primum tibi contra nefarias libidines, & humani generis improbos appetitus, quaſi parenti publico, decreta cuſtodia eſt: ne quis ſe probroſa commixtione pollueret, dum vicino ſanguini reverentiam non haberet. Gravitas enim publica proximitatis ſanctitatem, & conjunctionis gratiam, habita æſtimatione, diſcrevit: quia longe aliud debetur proximitati naturæ, quam corporali poſſumus indulgere licentiæ. Contra hos eligeris unicus, & continens inquiſitor, ut dum talia probra perſequeris, conſequaris præconia caſtitatis. Defunctorum (4) quin etiam ſacram quietem æquabilia jura tuæ conſcientiæ commiſerunt: ne quis veſtita marmoribus ſepulcra nudaret: ne quis columnarum decorem irreligioſa temeritate præſumeret: ne quis cineres alienos aut longinquitate temporis, aut voraci flamma conſumptos, ſcelerata perſcrutatione detegeret: ne corpus, quod ſemel reliquerat moleſtias mundanas, humanas iterum pateretur inſidias. Nam etſi cadavera furta non ſentiunt, ab omni pietate alienus eſſe dignoſcitur, qui aliquid mortuis abrogaſſe monſtratur. Vide quæ tibi commiſſa ſunt, caſtitas viventium, & ſecuritas mortuorum. Habes quoque per provincias de perpetuario jure tributorum non minimam quantitatem. Canonicarios (5) dirigis, Poſſeſſores admones, & cum aliis Judicibus non modica jura partiris, caduca bona non ſinis eſſe vacantia. Ita quod uſurpatio potuit invadere, tu fiſcum noſtrum facis juſtis compendiis obtinere. Proximos defunctorum nobis legaliter (6) anteponis, quia in hoc caſu Principis perſona poſt omnes eſt: ſed hinc optamus non acquirere, dummodo ſint, qui relicta debeant poſſidere. Depoſitivæ (7) quo-

(1) Cor. Gam. *rationabilem*. Ex Garetio.

(2) *Perſonam non habebant*. Servi perſonam non habent: ideoque a Theophilo, initio tit. de ſtipul. ſerv. ἀπρόσωποι nominantur: de quibus Dion. περὶ αἰκίας, & l. un. C. ſi per vim, vel alio modo. Baſil. δουλίαν vocat ἀτιμίαν *Forn.*

(3) Gr. *impolluta*.

(4) *Defunctorum*. Ap. Caſſiod. Var. lib. 4. epiſt. 18. Conſtantius l. 3. & l. 4. ædes ac domum defunctorum vocat ſepulcra, tit. de ſepulcr. viol. C. Theod. Ea autem cognitio Pontificum olim fuit, l. 2. verſ. cum Pontificibus, eod. tit. l. 50. hereditas. D. de petit. hered. l. ult. de mort. inf. hic *ſacram quietem* vocat, Vide Sueton. in Domitiano c. 17. Tull. 2. de legib. Plin. 10. epiſt. *Forn.*

(5) Vide Caſſiod. Var. lib. 12. Ep. 13. Hi ſunt, qui Canonem publicum exigebant. *Juret.*

(6) *Legaliter*. In ſucceſſionibus ab inteſtato fiſcus noviſſimum locum occupat, & agnatis, cognatis, collegis, commilitonibus poſtponitur, tit. de hered. decurion. Cod. Inde Harmenop. cæteriſque Græci juris interpretes apte vacantia bona ἀδέσποτα καὶ ἀκληρονόμητα definiunt. *Forn.*

(7) *Depoſitivæ*, vet. *repoſitivæ*: utrumque recte, ſed tamen prius arridet magis, ex l. 31. Nunquam, D. de acq. rer. dom. Ubi a Paulo theſaurus definitur vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non exſtet memoria, ut jam dominum non habeat, & inventori conceditur. Hic vero fiſco applicatur, præter juris diſciplinam, §. Theſauros, de rer. diviſ. Inſtit. l. 3. in fin. D. de jure fiſci, l. un. C. de theſauris. Sane Plato initio lib. 11. de legibus, theſauros tollendos eſſe negat. Porro ſecuritatis cauſa in monumentis ac ſepulcris pecuniæ credebantur, ut hinc, & ex Eunuchi Terentiani prologo conſtat: quod poſtea vetitum fuit: exſtatque titulus lib. 45. Baſilic. Ne pecuniam cum mortuis ſepelire liceat, οὐκ ἔξεστι συνθάπτεσθαι τοῖς τεθνεῶσι χρήματα. Sed & quod in d. l. fin. legitur, *condita ab ignotis dominis tempore vetuſtiore mobilia, ſeu monilia*, hujus formulæ deſcriptioni conſentaneum eſt; ſic enim & Poeta:

Auxiliumque viæ veteres tellure recluſit
Theſauros, ignotum argenti pondus & auri.

Et Homeri Scholiaſtes Iliad. 3. κειμήλια expoſuit ἄσημα καὶ ἀπόθετα χρήματα, opes abditas & reconditas. *Forner.*

quoque pecuniæ, quæ longa vetustate competentes dominos amiserunt, inquisitione tua nostris applicantur ærariis (1); ut qui sua cunctos patimur possidere, aliena nobis debeant libenter offerre. Sine damno siquidem inventa perdit, qui propria non amittit. Proinde (quod felicibus applicetur auspiciis) per Indictionem illam Comitivæ Privatarum te honore decoramus, quam leges Præfectis quoque parem esse decreverunt; est enim & ipsa aulica potestas Palatio nostro jure reverenda, quam tu facies ultra terminos suos crescere, si susceptam continenter egeris dignitatem.

Formula Comitivæ Patrimonii.

IX.

Antiquæ consuetudinis ratio persuadet, chartis nostris illos imbuere, qui longe positis transmissas accipiunt dignitates; ut quos non poteramus præsentes instruere, lectio probabilis commoneret. Sed te, quem ad patrimonii nostri curas regalis (2) deflóravit electio, non tam destinatis præceptionibus instruimus, quam usu serenissimæ collocutionis erudimus. Confabulationes siquidem nostræ erunt tibi instrumenta justitiæ; quando illud gratum nobis esse perspexeris, quod & divinis potest convenire mandatis. Patrimonium siquidem nostrum pro sublevandis privatorum fortunis tibi credidimus, non premendis. Nam si tranquillitatis nostræ velis considerare rationem, quoddam regiæ domus famulis præjudicium humilitaris imponis. Proprias quippe utilitates improbus dominus quoquo modo nititur vindicare; cæterum qui bonæ famæ studere cognoscitur, suo semper judicio plus gravatur. Insolens libertatis genus est rusticorum, qui adeo sibi putant licere voluntaria, quoniam ad nostram dicuntur pertinere substantiam. Esto igitur illis cum erecta potestate moderatus. Temperamentum simul damus, cui posse concedimus. Considera, suscepta dignitas quo debeat splendore tractari, per quam supra cæteros Judices familiaritatem Principis habere meruisti. Nam sicut sol ortus corporum colores fugata nocte detegit, ita se morum tuorum qualitas, assidue viso principe, non celabit. Mens tua & oculis nostris patebit & auribus. In vultu, & in voce cognoscimus servientium mores. Si facies tranquilla, si vox moderata suggesserit, credimus esse probatissimas causas. Quicquid enim turbulenter dicitur, justitiam non putamus. Quapropter pensabit loqui tuum Dominantis examen: quando nequeunt proprias tegere voluntates, qui suos possunt proferre sermones. Speculum siquidem cordis hominum verba sunt: dum illud (3) moribus placere creditur, quod ipse sibi ad agendum legisse monstratur. Superbus quin etiam varicatis (4) gressibus patet. Iracundus luminum fervore declaratur. Subdolus terrenum semper amat aspectum. Leves inconstantia prodit oculorum. Avarus obuncis unguibus explanatur. Et ideo ad quas provecti estis, studete virtutibus: quia nemo potest Principem fallere, qui etiam rerum naturalium causas in vobis optime probatur inquirere. Quapropter ad Comitivam Patrimonii nostri te per Indictionem illam (Deo juvante) promovemus: ut inavarum Judicem Palatia nostra testentur, quem nos judicavimus esse promovendum. Quid enim magis cupias, quam si te linguas nobilium laudare cognoscas? Alibi forte Judices formidentur injusti: hic ubi remedium præsens petitur, redempta sententia non timetur. Querimonias possessorum sine venali protractione discinge (5). Omne siquidem justum celeritatis commodo transit ad beneficium; & quod debito redditur, tali gratia munus putatur. Possessiones nostræ, vel quia sunt immobiles, non egrediantur terminos constitutos: ne conditione contraria quod non potest moveri, malis moribus contingat extendi. Trade etiam militibus tuis quam sectari delegeris animi castitatem. Quomodo ille justus potest dici, sub quo non prohibeatur excedi? Utere igitur, auctore Deo, concesso tibi feliciter privilegio dignitatis. Incitet te ad bonorum desiderium, sæpissime quod videris: quia in his quæ feceris, judex & testis ero. Nam & si epulas sollicita ordinatione disponas, non solum nostro Palatio clarus, sed & gentibus necesse est reddaris eximius. Legati pene ex tota orbis parte venientes, cum nostris cœperint interesse conviviis, admirantur copiose repertum, quod in patria sua norunt esse rarissimum. Stupent etiam abundantiam unius mensæ tantas servientium turbas posse satiare; ut judicent consumpta recrescere, unde tanta probantur exire. Habent nimirum in sua patria, quod loquantur, dum parenti-

bus

(1) Hic dicitur Comes thesaurorum, sacrarum largitionum, sacrarum remunerationum, vel munerationum, l. 2. C. de commeatu. l. palatinos. C. de palat. sacr. larg. l. 41. C. Theod. de appellat. Is etiam dicitur præsidere donis imperialibus, & per eum erigi supplicum fortunas, & Kal. Januariis affatim largitiones fieri: quique largitionum dies notatur in l. laudabile. C. de adu. diu. jud. & a Nicephoro cap. 23. lib. 10. *Broff.*

(2) Gr. Cuj. & Forn. *legalis*.

(3) Gr. Niv. & Ga. *illico*. Ex Garetio.

(4) *Varicatis gressibus*, id est, dolose: unde prævaricatores, l. 212. Prævaricatores, de verb. sign. l. 1. ad S. C. Turpill. Plin. lib. 18. cap. 9. *Arator*, inquit, *nisi incurvus prævaricatur. Inde translatum id nomen in forum; ibi itaque caveatur ubi inventum est*. Ulpianus tamen ex Labeone in l. 1. de Prævaricatoribus a varia concertatione nomen tractum ait: quæ notatio defendi posset, quia varii, dolosi nominantur, l. 1. D. de dolo. Ὁ ποικίλως κατηγορῶν a Græcis vertitur, tit. 1. lib. 60. Basilic. *Forner*.

(5) Gr. & Cuj. *distringue*. Niv. & Ga. *distingue*. Ex Gar.

bus suis dicere gestiunt, quæ viderunt. Sic propemodum in toto mundo celeberrimus redditur, qui providus nostris apparatibus invenitur. Adde, quod tempora nostræ lætitiæ secretaria tua sunt, cum pectus redditur curis alienum; & tunc tibi tribuitur suggerendi locus, quando cunctis adimitur. Merito, ut qui es judex tanti apparatus, & epularum, delinitus (1) cibis tibi animus concedatur.

FORMULA, QUA PER CODICILLOS VACANTES PROCERES FIANT.

X.

PEriclitarentur graviter boni mores, si aut solis divitibus, aut corpore valentibus præstarentur tantummodo dignitates: dum multos invenias excubias Palatii refugere, qui magis possint laudabili conversatione fulgere. Multis enim facultas sua non sufficit ad triumphum: multis philosophantibus corporis valetudo subtrahitur; & fit plerumque, ut sapientes inremunerati jaceant, si semper homines ad honores Comitatensi observatione perveniant. Rarum est uni multa confluere, cum omnibus debeat Regnantis pietas subvenire. Quid si ad expensas Consulatus pauper nobilis expavescat? quid si sapientia clarus Præfecturæ nequeat sustinere molestias? quid si pondera Quæsturæ affluens lingua formidet? quid si reliqui fasces molestiarum tædio vitentur forte, quam meritis? Nonne si a magnis viris talia fugiantur inverecundia nostræ mansuetudinis, quamdam repulsam suscipiunt dignitates? Quanto justius bono Principi inremuneratum nihil relinquere, quod facit natura laudabile? Sapientia est, quæ honores meretur, totum aliud extrinsecus venit. Sola est prudentia, quæ rebus omnibus præponitur, quando in homine feliciter invenitur. Sit apud nos & fortunis integerrimus Consularis: sint & sine longo labore Primates: habeant exercitia præmia sua: sed & iste honorabilis locus sit, qui tantum meritis comparatur. Neque enim absurde leges sacratissimæ censuerunt, eos, quos bonæ opinionis fama commendat, Codicillis Vacantibus tales quærere summitates. Quos & si facultas in tanti honoris apparatu desereret, virtus conscia non celaret. Animati sunt ad talia, qui de sua videbantur desperare fortuna. Hoc & validissimus ad labores, hoc & imbecillis corpore meretur ad laudes. Nam omnes sub diversitate prædicantur, quos hujus nomen honoris amplectitur; & magis nescio quid amplius meriti extorsisse creditur, qui (2) rem laborantium otiosus meruisse sentitur. Atque ideo præsentibus Codicillis ab illa Indictione illud tibi propitia Divinitate defende; ut considerata ratione præsentis temporis, adepti honoris ordine potiaris. Ita tamen, ut illi modis omnibus præferantur, qui sudore maximo nostris aspectibus affuerunt. Necesse est enim, ut unum cedat (3) meritum duobus evictum (4). Alioqui omnes ad quietas possunt currere dignitates, si laborantes minime præferantur otiosis. Consequantur illa, qui possunt; nec nobis desint ista, quæ credimus. Sic utraque gratia concitati, & illi ad Palatia nostra festinare poterunt, & vos optati honoris gaudia comitantur.

FORMULA ILLUSTRATUS VACANTIS.

XI.

COnstat felicem esse Rempub. quæ multis civibus resplendet ornata. Nam sicut cælum stellis redditur clarum, sic relucent urbes lumine dignitatum. Non quia fiat homo alter honoribus, sed quia modestior efficitur, a quo conversationis ordo melior postulatur. Quis enim opinionem suam vituperabiliter tractare velit, quam specialiter ad laudes electam esse cognoscit? Illum siquidem honores glorificant, quem commendat & vita. Nam malo instituto vivere, nec Principi fas est: quando & de illo populus occulte potest dicere, cui mores suos publice nullus ausus est imputare. Cape igitur pro fide ac laboribus tuis Comitivæ Domesticorum Illustratum Vacantem; ut & tuis civibus decoratus appareas, &, quod est dulcissimum mentibus bonis, jugiter propriis utilitatibus occuperis. Quid enim fortunatius, quam agrum colere, & in urbe lucere, ubi opus proprium delectat auctorem, nec aliquid fallendo conquiritur, dum suavi horrea labore cumulantur? Quapropter nos dedimus delectabilem honorem, tu conversationis associa dignitatem (nam utraque sibi conjuncta sunt, unum pendet ex altero; non coalescunt sparsa semina, nisi etiam terræ qualitas fuerit operata) habiturus messem de nostra gratia copiosam, si a te judicia nostra cognoverimus optime fuisse tractata.

FORMULA COMITIVÆ PRIMI ORDINIS.

XII.

MAgnum quidem multis, & inter vices videtur esse geniatum, publicæ utilitati probis actionibus occupari. Sed quan-

(1) *Delinitus*, vet. *delicatissimus*. Obiter notandus mos, quo Regum conviviis Legati adhibebantur: quod perhonorificum fuit. Ammian. Marcell. lib. 15. *honoreque mensæ regalis adeo antepositus aliis*. Pacatus Panegyristes: *Ille cohonestatus affatu, ille mensa beatus, ille osculo consecratus est*. Qu. Curtius lib. 8. *Præcipuus honor habebatur, quod licebat sedentibus vesci cum Rege*. Valer. Max. lib. 5. cap. 1. de Paulo loquens: *Nec indignum mensæ honore*. Forner.

Gr. *delicatissimus*. Cor. Niv. *delicatissimis*. Ex Garetio.

(2) Gr. Cuj. Niv. & Ga. *quod*. Ex eodem.

(3) Ed. Ac. Niv. & Ga. *credat*. Ex eod.

(4) Ac. *evectum*.

quanto felicius honorem splendidum sumere, & cogitationum molestias non habere? Interdum enim assidui labores etiam ipsas ingratas faciunt dignitates: dum imbecillitas humana cito solet sustinere fastidia, & quod prius ambiisse creditur, postea vitare velle sentitur. Sed hoc multo præstantius adesse conspectibus regiis, & abesse molestiis; gratiam habere loci, & vitare contumelias actionis. Dulce est aliquid sic mereri, ut nulla possit anxietate turbari: dum multo gratius redditur, ubi prosperitatis sola gaudia sentiuntur. Hunc igitur honorem tibi respicis otiosa remuneratione præstitum, qui nimium laborantibus antiqua noscitur provisione collatus; ut Rectores provinciarum anni actione laudatos vix ad tale culmen adducerent, quibus confitebantur plurima se debere. Consiliarii quoque Præfectorum conscientia clari, dictatione præcipui, qui in illo actu amplissimæ Præfecturæ sic videntur exercere facundiam, ut ad utilitates publicas expediendas, alteram credas esse Quæsturam. Unde frequenter & nos Judices assumimus, quia eos doctissimos comprobamus. Quid ergo de tali honore sentiatur, agnosce: quando Præfecti (1) viri pro tot laudabilibus institutis hujusmodi inveniunt præmia dignitatis; & merito cum tanta pompa ceditur, quæ Senatorii quoque ordinis splendore censetur. Spectabilitas clara, & Consistorio nostro dignissima, quæ inter illustres ingreditur, inter proceres advocatur: otiosi cinguli honore præcincta dignitas, quæ nullum novit offendere, nullum cognoscitur ingravare, & super omnia bona concitare nescit invidiam. Quocirca provocati moribus tuis, Comitivam tibi Primi Ordinis ab illa Indictione majestatis favore largimur; ut Consistorium nostrum sicut togatus (2) ingrederis, ita moribus laudatus exornes: quando vicinus honor est illustribus, dum alter medius non habetur. Delectet te illos imitari, quos proximitate contingis. Tunc locum amplum & honorabilem facis, si te moderata consideratione tractaveris. Admoneat te certe, quod suscepta dignitas Primi Ordinis appellatione censetur: utique, quia te sequuntur omnes, qui Spectabilitatis honore decorantur. Sed vide, ne quis te præcedat opinione, qui sequitur dignitate. Alioqui grave pondus invidiæ est, splendere cinguli claritate, & morum lampade non lucere.

Formula Magistri Scrinii,

Et Comitivæ Primi Ordinis, quæ danda est Comiciaco, quando permilitat.

XIII.

Si honor frequenter defertur otiosis; si interdum aut nobilitas eligitur, aut ad promerendum aliquid personæ tantum gratia suffragatur: quo studio remunerandi sunt, qui ad agonis sui præmia pervenerunt? Considerandum, quali labore servitum est, & sic de remuneratione cogitandum. Harum quippe rerum mensura de contrario venit: dum tale obedientibus dari debet donum, quale indevotis potuit esse periculum. Grandia sunt, quæ sustinent excubantes personas, contumaces ad parendum cogunt, latentes in cubilibus suis prudenti sagacitate vestigant, superbis modestiam æqualitatis imponunt. Ita quod a Judicibus breviter dicitur, ab ipsis efficacia famulante completur. Notum est, quæ pericula sustineant, cum ad causas mittuntur alienas. Si segnius agat, petitor queritur: si districte, pulsatus vociferatur. Sic inter utrumque diversum rara laus est invenisse præconium. Dignitatum pace dicamus, facilius est laudatum Judicem reperire, quam militem injuncta sine offensione complere. Aliud est enim tantum dicere legitima, aliud ad terminum deduxisse justitiam. Laudabiliter quidem bonum dicitur; sed multo gloriosius statuta complentur. Verba tantum diriguntur a Præsulibus, a militibus autem postulatur effectus. Post omnia periculis subduntur, si constricti aliquid verisimile conquerantur. Frequenter nocuit aliis ipsa quoque integritas actionis. Nam multos, quos in executione contristare visi sunt, ipsos postea impensos Judices pertulerunt. Offendunt enim frequenter ignari, quibus sunt postea508 parituri; & dum causis alienis fidem custodiunt, interdum pericula propriæ salutis incurrunt. Verum inter hæc militem evasisse laudatum, nonne juste videtur esse miraculum? Talibus igitur meritis vicissitudo reddenda est, ut nimio labore torpentes indictis (3) compensationibus excitemus. Utere igitur confidenter quicquid veteranis munifica jura tribuerunt: nulli sordido subjiciendus oneri, qui te purissima conversatione tractasti. Comitivam quoque tibi Primi Ordinis, quam tali militia perfunctis cana deputavit Antiquitas, secundum statuta Divalia vindicabis. Hæc quidem Priscorum beneficio consequeris: sed nostri nominis contra inciviles impetus, & conventionalia detrimenta perenni tuitione vallaris; ut officium, quod nostris jussionibus speciali sollicitudine famulatum est, amplius aliquid a militibus cæteris promereri potuisse videatur. Mulcta quoque tot (4) librarum auri percellendum esse censemus, si quis statuta nostra qualibet crediderit occasione violanda. Nec tamen aliquid contra te valere permittimus, quod dolosa fuerit machinatione tentatum.

For-

(1) Gr. & Cuj. *perfecti*.
(2) Alii, *rogatus*.
(3) Gr. & Cuj. *indultis*.
(4) Id est, *decem*. Gr. & Cuj.

Formula De Referendis In Senatu.

XIV.

OPtamus quidem Curiam Senatus amplissimi naturali fœcunditate compleri, sobolemque ejus tantum crescere, ut, quod difficilimum aviditatis genus est, parentum videatur vota satiare. Sed minus amantis est, non amplius quærere, unde tantum numerum possit augere. Agricola diligens præveniendo adjuvat imbrem cœlestem, & ante rigat plantaria, quam pluvias mereantur optatas. Arborum quin etiam fœtus meliorare contendens, diversi germinis fœturas instituit; ut multiplicata dulcedine fructuum, hortis suis conferat varietatis ornatum. Sic nos virtutum jucundissimas laudes incinctum Graium desideramus includere; ut germen alienum amplexu gratiæ colligatum, Curiæ moribus inolescat. Sed hæc cultura longe dissimilis est. Arboribus enim, quod melius putatur, inseritur; ad illas peregrina veniunt, ut de illorum potius suavitate dulcescant: vobis autem, ut agrestia proficiant, offeruntur. Nam quamvis ignis nocte reluceat, soli tamen præsentatus obscurus est. Hinc est, quod ad illum Ordinem nihil potest eximium deferri, nisi quod per ipsum probatur augeri. Et ideo illum natalium splendore conspicuum, & ingenii calore prudenter accensum, Senatus lumen excipiat. Hactenus fuit suis meritis clarus: sed jam erit de vestra perspicuitate prælucidus. Pandite Curiam, suscipite Candidatum. Jam Senatui prædestinatus est, cui nos contulimus Laticlaviam dignitatem. Benignos esse necesse est publicos Patres: quia hoc vocabulum non tantum suo debet germini, quantum studio votoque generali.

Formula Vicarii Urbis Romæ.

XV.

VIces agentium mos est sic Judicum voluntatibus obedire, ut suas non habeant dignitates. Splendent mutuato lumine, nituntur viribus alienis; & quædam imago in illis videtur esse veritatis, qui proprii non habent jura fulgoris. Tu autem Vicarius diceris, & tua privilegia non relinquis: quando propria est jurisdictio, quæ datur a Principe. Habes enim cum Præfectis aliquam portionem: partes apud te sub Prætoriana advocatione confligunt. Vice (1) sacra sententiam dicis; &, quod maximæ fidei signum est, in inscriptionibus (2) vita tibi committitur hominum, quod inter mortales constat esse pretiosum. Additur, quod nec salutari te sine chlamyde jura voluerunt: scilicet, ut sub veste militari semper visus, nunquam crederetis esse privatus. Sed hæc omnia ad Præfecturæ gloriam judicamus esse concessa; ut qui tantæ sedis Vicarium diceret, umbratile nil videret. Considera qualia de te præstes, qui tanta auctoritate subveheris. Exuendus a crimine non nudetur (3) ab innoxia facultate. Nam quid tibi debere possit, si minimis (4) suis imputet, quod evasit? Ad similitudinem quippe Summorum, carpento veheris. Intra (5) quadragesimum sanctissimæ Urbis jura custodis. Prænestе ludos edis: in vicem Consulis in honorem positus, dignitatemque Senatoris acquiris; & illa tibi panduntur atria, quæ Summatibus probantur esse collata. Hinc est, quod in Aula libertatis locum patrium tenes; & ibi mereris consessum, ubi est vel intrasse præconium. Ipsi quin etiam Senatores, qui præcedunt ordine, aliqua videntur a te necessaria postulare. Habes, quod præstes potioribus te; nec immerito inter præcipuos censendus es, qui aut juvare potes, aut lædere Consulares. Erige animos sub qualitate modestiæ. Talis est unaquæque dignitas, qualis administrantium est voluntas. Nihil abjectum est, quod in Repub. geritur, nisi malis fuerit moribus forte vitiatum. Nam si humilium privatorum placet æqualitas, quanto magis grata est in potestatis culmine custodita, quæ difficilem modum servat, dum ad suum velle festinat? Proinde Vicariæ tibi dignitatem Serenitatis nostræ æstimatione conferimus; quam sic Romæ geras, ut conscientiam tuam tanta civitate facias esse dignissimam. Usurus omnibus privilegiis, quæ tuos decessores habuisse constiterit: quia sicut a vobis Antiquorum instituta deposcimus, ita & dignitati vestræ vetera non negamus.

Formula Notariorum.

XVI.

NOn est dubium ornare subjectos Principis secretum, dum nullis æstiman-

(1) *Vice sacra sententiam dicis*. Supra form. 6. *sacra*. 1. principe, l. 38. si quis aliquid, 2. D. de pœnis. *sacra vice judicant*, form. 3. *Vice sacra judicavit Præfectus Prætorio*, supra for. 3. *Vicarius urbis*, form. 15. *Forner*.

(2) *In inscriptionibus*. Id est, *accusationibus*. C. Theod. lib. 9. tit. 1. De accus. & inscrip. Nemo ad crimen deferendum admittitur, nisi qui solemnia accusationis impleat, & sese ad pœnam, quæ calumniantibus impendet, obstringat, l. 7. C. de cal. l. 11. §. quidam, ad l. Jul. de adult. 3. D. de accus. l. 1. C. ad Turpill. inscriptionis vinculi, l. 11. & ult. nullus, C. de accus. l. ult. C. Theod. de exhib. vel transmit. reis, l. pen. & ult. C. de accusat. l. ult. D. de privat. delict. Exemplum l. 3. D. de accus. & apud Lucianum, *ἐν δίκῃ φωνήεντων*. Gloss. Basilic. lib. 60. tit. 42. *Forner*.

(3) Alii, *videtur*.

(4) Cor. Gam. *meritis*. Ex Garetio.

(5) *Intra quadragesimum*. Quadragesimum lapidem, seu milliarium intelligit. *Forn.*

tur necessaria posse committi, nisi qui fuerint fide magna solidati. Publicum est quidem omne, quod agimus: sed multa non sunt ante scienda, nisi cum fuerint, Deo auxiliante, perfecta. Quæ tanto plus debent oculi, quanto amplius desiderantur agnosci. Regis consilium solos decet scire gravissimos. Imitari debent armaria, quæ continent monumenta chartarum; ut quando ab ipsis aliqua instructio quæritur, tunc loquantur: totum autem dissimulare debent, quasi nesciant scientes. Nam sollicitis inquisitoribus sæpe & vultu proditur, quod tacetur. Adsit innocentia, quæ cuncta commendat: quia in placida mente regia decenter debent verba deponi. Sed quoniam te probatis moribus institutum, venatrix bonæ conversationis, sollicitudo nostra respexit, ab illa Indictione Notarium te nostrum esse censemus; ut ordine decurso militiæ, ad Primiceriatus feliciter pervenias summitatem. Honor, qui efficit Senatorem, cui Patrum aula reseratur, non injuria, nam qui nostris curis militat assidua lucubratione, juste videtur & Curiam libertatis intrare. Additur etiam perfuncti laboris aliud munus; ut si quo modo ad Illustratum, vel Vacantem meruerit pervenire, omnibus debeat anteponi, qui Codicillariis Illustratibus probantur ornari. Unde absolute colligitur, Primiceriatus meritis datum uti, ut in uno eodemque titulo dispar esset dignitas æqualiter acquisita. Animari debes igitur ad labores, quando tibi tale præmium propositum vides, quale se gaudent invenisse Summates.

FORMULA (1) REFERENDARIORUM.

XVII.

QUamvis tantum sit clara quæque dignitas, quantum eam præsentiæ nostræ conspectus illuminat (dum semper honorem suscipit, qui nostra colloquia decenter acquirit), nemo tamen sermones nostros tantum meretur, quam qui Referendarius esse dignoscitur. Per eum nobis causarum ordines exponuntur; per eum interpellantium vota cognoscimus; & ipsis responsa reddimus, ut negotia compedita (2) solvamus. Magnum est in hoc agone principali servire prudentiæ, & ad subitum sic dolores alienos afferere, ut conquerentium videatur vota satiare. Quale est enim in tumultuosis processionibus nostris nulla permixtione confundi, aut minime tantis clamoribus impediri? Necesse habet a turbatis exquirere, quod nobis possit placabiliter intimare, & distinctius referre, quam potuisset audire. Arduum est trepidantium dicta componere, & verum dicere: non tantum interpellator formidat negotii sui casum, quantum sustinet iste in relatione periculum. Si quid minus dixerit, inimicus asseritur, redemptus clamatur. Negotii dominus timoris patrocinio potest sua verba convertere; referenti autem non licet aliquid immutare. Sententiæ vero nostræ tanta memoriæ cautela tenendæ sunt, ut nihil minus, nihil additum esse videatur. Nobis plerumque audientibus nostra dicturus es; & difficili conditione constrictus, judicio nostro subjaces, dum alienas causas explanare contendis. Quapropter Referendarium te electio nostra constituit: sed tu puritatem conscientiæ, & veritatem linguæ nostris jussionibus adhibeto. Eruditionem vero mirabilem collocutio tibi nostra concedit, quæ dum per te alios ordinat, qualitatem tuæ mentis exornat. Sub nobis enim non licet esse imperitos: quando in vicem cotis ingenia splendida reddimus, quæ causarum assiduitate polimus. Quapropter illa cunctis jussisse nos referte, quæ aut debuistis, aut potuistis accipere. Nostra sic probatis, si justa redicitis. Amate quod nos glorificat, Sit velle vestrum, quale videtis nostrum esse propositum. Ad summum (3) tales vos esse cupimus, ut etiam per vos Judices corrigamus. Peculiare de vobis aliquod vectigal exigimus; ut sicut vobiscum familiariter miscemus affatus, ita & nostra opinio specialiter a vobis mereatur affectum.

FORMULA PRÆFECTI ANNONÆ.

XVIII.

SI ad hanc mensuram censendæ sunt dignitates, ut tanto quis honorabilis habeatur, quanto civibus profuisse cognoscitur; is certe debet esse gloriosus, qui (4) ad copiam Romani populi probatur electus. Tui siquidem studii est, ut sacratissimæ Urbi præparetur annona, ubique redundet panis copia, & tam magnus populus tanquam una mensa satietur. Per officinas pistorum cibosque discurris, pensum & munditiam panis exigis, nec vile judicas esse, unde te possit Roma laudare: merito quando gloria singularis est, illius civitatis affectus. Et ne quod agis, aliquid putetur extremum,

(1) *Formula Referendariorum*. Referendarii sunt, qui supplicum desideria Principi referunt, & exponunt, jussiones Principis Judicibus insinuant, Novell. 10. 113. 124. ac nonnunquam, ut Sigebertus scribit in Chronico, publicas conscriptiones annulo seu sigillo Regis confirmant. *Broff.*

(2) Cor. Gam. *expedita*. Ex Garetio.

(3) Juret. legit, *Ad summam*.

(4) *Qui ad copiam Romani*. Copias vocat alimenta & annonas, ut in l. 4. C. Theod. de oper. pub. in l. 10. D. de compens. & apud Valer. lib. 5. cap. 1. inde copiari magno commeatu, prædaque ingenti apud Agellium lib. 27. c. 12. & Nonium Marcellum; quod verbum castrense est, nec facile apud alios reperitur. *Broff.*

mum, carpentum Præfecti Urbis mixta glorificatione conscendis. Tu illi in spectaculis conjunctissimus inveniris; ut plebs, quam industria tua satiat, in suam reverentiam te honoratum esse cognoscat. Nam si querela panis, ut assolet, concitetur, tu promissor ubertatis seditiones civicas momentanea satisfactione dissolvis; & per te prospicitur, ne quid a populis conquerentibus excedatur. Non immerito Pompejus fertur, copiæ quantitate provisa, usque ad rerum pervenisse fastigia: quia merito singularis est amor populi, cum potuit a penuria liberari. Hinc ille gratificationem meruit, plausumque populorum. Hinc unice semper amatus est, & in gratia civium, omnium vicit facta Majorum (1): qui ne aliquando in honore (2) diceretur, cum nominis taxatione vocabatur & Magnus. Hoc te exemplum invitet ad prospera: quando ille honoris tui locum egisse cognoscitur, quem felix Roma mirabatur. Ne quis autem provocet abjectis te hominibus imperare, dignitati quoque tuæ pistorum jura famulata sunt, quæ per diversas mundi partes possessione latissima tendebantur: ne inopia faciente vilesceret, quod Romanæ copiæ laudabili famulatione serviret. Suarii quoque, Romanæ copiæ causa reperti, tuo deputati videntur examini. Gloriare privilegiis acquisitis. Tribunal tuum non est inter minimas dignitates: quando & Romana gratia frueris, & provinciis jussa transmittis. Sed ut actionis ipsius in totum merita perscrutemur, triticeas quidem copias Præfectura Prætoriana procurat. Sed non minor laus est, dispensationem probabilem facere, quam frumenta colligere: quando in quavis abundantia querela non tollitur, si panis elegantia nulla servetur. Sic Ceres frumenta dicitur invenisse: Pan autem primus conspersas fruges coxisse perhibetur; unde & nomine ejus panis est appellatus. Ita & illa prædicata est, quæ reperit; & iste laudatus est, qui decenter edenda humanis usibus applicavit. Atque ideo cognoscentes industriam tuam, quæ semper est amica sapientiæ, Præfecturam Annonæ per illam Indictionem nostra tibi electione deferimus. Considera nunc, quia non licet aliquid furari de populo. Nam quod in civitatis damna committitur, silentio non celatur. Nescit plebs tacere, quando interdum & hoc loquitur, quod a nemine perpetratur. In fraudulentos distringe: panis pondera æquus examinator intende: sollicitius auro pensetur, unde a Quiritibus vivitur: quia gratior nobis est lætitia faventis Populi Romani, quam copia pretiosissimi metalli. Intuere certe quod loquimur. Quid habes melius quod optes, quam illius populi gratiam quærere, quam nos etiam constat optare?

FORMULA COMITIS ARCHIATRORUM.

XIX.

INter utilissimas artes, quas ad sustentandam humanæ fragilitatis indigentiam Divina tribuerunt, nulla præstare videtur aliquid simile, quam quod potest auxiliaris Medicina conferre. Ipsa enim morbo periclitantibus materna gratia semper assistit. Ipsa contra dolores pro nostra imbecillitate confligit; & ibi nos nititur sublevare, ubi nullæ divitiæ, nulla potest dignitas subvenire. Causarum periti palmares habentur, cum magna negotia defenderint singulorum: sed quanto gloriosius est expellere, quod mortem videbatur inferre, & salutem periclitanti reddere, de qua coactus fuerat desperare? Ars, quæ in homine plus invenit, quam in se ipse cognoscit. Periclitantia confirmat, quassata corroborat, & futurorum præscia valetudini non cedit, cum se æger præsenti debilitate turbaverit: amplius intelligens, quam videtur: plus credens actioni (3), quam oculis; ut ab ignorantibus pene præsagium putetur quod ratione colligitur. Huic peritiæ deesse Judicem, nonne humanarum rerum probatur oblivio? Et cum lascivæ voluptates recipiant Tribunum, hoc non meretur habere Primarium? Habeant itaque Præsulem, quibus nostram committimus sospitatem. Sciant se huic reddere rationem, qui operandam suscipiunt humanam salutem. Non quod ad casum fecerit, sed quod legerit, ars dicatur: alioqui periculis potius exponimur, si vagis voluntatibus subjacemus. Unde si hæsitatum fuerit, mox quæratur (4). Obscura nimis est hominum salus, temperies ex contrariis humoribus constans: ubi quicquid horum excreverit, ad infirmitatem protinus corpus adducit. Hinc est, quod sicut aptis cibis valetudo fessa recreatur, sic venenum est, quod incompetenter accipitur. Habeantur itaque Medici pro incolumitate omnium; & post scholas magistrum vacent, libris delectentur antiquis. Nullus justius assidue legit, quam qui de humana salute tractaverit. Deponite medendi artifices noxias (5) ægrotantium contentiones; ut cum vobis non vultis cedere, inventa vestra invicem videamini dissipare. Habetis quem sine invidia interrogare possitis. Omnis prudens consilium quærit: dum ille magis studiosior agnoscitur, qui cautior frequenti interrogatione monstratur. In ipsis quip-

(1) Ac. *malorum*.
(2) D. Juret. putat legendum unica lectione *inhonore*, ut ap. Cassiod. Var. lib. 3. Ep. 53. & lib. 9. Ep. 24. Et Mamertin. Paneg. 198.
(3) Ac. *lectioni*.
(4) Ac. *queratur*.
(5) *Contentiones noxias*. Vide Sidon. Apollin. lib. 2. Ep. 12. *Juret*.

[illegible]ione artis hujus initiis quodam sacerdotii genere sacramentis (1) vos consecrant. Doctoribus enim vestris promittitis odisse nequitiam, & amare puritatem. Sic vobis liberum non est sponte delinquere, quibus ante momenta scientiæ animas imponitur obligare. Et ideo diligentius exquirite, quæ curent saucios, corroborent imbecilles. Nam videro, si quod delictum lapsus excuset. Homicidii crimen est, in hominis salute peccare. Sed credimus jam ista sufficere, quando facimus, qui vos debeat admonere. Quapropter a præsenti tempore Comitivæ (2) Archiatrorum honore decorare; ut inter salutis magistros solus habearis eximius, & omnes judicio tuo cedant, qui se ambitu mutuæ contentionis excruciant. Esto arbiter artis egregiæ, eorumque discinge (3) conflictus, quos judicare solus solebat effectus (4). In ipsis ægros curas, si contentiones noxias prudenter abscidis. Magnum munus est, subditos habere prudentes; & inter illos honorabilem fieri, quos reverentur cæteri. Visitatio (5) tua sospitas sit ægrotantium, refectio debilium, spes certa fessorum. Requirant rudes, quos visitant, ægrotantes, si dolor cessavit, si somnus affuerit. De suo vero languore te ægrotus interroget, audiatque a te verius, quod ipse patitur. Habetis & vos certe verissimos testes, quos interrogare possitis. Perito siquidem Archiatro venarum pulsus enunciat, quid intus natura patiatur. Offeruntur etiam oculis urinæ; ut facilius sit vocem clamantis non advertere, quam hujusmodi minime signa sentire. Indulge te quoque Palatio nostro: habeto fiduciam ingrediendi, quæ magnis solet pretiis comparari. Nam licet alii subjecto jure serviant, tu rerum Domino studio præstantis observa. Fas est tibi nos fatigare jejuniis: fas est contra nostrum sentire desiderium; & in locum beneficii dictare, quod nos ad gaudia salutis excruciet. Talem tibi denique licentiam nostri esse cognoscis, qualem nos habere non probamur in cæteros.

Formula Consularitatis.

XX.

Quamvis dignitatem tuam a Consulibus descendere nominis ipsius videantur testimonia declarare: tamen & insignia tanta circumstant, ut nullus possit ambigere, te de illius lampadis claritate lucere. Secures enim, & fasces, quos illi (6) dicavit genio Antiquitas, tuis videntur faleris deputata; ut jurisdictio concessa, vel tacita possit admonere provincias. Sed quale tibi debet esse, quod curules inclytas probatur ornare? Vultus quinetiam Regnantium geniata obsequii pompa præmittit; ut non solum summi Judicis, sed & Dominorum reverentia cumulatus orneris. O magnæ temperationis inventum! De nomine Consulis promitteris clementissimus, & de Principum imagine metuendus. In aliquibus adhuc provinciis ornatus penula, carpenti etiam subvectione decoraris; ut multis declaretur indiciis, per expressas imagines rerum vices te præcellsæ gerere dignitatis. Considera magnum esse quod suscipis, & nulla criminum dejectione vitieris. Nominis tui auctor multa conferendo prædicatur. Tu age, ne ullis cupiditatibus accuseris; ut si dare non prævales, certe te moderari velle festines. Proximus enim habetur donanti, de quo potest dici, abstinens est jugiter alieni. Certe fœdissimæ contrarietatis vitium est, studere furtis, & habere vocabulum largitatis. Erigat ad laudem tuos animos, quod vocaris. Non te profecto meritis imparem facis, si turpissimæ ambitionis delicta calcaveris. Nam errores noxios vincere, est vitia maculosa superare; & iste revera editus est de moribus Consulatus. Nec enim superflue prudentissimi Veterum talia rebus nomina imposuerunt: dum continentiæ magnæ Præsulem provinciis mitterent Consularem. Triumpha jura publica, largire justitiam, & ex fortiori parte imitari prævales, quem nominis proximitate contin-

---

(1) *Sacramenta*. Intelligit ὅρκον Hippocratis, quo nihil sanctius & castius, integrius nihil. *Forn.*

Vide D. Hieronymum Epist. ad Nepotianum de vita Clericorum in fine. *Juret.*

(2) *Comitivæ Archiatrorum*. Cum plures Archiatrorum ordines essent, in singulis erant, qui cæteros anteirent, & hi Comites Archiatrorum vocabantur; de quorum eligendorum forma & auctoritate hoc loco scribit Cassiodorus, nec unum fuisse Comitem, sed tot, quot ordines Archiatrorum erant. *Cognat.* obser. lib. cap. 15. *Ex Garetio*.

(3) *Discinge*. Vetus *distingue*. Minus scite. Idem mendum insederat hactenus, l. 6. sicut, Theod. de legitim. hered. *Pendentium negotiorum fata distinguunt*, pro, *discingunt*; ut supr. form. 9. *querimonias possessorum sine venali protractione discingue*: in manuscriptis membranis, *distingue*. Sic *jurgium discingere* l. 4. C. Theod. fin. regund. l. 64. non ignoramus. C. Theod. de appell. l. 2. l. 3. C. eod. quor. appell. non recip. *causam sine dilatione discingere*. Forn.

Discingere negotium. D. Juretus dicit se notasse ad Alti. Avit. lib. 2. n. 34. & ad Symmac. lib. 10. Epist. 32. Idem putat legendum, *discingue*.

(4) Niv. & Ga. *affectus*. Ex Gar.

(5) *Visitatio tua*. Hi περιοδευταὶ a Modestino dicuntur, lib. 6. de excus. tut. & περιερχομένων Lucas vocat Actuum Apostolorum c. 19. circuibant enim & obambulabant urbes Medici, ut ex lege Hippocratis colligitur, τὰς πόλιας φοιτεῦντες μὴ λόγῳ μοῦνον, ἀλλὰ ἔργῳ ἰητροὶ νομίζωνται. Sic philosophi se frequentes, atque utiles per eamdem studiorum sectam contendentibus præbere solebant, l. 8. in honoribus, D. de vacat. mun. Suidas in δημοσιεύω. Nomocan. tit. 1. cap. 34. *Forn.*

(6) Jur. legit, *illius*.

tingis. Pecuniis poteſt indigere mediocris (1); morum talenta non poteſt non habere, qui juſtus eſt. Non paveſcas largas Conſulum manus. Habent & boni pauperes divitias ſuas. Illud ergo a te quæritur, quod in pectore humano naſcitur, non quod terræ viſceribus continetur. Quanto melius triumphare ex animi theſauro, unde nunquam naſcitur pœnitudo? Quia nec tenuis efficeris, cum plura concedis: quinimmo tantum locupletior redderis, quantum te bona (2) conſcientiæ ſparſiſſe cognoſcis. Quapropter opinionis tuæ laude pellecti, per illam Indictionem in illa provincia, Conſularitatis te præcipimus agere dignitatem; ut tibi non ſit acceptum, quod legibus probatur inimicum. Illa magis dilige, quæ æquitatis jura commendant. Nomen tuum actionibus proba. Conſule feſſis, & tunc vere diceris Conſularis. Sed ut omnia æquabili moderatione penſentur, inſtitue pecunias non quærere, & agnoſcis munera tibi copioſa provenire. Hanc enim conditionem humanis actibus Divina poſuerunt, ut ille magis poſſit diteſcere, qui lucra turpia neſcit optare. Ignorantes accipiunt, qui bene agunt: quia neceſſe eſt, ut dum parumper malorum ambitio contemnitur, ſuperno munere plus donetur.

Formula Rectoris Provinciæ.

XXI.

Omnino provide decrevit Antiquitas Judices ad provinciam mitti, ne poſſit ad nos veniendo mediocritas ingravari. Quis enim latronum ferret audaciam, ſi longe poſitam cognoſcerent diſciplinam? Abſolute poterat vis permiſſa graſſari, ſi conquerens tardius crederetur audiri. Sed quanto melius in ipſis cunabulis adhuc mollia reprimere, quam indurata crimina vindicare? In compendium mittimus mala, ſi præſentia facimus eſſe judicia. Quis enim audeat peccare, cum ſupra cervices ſuas diſtrictionem cognoverit imminere? Et ideo te illi provinciæ Rectorem per illam Indictionem noſtra mittit electio; ut revera corrigere nitaris, quos tibi commiſſos eſſe cognoſcis. Chlamydis tuæ procul dubio inter alia clavos intende, quos ſcias non inaniter poſitos. Hinc (3) fit, ut cum publicum agentes purpuram (4) cernerent, de vigore ſemper Principis admonerent. Geniatus indutus, veſtis gratioſa, quam filio ſuo Priapo (5) Venus dicitur texuiſſe, ut eximiæ pulchritudinis matrem ſingulariter ornatus filius teſtaretur. Reſpice, quantum dederint leges, & ad menſuram te poteſtatis extende. Tibi (6) fiſcalium tributorum credita monſtratur exactio. Conſtat eſſe tuæ fidei commiſſum Principi renuntiare, quod in provinciis probatur emergere. Tu etiam Senatorem ibidem reſidentem juberis audire: tu in Præfectorum militem cum ipſius tantum conſcientia vindicare. Tuum nomen in ſubſcriptionibus juſſerunt Honoratis Provincialibus anteferri. Quid de te æſtimatum ſit, datur adverti, cui tot videntur nobiles potuiſſe poſtponi. Additur, quod a Principe frater (7) vocaris; ut nobilitate pretioſi nominis a vilitate criminum tollereris. Cogita tantorum hominum tibi commiſſas eſſe fortunas. Fama erunt noſtri temporis tui mores. Eſto vitæ (8) continens, ut poſſis in alios eſſe Judex. Prima æquitas eſt, a ſe Præſules inchoare; ut debeant criminoſi metuere, quem nequeunt ſimilem reperire. Nullas enim in ſe culpas timet reus, quas habere reſpexerit cognitorem: quando agentem male niſi bonis moribus non æſtimat diſplicere. Suos actus nullus damnat in altero: quia natura eſt humani animi, ut nitatur potius vindicare, quod ſe cognoverit admiſiſſe. O quale eſt, liberum tribunalibus

(1) Ac. *mediocribus*.
(2) Alii, *bonæ*.
(3) Gr. & Cuj. *niſi, ut*.
(4) *Purpuram cernerent, de vigore Principis admonerent*. Vulcatius Gallicanus in Avidio Caſſio: *Ut omnes purpuratos Auguſtos cognoſceres*. Herodian. lib. 1. Ἡ βασίλειος ὑπεδέξατο πορφύρα, *Me ex alvo prodeuntem purpura imperatoria ſuſcepit*. Idem lib. 2. τὴν βασίλειον πορφύραν vocat, ubi ait Nigrum a Syriaco exercitu Imperatorem factum, amictumque purpura, & reliquo Auguſti apparatu. Lamprid. in Alexandro, de Ulpiano, *Quem ſæpe a militum ira objectu purpuræ defendit*. Peplum Imperatorum dixit Trebellius Pollio in Saturnino 21. tyranno. *Forn.*
(5) Gr. & Cuj. *Priamo*.
(6) *Tibi fiſcalium tributorum credita monſtratur exactio*. Judicum, vel Præſidum munus erat tributorum exactioni incumbere. l. in fiſcalibus. C. de exact. trib. Nov. 191. Idem & Catholicorum munus eſt, & ex conſtitutione Auguſti jam ab initio Proconſulum. Dio lib. 53. *Broſſ.*
(7) *Frater vocaris*. Fratris nomen amicitiæ cauſa poſitum, Symmach. lib. 2. epiſt. 21. 45. 67. & 71. *Non poteſt eſſe amicitia tam felix, quæ imitetur fraternitatem*. Quintil. declam. 321. hinc opinor, l. 8. Nemo, D. de her. inſtit. l. 63. Verum, pro ſocio jus quodammodo fraternitatis in ſe habet. Eos quoque qui in Magiſtratu eſſent, amicos a Principibus, quibus merebant, quod & nunc in uſu eſt, dictos obſervavi. l. 1. C. ſi mancip. ita ven. l. ult. D. de off. præf. vigil. l 11. ſi in vita, C. de nupt. l. 1. D. de appell. l. 17. divi, D. de jure patron. ſic Ulpianum Alexander non ætate, ut Gloſſularius cenſet, ſed obſervantia & dignitate, amicum nuncupavit, l. 4. l. C. de contrah. & comm. ſtipul. Jul. Firmicus Maternus, lib. 8. c. 27. Matheſeos: *Erunt advocati optimi, & Regum amici*. Non ſecus hic frater principis ſumitur. Nec enim epiſtolis, cautionibus, teſtationibus fraternitas contrahitur, l. 13. non epiſtolis, C. de prob. Huc referenda eſt l. 58. nemo. fin. de hered. inſtit. l. 63. verum. fin. pro ſoc. Nec aliorſum, opinor, Theobaldum fratrem Amalaſuentha, nec hanc ille ſororem dixit, quam quod eſſent conſortes Imperii, apud Caſſiod. Var. lib. 10. epiſt. 1. 2. 3. *Forner.*
(8) Gr. & Cuj. *in te*.

bus insidere: non esse obnoxium reo suo! ne incipiat potior fieri, quem redemit: timeat districtum, timeat continentem, non audiat blandum. Da, ut possit rigidam formidare sententiam. Avari Judices nesciunt, quantum delinquunt; nam cum vendunt aliena crimina, sua faciunt esse peccata. Quapropter esto sollicitus, ut bonæ Actionis tuæ laudes potius audiamus. A nobis confidenter exigis, quod remittis: quia tantum de remuneratione tua cogitamus, quantum te pecunias non quæsisse cognovimus.

FORMULA COMITIVÆ SYRACUSANÆ CIVITATIS.

XXII.

Regalis est providentiæ, tales Judicum personas eligere, ut ad Comitatum necessitatem non habent veniendi, quos in longinquis regionibus contigerit immorari. Nullum enim tale negotium est, quod Siculi itineris tantas pati possit expensas: dum commodius sit causam perdere, quam aliquid per talia dispendia conquisisse. Non (1) enim querelas de Sicilia volumus venire, sed laudes: quia gravatur apud nos actio Præsulis, si eam tam longinqui potuerint accusare petitores. Falsus enim dolor esse non creditur, ubi tanti laboris tædia subeuntur. Et ideo majore cura tractanda sunt, unde invidia plus timetur. Proinde per Indictionem illam, Comitivam tibi Syracusanæ Civitatis, propitia Divinitate, concedimus; ut omnia sic agere nitaris, quemadmodum nos tibi præstitisse cognoscis. De proximis vota causantium sustinemus; inde autem ultro requirimus, unde ad nos difficile veniri posse sentimus. Habes, quæ te decorare debeant, si tu tamen ibi conscientia defæcatus adveneris. Militum tibi numerus nostris servit expensis. Redderis inter arma geniatus: processio tua procinctualis ornatus est. Exercitu uteris pacato, nec pericula belli subis, & armorum pompa decoraris. Verum inter hæc civilem cogita disciplinam. Non permittas milites esse possessoribus insolentes. Annonas suas sub moderatione percipiant: causis non misceantur extraneis. Pro securitate se omnium cognoscat electum, qui se gloriatur habere armatum. Privilegia dignitatis tuæ nec volumus minui, nec jubemus excedi. Sufficiat tibi tantum gerere, quantum decessores tuos constiterit rationabiliter effecisse.

FORMULA COMITIVÆ NEAPOLITANÆ.

XXIII.

Inter cætera Vetustatis inventa, & ordinatarum rerum obstupenda præconia, hoc cunctis laudibus meretur efferri, quod diversarum Civitatum decora facies aptis administrationibus videtur ornari; ut & conventus nobilium occursione celebri colligatur, & causarum nodi juris disceptatione solvantur. Unde nos quoque non minorem gloriam habere cognoscimur, qui facta Veterum annuis solemnitatibus innovamus. Nam quid prodesset inventum, si non fuisset jugiter custoditum? Exeunt a nobis dignitates relucentes, quasi a sole (2) radii; ut in orbis nostri parte resplendeat custodita justitia. Ideo enim tot emolumentorum commoda ferimus, ut securitatem Provincialium colligamus. Messis nostra cunctorum quies est, quam non possumus aliter recordari, nisi ut subjecti non videantur aliquid irrationabiliter perdidisse. Et ideo ad Comitivam te Neapolitanam per illam Indictionem libenter adducimus; ut civilia negotia æquus trutinator examines, tantumque famam tuam habita maturitate custodias, quantum te illi populo vel in levi culpa facile displicere cognoscas. Urbs ornata multitudine civium, abundans marinis terrenisque deliciis, ut dulcissimam vitam te ibidem invenisse dijudices, si nullis amaritudinibus miscearis. Prætoria tua officia replent, militum turba custodit. Confidis geniatum (3) tribunal: sed tot testes pateris, quot te agmina circumdare cognoscis. Præterea litora usque ad præfinitum locum data jussione custodis. Tuæ voluntati parent peregina commercia. Præstas ementibus de pretio suo; & gratiæ tuæ proficit, quod avidus mercator acquirit. Sed inter hæc præclara fastigia optimum esse Judicem decet: quando se non potest occulere, qui inter frequentes populos cognoscitur habitare. Factum tuum erit sermo civitatis: dum

per

---

(1) *Non enim querelas*. Ut in provincia lites dirimantur, ne necesse sit ad Comitatum Principis accedere, iisdem propemodum verbis Majorianus Novell. de indulgentiis reliquorum utitur: *Nec de longinquis provinciæ regionibus cum magno sumptuum expensarumque detrimento ad Comitatum nostrum venire audeat ille, qui queritur; cui sub durum patientiæ gemitum tolerabilior videtur deprædatio sævientis, quam sub magno observationis incommodo sustinendus impetrandæ ultionis eventus*. Et Var. noster Cassiodor. lib. 9. epist. 20. Justin. Novell. 17. de mand. Princip. §. si tibi, præcipue, ut lites quanta poterunt celeritate definiant. Valentin. Novell. 4. *Providere decet, ne Provinciales tenues homines defensoris inopia, ad requirenda auditoria sumptuose venire cogantur*. Novell. Marcian. 1. cavetur, Neminem exhiberi de provincia ad Comitatum, nisi ad relationem Judicis, a quo fuerit appellatum. *Occurrit*, inquit, *quod duro possint longi temporis intervallo, & enormibus sumptibus legitimo egentes auxilio liberari: videtis enim agmina, videtis cætervas adeuntium infinitas, non solum a finitimis provinciis, verum extremo orbis limite confluentes, & adversum suos adversarios conquerentes. Quod profecio nullatenus accidisset, si in locis integritas, vel severitas Judicum floruisset*. Forner.

(2) Ed. *a solis radiis*. Ex Garetio.

(3) Niv. & Ga. *gemmatum*. Ex eod.

per ora fertur populi, quod a Judice contigerit actitari. Habet ultionem suam hominum frequentia, si loquar (1) adversa; & de Judice judicium esse creditur, quod multis adstipulationibus personatur. Contra, quid melius, quam illum populum gratum respicere, cui cognosceris præsidere? Quale est perfrui favore multorum, & illas voces accipere, quas & clementes dominos delectat audire? Nos tibi proficiendi materiam damus: tuum est sic agere, ut sua beneficia Principem delectet augere.

Formula Honoratis Possessoribus, & Curialibus Civitatis Neapolitanæ,

XXIV.

TRibuta quidem nobis annua devotione persolvitis: sed nos majore vicissitudine decoras vobis reddimus dignitates; ut vos ab incursantium pravitate defendant, qui nostris jussionibus obsecundant. Erit nostrum gaudium, vestra quies: suave lucrum, si nesciatis incommodum. Degite moribus compositis, ut vivatis legibus feriatis. Quid opus est quemquam facere, unde pœnas possit incurrere? Quærat Judex in vos causas, & non inveniat. Ratio motus vestros componat, qui rationales vos esse cognoscitis, Improbis judicem, testem bonis moribus destinamus; ut nemo se cogi sentiat, nisi quem ordo legitimæ conversationis accusat. Atque ideo illi nos Comitivam Neapolitanæ Civitatis per illam Indictionem dedisse declaramus; ut nostra gubernatione laudatus, alteram mereatur de nostro judicio dignitatem. Cui vos convenit prudenter obedire: quia utrumque laudabile est, ut bonis populus Judicem benignum faciat, & mansuetus Judex gratissimum populum æquabili ratione componat.

Formula de Comitiva Principis Militum.

XXV.

OMnes apparitiones (2) decet habere Judices suos. Nam cui Præsul adimitur, & militia denegatur. Sed nos, quibus cordi est, locis suis universos ordines continere, indicamus illi Comitivam Neapolitanam, Deo juvante, largitos; ut Judicibus annua successione reparatis, vobis solemnitas non pereat actionis. Quapropter designato viro præstate competenter obsequium; ut sicut vos non patimur emolumentorum commoda perdere, ita & vos parendi debeatis priscam regulam custodire.

(1) Alii, *loquantur*.

(2) Cor. Gam. *apparitores*. Ex Gar.



MA-

MAGNI AUR. CASSIODORI

SENATORIS

FORMULARUM

PARS ALTERA.

Var. Lib. 7.

FORMULA (1) COMITIVÆ PROVINCIÆ.

I.

QUamvis omnium dignitatum officia a manu secludantur armata, & civilibus (2) vestibus videantur induti, qui districtionem publicam docentur operari: tua tamen dignitas a terroribus ornatur, quæ gladio (3) bellico, rebus etiam pacatis, accingitur. Vide quo judicio fueris evectus, quando aliis vigorem fascium videamus esse creditum, tibi autem ab ipsis legibus ferrum constet esse porrectum. Rem cruentam dederunt animo pacato; ut & noxii nimium metuerent, & læsi (4) de optata ultione gauderent. Alioqui culparentur Priores, si temperata omnia non fecissent. Sed cum te intelligas ad moderamen electum, humanum facile non concupiscas exitium. Reus qui dicitur, & probetur. Scito puniendi remedium datum tibi pro salute multorum: Arma ista juris sunt, non furoris. Hæc ostentatio nimirum est contra noxios instituta, ut plus terror corrigat, quam pœna consumat. Non enim cogitur ferro succidere robustam, qui adhuc teneram verbis curvat audaciam. Civilis est pavor iste, non bellicus; quem tu sic facies esse gloriosum, si habere non probetur excessum. Habes etiam & ferrum, nihilominus incruentum. Claudantur nexibus catenarum, quos levium criminum pulsat invidia. Cunctator esse debet, qui judicat de salute. Alia sententia potest corrigi: de (5) vita transactum non patitur immutari. Signa tua abactores timeant, fures pavescant, latrones perhorreant. Innocentia tantum læta respiciat, dum sibi auxilia venisse credit, quæ legum disciplina transmisit. Nemo redemptionibus tuum velle deflectat. Gladius contemnitur (6), ubi aurum suscipitur. Tu te inermem reddis, si a virili animo cupiditate recesseris. Quocirca per Indictionem illam Comitivæ tibi in illa provincia tribuimus dignitatem; ut

(1) *Formula Comitivæ*. In Notitia Imperii Rom. nominantur Comes Africæ, Asiæ, Ponticæ, Thraciæ: Comes rei militaris per Ægyptum: Comes Tingitanæ: Comes litoris Saxonici: Comes Isauriæ, &c. *Forner*.

(2) *Civilibus vestibus*. Præscriptum fuit vestium genus, lib. 4. tit. 10. Cod. Theod. de habitu, quo uti oportet intra Urbem, l. 1. *Nullus Senatorum habitum sibi vendicet militarem, sed chlamydum terrore deposito, quieta coloborum, ac penularum induat vestimenta. Cum autem vel conventus; &c. togatum eundem interesse jubemus*. Nempe hic habitus est civilis, quo intra Urbem, & extra castra Magistratuum uti constitutum erat, cujus mentio in antiqua fori Trajani inscriptione est: *Statuam poni habitu civili in foro divi Trajani pecunia publica censuit*. Huc pertinet l. 7. iisdem, C. de advoc. diu. jud. *Forn.*

(3) *Gladio bellico*. Hinc Præsidis Provinciæ, & Comitis differentiam notare licet. Præsides enim provinciarum non erant Magistratus militares. *Forn.*

(4) *Læsi de optata ultione gauderent*. Humanum est, ut doloris remedium sit inimici dolor: hinc vindictæ solatium Callistrato, l. 28. Capitalium, §. famosos, de pœnis: Apulejo lib. 3. & lib. 5. Metamorph. ultionis solatium. Plin. lib. 3. epist. 14. *Diffugiunt servi, quorum magna pars comprehensa est, ceteri requiruntur: ipse paucis diebus ægre refocillatus non sine ultionis solatio decessit, ita vivus vindicatus, ut occisi solent*. Quintil. declam. 381. *Nihil dulcius est ultione læsæ*. Senec. 1. de clement. cap. 21. *Ultio duas res præstare solet, aut solatium affert ei, qui accepit injuriam, aut in reliquum securitatem*. Forn.

(5) *De vita transactum non patitur immutari*. Aurea, & Cassiodoro digna, & ab aliis auctoribus tractata sententia. Juvenal. Satyr. 6.

— meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit?
— audi.
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.

l. 20. si vindicari C. de pœn. l. 3. de pœn. Cic. pro Rosc. Amer. Arist. problem. ἕκαστος ἡμῶν μᾶλλον ἂν τὸ ἔλαττον τοῦ ἀδικοῦντος καταψηφίσαιτο, ὡς οὐκ ἀδικεῖ, ἢ τοῦ μὴ ἀδικοῦντος καταψηφίσαιτο, ὡς ἀδικεῖ. Quod si in alterutram partem peccandum sit, longe æquius fuerit nocentem absolvere, quam damnare ac perdere innocentem. Illud quidem peccatum est, hoc vero etiam impietas; ut ex Antiphonte Stobæus gnomolog. cap. 44. εἰ δέοι τι ἁμαρτεῖν, τὸ ἀδίκως ἀπολῦσαι ὁσιώτερον, ἢ τὸ ἀδίκως ἀπολέσαι. τὸ μὲν γὰρ ἁμάρτημά ἐστι, τὸ δ' ἀδίκως ἀποκτεῖναι ἀσέβημα. Cujus sententiæ insigne est apud Ælian. exemplum lib. Var. hist. 14. de Ptolemæo & Berenice, &c. *Forner*.

(6) Niv. Gam *conditur*. Ex Garetio,

ut ad titulos tuos pertinentia civilitate potius laudabilis exequaris, nec quicquam præſumas facere, niſi quod privatus poſſis legibus vindicare. Ipſa eſt enim recta adminiſtratio, quæ & ſine poteſtate defenditur; ut tunc probetur fuiſſe juſtus, quando ei quæ mavult objicere poſſit inimicus. Nec tamen ſpes veſtra velut faſtiditate deſeritur; nam ſi bene provinciarum adminiſtrationibus præſideris, honores vos ampliſſimos ſperare leges merito cenſuerunt. Unde jam videtur pene debitum, quod vobis a tanta auctoritate ultro noſcitur fuiſſe promiſſum (1).

Formula Præsidatus.

II.

PRudenter omnimodis inſpexit Antiquitas, provinciarum dignitates annua ſucceſſione reparari, ut nec diutina poteſtate unus inſoleſceret, & multorum provectus gaudia reperirent. Sufficit enim unicuique diſceſſiſſe laudatum: quia dum tempus poteſtatis prolixum quæritur, culparum opprobria non vitantur. Illa enim vel in brevitate declinare mirabile eſt: dum frequenter & his ſurripiunt, qui a faſcibus ſub velocitate diſcedunt. Annus univerſus & ad declaranda conſcientiæ bona ſufficit, & facilius ſe ab errore cuſtodit. Sit in veſtro propoſito adminiſtrationem unius anni ſuſcipere: noſtrum eſt, merentibus tempus augere: quia non facile removere cupimus, quos juſtos eſſe ſentimus. Idcirco converſationis tuæ moribus invitati, per illam Indictionem Præſidatum tibi in illa provincia, propitia Divinitate, concedimus; ut ſic debeas agere, quemadmodum nobis poſſeſſor gratias cum tributis videatur exolvere. Deceſſorum bona exempla ſequere: a vitioſorum te imitatione disjunge: non putetur omnis conſuetudo (2) probabilis. Cautum debet reddere, non ſequacem error alienus. Prodit ſtultitiæ culpam, qui ſequitur accuſatum. Sed illud melius eligitur, unde Præſidentis (3) opinio ſub adminiſtratione laudatur. Reſpice quantis ſit provincia plena nobilibus. Habes qui & bene loqui de te debeant, & derogare præſumant: quia nulla poteſtas eſt, quæ qualitatem famæ ſuæ de ore hominum poſſit auferre. Contraque, fructus eſt, opinione prædicabili per confines ire provincias; & ibi invenire veriſſimam laudem, ubi non imperas poteſtate. Additur, quod irremuneratum non relinquimus, ſi te egiſſe probabiliter audiamus. Horre vitium, & Principis mereris affectum. Voluntatem regiam in legibus habes: illis obtempera, & noſtra cognoſceris implere mandata.

Fomula Comitivæ Gothorum
Per ſingulas Provincias.

III.

CUm, Deo juvante, ſciamus Gothos vobiſcum habitare permixtos: ne qua inter conſortes, ut aſſolet, indiſciplinatio naſceretur, neceſſarium duximus illum ſublimem virum, bonis nobis moribus hactenus comprobatum, ad vos Comitem deſtinare, qui ſecundum edicta noſtra inter duos Gothos litem debeat amputare: ſi quod etiam inter Gothum & Romanum natum fuerit fortaſſe negotium, adhibito ſibi prudente (4) Romano certamen poſſit æquabili ratione diſcingere. Inter duos autem Romanos Romani audiant, quos per provincias dirigimus, cognitores; ut unicuique ſua jura ſerventur, & ſub diverſitate Judicum una juſtitia complectatur univerſos. Sic pace communi utræque nationes, Divinitate propitia, dulci otio perfruantur. Scitote autem unam nobis in omnibus æquabiliter eſſe charitatem: ſed ille ſe animo noſtro amplius commendare poterit, qui leges moderata voluntate dilexerit. Non amamus aliquid incivile: ſceleſtam ſuperbiam cum ſuis deteſtamur auctoribus. Violentos noſtra pietas execratur. In cauſa poſſint jura, non brachia. Nam cur eligant quærere violenta, qui præſentia probantur habere judicia? Ideo enim emolumenta Judicibus damus: ideo tot officia diverſis largitatibus continemus, ut inter vos non ſinamus creſcere, quod poſſit ad odium pertinere. Unum vos amplectatur vivendi votum, quibus unum eſſe conſtat Imperium. Audiat uterque populus, quod amamus. Romani vobis ſicut ſunt poſſeſſionibus vicini, ita ſint & charitate conjuncti. Vos autem, Romani, magno ſtudio Gothos diligere debetis,

(1) Gr. & Cuj. Cor. Niv. & Gam. *proviſum*. Ex Gar.

(2) *Conſuetudo*, id eſt tributum, τὸ τέλος: ap. Caſſiod. Var. lib. 1. epiſt. 10. Theodoricus Boethio reſcribens: *Arbiter Arcæ habeat conſuetudines juſtas*: rurſus lib. 3. epiſt. 23. *Remove conſuetudines abominanter inolitas*. Julianus Miſopogone, εἰθισμένων εἰσφορῶν πέμπτον, conſuetorum vectigalium quinta. Idem epiſtola ult. εἰσπράττεται κατὰ τὸ ἔθος. Nam conſuetudo in exactionibus, & tributis maxime ſpectanda eſt, l. 15. Quoniam; C. Theod. de exact. lib. 25. Ærariæ, de annona & tribut. C. Theod. lib. 13. Imperatores, in fin. D. de pollicitation. & vectigalib. l. 4. l. 9. Locatio, §. pen. D. de public. *Forner*.

(3) Gr. & Cuj. *præcedentis*.

(4) *Adhibito prudente Romano*, id eſt, Juriſconſ. qui non patietur ad arma & rixam procedere, quos poſſit ſua juriſdictione componere, l. 13. ſi cujus, verſ. cur enim, D. de uſufru. Nam ut ſubjicit: *In cauſa poſſint jura, non brachia*: id eſt, vis non adhibeatur in diſceptatione a litigantibus: ut apud Græcos χειρῶν νόμος, ſic Latinis manus. Pompon. *Omnia manu a Regibus gubernabantur*, l. 2. de orig. juris; Paul. 5. ſent. tit. 31. *Qui cuſtodiam militi proſequenti magna manu excuſſerint, capite puniuntur*. Forn.

betis, qui & in pace numeroſos vobis populos faciunt, & univerſam Rempublicam per bella defendunt. Itaque deſtinato a nobis Judici vos convenit obedire; ut quicquid pro conſervandis legibus cenſuerit, modis omnibus impleatis; quatenus & noſtro imperio, & veſtræ utilitati ſatisfeciſſe videamini.

Formula Ducatus Rhætiarum.

IV.

Quamvis ſpectabilitatis honor unus eſſe videatur, nec in his aliquid aliud niſi tempus ſoleat anteferri: tamen rerum qualitate perpenſa multum his creditum videtur, quibus confinales populi deputantur: quia non eſt tale pacatis regionibus jus dicere, quale ſuſpectis gentibus aſſidere: ubi non tantum vitia, quantum bella ſuſpecta ſunt; nec ſolum vox præconis inſonat, ſed tubarum crepitus frequenter inſultat. Rhætiæ namque munimina ſunt Italiæ, & clauſtra provinciæ. Quæ non immerito ſic appellata eſſe judicamus, quando contra feras & agreſtiſſimas gentes, velut quædam plagarum obſtacula diſponuntur. Ibi enim impetus gentilis excipitur, & tranſmiſſis jaculis ſauciatur furibunda præſumptio. Sic gentilis impetus, veſtra venatio eſt; & ludo geritis, quod vos (1) aſſidue feliciter egiſſe ſentitis. Ideoque validum te ingenio ac viribus audientes, per illam Indictionem, Ducatum tibi credimus Rhætiarum, ut milites & in pace regas, & cum eis fines noſtros ſolemni alacritate circumeas: quia non parvam rem tibi reſpicis fuiſſe commiſſam, quando tranquillitas Regni noſtri tua creditur ſollicitudine cuſtodiri. Ita tamen, ut milites tibi commiſſi vivant cum Provincialibus jure civili; nec inſoleſcat animus, qui ſe ſentit armatum: quia clypeus ille exercitus noſtri quietem debet præſtare Romanis. Quos ideo conſtat appoſitos, ut intus vita felicior ſecura libertate carpatur. Quapropter noſtro reſponde judicio, fide nobis & induſtria placiturus; ut nec gentiles ſine diſcuſſione ſuſcipias, nec noſtros ad gentes (2) ſub incurioſitate tranſmittas. Ad neceſſitatem ſiquidem rarius venitur armorum, ubi ſuſcepta ſurreptio cuſtodiri poſſe ſentitur. Privilegia vero dignitatis tuæ noſtris tibi juſſionibus vindicabis.

Formula (3) Curæ Palatii.

V.

Aula noſtra ſicut cognoſcitur peritis diſpoſitionibus inſtituta, ita doctorum in ea diligens debet eſſe cautela: quando pulchritudo illa mirabilis, ſi ſubinde non reficitur, ſenectute obrepente vitiatur. Hæc noſtra ſunt oblectamenta, potentiæ Imperii decora facies, teſtimonium præconiale regnorum: hæc Legatis ſub admiratione monſtrantur: & prima fronte talis dominus eſſe creditur, quale ejus habitaculum comprobatur. Et ideo magna voluptas (4) eſt prudentiſſimæ mentis, pulcherrima jugiter habitatione gaudere, & inter publicas curas animum feſſum reficere dulcedine fabricarum. Quas primum Cyclopes dicuntur ad antrorum modum ampliſſimas in Sicilia condidiſſe, poſtquam in cavernis montium Polyphemus ab Ulyſſe ſingularis oculi lugendam pertulerat orbitatem. Inde ad Italiam fabricandi peritia legitur fuiſſe tranſlata; ut quod tantis ac talibus inſtitutoribus inventum eſt, æmulatrix poſteritas in ſuum commodum cuſtodiret. Hinc eſt, quod Sublimitatem (5) tuam ab illa Indictione curam Palatii noſtri ſuſcipere debere cenſemus; ut & antiqua in nitorem priſtinum contineas, & nova ſimili antiquitate producas. Quia ſicut decorum corpus uno convenit colore veſtiri, ita nitor Palatii ſimilis debet per univerſa membra (6) diffundi. Ad quæ ſic poteris idoneus inveniri, ſi frequenter Geometram legas Euclidem: ſi ſchemata ejus, mirabili varietate deſcripta, in tuæ mentis contemplatione condideris; ut in hora commonito famuletur tibi copioſa notitia. Archimedes quoque ſubtiliſſimus exquiſitor cum Metrobio tibi ſemper aſſiſtant, ut ad nova reddaris paratiſſimus. Non enim tibi minima cura delegatur, quando animum noſtrum fabricandi ſtudio cupidiſſimum artis tuæ miniſterio probaris explere. Nam ſicubi aut civitatem reficimus, aut caſtellorum volumus fundare novitatem, vel ſi conſtruendi nobis Prætorii amœnitas blandiatur; te (7) ordinante ad oculos perducitur, quod nobis co-

---

(1) Juret. legit *nos*.
(2) Gr. Cuj. & Forn. *agentes*.
(3) *Formula Curæ Palatii*. Sidon. Apoll. cap. 23. pag. 348. Vide quæ ibi dicit Savaro. Vigilius Papa in Epiſtola, quæ extat Tom. 4. Concil. pag. 164. *Sed & Juſtinum Exconſulem & Cura Palatii*: ad cujus loci oram Editor notavit legendum forte, *ex curia Palatii*. Sed fallitur; nam reſtituendum dico *Exconſulem & Cura Palatii*. In Appendice Gregor. Turon. Hiſtor. Franc. lib. XI. cap. 8. *Curam Palatii gerebat*. Juret.
(4) Gr. & Cuj. *voluntas*.
(5) Juret. legit, *Spectabilitatem*.
(6) *Palatii membra*. Membrum ædificii pro parte domus, l. 13. ſi ita, §. Idem quæri, D. de manu. teſtam. l. 52. librorum, §. plene. de leg. 3. Plin. lib. 2. epiſt. 17. Apuleius lib. 3. de aſino. Cic. lib. 3. ad Qu. Fratr. epiſt. 1. *Nec habere poterat adjuncta cubicula, & ejuſmodi membra*. Quare non diſſimulandum eſt Græcos paulo anguſtius videri membrum κοιτῶνα expoſuiſſe. d. §. idem quæri. *Forn.*
(7) *Te ordinante*, te præeunte, ex tuo præſcripto: formulas enim & ideas, & typos, & ſchemata, & ichnographias futurarum fabricarum faciebat & pingebat architectus. *Forn.*

cogitantibus invenitur. Decorum magifterium, propofitum omnino gloriofum, in tam longas ætates mittere, unde te debeat pofteritas admirata laudare. Quicquid enim aut inftructor parietum, aut fculptor marmorum, aut æris fufor, aut camerarum rotator, aut gypfoplaftes, aut mufivarius (1) ignorat, te prudenter interrogat; & tam magnus ille fabrilis exercitus ad tuum recurrit judicium, ne poffit aliquid habere confufum. Vide ergo quanta debet noffe, qui poffit tantos inftruere. Recipis certe bonæ difpenfationis tuæ uberrimum fructum, cum tu de illorum labore laudaris, fi ab eis diligenter facta monftraveris. Quapropter quicquid ad te pertinet, ita decenter, ita firmiter volumus explicari, ut ab opere Veterum fola diftet novitas fabricarum. Sed hæc poffibilia facis, fi dona noftra nulla cupiditate fupprefferis. Efficaciter enim imperat artifici, qui eum competenti non patitur commoditate fraudari. Manus larga artium nutrit ingenia: quando qui de victu non cogitat, perficere juffa feftinat. Illud quoque confidera, qua gratificatione tracteris; ut aurea (2) virga decoratus, inter obfequia numerofa, ante pedes regios primus videaris incedere; vel ut ipfo teftimonio vicinitatis noftræ agnofcamus tibi Palatia commififfe.

Formula (3) Comitivæ Formarum Urbis.

VI.

Quamvis Romuleæ fabricæ collatæ fibi vix poffint præcipuæ reperiri (quia totum ad admirationem nofcitur exquifitum, quod ibi cernitur effe fundatum), tamen intereffe arbitramur, quod utilitas neceffaria gratificat, & quod pulchritudinis tantum caufa commendat. Trajani Forum vel fub affiduitate videre miraculum eft. Capitolia celfa confcendere, hoc eft humana ingenia fuperata vidiffe. Sed numquid per ea vivitur, aut corporis falus aliqua inde delectatione recreatur? In Formis (4) autem Romanis utrumque præcipuum eft, ut fabrica fit mirabilis, & aquarum falubritas fingularis. Quod enim illuc flumina, quafi conftructis (5) montibus perducuntur, naturales credas alveos foliditates faxorum: quando tantus impetus fluminis, tot fæculis firmiter potuit fuftineri. Cavati montes plerumque fubruunt, meatus torrentium diffipantur; & opus illud Veterum non deftruitur, fi induftria fuffragante fervetur. Refpiciamus certe, aquarum copia quantum Romanis mœnibus præftat ornatum. Nam thermarum illa pulchritudo quid effet, fi dulciffima quædam æquora non haberet? Currit aqua Virgo fub delectatione puriffima: quæ ideo fic appellata creditur, quod nullis fordibus polluatur. Nam cum aliæ pluviarum nimietate terrena commixtione violentur, hæc aerem perpetuo ferenum puriffime labens unda mentitur. Quis poffit talia fermonibus idoneis explicare? Claudiam per tantam faftigii molem fic ad Aventini caput effe perductam, ut cum ibi ex alto lapfa ceciderit, cacumen illud excelfum, quafi imam vallem irrigare videatur. Ægyptius Nilus certis temporibus crefcens per campos jacentes fuperducto diluvio aere fereno turbulentus exæftuat: fed quanto pulchrius eft, Claudiam Romanam per tot ficcas montium fummitates lavacris ac domibus liquores puriffimos fiftularum uberibus emififfe; & ita æqualiter fluere, ut nunquam fe poffit defiderata fubducere? Ille enim dum recedit, limus eft: dum venit infperate, diluvium. Quis ergo famofum Nilum Urbis noftræ fluminibus non æftimet effe fuperatum? Quando ille incolas fuos aut veniendo terret, aut recedendo deftituit. Verum hæc non fuperflua commemoratione narravimus, ut poffis advertere, qualis a te diligentia perquiratur, cui pulchritudo tanta committitur. Qua de re per Indictionem illam, Comitivam tibi Formarum fub magna deliberatione credidimus; ut fummo ftudio nitaris efficere, quod tantis ac talibus rebus videris expedire. In primis noxias arbores (6), quæ inferunt fabricarum ruinas,

(1) *Mufivarius*, a mufivario opere, quod fectilibus, parvifque varii coloris cruftis conftat, formas, & imagines rerum effingens. Ælius Spartian. in Pefcennio. D. Auguftin. lib. 16. de civit. Dei, c. 8. Guliel. Philander in Vitruvii lib. 7. c. 1. Mufivum interpretatur, quod nunc Mofaicum dictitant: cujus artifices hic, & lib. 10. Cod. tit. de excu. artif. Mufivarii nominantur. *Forn.*

(2) *Aurea virga*. Qui in Aula pofteriorum Imperii Rom. Principum curæ Palatii honore ac munere fungebantur, aurea virga decoratos inceffiffe tradit hoc loco Caffiodorus. Pet. Fabr. Agon. lib. 1. Gomes lib. 1. cap. 3. *Jur.*

(3) *Comitivæ formarum Urbis*, id eft, aquæductuum. De eo dicitur, qui curator ædificiis præficitur, unde deformitas ædificiorum, & deformes ruinæ. Sueton. in Nerone: *Deformitate veterum ædificiorum offenfus, & anguftiis, flexurifque viarum*. l. 22. lex quæ tutores, C. de admin. tut. l. 1. D. de tign. injuncto. l. 7. præfes, de off. præf. Caffiod. Var. lib. 3. epift. 29. in fin. *Ne inter tot decora mœnium, deformis appareat ruina faxorum*. Et in pragmatica Juftiniani fanctione, quæ veteri Juliani Novellarum converfioni additur: *Reparationi formarum*, &c. fic το ειδος Harmenopulo ædificium eft, lib. 2. επιτου, *Forner.*

(4) *Formis*. *Formæ aquarum*, lib. 1. de aquæduct. Cod. libro undecimo, ubi male Alciat. *formarum*: formæ enim aquæductuum extructionem, ædificiumque fignificant. l. 27. fi pendentes, §. fi quid cloacarii, D. de ufufr. leg. 41. idem Julianus, vulgo l. 39. Cum fervus, §. idem vult, verf. heres, de leg. 1. pro aquæ forma. *Forn.*

In formis. In conftitutionibus Principum legimus *formas aquarum*, ut in l. 1. C. de aquæd. nov. 7. de mand. Princip. *Broff.*

(5) Cor. Gam. *obftrictis*. Ex Garetio.

(6) *Arbores quæ inferunt fabricarum ruinas*. Arbores ædificiis noxiæ, l. 1. C. de interd. lib. 2. epift. 39. *Forn.*

dum sunt quidam mœnium importabiles arietes, censemus radicitus amputari: quia nulla læsio removetur, cujus origo non tollitur. Si quid autem conficiente senio fuerit demolitum, pervigili celeritate (1) reparetur: ne crescente defectu augeatur nobis causa dispendii. Ductus aquæ fortuna tua est, dum incolumis eris, si illa solidaveris: tantumque apud nos proficis, quantum te illi studuisse (2) probaveris. Agat ergo peritia, fidesque tua, ut & constructio fabricæ illibata permaneat, & aquæ distributio nulla se custodum venalitate subducat.

Formula Præfecti Vigilum Urbis Romæ.

VII.

Quamvis nomen tuum ad civitatis te vigilias (3) debeat excitare, ut possis implere, quod diceris: tamen providentiæ nostræ solita cautela non deserit, nisi eos, quos ad agendum deligimus, ad parendum quoque suaviter invitemus. Quid est tibi pulchrius, quam in illa Urbe operam navanter impendere, diligentiæ tuæ ubi tales testes videntur assistere? Cautela quidem tua, mox ut adhibita fuerit, per Patriciorum, & Consulum ora discurrit; vix te contigit aliquid sollicite facere, & audis Proceres cum admiratione laudare. Mediocrem dignitatem regis, & in summa opinione versaris: Custos Romanæ civitatis diceris, quando eam ab intestino hoste defendis. Quapropter circa fures sollicitus esto; quos etsi tibi leges punire minime præcipiunt, tamen eos indagandi licentiam contulerunt; credo, ut quamvis essent raptores detestabiles, tamen, quia dicebantur Romani, majori eos subderent dignitati. Utere igitur per Indictionem illam Præfecturæ Vigilum dignitate. Horror tibi pœnarum ademptus est, non potestas; nam lex a quo voluit malos capi, ipsum censuit plus timeri. Eris securitas soporantium, munimen domorum, tutela claustrorum, discussor obscurus, arbiter silentiosus; cui fallere insidiantes fas est, & decipere gloria. Actus tuus venatio nocturna est, quæ miro modo si non cernitur, tunc timetur (4). Furta magis in furibus facis, dum illos circumvenire niteris, quos omnibus illudere posse cognoscis. Præstigii genus est, quod agitis; ut latronum versutias irretire possitis. Facilius enim æstimamus sphingis ænigmata comprehendi potuisse, quam raptoris fugacem præsentiam reperire. Ille circumspectus ad omnia, instabilis ad ventura, trepidus ad insidias, quemadmodum potest capi, qui more venti nullo loco cernitur contineri? Vigila impiger cum nocturnis avibus: nox tibi pandat aspectus; & sicut illæ reperiunt in obscuris cibum, ita tu possis invenire præconium. Esto nunc ad injuncta sollicitus. Venalitas tibi non adimat, quod concedit industria. Nam licet hæc sub profunda caligine videantur geri, nullus tamen actus est, qui possit abscondi. Privilegia quoque tua, vel officii deputati ex nostra tibi auctoritate rationabiliter vendicabis; quia necesse est, in tam magna civitate per diversos Judices agi, quod ab uno non potest explicari.

Formula Præfecti Vigilum Urbis Ravennatis.

VIII.

Quamvis dignitate magni nominis prima fronte decoreris (quia non potuit Antiquorum prudentia summa imaque simili appellatione censere: ne splendorem, quem summis dabat, alterius vilitate pollueret), tamen hinc intelligitur, quid sentire Majorum potuisset auctoritas, quando Præfectos Vigilibus appellare voluere, qui pro generali quiete discurrunt. Tibi enim commissa est fortunarum securitas, civitatis ornatus, utilitas omnium; scilicet, ut circa domesticos grassatores bellum pacatum gereres, si quem civium lædendum esse sentires. Custodi fortunas omnium. Securus somnus te vigilante carpitur, & molestia nulla sentitur. In pace positus sumis de nocturno fure victorias. Tuis laureis mane civitas defensa lætatur; quæ dum captos respicit, tunc se occulto hoste caruisse cognoscit. Quotidie triumphas, si bene vigilas. Et cum rara sit gloria bellici certaminis, tibi jugiter latronibus famulatur inventis. O ducatum nimia civium affectione susceptum! Assumes prædones inquirere, quos per se Dominus non valet invenire; & duplici ratione beneficus aut futura furta prohibes, aut commissa concludis. Nonne ista quædam est ineffabilis gratia civitatis, unum in se suscipere, quod videt omnibus expedire? Merito tibi gloriosum nomen Præfecti prudens Antiquitas deputavit: quia istud facere non poterat, nisi qui cives a suis commodis plus amabat. Officium quoque tuum non parvo con-

---

(1) Ed. Niv. & Ga. *claritate*. Ex Gar.
(2) Cor. Niv. & Ga. *studiose*. Ex eod.
(3) *Ad civitatis te vigilias debeat excitare. Præfecti vigilum nihil de capitalibus causis sua auctoritate statuere debent: sed si quid hujusmodi evenerit, culmini tuæ potestatis referre, ut de memoratis causis celsiore sententia judicetur*, l. præfecti C. de off. Præf. vigil. Ideo dicitur obscurus judex, arbiter silentiosus, incendiariorum & furum indagator. Eleganter Auctor furta eum facere in furibus, dum illos noctu circumvenit. Harmenop. tit. de dignit. §. 3. refert officium Præfecti vigilum ad incendia arcenda institutum, & de incendiariis, effractoribus, furibus, & receptatoribus cognoscere. *Bross.*
(4) Alii, *tenetur*.

constat munere sublevatum: quando (1) & ipsis momenti jura dilatata sunt, qui pro securitate civium militare noscuntur. Quæ cum ita sint, Præfecturam tibi Vigilum per illam Indictionem, delectati tua opinione concedimus; ita ut & curam hujus dignitatis, & privilegia tibi competentia modis omnibus exequaris. Sed quamvis nomen odiosissimum furum generalis persequatur assensus, tamen quia de effusione humani sanguinis agitur, nil subitum aut indeliberatum jubemus assumi. Modestiam sequere, qui damnas audaciam: continentiam dilige, qui furta condemnas. Ad gesta perducti audiantur aliquid pro salute dicturi: quoniam quicquid non discutitur, justitia non putatur. Convictis vero atque confessis, quæ sunt decreta, serventur: quando crudele nil efficit, qui sequitur leges.

FORMULA COMITIVÆ PORTUS URBIS ROMÆ.

IX.

DEliciosa magis, quam laboriosa militia est, in portu Romano Comitivæ gerere dignitatem. Illic enim copiosus navium prospectatur adventus. Illic veligerum mare peregrinos populos cum diversarum provinciarum merce transmittit; & inter tot spectacula dulcium rerum commodum tuum est, venientes evasisse periculum. His primum faucibus Romanæ deliciæ sentiuntur; & undis Tyberinis quasi per alveum vadunt, quæ ad commercia civitatis ascendunt. Bene inventa dignitas, quæ copias videtur ornare Romanas. Nam quid elegantius potest agi, quam unde probatur populus ille satiari? O inventa Majorum! O exquisita prudentum! Ut quia longius a litore Roma videbatur posita, inde magis esse inciperet, ubi decorum ingressum navium possideret. Duo quippe Tyberini alvei meatus ornatissimas civitates (2), tamquam duo lumina susceperunt: ne vacaret a gratia, quod tantæ urbi ministrabat expensas. Eximia ergo res tibi committitur, si moderate peragatur. Tu copiam facis, dum ingredientes juste tractaveris. Avara manus portum claudit; & cum digitos attrahit, navium simul vela concludit. Merito enim illa mercatores cuncti refugiunt, quæ sibi dispendiosa esse cognoscunt. Quapropter adversus ibi ventus est, immoderata præsumptio. Nam placidum mare damnat, qui undas cupiditatis exaggerat. Unusquisque pro solemnitate commonitus offerat voluntarium munus. Xenia sunt enim ista, non debita. A paucis accipit, qui nimium quærit; & sibi ipsi (3) mittit vitæ munera, qui moderatur oblata. Sit tibi ergo cura præcipua non solum te abstinere, verum etiam cohibere præsumentium manus; quia non est leve in illa ubertate delinquere, quam decet cunctos indesinenter optare. Quocirca per Indictionem illam Comitivæ Portus te honore decoramus; ut sicut dignitas dulces delicias administrat, ita & tu honori opinionem laudabilem derelinquas.

FORMULA TRIBUNI VOLUPTATUM.

X.

QUamvis artes (4) lubricæ (5) honestis moribus sint remotæ, & histrionum vita vaga videatur efferri posse licentia: tamen moderatrix providit Antiquitas, ut in totum non effluerent, cum & ipsæ Judicem sustinerent. Administranda est enim sub quadam disciplina exhibitio voluptatum. Teneat scenicos si non verus, vel umbratilis ordo judicii. Temperentur & hæc legum qualitate negotia, quasi honestas imperet inhonestis; & quibusdam regulis vivant, qui viam rectæ conversationis ignorant. Student enim illi non tantum jucunditati suæ, quantum alienæ lætitiæ; & conditione perversa cum dominatum suis corporibus tradunt, servire potius animas compulerunt. Dignum fuit ergo moderatorem suscipere, qui se nesciunt juridica conversatione (6) tractare. Locus quippe tuus his gregibus hominum veluti quidam tutor est positus. Nam sicut illi ætates teneras adhibita cautela custodiunt, sic a te voluptates fervidæ impensa maturitate frænandæ sunt. Age bonis institutis, quod nimia prudentia constat invenisse Majores. Leve desiderium, etsi verecundia non cohibet, districtio pronuntiata modificet. Agantur spectacula suis consuetudinibus ordinata: quia nec illi possunt invenire gratiam, nisi imitati fuerint aliquam disciplinam. Quapropter Tribunum te (7) Voluptatum per illam

(1) *Hunc locum explicat* Cuj. *in Paratit. Cod.* 188. *lib.* 8. *tit.* 5. Ex Gar.

(2) Scilicet, *Portum*, & *Ostiam.* Jur.

(3) Gr. & Cuj. *ipse vult mitti*.

(4) *Artes lubricæ*. Sic enim artes ludicras vocat lib. ultim. Cod. Theod. de Majuma pag. 469. Idem nævus apud Isidorum Etym. lib. 18. cap. 16. ubi de spectaculis loquens: *hæc & lubrica* (ait) *nuncupat, quod in ludis gerantur aut in scenis*; corrige & pone, *hæc & ludicra*. Columella in Præfat. lib. 1. de re Rustica pag. 4. *nam sine ludicris artibus* &c. Sic Cornel. Tacitus lib. 15. An. *Et Circense ludicrum edebat*. Et Val. Max. lib. 2. cap. 4. de spect. Exempl. 4. Ammian. Marc. lib. 14. Pag. 19. & 21. Salvianus de Gubern. Dei. Et infra hac formulæ 10. vocat ludicram administrationem. *Juret*. Hac de re tractat Pet. Fab. Agon. lib. 1. cap. 1.

(5) Alii, *ludicræ*.

(6) Gr. Cuj. Niv. Ga. *moderatione*. Ex Gar.

(7) *Tribunum voluptatum*. Hinc constat Romæ fuisse Tribunum voluptatum, quod & reperio in l. ult. C. Theo. tit. de scenic. Diogenianum voluptatum Tribunum nuncupari. Ne-

lam Indictionem nostra facit electio; ut omnia sic agas, quemadmodum tibi vota civitatis adjungas: ne quod ad lætitiam constat inventum, tuis temporibus ad culpas videatur fuisse transmissum. Cum fama diminutis salva tua opinione versare. Castitatem dilige, cui subjacent prostitutæ; ut magna laude dicatur: Virtutibus studuit, qui voluptatibus miscebatur. Optamus enim, ut per ludicram administrationem ad seriam pervenias dignitatem.

Formula Defensoris cujuslibet Civitatis.

XI.

SI ad cujuslibet negotium peragendum talis eligitur, qui consilio & gravitate laudetur; quanto eo præstantior esse debet, qui suscipit negotia civitatis? Nam si periculum est unum decipere, quod erit, imparem tantorum judicio extitisse? Causa enim multorum bene acta nobilitat: quando totum bono proposito agere creditur, qui generalibus desideriis adesse sentitur. Defensorem te itaque illius civitatis per Indictionem illam, civium tuorum supplicatione permota, nostra concedit auctoritas; ut nil venale, nil improbum facere velis, qui tali nomine nuncuparis. Commercia civibus secundum temporum qualitatem, æquabili moderatione dispone. Definita serva, quæ jusseris; quia non est labor vendendi summas includere, nisi statuta pretia castissime custodire. Imples enim re vera boni defensoris officium; si cives tuos nec legibus patiaris opprimi, nec caritate consumi.

Formula Curatoris Civitatis.

XII.

QUamvis per se honorabilis habeatur, qui vel minimam sollicitudinem civitati propriæ videtur impendere; & inter suos magna reverentia perfruatur, qui cives se amare professus est: tamen indubitatus honor est, qui nostra electione confertur: quia præditus bonis institutis creditur, cui aliquid Principis auctoritate delegatur. Et ideo ab Indictione illa, illius civitatis curam ad te volumus pertinere: ut laudabiles ordines Curiæ sapienter gubernes; moderata pretia ab ipsis, quorum interest, facias custodiri. Non sit merces in potestate sola vendentium: æquabilitas grata custodiatur in omnibus. Opulentissima siquidem & hinc gratia civium colligitur, si pretia sub moderatione serventur; ut vere Curatoris impleas officium, cum tibi sollicitudo fuerit de utilitate cunctorum. Consuetudines (1) autem tibi ex nostra auctoritate defende, quas in eodem loco tuos constat habuisse Majores.

Formula Comitivæ Romanæ,

XIII.

SI clausis domibus ac munitis insidiari solet nequissimum votum, quanto magis in Romana civitate videtur illici, qui in plateis pretiosum reperit, quod possit auferri? Nam quidam populus copiosissimus statuarum, greges etiam abundantissimi equorum, tali sunt cautela servandi, quali & cura videntur affixi: ubi, si esset humanis rebus ulla consideratio, Romanam pulchritudinem non vigiliæ, sed sola deberet reverentia custodire. Quid dicamus marmora metallis & arte pretiosa; quæ si vacet eripere, rara manus est, quæ possit a talibus abstinere? Ibi sunt exposita, quæ facere potuerunt divitiæ generales, & labor mundi. Quem inter ista deceat esse negligentem? Quis in causa tali patitur esse venalis, quando gravissimum damnum potest fieri in pulchritudine singulari? Quare per Indictionem illam Comitivæ Romanæ cum privilegiis & justis commodis suis, tibi concedimus dignitatem; ut fideli studio, magnoque nisu quæras improbas manus, & insidiantes aut privatorum fortunis, aut mœnibus ad tuum facias venire judicium; & rei veritate discussa congruam subeant de legibus ultionem. Quia juste tales persequitur publicus dolor, qui decorem Veterum fœdant detruncatione membrorum, faciuntque illa in monumentis publicis, quæ debent pati. Officium tuum & milites consuetos noctibus potius invigilare compelle: in die autem civitas seipsa custodit. Vigilans enim studio non indiget alieno. Furta quidem persuadent: sed tunc præsumptus facile capitur, cum custos minime supervenire sentitur. Statuæ nec in toto mutæ sunt, quando a furibus percussæ, custodes videntur tinnitibus admonere. Proinde diligentiam tuam devotione laudabili sentiamus; ut cui nunc laboriosos fasces injungimus, securos honores postea conferamus.

For-

Nescio an huc recte accommodari possit, quod a Suetonio scribitur in vita Tiberii, cap. 42. Tiberium scilicet novum instituisse officium a voluptatibus, præposito equite Romano T. Cæsonio Prisco. l. 1. C. de expensis ludorum. l. 5. C. Theod. de Scenic. l. 29. & 32. C. Theod. de Prætoribus. *Bross.*

(1) *Consuetudines*. Alias vectigalia & tributa, hic pro annonis; quin etiam in formula ad commendandos Comiti Principes, utrumque conjunctim, *annonis & consuetudinibus*, scriptum est infra Form. 25. sub finem. *Forn.*

Formula Comitivæ Ravennatis.

XIV.

SI æstimanda est dignitas ex labore, si laudabilis sollicitudo actuum publicorum parit gratiam liberaliter servienti: summa gratificatione locus tuus habendus est, qui suis necessitatibus probatur adimere nostris ordinationibus tarditatem. Quis enim nesciat, quantam copiam navium leviter procures admonitus? A dignitatibus Palatii nostri vix in evectionibus scribitur, & jam a te summa celeritate completur. Nam inter dimissorum festinationes anxias vix sufficit alter advertere, quod te vivaciter contingit implere. Negotiatorum operas consuetas nec nimias exigas; nec venalitate derelinquas. Sit modus, qui non potest gravare laborantes: ut cum res querelosas sine querimoniis egeris, majora de nostro examine merearis. Proinde Comitivam Ravennatem per illam Indictionem tibi Serenitas nostra concedit; ut dignitatis tuæ privilegia subeas & labores. Officium tuum æquitatis consideratione moderare. Semper enim & præstandi & lædendi causas invenit, qui publicis actionibus adhibetur. Sed quantum administratio tua inter mediocres agitur, tanta debet æqualitate trutinari: quia illum potius expedit tenere mensuram, qui defectam noscitur gubernare substantiam. Idonei damna vix sentiunt; tenues autem levi dispendio vulnerantur: quando vel mediocri injuria totum videtur amittere, qui exiguum cognoscitur possidere.

Formula ad Præfectum Urbis de Architecto Publicorum.

XV.

ROmanæ fabricæ decus convenit peritum habere custodem; ut illa mirabilis silva mœnium diligentia subveniente servetur, & moderna facies operis affabris (1) dispositionibus construatur. Hoc enim studio largitas nostra concedit, ut & facta Veterum exclusis defectibus innovemus, & nova vetustatis gloria vestiamus. Proinde illum illustris Magnitudo tua Romanis arcibus ab illa Indictione datum architectum esse cognoscat. Et quia justis commodis studia constat artium nutrienda, ad eum volumus pertinere quicquid decessores ejus constat rationabiliter consecutos. Videbit profecto meliora, quam legit: pulchriora, quam cogitare potuit, statuas illas auctorum suorum, scilicet, adhuc signa retinentes: ut quamdiu laudabilium personarum opinio superesset, tamdiu & similitudinem vivæ substantiæ imago corporis custodiret: conspiciet expressas in ære venas, nisu quosdam musculos tumentes, nervos quasi gradu tensos; & sic hominem fusum in diversas similitudines, ut credas potius esse generatum. Has primum Thusci in Italia invenisse referuntur, quas amplexa posteritas pene parem populum Urbi dedit, quam natura procreavit. Mirabitur formis equinis signa etiam inesse fervoris. Crispatis enim naribus, ac rotundis, constrictis membris, auribus remulsis, credet forsitan cursus appetere, cum se metalla noverit non movere. Quid dicamus columnarum junceam proceritatem? Moles illas sublimissimas fabricarum, quasi quibusdam erectis hastilibus contineri, & substantiæ qualitate concavis canalibus excavatas, ut magis ipsas æstimes fuisse transfusas: ceris judices factum, quod metallis durissimis videas expolitum: marmorum juncturas, venas dicas esse genitales: ubi dum falluntur oculi, laus probatur crevisse miraculis. Ferunt prisci sæculi narratores, fabricarum septem (2) tantum terris attributa miracula. Ephesi Dianæ templum. Regis Mausoli pulcherrimum monumentum, a quo & Mausolea dicta sunt. Rhodi Solis æneum signum, quod Colossus vocatur, Jovis Olympici simulacrum, quod Phidias primus artificum summa elegantia ebore, auroque formavit. Cyri Medorum Regis domus, quam Memnon arte prodiga illigatis auro lapidibus fabricavit. Babyloniæ muri, quos Semiramis Regina latere cocto, sulphure, ferroque construxit. Pyramides in Ægypto, quarum in suo statu se umbra consumens, ultra constructionis spatia nulla parte respicitur. Sed quis illa ulterius præcipua putabit, cum in una Urbe tot stupenda conspexerit? Habuerunt honorem, quia præcesserunt tempore; & in rudi sæculo quicquid emersisset novum, per ora hominum jure ferebatur eximium. Nunc autem potest esse veridicum, si universa Roma dicatur esse miraculum. Quapropter talia virum peritissimum suscipere decet, ne inter illa nimis ingeniosa Priscorum ipse videatur esse metallicus; & intelligere non possit, quæ in illis artifex Antiquitas, ut sentirentur, effecit. Et ideo det operam libris Antiquorum, instructionibus vacet, ne quid ab illis sciat minus, in quorum locum cognoscitur subrogatus.

Formula Comitivæ Insulæ Curritanæ, et Celsinæ.

XVI.

COnstat plerumque bene posse agi, ubi non defuerit persona monitoris. Omnia enim sine priore confusa sunt, & dum unusquis-

(1) Jur. forte, *affabri*.
(2) *Septem tantum*. De Olympii Jovis signo & fanis, vide Petr. Fabr. Agon. lib. 1. *Bress.*

quisque secundum voluntatem suam cogitat vivere, regulam cognoscitur omittere disciplinæ. Itaque antiquæ consuetudinis morem secuti, Curritanæ, & Celsinæ insulis te Judicem, per illam Indictionem, nostra cedit auctoritas. Justum est enim, ut qui a reliquorum hominum sunt conversatione divisi, ad habitationes eorum vadat, qui eos probabili ratione componat: ne quædam sit necessitas injustitiæ, communes actus longe positos ignorasse. Habetis igitur supradicti, qui inter vos emergentes causas & audire debeat, & finire. Et si quid etiam fuerit a nostra pietate decretum, eodem commonente, peragite: quia erroribus locus tollitur, quando vobis, cui debeatis obedire, declaratur. Quem credimus ita bonis actibus studere, ut augmenta nostræ gratiæ possit accipere. Necesse est enim, ut a nobis remunerationem sumat, si vobis, quæ sunt profutura, disponat.

Formula de Præposito Calcis.

XVII.

Gloriosum opus est servienti, unde Romana civitas probatur ornari: dum tantum quis apud nos proficit, quantum prodesse Urbi proprio labore constiterit. Dubium non est coctilem calcem, quæ est nivibus concolor, spongiis levior, instrumentum esse maximum fabricarum. Hæc quantum ignis adustione solvitur, tantum exinde parietum firmitas roboratur: petra solubilis, saxea mollities, arenarius lapis; qui tunc potius accenditur, quando aquis copiosissimis irrigatur: sine quo nec saxa fixa sunt, nec arenarum minuta solidantur. Et ideo majus studium meretur accipere, quod primum locum in Romanis mœnibus noscitur obtinere. Quocirca industriam tuam, multorum sermone celebratam, ad coctionem distributionemque calcis, ab Indictione illa, nostra præponit auctoritas; ut tam publicis, quam privatis fabricis abunde procurata sufficiat; & ad ædificandum cunctorum animi concitentur, dum viderint paratum esse, quod quæritur. Privilegia vero loci tui nostris jussionibus rationabiliter vendicabis; ut majora mereri possis, si bene tibi delegata compleveris.

Formula de Armorum Factoribus.

XVIII.

Considera quod suscipis, & intelliges locum te dare non debere peccatis. Arma enim bene construere, est salutem velle omnium custodire: quia prima facie ipsis terretur inimicus, & incipit animo cedere, si se cognoscit similia non habere. Atque ideo ab Indictione illa militibus te & fabris armorum, invitati morum tuorum opinione, præfecimus; ut tale opus ab artificibus exigas, quale nobis placere posse cognoscis. Securitas te nostræ non inducat absentiæ. Quicquid feceris nos videmus, qui usu ipso subtilissimæ perquisitionis & errores artificum possumus prima fronte reprehendere (1), & laudabiliter operata judicare. Vide ergo, qua diligentia, quo studio sit faciendum, quod ad nostrum venturum constat examen. Age itaque, ut nulla te venalitas, nulla culpa demergat: quia veniale esse non potest, quod in tali causa delinquitur: ne inde puniaris, de qua parte peccaveris. Opus quod mortem generat & salutem, interitus peccantium, custodia bonorum, contra improbos necessarium semper auxilium. Hoc primum Phoroneus Junoni dicitur obtulisse, ut inventum suum numinis, ut putabat, auspicio consecraret. Hæc in bello necessaria, in pace decora sunt. Hæc denique imbecilles fragilesque mortales cunctis belluis efficiunt fortiores.

Formula ad Præfectum Prætorio de armorum factoribus.

XIX.

Multorum insinuatione comperimus, illum probis moribus institutum commissa sibi posse fideliter expedire. Idcirco illustris Magnitudo vestra nos eum elegisse cognoscat, ut & militibus præsit secundum morem pristinum, & artificibus jubere possit armorum; quatenus consuetudines suas sic eleganter adimpleant, ut nulla in eis inveniri possit offensio. Quia licet ubique culpa lædat, hic tamen graviter percutit, si bellorum instrumenta neglexerit. Proditionis quippe instar est, exercitui subtrahere, quod eum constat armare. Quibus consuetudines suas providentia vestra deputabit; ut dum illis victualium (2) lex tollitur, necessaria vivacius exigantur.

Formula Binorum, et Ternorum, si per Judicem agantur.

XX.

Ad genium dignitatis tuæ credimus pertinere, si competentia tibi videamur injungere: quia tanto quis gratior redditur, quanto parendi causas amplius suscepisse monstratur. Et ideo Binorum (3) & Ternorum titulos, quos a Provincialibus exigi prisca decrevit auctoritas, per illam Indictionem, Offi-

(1) Cor. Gam. *deprehendere*. Ex Gar.
(2) Cuj. Niv. *ex victualium summa*. Ex Eod.

(3) *Binorum & ternorum titulos*. De exactione binorum & ternorum Cassiod. Var. lib. 3. epist. 8. & infra duab. seqq. formulis. *Form.*

Officio tuo procurante, ad scrinia Comitis Sacrarum Largitionum transmittere maturabis; ita ut omnis quantitas intra Cal. Martiarum diem solemniter impleatur, ne de proprio reddere cogaris, quod procurare neglexeris. Tuam enim tetigisset injuriam, si alter eos titulos videretur exigere, quos ad te præceperunt leges sanctissimæ pertinere.

Formula Binorum, et Ternorum, si per Officium agantur.

XXI.

QUamvis prisca consuetudo Binorum & Ternorum exactionem ad te jusserit pertinere, tamen ne te multiplex occupatio prægravaret, & impedimenta tibi faceret sollicitudo geminata, illum & illum Scriniarios officii nostri duximus destinandos, ut tibi officioque tuo debeant imminere; quatenus cum eorum solatio intra Cal. Martiarum diem ad illustrem virum illum Comitem Sacrarum Largitionum solemnis quantitas deferatur, ne opinionis publicæ reus efficiaris, si Largitiones Sacras per moram aliquam putaveris esse tardandas. Ita ut te excipiendum esse non æstimes, quem nos credidimus adjuvandum. Nam si quid minus fuerit, quam oportebat, illatum, de tuis hoc noveris facultatibus eruendum.

Formula Commonitorii (1) illi et illi Scriniariis.

XXII.

NOn dubitamus esse gratissimum, quando quis commonetur officium implere susceptum: quia illud est potius grave, si miles vivat otiose, cui quæstus est actio sua; honor, Principalis injunctio. Similis enim discincto habetur, qui ignobili torpori relinquitur. Quapropter per Indictionem illam, ad illam vos provinciam jubemus accedere; ut cum Judice, vel ejus Officio, intra diem Cal. Martiarum, quæ de Binis & Ternis quantitas solemniter póstulatur, ad Comitis Sacrarum Largitionum scrinia, postposita dilatione, dirigatis: sic tamen, ut nec ærarium nostrum aliquid minus a consuetudine percipiat, nec possessor supra modum possessionis exolvat. Et non dubitetis commonitionis nostræ vos periculum sustinere, si quid actum contra priscum ordinem poterimus agnoscere.

Formula Vicarii Portus.

XXIII.

BEneficia nostra gratiæ tuæ specialiter damus, si te agere commissa rationabiliter approbemus. Nec enim irremuneratus jaces, si & populos peregrinos prudenter excipias, & nostrorum commercia moderata æqualitate componas. Nam licet ubique necessaria sit prudentia, in hac potius actione videtur accommoda: quando inter duos populos nascuntur semper certamina, nisi fuerit justitia custodita. Quapropter arte placandi sunt, qui mores afferunt simillimos ventis; quorum nisi prius animi temperentur, in contemptum maximum nativa facilitate prosiliunt. Qua de re modestiæ tuæ fama provocati, curas illius portus per illam Indictionem te habere censemus; ut omnia ad tuum titulum pertinentia sic agas, quemadmodum ad meliora pervenias. In parvis enim discitur, cui potiora præstentur.

Formula Principis Dalmatiarum.

XXIV.

MAgna inter collegas suos prærogativa decoratur, quisquis gerit militiam nomine Principatus. Cognoscitur enim agere locum primarium, quando in rebus humanis magna pars nominum (2) afferit excellentiam dignitatum. Hoc etiam tui loci probatur exemplo, sine quo nec secretarii præstatur accessus, nec postulationis (3) pompa peragitur; totusque ille Judicis genius ita tibi legibus probatur creditus, ut sine te nequeat esse perfectus. Comiti quidem provinciarum potestas data est, sed tibi Judex ipse commissus est. Tu vitem (4) tenes (5) improbis minantem: tu disciplinam inter jura custodis: tibi insolentiam perorantis fas est discingere, quam Præsuli non licet vindicare: gesta quin etiam totius actus te subscribente complentur; & consensus tuus quæritur, postquam voluntas Judicis explicatur. Age, ut qui talibus præponeris, ea implesse merito sentiaris. Itaque per Indictionem illam, ad illam te provinciam jubemus excurrere; ut mixtus Judicis officio competentia loco tuo peragas; & qui Princeps a nobis egrederis, nul-

(1) *Commonitorii*. Vincentius Lirinensis adversus prophan. *Oblivionis meæ gratia commonitorium mihimet parasse sufficiet*. Eodem verbo utitur Augustinus Epist. 129. & 158. Symmachus pro eodem monitorium usurpat. *For.* ad lib. 4. tit. 4. l. 1.

(2) Alii, *hominum*.

(3) Grul. & Cuj. *osculationis*.

(4) Alii, *vitam*.

(5) Legendum, *vitem tenes*. Sic enim Centurionum militarium Vitis legitur pro indicio potestatis, eamque illi gestabant, de qua D. in titul. de re militari. Juvenal. Satyr. 7. Plinius lib. 14 cap. 1. Spartianus in Adriano: *Vitem nulli nisi robusto & bonæ famæ dedit*. Vide Euseb. Hist. Eccl. lib. 7. cap. 14. *Juret.* Vide etiam Pithœum subcis. lib. 1. cap. 15.

nullis vilitatibus accuseris. Reverentissimum enim te omnibus facis, si quod de nomine tuo creditur, & in moribus sentiatur.

Formula ad Commendandos Comiti Principes.

XXV.

INvitat nos consuetudo solemnis, & vobis ornatum officii dirigere, & pristinos ordines excubantium custodire. Nostra enim laus est, si vos Romana militia comitetur: quando talibus ministris potestis agere, quod videtur priscis sanctionibus convenire. Sic enim Gothos nostros, Deo juvante, produximus; ut & armis sint instructi, & æquitate compositi. Hoc est, quod reliquæ gentes habere non possunt: hoc est, quod vos efficit singulares, si assueti bellis, videamini legibus vivere cum Romanis. Quapropter ex officio nostro, illum atque illum ad vos credimus esse dirigendos; ut secundum priscam consuetudinem qui tuis jussionibus obsecundant, eos rationabili debeant antiquitate moderari. Cui gratiam tuam in conservandis annonis, & consuetudinibus suis ex nostra jussione præstabis. Debet enim a te diligi, qui a nobis meruit destinari.

Formula Comitivæ Diversarum Civitatum.

XXVI.

SÆculi hujus honor humanæ mentis est manifesta probatio: quia libertas animi voluntatem propriam semper ostendit; dum se contemnit occulere, qui sibi alios cognoverit subjacere. Sed humanæ mentis felix illa conditio est, quæ arbitrium provectionis suæ intra terminum moderationis includit: & sic peragit dignitatis brevissimum spatium, ut universis temporibus reddatur acceptus. Quapropter interdum Judices ad blanda descendite. Laboriosum quidem, sed non est impossibile justitiam suadere mortalibus: quam ita cunctorum sensibus beneficium Divinitatis attribuit, ut & qui nesciunt jura, rationem tamen veritatis agnoscant. Necesse est enim, ut quod a natura conceditur, summonente iterum eadem suaviter audiatur. Et ideo non laboretis populis imponere, quod eos constat ex propria voluntate sentire. Facile enim sequuntur vestigia verbi alieni, qui se posse credunt monitore compelli. Propterea per illam Indictionem in illa civitate Comitivæ honorem Secundi Ordinis tibi, propitia Divinitate, largimur; ut & cives commissos æquitate regas, & publicarum ordinationum jussiones constanter adimpleas: quatenus tibi meliora præstemus, quando te probabiliter egisse præsentia sentiemus.

Formula Honoratis Possessoribus, et Curialibus.

XXVII.

UTile est unum semper eligere, cui reliqui debeant obedire: quia si voluntas diversorum vaga relinquitur, confusio, culparum amica, generatur. Itaque civitatis vestræ Comitivam per Indictionem illam nos illi largitos fuisse noveritis, cui saluberrimam parientiam (1) commodate: ut causis vestris ferat remedium, & jussionibus publicis procuret effectum; scituri, quod si quis se probabili devotione tractaverit, similia de nostris sensibus haud irrite postulabit.

Formula Principis Militum Comitivæ.

XXVIII.

GRatum vobis esse confidimus, quando militiæ nostræ Judices destinamus: quia tunc ordines nostros agitis, quoties vobis non defuerit præsentia judicantis. Relativa ista intellectui sunt nomina: si Præsulem ademeris, militem non relinquis; apparitio enim tollitur, quoties qui jubere poterat, abrogatur. Vobis ergo aptum (2) credimus, dum ad vos dirigimus dignitates, & tamdiu vos militare facimus, donec Judices destinamus; nec istud leve credatis beneficium, ut cum vos scitis obsequium, vobis occurrat electio cognitorum. Et ideo per Indictionem illam, illum Comitem militiæ vestræ cognoscite destinatum. Quem ita acturum esse putamus tam in causis publicis, quam privatis, ut eum laus optata comitetur. Cui devotionem justissimam commodantes, his quæ vobis præceperit, solemniter obedite: quia Reverentiam nostram honoratam esse credimus, si bene habitos nostros Judices sentiamus.

Formula de Custodiendis Portis Civitatis.

XXIX.

NUllatenus de ejus fide dubitatur, qui ad custodiam civitatis eligitur: quia probatæ conscientiæ constat esse credendum, qui fuerit pro securitate multorum. Atque ideo curam portæ illius civitatis nostra tibi auctoritate concedimus; ut improborum non pateat adventibus, & bonorum non retardet accessus. Nam si porta semper obsera-

(1) *Parientiam*. L. 1. Cod. qui pro sua jurisd. & Cassiod. Var. lib. 3. epist. 24. *Forn.*

(2) Gr. & Cuj. *actum cedimus*.

ferata fit, inftar eft carceris: fi iterum jugiter pandatur, murorum nil prodeft habere munimina. Sit ergo utrumque moderatum; ut & cuftodiæ nocturnæ fatisfacias, & incompetenter eam claudere non præfumas. Eris nimirum via civium, & ingreffus mercium fingularum, amicus fimul copiæ, quam optas intrare. Stude ergo cum alimoniis invitare venientes. Non tibi quod defpiciatur eft creditum. Quibufdam faucibus civitatis præponeris, qui ingredientibus victualibus præeffe monftraris. Quod te oportet fine querela perficere; ut in parvis agnofcere poffimus, cui majora credere debeamus.

FORMULA TRIBUNATUS PROVINCIARUM.

XXX.

ÆQuitati convenit, ut unufquifque ad fructum militiæ emenfo tempore debeat pervenire, & laboris recipiat præmium pro compenfatione meritorum. Unde quia prifcæ confuetudinis ratio perfuadet, ut a nobis debeat defignari, qui a vobis Tribunus effe mereatur; ideo hac auctoritate cenfemus, ut ille quem locus videtur expofcere, vobis in fupradicto honore præfideat, quatenus cum ad tempus venerit conftitutum, optato honore potiatur. Divina funt ifta judicia, non humana; ut quem fuperna ad tempus debitum voluerunt perducere, merito videatur & laboris fui præmia fufcepiffe. Excubiarum fuarum igitur competentia privilegia confequatur: quia nullum emolumento confueto fraudari defideramus, quem fine culpa ad Primatum venire cognofcimus. Quapropter illi, pro utilitate publica difponenti, modis omnibus obedite: quoniam (1) poteftatem Judicis habent Priores, quando ab ipfis requiritur, fi quid a vobis infolentius excedatur.

FORMULA VICARII PRINCIPATUS URBIS ROMÆ.

XXXI.

CUm in urbe Roma plurima fieri cenfeamus, & neceffe fit ibi poteftatem effe Comitiaci officii, ut utilitates publicæ videantur impleri; noftro more profpeximus, ut quia Principem cardinalem obfequiis noftris deeffe non patimur, tu ejus locum Vicarii nomine in urbe Romana folemniter debeas continere; quatenus & ille Primatus fui laboribus perfruatur, & tu in alterius honore poffis difcere, quod in tuo debeas feliciter exhibere. Si quos etiam Comitiacorum ad Comitatum judicaveris effe dirigendos, confulens obfequio noftro, tuo fubjacebit arbitrio. Eos autem, quos retinendos putaveris, indulta fecuritate potiantur. Ita tamen, ut viciffim omnia modereris; quatenus nec excubantes continuus labor atterat, nec fegnes iterum rubigo otii fugienda confumat.

FORMULA, QUA MONETA COMMITTITUR.

XXXII.

OMnis quidem utilitas publica fideli debet actione compleri: quia totum vitiofum geritur, ubi confcientiæ puritas non habetur: tamen omnino monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus nofter imprimitur, & generalis utilitas invenitur. Quidnam erit tutum, fi in noftra peccetur effigie; & quam fubjectus corde venerari debet, manu facrilega violare feftinet? Additur, quod venalitas cuncta diffolvit (2), fi victualia metalla vitiantur: quando neceffe eft refpui, quod in mercimoniis corruptum videtur offerri. Quis ergo patiatur unius effe commodum difpendia fcelefta cunctorum, ut deteftabile vitium venire poffit ad pretium? Sit mundum, quod ad formam noftræ Serenitatis adducitur. Claritas Regia nil admittit infectum. Nam fi vultus cujuslibet fincero colore depingitur; multo juftius metallorum puritate Principalis gratia cuftoditur. Auri flamma nulla injuria permixtionis albefcat: argenti color gratia candoris arrideat: æris rubor in nativa qualitate permaneat. Nam fi unum lædere legibus putatur effe damnandum; quid ille mereri poterit, qui in tantam hominum numerofitatem peccaverit? Pondus quin etiam conftitutum denariis præcipimus debere fervari, qui olim tam penfo, quam numero vendebantur: unde verborum vocabula competenter ab origine trahens, compendium & difpendium pulchre vocitavit Antiquitas. Pecunia enim a pecudis tergo nominata, Gallis auctoribus, fine aliquo adhuc figno ad metalla translata eft. Quam non finimus fæculenta permixtione fieri contemptibilem, ne iterum in antiquam cognofcatur redire vilitatem. Proinde te, cujus nobis laudata eft integritas actionis, ab illa Indictione per juge quinquennium monetæ curam habere præcipimus, quam Servius Rex in ære primum impreffiffe perhibetur; ita ut tuo periculo non dubites quæri, fi quid in illa fraudis potuerit inveniri. Nam ficut cafus afperos fubibis, fi quid fortaffe deliqueris; ita irremuneratum non relinquimus, fi te egiffe inculpabiliter fenferimus.

FOR-

(1) Cuj. Cor. Niv. & Gam. *partem*. Ex Garetio.

(2) Gr. Cuj. Niv. & Gam. *diffolvitur*. Ex eodem.

Formula Legatorum Gentium diversarum.

XXXIII.

QUis dubitet utilitatis publicæ intereſſe rationi, ut quibus nos conſtat dona conferre, nullam videantur itineris moleſtiam ſuſtinere: quando nec vobis morarum detrimenta faciunt, & illi ſe bene habitos fuiſſe cognoſcunt? Atque ideo humanitatem ſubter annexam, vel ad equos capitum definitum illius gentis Legatis ſine aliqua tarditate præſtabitis; quatenus ad ſedes ſuas irremunerati non debeant pervenire: quia feſtinantibus gratior eſt celeritas in redeundo, quam quælibet munerum magnitudo.

Formula Evocatoria, quam Princeps dirigit.

XXXIV.

NOn dubitamus ultronea grate ſuſcipi, quæ in locum muneris ſolent poſtulata conferri: quia domini recordatio concedit ſemper augmenta; nec poſſunt eſſe Principis vacua gratificationis judicia. Quapropter ad Comitatum noſtrum juſſis te præſentibus evocamus, ut non mediocri gaudio perfruaris. Et ideo otii delectatione poſtpoſita, ad illam diem, ad Urbem illam devenire propera; ut & tibi aſpectum noſtrum gratum fuiſſe judicemus, cum te feſtinaſſe cognoſcimus. Deſiderat enim Aula noſtra præſentiam bonorum; dum neſcio quo pacto quicquid regali ſapientiæ gratum eſſe cognoſcitur, & divino judicio comprobatur: quia ille, qui corda noſtra regit, ipſe etiam, quid debeamus ſentire, concedit.

Formula Evocatoria, quæ petenti conceditur.

XXXV.

MAnifeſtatio eſt conſcientiæ bonæ, præſentiam juſti Principis expetiiſſe, quam ſolus ille deſiderare poteſt, qui de magna mentis puritate confidit. Aſpectum ſolis niſi clara lumina non requirunt: quia illi tantum poſſunt rutilantes pati radios, quos conſtat oculos habere puriſſimos. Sic præſentiam Principis ambiunt, qui de cordis ſinceritate præſumunt. Hinc eſt, quod veniendi tibi ad Comitatum fiduciam grata mente largimur: ne honor evocationis, qui pro noſtra gloria conſtat inventus, ad injuriam convertatur, dum aliqua fuerit dilatione tardatus. Invitamus quin immo deſideria venientium: quia inde magis creſcimus, ſi viros nobiles noſtris obſequiis aggregemus.

Formula Commeatalis ad tempus.

XXXVI.

NEmo dubitat homines ſua varietate recreari: quia in continuatione rerum magnum mentibus conſtat eſſe faſtidium. Dulcedo mellis, ſi aſſidue ſumatur, horreſcit: ſerena ipſa, quamvis magnopere deſiderentur, jugiter adepta ſordeſcunt; non immerito, quia cum ſit homo commutabilis, naturæ ſuæ deſiderat habere qualitates. Et ideo feſtinanti tibi provinciali oblectatione refoveri, copiam tot menſium in ſupradicta provincia concedimus immorandi (quia pene reclusus advertitur, cui mutare ſolum, liberum non videtur), ita tamen, ut cum promeritas inducias, Domino juvante, tranſegeris, ad urbanas ſedes redire feſtines. Nam ſi tædium eſt continuatim vivere in urbis celebritate, quanto magis in agris diutina tempora peregiſſe? Libenter ergo damus inducias diſcedendi, non ut debeat Roma deſeri, ſed ut magis commendetur abſenti.

Formula Spectabilitatis.

XXXVII.

OPtamus nobis, Deo auxiliante, ſubjectos varia dignitatum prærogativa glorari: deſideramus probabile genus hominum impreſſa gratia dignitatis ornare; ut laudabilius unuſquiſque poſſit vivere, cum ſe honores reverendos cognoverit accepiſſe. Sic enim & ad virtutis ſtudia decenter aſcenditur, & a bonis civibus Reſpubl. plus amatur. Atque ideo te Spectabilitatis nitore decoramus, ut ſententiam tuam in conventibus publicis ſpectandam eſſe cognoſcas, cum inter nobiles decorus aſſederis; ut ſi hæc prædicabili converſatione tractaveris, in futurum præmiis melioribus augearis.

Formula Clarissimatus.

XXXVIII.

COnſtat jucundum eſſe rerum bonarum ſaporem, & utilem ambitum laudis, qui appetitur per augmenta virtutis. Hoc nos ſtudium providæ liberalitatis infundimus; ut major ſit cultus morum, dum creſcunt deſideria præmiorum. Clariſſimatus igitur honorem, ornamenta judicii noſtri, regia tibi largitur auctoritas; quod præbeat & exactæ vitæ teſtimonium, & futuræ proſperitatis polliceatur augmentum. Quapropter nihil jam obſcurum agere patiaris, qui Clariſſimatus dignitate reſplendes. Grande ſiquidem vitæ teſtimonium eſt, non tam clarum, quam clariſſimum dici: quando pene totum de illo optimum creditur, qui tanti fulgoris ſuperlativo nomine vocitatur.

For-

Formula Tuitionis.

XXXIX.

Superfluum quidem videtur, tuitionem ſpecialiter a Principe petere, cujus eſt propoſiti univerſos communiter vindicare. Sed quia ſecuritatem tuam quorundam violentorum execranda temeritas inquietat, non piget dolentium querelis ad hanc partem pietatis adduci; ut quod omnibus præſtare cupimus, ſupplicanti potiſſimum conferamus. Atque ideo diverſorum te, quemadmodum quereris, diſpendiis ſauciatum, in caſtra defenſionis noſtræ clementer excipimus; ut cum adverſariis tuis, non ut hactenus, campeſtri certamine, ſed murali videaris protectione contendere. Ita fiet, ut truculentis viribus preſſus, reddaris auxiliis regalibus exæquatus. Quapropter tuitionem (1) tibi noſtri nominis, quaſi validiſſimam turrem contra inciviles impetus, & conventionalia detrimenta, noſtra concedit auctoritas: ita tamen, ne his præſumptionibus ſublevatus, civile reſpuas præbere reſponſum; & tu videaris inſolens calcare jura publica, quem primitus deteſtanda premebat audacia. Et quia miniſtros efficaces noſtra debet habere præceptio; nec decet Principem loqui, quod non videatur poſſe compleri; præſentis beneficii juſſione, adverſus Gothos illa, adverſus Romanos illa, facile te fides, & diligentia cuſtodivit: quia nemo laborat defendere, niſi qui timetur offendi; dum præſtans dominus fieri formidatur ingratus. Fruere igitur noſtra clementia: beneficio lætare ſuſcepto. Nam ſi ulterius a quoquam ſub incivilitate tentaris, tua de inimicis potius vota complebis.

Formula de Matrimonio confirmando, & Liberis (2) legitime conſtituendis.

XL.

Æternum eſt beneficium, quod poſteritatis fuerit favore collatum; nec plus eſt conveniens Regi, quam ut humanæ præſtet origini. In lucem quippe venturus caſus ſuſcipere non meretur adverſos; ne ante gravamen diſtrictionis incurrat, quam gaudia ſupernæ lucis inveniat. Oblata itaque ſupplicatione depromis, mulierem, quam tibi placitus (3) illigavit amplexus, beneficio noſtro jugali honeſtate debere ſociari; ut ex ea liberi nati nomen nanciſcantur heredum. Nam cum ſpontanea copula animantia cuncta conſociet, dignumque unicuique videatur eſſe, quod placuit; durum eſt libertatem liberam non habere, unde liberi procreantur. Et ideo illam, quæ, ſicut jure præcipitur, honeſtate non fuiſſe probatur æqualis, legitimam tibi fieri cenſemus uxorem; & filios ex eadem conjuge, ſive qui ſuſcepti ſunt, ſive qui ſuſcipiendi, heredum volumus jura ſortiri; ut ſub nulla dubietate diligas, quos tibi abſolute ſucceſſores futuros eſſe cognoſcas. Natura enim tibi præſtitit filios: ſed nos tali ſecuritate facimus eſſe cariſſimos.

Formula Ætatis Veniæ.

XLI.

Glorioſa ſupplicatio eſt, quæ veniam quærit ætatis: quando ſe gravitatem de moribus confitetur accipere, quam maturitatem vitæ adhuc non contigit intuliſſe. Minor naſcendo, grandævus cupis eſſe conſilio. Ita, quod in humanis rebus audaciſſimum eſt, ad erroris auxilium beneficium contemnis annorum. Quapropter oblata ſupplicatione depromis, ut cum tibi ſit ratio firma prudentiæ, actiones tuæ non relinquantur ambiguæ: ne infirmetur jure, quod non poteſt utilitate titubare. Hoc nos, quibus cordi eſt bona deſideria perficere, libenter accipimus: quia nullas ſe captare velle profitetur inſidias, quiſquis habere liberos (4) contractus conſtanter affectat. Atque ideo, ſi id tempus (5) conſtat elapſum, quo ad hanc veniam accedi jura voluerunt, nos quoque probabilibus deſideriis licentiam non negamus; ut in foro com-

(1) *Tuitionem noſtri nominis*, Hæc eſt formula tuitionis, id eſt, ſecuritatis, ἀσφαλείας, de qua Caſſiod. Var. lib. 4. epiſt. 27. in fin. & l. 6. illicitas, §. ne potentiores, D. de offic. præſid. l. 1. §. quies, D. de offic. præf. urb. Exemplum apud Livium, lib. 2. de Thraſybulo. *Forn.*

(2) Vide D. Ambroſium lib. 1. de Abraham, cap. 3. *Juret.*

Liberis legitime conſtituendis. Ergo hæc formula derogat l. 1. C. de natur. lib. qua vetat Conſtantinus id per reſcriptum peti. *Forn.*

(3) Cor. Gam. *placidus*. Ex Garetio.

(4) *Liberos contractus* non habent minores. Vide Caſſiod. Var. lib. 4. epiſt. 9. Inſidias hic, ut illic quoque dolum vocat, l. pen. C. de dolo l. 8. ſi voluntate, C. de reſc. vend. *Dolus ex calliditate atque inſidiis emptoris argui debet. Dolum ex inſidiis perſpicuis probari convenit*, l. pen. C. de dolo: ſed & hac de re apud Caſſiod. Var. epiſt. 35. lib. 4. *Forn.*

(5) Id tempus, nempe in maribus vigeſimi anni metæ, in fœminis octavi & decimi, Conſtantini conſtitutione definiuntur, l. 2. C. de iis qui ven. ætat. impetr. quam ætatem, hic, *acerbam maturitatem*, eleganter vocat, ut Ulpian. in l. 2. verſic. maturius, l. 3. verſ. quaſi ambitioſa, D. de minor. & Philoſtrat. lib. 1. de vita Apollonii Tyaneji videtur aliquando maturius adoleſcentes ſuæ tutelæ fieri ſolitos innuere. Quamobrem prædiorum alienatio non permittitur, ac ne hypotheca quidem immobilium, l. 3. C. eod. unde uſu quoque Gallorum clauſula ſolemnis in concipiendis ejuſmodi codicillis venialibus (vulgo, *bail à gouvernement*) adjicitur, *à la charge de n'aliener les immeubles*. Cujus exceptionis vis hac

competenti ea, quæ in his caufis reverenda legum dictat Antiquitas, folemniter actitentur. Ita ut in alienandis rufticis, vel urbanis prædiis conftitutionum fervetur auctoritas: ne cum opinioni præftare volumus, utilitatem publicam lædere videamur. Cape igitur noftro beneficio potiorem annis ætatem; & quod petis ab oraculo, moribus exhibeto. Nam profeffio maturitatis acerbæ locum denegat actionis: quando multo gravior eft culpa, quam fuæ promiffionis impugnat auctoritas.

Formula Edicti ad Quæstorem, Ut ipfe fpondere debeat, qui Sajonem meretur.

XLII.

Frequenter Sajones, quos a nobis credidimus pia voluntate concedi, querelis maximis cognovimus ingravatos. Corruptum eft (proh dolor) beneficium noftrum, crevitque potius de medicina calamitas; dum ad alios ufus Potentium malignitate translati funt, quam eos noftra remedia tranftulerunt. Unde nobis neceffe fuit remedio falubri votis peftiferis obviare: ne dum pietatis ftudium ad æqualia beneficia trahitur, furreptionum iniquiffima patiamur. Atque ideo edictali programmate definimus, ut quicunque contra violentas infidias propter ineluctabiles neceffitates fuas mereri defiderat fortem Sajonem, officio noftro pœnali fe vinculo cautionis aftringat; ut fi præcepta noftræ juffionis immiffione plectibili Sajus, quem meretur, excefferit, & ipfe pœnæ nomine det auri libras tot, & fatisfacere promittat quæcumque ejus adverfarius potuerit tam commodi, quam itineris fuftinere detrimenta. Nos enim cum reprimere inciviles animos volumus, prægravare innocentiam non debemus. Sajus autem, qui fua voluntate modum præceptionis excefferit, donativis fe noverit exuendum, & gratiæ noftræ (quod eft damnis omnibus gravius) incurrere poffe periculum; nec fibi ulterius effe credendum, fi juffionis noftræ, cujus executor effe debuit, temerator extiterit.

Formula Probatoriæ Chartariorum.

XLIII.

Conftat militiam bene geri, quæ probatis moribus videtur imponi: quando ipfe fecum poteft revolvere, quod Judex eum potuit admonere; maxime cum ad patrimonia divinæ talis domus mereatur accedere, ut cupiditate deteftabili non poffit accendi. Deinde cum fplendidiffimum officium cenforia quadam gravitate reluceat, & turpe fit illis mifceri, qui dignis moribus non poffunt approbari; congruum videtur tales quærere, qui in nullo debeant difplicere. Atque ideo Tribuni Chartariorum (1) fuggeftione comperta, penes quem officii eft digna reverentia, ab illo die Chartarii te volumus nomen adipifci; ut qui nobis bene acturus promitteris, documentis laudabilibus approberis. Avaritiam declina: longius fuge iniqua compendia. Multo melius proficitur, fi bonis moribus ferviatur.

Formula de (2) Competitoribus.

XLIV.

Nefcio quid grande de fe videtur promittere, qui loca defiderat publica poffidere. Hoc enim ita fieri decet, fi res (3) fqualida in meliorem loci faciem transferatur; & revocetur ad ornatum, quod pridem videbatur jacere incultum. Atque ideo defideranti tibi illum locum proprietario jure concedimus, præter æs, aut plumbum, vel marmora; fi tamen ibi fuerint latere comperta. Age itaque, ut per te fumat decorem, quod neglectum incuria vetuftate jacuerat; quatenus boni civis laudem invenire merearis, fi faciem tuæ civitatis ornaveris; fecurus etiam ad pofteros tranfmiffurus, quod proprio fuerit labore compofitum. Quia tanto firmius unufquifque poffidebit, quanto fe, auctorefque fuos amplius expendiffe probaverit.

Formula, qua Census relevetur (4) Ei, qui unam cafam (5) poffidet prægravatam.

XLV.

Cum de agri utilitate vivatur, & omnibus inde certum fit juftum venire compendium, tributum illud poffeffionis in illa provincia conftitutæ ita quereris onerofum, ut univerfas tibi voraverit facultates lacus ille vaftiffimus functionis; & quod aliunde magno labore poteft colligi, per illam vi-

hac quoque formula excipitur, verfic. ita ut in alienandis, &c. Athenis adolefcentes in Lexiarchico commentario relati ac cenfiti fuæ tutelæ efficiebantur, ut fcribit Pollux: tumque iis adminiftrandi patrimonii jus erat. Suidas οἷς ἐξῆν τὰ πατρῷα διοικεῖν. Hujus moris meminit & Æfchines; καὶ κύριος ἐγένετο τῆς οὐσίας. Sed de adolefcentibus ætatis veniam Principis indulgentia confecutis, alio loco certum eft pluribus agere. *Forn.*

(1) Chartarii meminit Caffiod. Var. lib. 9. epift. 3. hujufque mentio fit in veteri infcriptione Nemaufenfi. *Jur.*

(2) Hodie fublata eft competitio, l. 2. C. de petit. bon. fubl. lib. 10. tit. 12. *Forn.*

(3) *Si res fqualida in meliorem loci faciem transferatur*. Intelligit Auctor opera publica, vel quæ ad Rempublicam, vel civitatem pertinent, ut videre eft in l. fi quando, C. de oper. pub. *Broff.*

(4) *Relevetur*. Hodie vetita eft petitio relevationis, vel translationis, vel adærationis, &c. lib. 10. Cod. tit. 28. de collat. donatorum vel relevatorum, &c. *Forn.*

(5) *Cafam*. l. 4. D. de cenfib. & tit. Cod. de cenfit. & peræquat. Novell. 163. Ulpian. Rhet.

videatur aſſumi, cujus utilitatem nimia tranſcendit illatio, dum plus compulſoribus redditur, quam a ſedulo præſtetur. Quapropter credimus te evadere poſſe nuditatem, ſi dominium hujus ruris (1) amiſeris, cui jugis ſterilitas de compulſoribus venit: ne conditione miſerabili ſervias neceſſitati, cujus dominus eſſe meruiſti. Sed quia hoc genus beneficii præſtari mediocribus leges ſacratiſſimæ cenſuerunt, ut qui pro unius ceſpitis enormitate deprimitur, nec alterius commoditate ſublevatur, moderatione habita ei debeat ſubveniri: Magnitudinis noſtræ, cui cordi eſt cogitare juſtitiam, præſenti auctoritate decernimus, ut ſi ita eſt, tot ſolidos tributario ſupradictæ poſſeſſionis, datis præceptionibus ad eos, quorum intereſt, ita faciatis de vaſariis (2) publicis diligenter abradi, ut hujus rei duplatum veſtigium non debeat inveniri: ſed per ſæcula ſine errore ſervetur, quod una communi ſumma concluditur.

FORMULA (3) QUA CONSOBRINA LEGITIMA FIAT UXOR.

XLVI.

INſtitutio divinarum legum humano juri miniſtrat exordium, quando in illis capitibus legitur præceptum, quæ duabus tabulis probantur adſcripta. Sacer enim Moſes divina inſtitutione formatus, Iſraelitico populo inter alia definivit, ut (4) concubitus ſuos a vicinitate pii ſanguinis abſtinerent: ne & ſe in proximitatem redeundo polluerent, & dilatationem providam in genus extraneum non haberent. Hoc prudentes viri ſequentes exemplum, longius pudicam obſervantiam poſteris tranſmiſerunt, referſ

vantes Principi tantum beneficium, conſobrinis nuptiali copulatione jungendis: intelligentes rarius poſſe præſumi, quod a Principe juſſerant poſtulari. Admiramur inventum, & temperiem rerum ſtupenda conſideratione laudamus, hoc ad Principis fuiſſe remiſſum judicium; ut qui populorum mores regebat, ipſe & moderata concupiſcentiæ fræna laxaret. Et ideo ſupplicationum tuarum tenore permoti, ſi tibi illa tantum conſobrini ſanguinis vicinitate conjungitur, nec alio gradu proximior approbaris, matrimonio tuo decernimus eſſe ſociandam, nullamque vobis exinde jubemus fieri quæſtionem: quando & leges noſtra permitti voluntate conſentiunt, & vota veſtra præſentis auctoritatis beneficio firmaverunt. Erunt vobis itaque, Deo favente, poſteri ſolemniter heredes, caſtum matrimonium, glorioſa permixtio: quando quicquid a nobis fieri præcipitur, neceſſe eſt ut non culpis, ſed laudibus applicetur.

FORMULA AD PRÆFECTUM PRÆTORIO, UT SUB DECRETO CURIALI PRÆDIA VENDAT.

XLVII.

PAtitur hoc improvida mortalium plerumque conditio, ut cum lædere putatur, conſulat; & cum conſulere videtur, affligat. Sed illud magis eſt eligendum, quod prodeſſe cognoſcitur. Nam venena (5) ipſa ſi juvare probantur, accepta ſunt. E contra, refugienda eſt ſuavitas mellis, quæ inferre dignoſcitur læſiones. Finis ergo ſapientis eſt, amare quod expedit; ſic nec igitur votum reſpicit, qui prodeſſe contendit. Prædia quidem Curialium non facile diſtrahi

Rhet. in Oratione de male obita legat. ſcribit vacationem a muneribus pauperibus (qui hic mediocres dicuntur) conceſſam fuiſſe, ut rem domeſticam curarent. Baſilii Porphyrog. conſtitutio recenſetur a Cedreno, & lib. 1. Juris Orientalis, qua pauperum, qui minus ſolvendo eſſent, tributum a locupletioribus exigeretur, quod *allilengiam* vocabatur: de quo alias pluribus. Totius autem hujus epiſtolæ argumentum convenit diſputationi, l. 4. D. de cenſib. *Forner*.

(1) Alii, *urbis*.

(2) *Vaſaria publica* hic ſunt archivorum, ac cenſus tabulæ, ut in l. 12. loca, de cenſitoribus, & peræquat. C. Theo. quibus ſingulorum civium facultates deſcribebantur, id eſt, ut Theophili definitionem ſequar, tit. de libert. σκευὴς ἤτοι χάρτης, ἔνθα Ῥωμαῖοι ἀπεγράφοντο τὰς οἰκείας περιουσίας, ἐπὶ τῷ ἐν καιρῷ πολέμου κατὰ μέτρον τῆς ἰδίας ὑποστάσεως ἕκαστον εἰσφέρειν. Alioqui Vaſarium eſt pecunia, quæ publice datur Magiſtratibus in provincias euntibus, ut equos, mulos, vaſa, & ſupellectilem, cæteraque quæ Magiſtratus inſtrumentum implerent, publico ſumptu compararent. Meminit Cic. in Piſon. *Seſtertium centies & octogies, quod quaſi vaſarii nomine, in venditione mei capitis ex ærario tibi tributum Romæ in quæſtu reliquiſti*. Hujus moris idem meminit 2. in Rull. & 5. in Verrem: Sueton. in Auguſto: Lampridius in Alexand. Budæus de aſſe, lib. 3. *Forn.*

(3) Vide S. Auguſtinum de Civit. Dei l. 15. cap. 16. & S. Ambroſium lib. 8. epiſt. 66. *Juret.* Hodie tale reſcriptum jure noſtro prohibetur, l. 1. C. ſi nuptiæ ex reſcripto petantur. *Forn.*

(4) *Ut concubitus*. Ratio vitandarum inter conſobrinos ſeu patrueles nuptiarum: de quo Auguſtin. lib. 15. cap. 16. de Civ. Dei: quas inter conſobrinos jus civile olim permiſerat, l. 23. Uter, in fi. l. ſeq. D. de cond. inſtit. l. pen. de rit. nup. l. 19. celebrandis, C. de nupt. §. duorum, eod. tit. Inſt. Quintilian. procemio, lib. 6. de filii obitu querens: *Te ne Conſulari nuper adeptione ad omnium ſpes honorum patris admotum, te avunculo Prætori generum deſtinatum?* Conſobrinorum nuptias vetuit Theodoſ. d. c. 16. l. 3. C. Theod. de inceſt. nup. Ambroſ. epiſt. 66. & lib. 1. Cod. Theod. ſi nuptiæ ex reſc. pet. Cajus lib. 1. tit. 4. Inſtit. Harmenop. lib. 6. tit. 4. Unde accidit, ut apud Theophil. d. §. duorum, ἐ δύναται quibuſdam exemplaribus legatur, cum ab archetypo Latino abſit negatio. *Forn.*

(5) *Venena juvare*. Veneni verbum medium eſt: *ideoque qui venenum dicit, adjicere debet, an bonum, an malum: nam & medicamenta venena ſunt, quia eo nomine omne continetur, quod adhibitum naturam ejus cui adhibitum eſt, mutat*, l. 236. qui venenum, de verb. ſign. *Forn.*

(1) prudens definivit Antiquitas; ut ad necessitates publicas melius efficerent (2), si substantiæ juvamina plus haberent. Sed in hac iterum parte prospexit, ut si apud vos ineluctabilis necessitas appareret, rerum suarum distractio subveniret. Nam quid prodest, si quispiam videtur idoneus, & fieri non possit a contractis nexibus absolutus? Egenti (3) similis est, qui reddere nequit alienum: nec dici potest proprium, quod liberare dominum non videtur a debito (4). Sed quamvis hoc vestræ potestati fuerit legum auctoritate concessum: tamen, ne quam rarissimi facti sustineretis invidiam, illius municipis allegatione permoti, nos quoque eminentiæ vestræ præsenti jussione permittimus, ut aliquis veritate discussa, si aliter solvi nequeat, distracta ligamina prædii sui, quod propria voluntate delegerit, habeat licentiam distrahendi; ita ut reddat debitum, quod probatur esse contractum; ne vitio voracitatis imbutus, facultates suas absorbere videatur esse permissus. Constet apud vos probabilis causa damnorum: quoniam illis volumus subveniri, qui duris necessitatibus probantur astringi; utrumque enim potest esse culpabile, aut malis moribus fræna laxare, aut justas iterum querelas excludere. Quapropter provide vobis permisit Antiquitas de illa causa decernere, cui est utile Curiam custodire. A quibus enim munia poterunt sustineri, si civitatum nervi (5) passim videantur abscidi?

MAGNI AUR. CASSIODORI

SENATORIS

ALIÆ FORMULÆ.

Ex Var. Lib. 11.

Præmotiones Officii Prætoriani, quæ Natale Domini fiunt.

SI hodierno die Redemptionis invenimus vitale remedium: si cœlesti beneficio panditur spes salutis: convenit etiam nos longo labore fatigatis gaudii deferre medicinam, ut superna bona, quæ periclitanti mundo collata sunt, generaliter sentiantur. Alioqui piaculum quoddam est, inter tristes velle gaudere; & humanitatis refugit affectum, qui dolorem non sequitur alienum. Contra, quanto se melius excitat de communione lætitia? Quantum incitamentum magnæ alacritatis est, plurimos videre gaudentes? Hinc est, quod sapientes mortale genus unum hominem esse testati sunt: quoniam omnes a cunctis casibus suis indivisos esse voluerunt. Quapropter unusquisque juxta matriculæ seriem tua designatione vulgetur; ut quem loci ordo postulat, gradus promotionis accedat. Egrediatur unus, ut anteponat universos. Totam sequentium seriem ad provectum trahit, dum prior militiam perfunctus exierit.

De Corniculario, qui egreditur.

AMplectenda est promotionum grata solemnitas, quæ benemeritorum solvit excubias: quia tironibus conceditur spes laboris,

---

(1) *Distrahi*. Decurionum seu Curialium prædia sine decreto & causæ cognitione alienare non licuit, tit. 33, lib. 10. Cod. Noster Cassiodorus Var. lib. 9. epist. 2. *Prædia*, inquit, *Curialium, unde maxime mediocribus parantur insidiæ, nullus illicita emptione pervadat: quia contractus dici non potest, nisi qui de legibus venit*. Justian. Novell. 101. Causa prohibitionis subiungitur, *ut ad necessitates publicas melius sufficerent*; sic enim emendandum censeo, cum prius perperam scriberetur, *efficerent, si substantiæ juvamina plus haberent*. Forn.

(2) Gr. & Cuj. *sufficerent*.

(3) *Egenti similis*. *Bona etenim cujusque intelliguntur, quæ deducto ære alieno supersunt*, l. Subsignatum, de verb. sign. l. 72. Mulier, de iur. dot. l. 11. non possunt, de jur. fisc. l. 69. Usufruct. D. ad l. Falcid. Quintil. declam. 233. Harpocrat. in dict. ἐνεπίσκημμα. *Forn.*

(4) Alii, *additum*; alii, *addictum*.

Additum, In veteri quidem manusc. legitur, *a debito*, quod antequam consuluissem, *addictum* ipse emendaram; an rectius, alii viderint; mihi certe non omnino conjectura displicebat: & *liberare dominum addictum*, tanquam opposito relata accipiebam, quando is qui debet, creditori obnoxius est, ὑπεύθυνος, ut & Gordianus ait, quasi cliens, l. 3. C. de Novat. *Forn.*

(5) *Nervi*. Curiales, nervi civitatum epist. 2. Var. lib. 9. & in Maioriani Novell. ubi non *servos*, sed *nervos* legendum. Novell. 5. *Forn.*

boris, dum viciſſitudo fuerit reddita veteranis. Et ideo Antianum, qui Prætorianis inculpabiliter paruiſſe perhibetur obſequiis, inter Tribunos & Notarios ad adorandos aſpectus properet Principales; ut juxta conſuetudinem præſentatus, Spectabilitatis decoretur inſignibus.

De Corniculario, qui accedit.

OPtatus ad optata perveniens, ſui nominis ſortiatur effectum. Et ideo ſupradictum, aſſiduis laboribus comprobatum, Corniculariorum ſumere cenſemus officium; ut jure inter Primates aſſiſtat, qui tironum inculpabiliter egit excubias.

De Primiscrinio, qui egreditur.

OLim quidem efficaciter peragens imperata, meruiſti multorum bona judicia: ſed nunc & divino favore commendatus erigeris, quando militiæ laboribus perfunctus eſſe monſtraris. Quapropter Spectabilitatis honore ſuffultus, inter Tribunos, & Notarios venerandam purpuram (1) adoraturus accede; ut per ſacros aſpectus Principis tuæ ſubſiſtat firmitas dignitatis.

De Primiscrinio, qui accedit.

DIfferri non patimur merita fidelium; ut ad ſtudia bonorum actuum provocemus vota cunctorum. Demus igitur quæ ſunt juſta laboribus; ut provectu priorum invitemus corda ſequentium. Atque ideo Andreas, qui Prætorianis faſcibus inculpabiliter noſcitur obſequutus, gradum feliciter Primiſcriniatus aſcendat; ut locum, quem verſutia neſcivit exquirere, ſe gaudeat probis moribus inveniſſe.

De Scriniario Actorum.

JUſte potentiora conſequitur, qui de commiſſa ſibi negotii perfectione laudatur. Et ideo Catellum, quem matriculæ ſeries fecit accedere, noſtra auctoritas quoque actorum Scriniarii curam præcipit obtinere.

De Cura Epistolarum.

COnſtantiniani merita licet plures aſſerant, adſtipulatio quoque noſtra commendat. Tanta eſt etenim in eo ſinceritas mentis, ut &, judice teſte, mereatur laudari. Hic itaque Epiſtolarum Canonicarum Curam provectus accipiat; ut amplius momenta ſuæ integritatis exhibeat, quando fidem publicam ſibi reſpicit eſſe commiſſam.

De Scriniario Curæ Militaris.

COnvenienter honoris præſtat augmentum probitas actionis; nec decet differri, quem frequenter (2) efficacem contigit approbari. Hinc eſt, quod Lucillum Scriniarium Curæ Militaris eſſe præcipimus: exhibiturus obſequium, cui merito non dubitat attributum.

De Primicerio Exceptorum.

DEcet nos incunctanter tribuere promotionis aſcenſus, quos labor militiæ meretur aſſiduus. Sicut enim æquum eſt, deſidioſis laborantium præmia denegare; ita convenit excubantibus remunerationis optata concedere. Et ideo Patricius Exceptorum Primicerium ſe a nobis noverit inſtitutum; ut ad tale perductus officium, placuiſſe ſuarum merita gaudeat actionum.

De Sexto Scholario.

DIgnus eſt noſtro judicio promoveri, qui a multis Præſulibus meruit approbari. Uni enim acceptum fuiſſe, interdum gratia eſt: multis placuiſſe, judicium. Juſtus igitur locum Sexti Scholaris ſe noverit conſecutum, inventurus militiæ præmium, cum ſe actibus ſtuduerit ſociare fidelibus.

De Prærogativario.

QUis Joannem non æſtimet merito eſſe promovendum, qui noſtro judicio Cancellorum olim ſumpſerit officium; & tunc jam prærogativam conſcientiæ meruit, quando ſecreti munus judicialis accepit? Fruatur itaque gaudio & ordinis & honoris, qui moribus noſcitur placuiſſe laudatis. Hunc igitur prærogativarium ſententia noſtra confirmat, ut gradus potius emeriti devotioribus animis publice pareat juſſioni.

De Commentariensi.

JUvat benemeritorum votis beneficiis reſpondere vicariis; ut devotiore mente poſſit obſequi, qui meruit anteferri. Quapropter Cheliodorus Commentarienſium fruatur officio, Digne ſiquidem ejus integritati committimus, quæ cuſtodienda eſſe cenſemus.

De Regendario.

ÆQuitati videtur accommodum, ſi efficaci actione laudatis digna moribus viciſſitudo præſtetur. Habet enim ſuam gloriam, qui penſatis excubiis ad militarem (3) noſcitur promoveri fortunam. Hinc eſt, quod Cartherium Regendarii locum feliciter obtinere cenſemus; ut ſpe futuri provectus, avidius Prætorianis poſſit inhærere laboribus.

(1) *Venerandam purpuram adoraturus accede*. Pro intellectu hujus loci, vide quæ notavi infra. *Broſſ.*

(2) Ed. *decenter*. Ex Garetio.
(3) Ac. *ad mil. . . . . pervenire*.

De Primicerio Deputatorum, et de Primicerio Augustalium.

DIgnum eſt, ut ſequatur vota fidelium fructus laborum, & ſuperior gradus excipiat, quos geſtarum rerum integritas effecta commendat. Hinc eſt, quod Urſum Primicerium Deputatorum, atque Beatum Auguſtalium eſſe cenſemus; ut qui ad majora provecti videntur officia, prædicanda conſcientiæ ſequantur exempla.

De Primicerio Singulariorum, qui egreditur.

DEcet palmæ præmia conſequi, qui ſacramentis militaribus videntur eſſe perfuncti: quia diutinus labor ſibi vendicat, quod inexperta vix poteſt invenire nobilitas. Et ideo, quoniam Urbicus Primiceriatus ſui noſcitur tempora peregiſſe, inter (1) Domeſticos & Protectores ſacram purpuram adoraturus accedat; ut venerandis clarificatus aſpectibus, militaribus excubiis ſe gaudeat liberatum.

De Primicerio Singulariorum, qui accedit.

ADeſt militaribus obſequiis integritas judicantis: quia gratanter exolvit, quod deberi juſte cognoſcit. Quapropter Pierius Primicerium Singulariorum ſe noſtra auctoritate cognoſcat effectum. Si qua ſunt talia, fiducialiter ſuggerantur: quia non eſt hæſitationis metus, ubi (2) non eſt Judicis venalis auditus.

De concedendis Delegatoriis.

MOras (3) intercipit, quem præſtandi conſuetudo conſtringit: quia plus ille ad beneficia compellitur, qui innata benevolentia commovetur. Neque enim decet, ut noſtrorum factorum diſſimiles eſſe debeamus: dum oporteat creſcere numeroſitate remedii, cui adminiſtrationis tempora videntur augeri. Et ideo de præſenti vobis Delegatorios noſtra largitur humanitas; ut tunc habeatis commoda præmii, quando eſtis & ſudoris terminum conſecuti. Non vos anxia mora ſuſpendimus, nec cruciabili dilatione fatigamus. Unus ſit finis ſollicitudinis, & laboris. Nam differendum quis putet, ſi beneficia ſua vendere non retractet?

Antiano suggerente dictum est.

PEtitionem tuam retinebit officium, donec conſenſum ſequentium, dum facultas fuerit, inquiramus; quia uni incaute creditur, quod eſt a plurimis aſſerendum. Ite omnes provecti. Eſtote cuncti feliciter approbati. Nil ſuſtinuiſtis dubium, dum omne judicium habeatur incertum. Sola nos alpha complectitur, ubi ea littera non timetur. Sic enim unuſquiſque proprio uſus eſt voto, tamquam de alieno non pependiſſet arbitrio.

Delegatoria.

SI Olympiaci currus agitator rapit præmia poſt labores; ſi ferarum certamen inhoneſtum velociter ſolet coronare victores: quam celeritatem remunerationis merebitur, a quo laudabiliter militiæ ſacramenta peraguntur? Cur enim agentium in rebus miles officii poſt tot laboris incerta aliquid patiatur ambiguum; qui crebris actionibus excubando, ideo Principis nomen habere promeruit, quia militiæ ſacramentis cæteros antecellit? Obſervabit enim jugiter Imperialibus juſſis; & ut reverentiam Prætorianæ ſedis extolleret (4), tunc ad ejus venit obſequium, quando vocabulum cœpit habere præcipuum. Tales ergo tardare, piaculum eſt: quia poſt palmam nemo dilatus eſt.

---

(1) *Inter Domeſticos & Protectores ſacram purpuram adoraturus accedat*. " Differentiam eſſe inter Domeſticos, & Protectores conſtat. Nam hi armatam militiam ſubeuntes, non ſolum defendendi corporis ſui, verum etiam protegendi lateris noſtri ſollicitudinem patiuntur: unde etiam Protectorum nomen ſortiti ſunt, & ſunt in acie. Alii, ut indicio nominis apparet, familiarius militant, & ſunt domeſtici Protectores. Sed ex iis alii fuere pedites, alii equites, alii Comites domeſticorum equitum, alii Comites domeſticorum peditum: viri illuſtres, a quibus domeſtici regebantur, cum eis licitum erat attingere, ac adorare purpuram Principis. " l. 2. C. de fabricenſ. l. 1. C. de domeſticis. „ In ſalutandis etiam & oſculandis Vicariis Præfect. Prætorio, ac multo magis Præſidibus admittantur; quæ omnia ſummi honoris loco tribuuntur: „ & ſic in l. 109. C. Theod. de decur. *Oſculum his in provincia judicantium, & conſeſſus indultus ſit*. Broſſ.

(2) *Ubi non eſt Judicis venalis auditus*. Merito quis addubitet, num rectius aliquanto legatur, *aditus*, arg. l. 1. Cod. Theod. de off. rect. provinc. *Non ſit venale judicis velum, non ingreſſus redemptio*. Tullius in Verrem: *ut adeas, tantum dabis*. Salvianus Maſſilienſis lib. 3. de providentia: *Intra januas non modo illuſtrium, ſed etiam Præſidum aut Præpoſitorum non omnes paſſim intrare præſumunt, niſi quos aut Judex vocaverit, aut negotium traxerit, aut ipſa honoris proprii dignitas introire permiſerit: ita ut ſi quiſpiam ingreſſus inſolenter fuerit, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundia, atque exiſtimationis ſuæ labe mulctetur*. Valentin. & Valens Impp. *apertis foribus intro vocatis omnibus*, &c. l. 2. C. Theod. de off. Rect. provinc. l. 9. quiſquis, Cod. Theod. de hæretic. *aperiat forum*, &c. Nolim tamen ab antiqua & edita lectione *auditus*, facile recedere. Nam aures præbere dicitur Judex, Martian. Novell. 1. lib. 3. neminem exhiberi de provinc. *integras adeuntibus aures præbere*. Contra, *aures obſeratæ*, Valer. Maxim. lib. 7. cap. 3. *Forner*.

(3) MS. *horas*. Ex Gar.

(4) Ac. *excelleret*.

est. Votivum non potest dici, quod tristis suscipit. Gravamina nulla metuant absoluti: ne portus hoc ingerat liberis, quod facere potuit procella vexatis. Quapropter experientia tua de illa provincia, ex illatione tertia, fiscalium tributorum solidos, quos Principi Augustorum (1) provida deputavit Antiquitas, sine aliqua dilatione persolvat, quos noveris tertiædecimæ (2) Indictionis rationibus imputandos. Sed cave venales (3) moras; declina damnosa fastidia; ut qui desideras similia consequi, exemplum tibi non videaris intulisse dispendii. Quapropter poscentem ratione (4) submoveas, si te actionis tuæ qualitate constringas (5). Honorabiles quidem a cunctis habendi sunt Veterani; sed ab his maximè, qui militiæ labore detinentur. Tibi ergo præstas, quod parcis alteri: quando indemnitas prioris lucrum potius fit sequentis.

INDULGENTIA. (6)

Senator multos in carceribus detentos pietate ductus liberat.

QUamvis nomen ipsum Judicis dicatum videatur esse justitiæ, & totius anni orbitam æquitatis jubeamur ambulare vestigiis: his tamen diebus in domicilium pietatis jure deflectimus; ut ad Redemptorem omnium remissionis itinere pervenire possimus. Ex hac enim virtute suavissimos fructus legimus, & remittendo aliis nobis parcimus. Nam qui (7) periculose justi sumus, sub securitate semper ignoscimus. Quapropter pœnas abdicamus, tormenta damnamus, & tunc vere Judices sumus. Macte Indulgentia quæ solvis & præsul es. Tu patrona humani generis: tu afflictis rebus medica (8) singularis. Quis tuo non egeat munere, cum sit peccare commune? Ab universis necessario peteris: quando sub te spes vitæ sumitur, quæ sub justitia non habetur. Nam dum tribus aliis sororibus cœlesti gratia perfruaris, & amabili amplexatione nectamini, omnes tibi (quamvis & ipsæ virtutes sint) honorabiliter cedunt, quando te humano generi salutiferam esse cognoscunt. Sed quid tantum de terrena conversatione dicamus? Pietas est, quæ regit & cælos. O si tecum liceret longis temporibus habitare! Totus excluderetur reatus; & parcendo fieret, ut Parcæ (9) tollerentur. Sed providentissime tanta res sacris solum temporibus videtur esse concessa; ut gratius mundus acciperet, unde pro rerum novitate gauderet. Quapropter abstine noxiam lictor securim, cui licet impune facere, quod in aliis cognosceris vindicare: ama paulisper ferrum splendidum, non cruentum. Catenas tuas lacrymis madidas felicior rubigo suscipiat: illud potius reconde, quod solebat includere. Auditoria feralium vocum meliore sorte mutescant. Sit revera nomen custodis, sine mortibus alienis. Quid semper Inferis laboras? Aliquando & Superis milita. Otium tibi clemens actus indicit. Qui justitiæ inexorabili excubat, necesse est, ut eum pietas benigna discingat. Et ideo cella (10) gemituum, tristitiæ domus, apud Superos Plutonis hospitium, locus perpetua nocte cæcatus, tandem infusione lucis albescat, in quo non unum tormentum sustinet reus, qui antequam incurrat necis exitus, a Supernis probatur abscissus. Primum pædor ille, collega catenarum, abominabili mœrore discruciat: auditum alieni gemitus, & lamenta conturbant: gustum jejunia longa debilitant: tactum pondera (11) prementia defatigant: lumina diutinis tenebris obtusa torpescunt. Non est unum clausis exitium: multifaria morte perimitur, qui carceris squalore torquetur. Nunc ergo reos de Averno tuo victuros emitte: redeant ad Superos, qui ex magna parte Inferos pertulerunt: atria tua vacui-

(1) Id est, *agentium in rebus*. Ex Gar.
(2) *Anno Christi* 535. Ex eod.
(3) *Cave venales moras*. *Venalem dilationem* apud Cassiod. Var. lib. 11. epist. 7. *Venalitas studii*, Majoriani Novell. 7. de bon. caduc. *Forn.*
(4) Gr. *ne*.
(5) Ac. *constringat*.
(6) *Indulgentia*. Exstat Cod. Theod. lib. 9. tit. 39. de indulgentiis. Hic autem propter sancti Paschatis diei lætitiam, & l. 3. 4. 6. Cod. Theod. Religio anniversariæ obsecrationis vocatur, l. 7. & ob Rempub. tyrannide liberatam, l. ult. sed & ob partum Crispi & Helenæ Constantinus indulsit, l. 1. eod. tit. *Forn.*
(7) *Qui periculose justi sumus, sub securitate semper ignoscimus*. Ait Plutarchus justitiam virginem incorruptam, pudicam seu verecundam, temperantem ac utilem esse oportere. Præterea justitiæ comitem pudicitiam assignat Juven. lib. 2. Satyr. hoc est verecundiam, quasi timere debeat Princeps, qui justus est & politicus, non ut accipiat, sed ut inferat aliquod subditis malum, incommodum, injuriam. Verecundia itaque justitiæ comes dicitur, quasi vereri ac metuere Principem oporteat, ne cui subditorum temere falsa ex causa, & contra jus pœnam infligat; præsertim cum sub securitate etiam ignoscatur, & justus esse nisi periculose nemo possit. *Bross.*
(8) Ed. *medicina*. Ex Gar.
(9) Alii, *parce tolleretur*. Ex eod.
(10) *Cella gemituum*, &c. Carcer in media primum urbe, foro imminens, ædificatus est, ut testatur Livius: in quo barathrum fuit, quo ad ultimum supplicium sontes damnati detrudebantur, quod Tullianum nuncupabatur: qua de re vide Dion. lib. 46. *Est locus*, inquit Sallustius, *in carcere, qui Tullianus appellatur, ubi paululum ascenderis, ad lævam circiter* 12. *pedes humi depressus; eum muniunt undique parietes; atque insuper camera lapideis fornicibus juncta, sed inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis ejus facies est*. Broff.
(11) *Tactum pondera*. De his lib. 3. C. Theod. de Exact. & apud Aul. Gel. lib. 20. c. 1. Alia erant pondera lapidum, quibus aggravati Martyres erant, ut ait Baron. in diem 16. Sept. in Martyr. Rom. *Juret.*

cuitatibus impleantur. Locus ille perennium lacrymarum quondam triftes incolas perdat. Non funt inde, qui læti funt: qui tunc profecto habebit gratiam, fi defertus appareat. Exite inclufi, vicina morte femper pallentes: redite ad lucem, quos caligantes tenebræ poffidebant: nihil amplius optata morte pafluri, nifi quod adhuc poteratis occidi. Sed vos, qui nulla debetis ambitione jam decipi, delicta relinquite cum catenis, dierum beneficiis abfoluti. Vivite nunc honefte, qui didiciftis fuperftites mori. Cognofcite, quam beneficialis fit bona converfatio; altera contulit teterrimum carcerem; hæc novit fplendidam tribuere libertatem: ifta præftabit, ut velitis vivere; illa dedit, ut eligeretis jam perire. Si leges aftringunt, ulterius vos nullus includit. Secreta pavefcite: ad forum fine trepidatione venite. Illa jufte refugitis, per quæ triftia pertuliftis. Mirentur vos liberos, qui viderunt reos. Odiffe debetis, quod vos tradidit neci. Pecora ipfa vitare norunt, quæ fe læfiffe cognofcunt: itinera illa non repetunt, ubi in foveam corruerunt. Tenaces laqueos avis capta declinat: hærentem vifcum alis fufpecta non infidet. Pifceus lupus arenis fe mollibus, ut plumbati lini infidias evadat, immergit: cujus ut fuperducta retia ejus tergum fruftra diraferint, alacer in undas exilit, & vitati periculi gaudia liberatus agnofcit. Scarus efca pellectus, cum junceum carcerem cœperit introire, mox ut fe ad exitium fuum invitatum fuiffe cognoverit, in caudam labitur, paulatim fe ab angufto fubducens. Quem fi alter ejufdem generis cognoverit irretitum, extrema ejus mordicus trahit; ut qui fibi captus non poteft fubvenire, alterius folatio probetur evadere. Sic & Sauri argutum pifcium genus, a velocitate nominati, cum fe in infidias nexuofas impulerint, quafi quibufdam funibus æquabiliter illigati, totis nifibus trahentes retrorfum, focios conantur liberare captivos. Plura funt, fi talia perquirantur. Omnia enim, quæ poffunt habere contraria, facilis cafus abfumeret, fi curam falutis propriæ non haberent. Ad te clauftrorum magiftrum verba revocemus. Patere pœnale fecretarium tuum innocenter effe fecretum. Torqueris quidem, quod nullus affligitur: a communibus gaudiis mœftus exciperis, dum tibi foli non parcitur venia generali, lividæ invidiæ comparandus. Suftine de omnium fecuritate jacturam, qui habuifti de multorum afflictione lætitiam. Sed ut tuos quoque gemitus confolemur, illos tibi tantummodo vendica, quos lex pietatis gratia non relaxat: ne cum truculentis parceret, afperrima facinora levigaret. Solvamus ergo cuncta, fæcularibus actibus implicati. Patitur omnis homo periculofos nexus, quos feftinat evadere. Clauftra reos dimittant: nos vincula improbæ cogitationis abfolvant.



L E-

LEGES
LANGOBARDICÆ
JUXTA REGUM SERIEM ORDINATÆ,

Quibus interſperſæ ſunt FORMULÆ VETERES,

Cum Notis Ludovici Antonii Muratorii, aliiſque depromptis ex Editionibus concinnatis a Jo. Baſilio Heroldo, & a Friderico Lindenbrogio.

ACCEDUNT
ELENCHUS CAPITULARIS LANGOBARDICI,

CAPITULARIA PRINCIPUM BENEVENTI

Cum Notis Camilli Peregrinii, & Franciſci M. Pratilli,

FORMULÆ QUÆDAM RITUALES,

Et Gloſſariola duo ex Hugone Grotio.

IN LEGES

LANGOBARDICAS

MONITUM COLLECTORIS.

QUod in Præfatione jam monui, antiquos Germanos Leges ſcriptas minime habuiſſe, id in Langobardorum gente obtinuit ad ſæculum uſque Chriſtiani nominis ſeptimum, & per ſeptuaginta circiter annos ab ejus in Italiam adventu; quæ ſcriptis legibus carens, orali tantum traditione notis, uſuque ſervatis juri dicundo utebatur.

Primus omnium Rotharis Rex anno DCXXXVIII., ſeu, ut aliis placet, anno DCXLIII. *Langobardorum Leges*, (verba ſunt Pauli (1) Diaconi) *quas ſola memoria & uſu retinebant, ſcriptorum ſerie compoſuit, codicemque ipſum Edictum appellari præcepit*. Magni ſane pretii Edictum, quod remotioris Barbaricæ Antiquitatis leges ac conſuetudines referat, cum Rex non modo novas condiderit, ſed præcipue ſcripto redegerit *Leges antiquas patrum, quæ ſcriptæ non erant*, uti & legitur in ejuſdem Edicti Epilogo, quem Cl. Muratorius evulgavit.

Alia exinde plura Edicta, ſeu legum faſciculos Edicto Rotharis adnexuit Liutprandus Rex; paucas autem leges in Edictis ſuis adjunxerunt Grimoaldus, Rachis, Aiſtulphus, tres dulciſſimæ mihi memoriæ Reges, Patria Forojulienſes, ex qua ego ortum duco. Quinque ergo Regum, quos memoravi, Edicta, genuinum ac proprie dictum Legum Langobardicarum Codicem conſtituunt.

Quem Codicem attente legentibus, inter rudia quædam moribus, atque inſtituto gentis accommoda, intima Legiſlatorum ſapientia belle eluceſcit, & aurea ſimplicitas, legum interpres præclara, atque earum æquitatis teſtis aperta. De his ſane æquiſſimum tulit judicium doctiſſimus Gallus Præſes de Monteſquieu, judex, ſi quis unquam, idoneus, ſtudioque partium minime ſuſpectus; dum ait (2): *Les Loix de Gondebaud pour les Bourguignons paroiſſent aſſez judicieuſes; celles de Rotharis, & des autres Princes Lombards le ſont encore plus.*

Carolus autem Magnus, poſtquam Langobardico Regno potitus eſt, aliique plures Auguſti & Reges, qui ſubinde Italiæ ſceptrum tenuere, tam multas leges legibus Langobardorum Regum addiderunt, ut Codex Langobardicus in duplum fere volumen excreverit. Hiſce porro legibus potior populorum Regni Italici pars regebatur.

Potiorem dixi, non omnem. Ita enim res ſe habebat, ut quoad plura Juris objecta quiſque eam ſequeretur legem, quam ex propria natione, vel aliis etiam de cauſis profitebatur. Hinc ex antiquis monumentis (3) colligitur, obſervatas quoque in Italico Regno fuiſſe Leges Francorum, ſeu Salicam, Ripuariorum, Alamannorum, Baivariorum. Adde & Legem Romanam, qua vivebant Eccleſiaſtici, & plures præſertim ex veteribus Italiæ incolis, queis ab antiquis etiam Langobardis Regibus *Romana lege* vivere permiſſum fuerat. Sex ergo certe Leges in Regno Italico obtinebant.

Sed ut ad Langobardicas Leges revertamur; prodibant hæ jampridem diſpoſitæ

---

(1) Lib. 4. c. 44.
(2) *Eſprit des Loix*, lib. 28. art. 1.
(3) Vide Murat. Antiq. Medii Ævi, Diſſ. 22.

sitæ juxta Chronotaxin Regum. & Augustorum, a quibus latæ fuerant, ita tamen ut quinque Regum Langobardorum leges separatum, ac veluti primigenium Codicem constituerent (1), ordine usui forensi non satis congruo, ut nemo non videt. Fuit ergo, qui illas per varios legales titulos tribus distinctos libris distributas in unum Capitulare digessit, singulis legibus præposito nomine Regis, vel Augusti, a quibus latæ fuerant. Nova hæc dispositio à nonnullis tribuitur Petro Diacono Cassinensi, qui ante dimidium sæculum XII. Lothario II. Augusto imperante florebat. At quisquis fuerit Auctor, Capitulare certe recens non est, cum in libris Feudorum (2) Leges Langobardicæ ex illo allegatæ inveniantur, atque in illud Commentaria ediderit Carolus Cottus Siculus, Doctor antiquus, quem Lindenbrogius, qui Codicem legum antiquarum anno MDCXIII. edidit, quadringentis annis ante id tempus floruisse scribit. (3)

Quanquam propitia omnino Minerva opus non processerit, felicissimo tamen eventu exceptum est; & priori Collectione posthabita, avide Capitulare amplexata est Italia, atque ex eo subinde exarati Codices, allegatæ leges; adeo ut ante Muratorium, quotquot Langobardicas Leges typis ediderunt, Capitulare ipsum evulgaverint, uno (quod ego sciam) excepto Heroldo, qui leges Regum Langobardorum, more veteri, prout a singulis Regibus prodierant, ordinatas dedit.

At Muratorius noster, Palatinis Mediolanensibus Sociis adjutrices manus ferentibus, Codicem integrum antiquæ formæ restituit; ope duorum optimæ notæ Exemplarium, ex quibus alterum in Bibliotheca Estensi asservatur, alterum in suo Tabulario custodiunt Mutinensis Ecclesiæ Canonici. Codices quoque duo, qui in Ambrosiana Bibliotheca existunt, non modicum tanto Operi subsidium præstiterunt.

Leges ergo Langobardicas expressit Vir Clarissimus (4) ex editione anni MDCLXXIV., quæ habetur in Collectione Consuetudinum, & Legum Imperialium Goldasti; sed ad fidem præfatorum Codicum, illas ad Regum, & Augustorum, e quibus prodierant, chronologicam seriem ordinavit, & ope notarum & variantium lectionum, quantum fieri potuit, genuinæ lectioni restituit, atque erudite illustravit. Et quod maximi faciendum est, plures in vulgato Capitulari non extantes leges suis locis addidit, Prologos præfixit, Epilogos subjunxit, veteres quosdam titulos apposuit, glossas, formulasque interspersit, quibus causarum patroni Jus Langobardicum professi in re forensi utebantur; pretiosas antiquitatis reliquias, quæ in Capitulari frustra quæruntur. Hinc Muratoriana editio cæteras longe post se reliquit, & a Cl. Heineccio (5), magno illo legalium rerum æstimatore, talis censetur, *ut nihil hac quidem reperiri possit perfectius*.

Illud autem in summo viro omnino probare non possum, quod cum ipsemet palmam dare videatur Lindenbrogianæ editioni, uti cæteris magis correctæ & castigatæ; hac tamen prætermissa, exprimendis legibus aliam selegerit, quæ pluribus scatet mendis. Ut quod sentio sincere fatear, quantum ex ejus notis conjicere potui, suspicor Muratorium vel præ oculis non habuisse Lindenbrogianum Codicem legum antiquarum, aut certe non satis evolvisse.

Ego igitur Muratorianam collectionem ex integro edens, id tantum egi, ut legum textum, quem ipse ex Goldasto protulit, in Lindenbrogianum immutarem. Exemplo præivit mihi diligentissimus vir Petrus Georgisch, qui in Corpore Juris Germanici antiqui Langobardicas leges edidit quidem, eo prorsus ordine, quo a Muratorio exhibentur; at non satis emendato textui emendatiorem suffecit.

Hinc & e Muratorii notis quasdam variantes lectiones expungere coactus sum, quæ a Lindenbrogiano Textu vel nullam omnino, vel nullius pæne momenti di-

(1) Mur. loc. cit.
(2) Lib. 1. tit. 10. Lib. 2. tit. 22. 58.
(3) Præf. ad Cod. legg. antiq.
(4) Rer. Ital. Script. Tom. 1. p. 2.
(5) Hist. Juris lib. 2. n. 28.

ti diverſitatem referunt; plures vero quam par erat intactas reliqui, Auctori ipſi inhærens, qui forte nimis exacte, ne dicam ſcrupuloſe, variantia quandoque notavit. Parva autem quæ ſuſtuli, non abſque fœnore rependo, variis lectionibus, & caſtigationibus Lindenbrogii in calce Legum appoſitis. Præcipua quoque variantia, quæ in Heroldina celebri editione occurrunt, ad operis complementum ſuperaddere neceſſe fuit, ut & Muratorius in fronte ſui Codicis ſuperaddidit; quippe quæ digniſſima ſunt ut conſulantur, cum & Leges, & Prologos, & Epilogos, & Legum titulos tradant, quæ in ipſa elaboratiſſima Muratoriana collectione deſiderantur.

Hiſce peractis, Capitulare vulgatum oblivioni relinquendum non eſt, quod Juris præſertim ſtudioſis utilius & commodius eſſe dignoſcitur, cum leges juxta juriſprudentiæ argumenta digeſtas prodat; legibus quoque reperiundis apprime neceſſarium, eo quod ex ipſo Capitulari a Scriptoribus allegari conſueverint. Et ſane Cl. Georgio Eccardo mens inerat poſt Leges juxta Regum ſeriem ordinatas, vulgatum quoque Capitulare edere; ut colligitur ex ejus Elencho, de quo in Præfatione hujus Operis verba feci. Sed ex integro leges repetere, eſſet crambem recoquere, & collectionem noſtram onerare potius quam ornare. Satius ergo viſum eſt, Capitularis titulos, & leges, quæ ad illos pertinent, in Elencho exhibere, & locum quem in Muratorii editione ſingula occupant, indicare; adeo ut Elenchus ipſe indicis modo, atque repertorii vices ſuppleat. Per numeros autem & per initialia verba leges indigitari curavi, eo quod a recentioribus quidem per numeros allegari ſoleant, in libris vero Feudorum, aliiſque veteribus per initialia verba citarentur.

Pauca nunc de Capitularibus Principum Beneventi, quæ veluti Legum Langobardicarum appendices, cum his locum ſibi vindicant potiſſimo jure, cum a Langobardæ Gentis Principibus juribus ſummæ poteſtatis gaudentibus prodierint.

Poſtquam enim Carolus Magnus, pulſo Deſiderio Rege, ejuſque filio Adelchi, Langobardorum thronum conſcendiſſet, Arechis (1) Beneventi Dux, qui Adelbergam Deſiderii filiam uxorem duxerat, atque ampliſſimo Ducatui & Marchiæ Præfectus erat, *Principis* nomen aſſumpſit & majeſtatis inſignia. Ita ſane Erchempertus teſte Leone Oſtienſi (2): *Hic Arichis primus Beneventi Principem ſe appellari juſſit, quum uſque ad illum, qui Benevento præfuerant, Duces appellarentur. Nam & ab Epiſcopis ungi ſe fecit, & Coronam ſibi impoſuit, atque in ſuis Chartis* " Scriptum in Sacratiſſimo noſtro Palatio," *in finem ſcribi præcepit.* Exinde vero Beneventi Principes tenuiſſimo nexu Regibus Italiæ per longa tempora obſtricti ſunt, eoque nexu minime perpetuo, cum prout res eorum poſtularent, vel Græcis inhærerent Auguſtis, vel Autocratiam profiterentur. Cæterum neque in eorum auguratione Auguſtorum, Regumque Italiæ expectabant aſſenſum, Principatus annos more Regum in diplomatibus numerabant, GENTIS LANGOBARDORUM PRINCIPES ſeſe inſcribebant, pareſque exercebant actus, qui ſupremum veluti Imperium commonſtrabant. Ipſi Italiæ Reges leges promulgantes, ac Privilegia largientes, a Benevento & Salerno commemorando abſtinebant, quod ii Principatus juribus fruerentur quaſi ſummi Imperii.

Ergo Beneventi Principes (3) quinque Regum Langobardorum Edicta veluti Jus commune Gentis quidem ſervabant; proprias tamen leges condere, uti ſummi Imperantes, haud dubitarunt. Atque hiſce legibus regebantur Langobardi Principatus Beneventani; donec ſub Ludovico II. Auguſto, diſſecto jam Principatu, Langobardorum Dynaſtarum rebus in deteriora ruentibus, e re viſum eſt Leges quoque ſuſcipere, quas Carolus Magnus, cæterique Reges & Auguſti tulerant Italico Regno.

Capitularia, quæ extant, Principum Beneventi continentia leges & pacta, in quibus plura ad formam Statutorum ſervanda occurrunt, ex antiquis monumentis, ac præcipue ex inſigni Codice Cavenſi anno circiter milleſimo Æ-

(1) V. Murat. Antiq. Ital. Diſſ. 5. (2) Chron. Caſſin. lib. 1. cap. 9.
(3) Pecchia, l. 1. c. 12. 14.

ræ Christianæ exarato in lucem edidit Camillus Peregrinius (1), & ex eo iterum protulit Muratorius (2); ad Chronologicam vero seriem reducta tradidit Franciscus Pratillus (3) propriis & Peregrinii notis aliquatenus illustrata. Ex Pratillo illa edo, typographicis emendatis sphalmatibus; neque quidquam detraho, quamquam non omnia certe inter leges recenseri possint.

Amœnæ eruditionis gratia addo ex Muratorio Formulas quasdam rituales, quarum quondam vigebat usus (4): Ritum scilicet, quo Reges nostri donabantur Corona ferrea; & preces quasdam, ritusque adhibitos in purgationibus vulgaribus; quibus eo major accedebat veneratio, & fides, quo sub magnis nominibus Leonis Papæ III., Imperatoris, & Beati Eugenii venditabantur.

Tandem ad plurium exoticorum verborum intelligentiam subjungo Glossariola duo, alterum vocum, alterum nominum Gothicorum, Langobardicorum, Vandalicorum, ex Hugone Grotio deprompta (5), quæ brevitate, atque utilitate plurimum se se commendant.

(1) Hist. Princ. Langob. P. I. & in Append.
(2) Rer. Ital. Script. Tom. II. p. I.
(3) Hist. Peregr. illustr. Tomo III.
(4) Tom. II. Anecd. Antiq. Medii ævi Differt. 38.
(5) Hist. Goth.



LE-

LEGES
LANGOBARDICÆ.

ROTHARIS
LEGES.

PROLOGUS IN EDICTUM.

IN nomine Domini (1). Incipit Edictum, quod renovavi cum Primatibus meis Judicibus, Ego in Dei nomine Rothar Rex, vir excellentissimus, septimus decimus Rex gentis Langobardorum, anno Deo propitiante Regni mei octavo, ætatisque trigesimo octavo (2), Indictione secunda, & post adventum in Provinciam Italiæ Langobardorum, ex quo Albuin tunc temporis Rege (3) procedente divina potentia adjuti sunt anno septuagesimo sexto feliciter. Datum Ticini in Palatio. Quanta pro subjectorum nostrorum commodo nostræ fuit sollicitudinis cura, vel est, subter adnexus (4) tenor declarat; præcipue tam propter assiduas fatigationes pauperum, quam etiam propter superfluas exactiones ab his, qui minorem virtutem habent, quos etiam vim pati cognovimus. Et ob hoc considerantes Dei (5) misericordiam, necessarium esse prospeximus præsentem corrigere, & componere legem, quæ priores omnes & removet, (6) & emendet, & quod deest, adjiciat, & quod est superfluum, abscindat. Et in unum providimus volumen complectendam, quatenus liceat unicuique, salva lege & justitia, quiete vivere, & propter operationem contra inimicos laborare, seque, suosque defendere fines. Tamen quamquam hæc ita se habeant, utile prospeximus pro futuri temporis memoria nomina Regum antecessorum nostrorum, ex quo in gente nostra Langobardorum Reges nominati cœperunt esse, memorari, in quantum per antiquos homines didicimus, & in hac membrana adnotari jussimus (7). Fuit itaque primus Agimundus ex genere Cugingi. Secundus Lamissio. Tertius Leth. Quartus Childehoc, filius Leth. Quintus Godehoc, filius Childehoc. Sextus Daffo, filius Daffonis. Septimus Tato, filius Tatonis. Octavus Wacho, filius Nichis, nepos Tatonis. Nonus Walterius. Decimus Adoinus ex genere Gausis. Undecimus Alboinus; exercitum, ut supra dictum est, in Italiam adduxit. Duodecimus est Cleph ex genere Beleos. Tertius decimus Hutari, filius Cleph. Quartus decimus Agilup, Thuringus, ex genere Anauvat. Quintus decimus Adubivald filius Agilup. Sextus decimus Arioald, ex genere Capui. Septimus decimus Ego in Dei nomine, qui supra Rothar Rex, filius Nandigild ex genere Arodos. Nandigild filius Nazonis fuit. Nazo, filius Alamundi. Alamundus, filius Alaman. Alaman, filius Igelzonis. Igelzo, filius Uveonis. Uveo, filius Parachonis. Paracho, filius Falchonis. Falcho, filius Mammonis. Mammo filius Obochoræ.

(1) Prologi hujus partem jam ediderat præclarum Mutinensium decus Carolus Sigonius Lib. 2. de Regno Ital. ad Ann. 643. Integrum etiam ex Ambrosianæ Bibliothecæ Ms. Codice evulgavit non ita pridem Tom. I. pag. 413. Italic. Rer. in Notis ad Paulum Diaconum Horatius Blancus vir doctissimus. Eumdem & ego nunc proferam ex Codice Ms. Bibliothecæ Estensis, in multis quidem ab Ambrosiano textu diversum, & fortassis emendatiorem.

(2) Hoc est, Anno 643. quo hæc Indictio decurrebat a Kalendis Septembris. Contendit autem Pagius, hæc edita a Rothari Rege, non *Anno VIII.* ut in omnibus Codicibus legitur, sed *Anno XIII. Regni*: qua de re egi in Præfatione ad has Leges.

(3) Obscurus locus. Sigonius Lib. 2. de Regn. Ital. nescio num aliquo meliori Codice, an suo ingenio fretus, hæc ita legit: *Albuinus tunc temporis Rex, procedente Divina Potentia, advenit*. Fortasse *præcedente*.

(4) Rectius quam apud Sigonium, ubi hæc ita efferuntur: *subter adnexatio, & norma declarat*.

(5) Sigonius, & Blancus: *Dei omnipotentis gratiam*.

(6) Est apud Sigonium, *removeat & emendet*.

(7) Confer Catalogum hunc Regum cum edito a Blanco, ac in multis diffidere comperies.

„ *Eſt error ſpretus, quo Langobarda juventus*
„ *Errabat. Verum loquitur nunc pagina ſenſum*
„ *Edicti, (rectis quod ſtrinxit Rothar habenis*
„ *Walcauſus meritus) quem laudat Scriba diſertus.*
„ *Noſtrorum Regum ſunt hinc exordia Legum.*

Rothar jura dedit, quæ Lector prima videbit.

Capitulum I.

SI quis (1) contra animam Regis cogitaverit, aut conſiliatus fuerit, animæ ſuæ incurrat periculum, & res ejus infiſcentur.

Edit. Lindenbr. Lib. I. *cap.*1. *leg.*1.

II. Si quis cum Rege de morte alterius fuerit conſiliatus (2), aut hominem per ejus juſſionem occiderit, in nullo ſit culpabilis; nec ille nec hæres ejus quoquo tempore ab illo, aut ab hæredibus ejus requiſitionem aut moleſtiam patiatur: quia poſtquam corda Regum in manu Dei eſſe credimus, non poſſibile eſt, ut homo ſe poſſit idoneare, quem Rex occidere juſſit (3). I. 3. 1.

III. Si quis foris provincias (4) fugere tentaverit, mortis incurrat periculum, & res ejus infiſcentur. I. 1. 2.

IV. Si quis inimicum publicum (5) intra provinciam invitaverit, aut introduxerit, animæ ſuæ incurrat periculum, & res ejus infiſcentur. I. 1. 3.

V. Si quis Scameram (6) intra provinciam celaverit, aut annonam dederit, animæ ſuæ incurrat periculum: aut certe componat ſolidos DCCCC. Regi. I. 1. 4.

VI. Si quis foris in exercitu ſeditionem levaverit contra Ducem ſuum, aut contra eum, qui ordinatus eſt a Rege ad exercitum gubernandum (7), aut aliquam partem exercitus ſeduxerit, animæ ſuæ (8) incurrat periculum. I. 1. 5.

VII. Si quis contra inimicum pugnando collegam ſuum dimiſerit, aut aſtalium (9) fecerit, id eſt, ſi eum deceperit, & cum eo non laboraverit, animæ ſuæ incurrat periculum. I. 1. 6.

VIII. Si quis in concilio (10) vel in quolibet conventu ſcandalum commiſerit, DCCCC. ſolid. ſit culpabilis Regi. I. 2. 1.

IX. Si quis qualemcumque hominem ad Regem accuſaverit, quod ad animæ ſuæ pertineat periculum, liceat ei, qui accuſatus fuerit, cum ſacramento ſatisfacere, & ſe idoneare (11). Et ſi talis cauſſa emerſerit, ut adſit (12) homo in præſentia, qui crimen immittit, liceat ei per Campionem, id eſt per pugnam, crimen ipſum deſuper ſe (ſi potuerit) ejicere. Et ſi probatum fuerit ei, aut de anima ſua, aut qualiter Regi pla-

(1) Vide in Antiquit. Eſtenſ. Cap. 13. pag. 108. *Otbertum Marchionem* Anno 1014. ab Henrico inter Imperatores Primo perduellionis damnatum ex vi iſtius Legis. In Codice Eſtenſi legitur: *aut conſilium quærit;* atque ibi deſiderantur ea verba, *& res ejus infiſcentur.* Legitur in Codice Cathedralis Mutinenſis, & Ambroſiano, *conſiliaverit.* Verum in laudato Diplomate Henrici I. iiſdem verbis concepta eſt Lex iſta, quibus nunc editur.

(2) Codex Cathedr. Mutin. & Eſtenſ. *conſiliaverit.*

(3 Ambo Mss. Mutinenſes habent: *impoſſibile eſt, ut homo poſſit edoniare, quem Rex occidere juſſerit:* id eſt, defendere, ſive ſacramento purgare & purificare ab impacto crimine. Infra eadem vox occurrit, uti & in aliis rudium ſæculorum Scriptoribus.

(4) Alii rectius: *foris provinciam.* Scilicet *Provincia* pro *Regno*, atque adeo extra Regnum Langobardorum. Ita in duabus ſubſequentibus Legibus.

(5) Habetur in Ms. Eſtenſi & Ambroſiano *inimicum Regis.* Idem eſt, quod animadvertendum, ut quum *Res Publica*, *Judex Publicus*, atque his ſimilia occurrunt, continuo intelligas agi de rebus, aut hominibus ad *Regem* pertinentibus.

(6) *Scameras*, alii textus. Hoc eſt *exploratores*, quos Italice appellamus *Spie*, *Spioni*. Ita Boherius, Papia præeunte, quibus aſſentiri videtur Du-Cangius in Gloſſario Latino, uti & Hugo Grotius. Ego *Latrones* interpretari malim. In Capitulari Sichardi Principis Benevent. apud Peregrin. Tom. II. Italicarum Rerum legimus: *Neque per exercita, aut curſas, neque per Scamaras, neque per tradicios* &c. Eugippius in Vita Sancti Severini: *Iſtri fluenta prætermeans, Latrones inſequitur, quos vulgus Scamares appellabat.* Adde Jordanem de Reb. Getic. Cap. 5. *Et pleriſque Abactoribus, Scamariſque, & Latronibus undecumque collectis* &c. *Abactores* dicti *fures jumentorum*, aut *pecorum*; *Latrones* qui nunc *Aſſaſſini da ſtrada*; *Scamaræ* vero aliud quid genus furum, ſive latronum, ut puto, fuere. Stephanus II. Papa in Epiſt. IX. Codic. Carol. ad Pipinum Regem ejuſque filium ſcribit, Aiſtulphum Regem non ſolum nihil Beato Petro reddere voluiſſe, *ſed etiam Scamaras, deprædationes, ſeu devaſtationes in civitatibus, & locis Beati Petri facere non ceſſare.* Pagius hæc adferens ad Annum 755. *Scamaras* interpretatur *Exploratores*, ſed, uti nemo non videt, parum apte ad ſenſum verborum.

(7) Codices Mss. Mutinenſes præferunt *a Rege exercitum gubernandi.* Neſcio quis poſtremis hiſce ſæculis edocendos Majores noſtros Grammaticam tam ſero ſibi ſumſit, multoſque barbariſmos ac ſolœciſmos ex eorum Legibus deterſit. Ego contra amo ipſos, uti loquebantur, potius quam uti loqui debuiſſent, audire.

(8) In Eſten. Ms. legitur, *ſanguinis ſui incurrat periculum.*

(9) Codices Mutinenſes *aſtalin*, id eſt deceptionem. Eſt etiam in utroque *contra inimicos.*

(10) Præferunt & Mss. *in Concilio.* Succedit *in quolibet conventu*, hoc eſt in Placitis, & Mallis, & generaliter in unoquoque legitimo Populi conventu.

(11) Et hic, uti ſupra, habetur, *ſe idoniare*, in utroque Ms.

(12) Habent Mss. *& adeſt.*

placuerit, componat. Et ſi probare non potuerit, & cognoſcitur doloſe accuſaſſe, tunc ipſe, qui accuſaverit (1), & probare non potuerit, widrigilt ſuum componat, medietatem Regi, & medietatem ei, cui crimen injecerit. I. 1. 7.

X. Si quis liber homo in morte alterius conſiliatus fuerit, & ex ipſo conſilio mortuus non fuerit, tunc ipſe conſiliator componat ſolidos xx. I. 3. 2.

XI. Si homines liberi inter ſe de morte alterius conſiliati fuerint (2) ſine Regis conſilio, & ex ipſo conſilio mortuus non fuerit, componat unuſquiſque, ut ſupra, ſolidos xx. & ſi ex ipſo conſilio mortuus fuerit, tunc ille, qui homicida eſt, componat ipſum mortuum, ſicut appretiatus fuerit, id eſt widrigilt ſuum. (3) I. 3. 3.

XII. Si duo aut tres homines, ſeu amplius, liberi, homicidium perpetraverint, & voluerint ſe adunare ut in unum componant ipſum mortuum, ſicut appretiatus fuerit, ſit eis licentia adunandi (4). Et ſi aliquis ex ipſis ſe ſubtraxerit, & non potuerit ſe purificare, ſicut lex habet, id eſt, quod nec plagam, nec feritam in ipſo homine, qui occiſus eſt, feciſſet, tunc ſit culpabilis ſicut & alii, qui eum compoſuerunt. Et ſi ſe purificaverit, ſit abſolutus a culpa (5) homicidii. Si tamen in conſilio fuerit, componat, ut ſupra, ſolidos xx. aut de ipſo conſilio purificet ſe, ſi potuerit. I. 9. 1.

XIII. Si quis dominum ſuum occiderit, ipſe occidatur, Et ſi quis ipſum hominem defenſaverit (6), qui dominum ſuum occiderit, ſit culpabilis DCCCC. ſolid. medietatem Regi, & medietatem parentibus mortui. Et qui ad illius mortui injuriam vindicandam denegaverit ſolatium, ſiquidem rogatus fuerit, unuſquiſque componat ſolid. L. medietatem Regi, & medietatem (7), cui ſolatium denegaverit. I. 9. 2.

XIV. Si quis homicidium perpetraverit abſconſe (8) in Barone, libero, vel ſervo, vel ancilla, & unus fuerit, aut duo tantum, qui ipſum homicidium fecerit, componat DCCCC. ſolidos. Si vero plures fuerint, ſi ingenuus fuerit, qualiter in garathingi (9), ipſum homicidium componat. Si ſervus aut aldius (10), componat ipſum mortuum, ut appretiatus fuerit; & ſi ſpolia de ipſo mortuo tulerit, id eſt pluslaib (11), componat ſolidos LXXX. I. 9. 3.

De Grapu Forſi.

XV. Si quis ſepulturam (12) hominis mortui ruperit, & corpus exſpoliaverit, aut foris jactaverit, DCCCC. ſolid. ſit culpabilis parentibus defuncti. Et ſi parentes proximi non fuerint, tunc gaſtaldius (13) Regis, aut Sculdaſius, requirat culpam ipſam, & ad Curtem Regis exigat. I. 12. 2.

De Urubbi. (Cod. Ambroſ.)

XVI. Si quis hominem mortuum in flumine aut foris invenerit, & exſpoliaverit, (14) componat parentibus mortui ſolidos LXXX. Et ſi eum invenerit, & exſpoliaverit, & mox vicinis pateſecerit, & cognoſcitur quod pro mercedis cauſſa fecerit, nam non

(1) Hæc ita efferuntur in Codic. Eſten. *Et ſi ei probare non potuerit, & agnoſcitur quod doloſe accuſaſſet, tunc ipſe, qui eum accuſavit.*

(2) Cod. Eſten. *Conſiliaverint ſine Regis conſilio, & ex ipſo contractatu &c.*

(3) In Ms. Eſten. *Sicut appretiatum fuerit, id eſt Widrigild*, quæ duo poſtrema verba adduntur & in Codic. Cathedr. Mutin. Hoc enim ſignificabat vocabulum iſtud; quod eſt memoria retinendum. Ambroſ. habet, *item Widrilium ſuum*. Contendit Eccardus in Notis ad Salicam Legem pag. 168. differentiam intercedere inter *Weregildum*, & *Widrigildum*. Prior enim vox *compoſitionem hominis* ſignificat, quæ in Salica Lege *Leudis* dicitur; *Widrigildum* vero *compoſitionem cujuslibet rei*. Verum Codices noſtri unum agnoſcunt *Widrigild*, ſive *Giudrigild*, ut ſignificent *compoſitionem hominis*, ſive mulctam pro homine occiſo, quæ ſtabilis non erat, ſed ſecundum æſtimationem hominis interemti ſtatuebatur.

(4) In utroque Ms. Mutin. *ſit eis adunandi licentia.*

(5) Habet uterque Cod. Mutinenſ. *ſit exſolutus a pœna homicidii.*

(6) Audi utrumque Codic. Mutin. *ipſum homicidam defenſare voluerit*. Lex iſta *Servos* afficit; nam libero homini aliquem privatum hominem necanti pœna mortis non inrogabatur.

(7) Editi præferunt *medium*, Mss. vero hic, & alibi ſemper *medietatem*.

(8) Ms. Mutinenſ. *perpetraverit in abſconſo*. Editio Boheriana: *Si unus aut duo tantum abſconſe homicidium perpetraverint in Barone &c.*

(9) Ms. Eſten. *in angar gatoingi*. Ms. Cathedr. Mutin. *in agargathung.*

(10) Muratorius legit: *aut libertus*. In fine: *Solidos XC.* (Nota Collect.)

(11) Ms. Eſtenſ. *plodraboth.*

(12) In Lege Salica Tit. XVII. Cap. III. *Si quis mortuum hominem aut in noſſo, aut in petra, quæ vaſa ex uſu Sarcophagi dicuntur &c.* Alii legunt in *oſſo*. Pithœus, Du-Cangius, & nuper Clariſſ. Eccardus in Not. ad Legem Salicam *noſſum* explicant *ſarcophagum ligneum*. At quum *ſarcophagos* appellare mos fuerit vaſa tantum lapidea, ſive arcas ſepulcrales, non contemnenda mihi videtur lectio Codicis Eſtenſis, ubi eamdem Legem Salicam manu exaratam habeo, *in toſſo, aut in petra*. *Toſſus* autem, ſive *tophus*, & *tufus*, quam vocem *tufo* adhuc Lingua noſtra ſervat, eſt lapidis genus, cui inter marmora locus non eſt. *Petræ* autem nomine marmor hic deſignatur. Ut in editis, ita & in Cod. Eſten. infra repetitur eadem Lex Salica, & ibi rurſus ſcriptum lego *in topho*. Attamen ſuſpendere ſententiam cogor, quia in Ms. Cath. Mutin. ubi Lex Salica, primo loco habetur *noſſo*, & in altero *nauſo*.

(13) Legitur in Cod. Eſtenſ. *Gaſtaldius Regis, aut Sculdais requirat culpam ipſam*. Ita fere ſemper hæc nomina efferuntur in Mss. Mutinenſibus. *Sculdais*, pedaneus Judex. *Gaſtaldius*, Procurator, & Oeconomus Regis cum juriſdictione. Attamen infra ex Lege XXIV. conſtat, *Gaſtaldios* quoque ad militiam adhibitos, in eo nempe munere, quod olim geſſere Procuratores, Rationales &c. & nunc *i Commeſſarj di Guerra*.

(14) Mur. addit: *& celaverit.* (Nota Collect.)

non furandi animo, reddat ſpolia, quæ ſuper eum invenerit, & amplius ei calumnia non generetur. I. 12. 1.

XVII. Si quis ex Baronibus (1) noſtris ad nos venire voluerit, ſecurus veniat, & illæſus ad ſuos revertatur: & nullus de adverſariis illius illi aliquam injuriam in itinere aut moleſtiam facere præſumat. Tantum eſt, ut ille, qui ad Regem venire feſtinat, honeſte veniat, & nullam læſionem, aut damnum quoque in ipſo itinere ad Regem veniendo, aut redeundo (2) faciat: nam ſi fecerit, ſicut ſubter in Edicto ſcriptum eſt, componat. I. 13. 1.

XVIII. Si quis ex adverſariis noſtris (3) manum armatam ſuper quemcunque hominem ad Regem venientem injecerit, pro ſua injuria, aut propter qualemcunque culpam vindicandam, DCCCC. ſolid. ſit culpabilis, medium Regi, & medium cui injuria illata fuerit. I. 13. 2.

XIX. Si quis pro injuria ſua vindicanda, ſuper quemcunque hominem manu armata, aut cum exercitu uſque ad quatuor homines in vicum intraverit, (4) ille pro illicita præſumptione moriatur, aut componat ſolidos DCCCC. medium Regi, & medium ei, qui injuriam paſſus eſt. Et illi qui cum ipſo fuerint, ſi liberi ſunt, unuſquiſque componat ſolid. LXXX. medium Regi, & medium ei, qui injuriam paſſus: excepto ſi in ipſo vico caſam incenderit, aut hominem occiderit, ſecundum quod appretiatus fuerit, ita componat illi, cujus caſa fuerit incenſa, aut parentes aut ſervus occiſus. I. 17. 1.

XX. Si quis de exercitalibus Ducem ſuum contempſerit, ad juſtitiam faciendam, XX. ſolidos Duci ſuo & Regi componat. I. 14. 1.

XXI. Si quis in exercitu ambulare contempſerit, aut in ſculcam (5), det Regi & Duci ſuo ſolidos XX. I. 14. 6.

XXII. Si quis de ipſo exercitu Duci ſuo, ad juſtam cauſſam perſequendum, denegaverit ſolatium, unuſquiſque componat Regi & Duci ſuo ſolidos XX. I. 14. 2.

XXIII. Si Dux exercitalem ſuum moleſtaverit injuſte, Gaſtaldius eum ſolatiet, dum uſque ad (6) præſentiam Regis, aut certe apud ſuum judicem, eum ad juſtitiam perducat. I. 14. 3.

XXIV. Si Gaſtaldius exercitalem ſuum contra rationem moleſtaverit, Dux eum ſolatiet, quouſque veritatem ſuam inveniat. I. 14. 5.

XXV. Si quis res ſuas ab alio in exercitu requiſierit, & noluerit ille reddere, tunc ambulet ad Ducem; & ſi Dux illi, aut Judex, qui in loco ordinatus eſt a Rege, veritatem aut juſtitiam non conſervaverit, componat tam Regi, quam ei, cujus cauſſa eſt, ſolidos XX. cauſſa manente. (7) I. 14. 4.

De Vegoveri arbitraria. (Cod. Ambroſ.)

XXVI. Si quis mulieri liberæ aut puellæ in via ſe antepoſuerit, aut aliquam injuriam intulerit, DCCCC. ſolidis componat, medietatem Regi, & medietatem cui ipſa injuria illata fuerit, aut ad quem mundium de ea pertinuerit. I. 16. 1.

XXVII. Si quis homini libero viam anteſteterit, XX. ſolid. componat (8), ſic tamen, ut aliquam læſionem in carne ipſius non faciat: nam ſi fecerit, XX. ſolidos ei componat, pro eo quod anteſteterit in via; & feritas aut plagas, ſi fecerit, ſicut ſubter adnexum eſt in hoc edicto, componat. I. 15. 1.

XXVIII. Si quis ſervo alieno, aut ancillæ, ſeu aldio, vel aldiæ (9), aut liberto,

(1) Supra in Lege XIV. eadem vox occurrit: *Si quis homicidium perpetraverit abſconſe in Barone, libero, vel ſervo*. Baluzius, & Du-Cangius *Baronem* in his Legibus, uti & in Salicis, accipiunt pro quolibet *Viro*; atque in eamdem ſententiam concedit Eccardus, multis in hanc rem exemplis veterum allatis. *Ingenuos* viros, hoc eſt ex liberis parentibus natos, ideoque olim Nobiles reputatos, per hanc vocem indicari Wendelinus ſenſerat. Certe quod Eccardus ait, *ortationem ingenuæ mulieris* (unde in Linguam noſtram fluxit *urto*, & *urtare*) in Salica Lege luendam eſſe *XLV. ſolidis*; *Baronis* autem non niſi *ſolidis XV*. (uti & in Baluziana editione legitur), minime ſtat certo auctore, imo mendoſum puto. Dilucide enim habetur in Cod. Eſten. ubi Lex quoque Salica Langobardicæ ſuccedit: *Si quis Baroni viam ſuam obſtaverit, aut eum impinxerit, MDCCC. denarios, qui faciunt ſolidos XLV., culpabilis judicetur*. Quare vides *Baronem*, & *Ingenuam* æquari. Attamen ſubſequentem Legem, quam reſpicit Lex iſta, animadverte. Ibi legitur, *ſuper quemcumque hominem ad Regem venientem*: quæ idem ſonant ac *ſi quis ex Baronibus noſtris ad nos venire voluerit*. Ergo vox *Baro hominem quemcumque* Langobardici Regni incolam ſignificat. Atque hæc mihi potior ratio, quare Wendelini ſententiam nequaquam amplectar, quæ alioqui non improbanda mihi videretur.

(2) Eſten. Cod. *Damnum cuicumque in ipſo itinere ad Regem veniendum aut redeundum faciat*.

(3) Non legitur *noſtris* in Mss. Mutinenſ. neque legendum.

(4) Cod. Ambroſ. addit, *ad malum faciendum*. Mutin. Mss. *ille prior pro inlicita*.

(5) Eſten. Cod. *aut in ſculea*. Retinendum tamen *ſculca*, quam vocem Papias interpretatur *Cabalcatam*; alii, *Excubias*. Eo ſenſu occurrit hæc apud Gregorium M. & Græcos Auctores.

(6) Ms. Eſten. *Gaſtaldius ei ſolatium præbeat uſque ad &c.* Ita & in Lege ſequenti. Pro *ſuum Judicem* Ambroſ. Cod. habet *ſuum Ducem*.

(7) Abeſt a Cod. Eſten. *Cauſſa manente*, id eſt, ſervato ſuo jure repetenti res ſuas. Ambroſ. Cod. addit: *ut ubi ſe non perdat juſtitiam ſuam*.

(8) Habet Eſten. Cod. *viam anteſteterit, componat ei ſolidos XX.*

(9) De *Aldiis*, ſive *Aldionibus*, infra erit ſermo. Hic ſolum animadverte, hominum genus fuiſſe neque *ſervos*, neque *libertos*, ſed quid medium. Ambroſ. Cod. non habet *Aldiæ*, nec *libertæ*.

ro, vel libertæ viam antesteterit, domino ejus componat solidos xx. I. 15. 2.

XXIX. Si quis messem suam, aut pratum, seu quamlibet clausuram vindicando prohibuerit homini (1), ut non ingrediatur, non sit culpabilis, sicut ille, qui homini simpliciter ambulanti viam (2) antesteterit, eo quod laborem suum vindicaverit. I. 15. 3.

De Mar. Vor. Fin.

XXX. Si quis hominem liberum de caballo in terram, per quodlibet ingenium iniquo animo jactaverit, LXXX. solidos ei componat; & si aliquam læsionem ei fecerit, sicut in hoc Edicto subter adnexum est, componat. I. 15. 4.

De Uradebt. (Cod. Ambros.)

XXXI. Si quis homini libero violentiam injuste fecerit, id est Walapauz (3), LXXX. solidos ei componat. Walapauz est, dum quis alienum furtivum vestimentum induit, aut si caput, latrocinandi animo, aut faciem transfiguraverit. I. 15. 5.

XXXII. Si (4) noctis tempore homo liber in curte alterius inventus fuerit, non dans manus ad ligandum, si occidatur, a parentibus non requiratur: & si manus dederit ad ligandum, & ligatus fuerit, debet pro se (5) solidos LXXX. Quia non convenit rationi, ut liber homo noctis tempore in curte aliena silentio, aut absconse ingrediatur; sed si quam utilitatem habet, antequam intret, clamet. I. 24. 1.

XXXIII. Si servus in curte aliena noctis tempore inventus fuerit, non dans manus ad ligandum, si occisus fuerit, non requiratur a domino suo: & si manus dederit ad ligandum & ligatus fuerit, liberet eum dominus cum solidis XL. (6) I. 24. 2.

XXXIV. Si quis in curte alterius irato animo sagittaverit, aut lanceam jactaverit, aut foris sepe alium plagaverit intra curtem (7), componat solid. xx. excepta compositione plagarum, aut feritarum, si fecerit, sicut in hoc Edicto legitur, compon. I. 24. 3.

XXXV. Si quis in Ecclesia scandalum perpetraverit, XL. solid. sit culpabilis, ipsi venerabili loco, exceptis plagis & feritis, (8) cui fecerit componat: & prædicti XL. solidi per Sculdasium, aut Judicem, qui in loco ordinatus fuerit, exigantur, & in sacro altari, ubi injuria facta fuerit, ponantur. I. 2. 2.

XXXVI. Si quis intra Palatium, ubi Rex præest, scandalum perpetrare præsumpserit, (9) animæ suæ incurrat periculum, aut animam suam redimat, si obtinere potuerit a Rege. I. 2. 3.

XXXVII. Si quis liber homo in eadem civitate, ubi præest Rex, & tunc inveniatur esse (10), scandalum perpetrare præsumpserit; & si incitaverit, & non percusserit, sit culpabilis in Palatio Regis solidorum XII. Nam si percusserit, sit culpabilis solidorum XXIV. exceptis plagis & feritis (11), si fecerit, sicut subter adnexum est, componat. I. 2. 4.

XXXVIII. Si quis servus in eadem civitate, in qua Rex est (12), scandalum incitaverit, & non percusserit, sit culpabilis in Palatio Regis solidorum VI. Et si percusserit, sit culpabilis solidorum XII. exceptis plagis, & feritis, si fecerit, sicut subter adnexum est, componat. I. 2. 5.

XXXIX. Si quis liber homo in alia civitate scandalum incitaverit, & non percusserit, sit culpabilis in Palatio Regis solidorum VI. Et si percusserit, sit culpabilis solidorum XII. exceptis plagis & feritis, cui fecerit, sicut subter est annexum, comp. (13) I. 2. 6.

XL. Si servus in alia civitate scandalum commiserit, sit culpabilis in Palatio Regis (14) solidorum III. Si autem fecerit plagas aut feritas, sit culpabilis solidorum VI. exceptis plagis & feritis, cui fecerit, componat,

(1) Hæc ita leguntur in Ms. Esten. *clausuram suam ad vindicandum homini antesteterit*. Cod. Cathedr. Mutin. *prohibuerit, id est antesteterit*.

(2) Cod. Esten. *simpliciter per viam ambulanti antesteterit, pro eo quod &c.*

(3) In Esten. Ms. habetur: *id est Walapa*. In altero Cathed. Mutin. *id est Walpoz*. Uterque Codex deinde habet: *qui se furtivum vestimentum alienum induerit*. Fortassis hæc non a Rothari, sed a Glossatore quopiam procedente tempore addita fuere.

(4) In Ms. Mutin. Cathedr. *De homine libero si nocte in Curte alterius inventus fuerit, & non dans &c.* In Estensi vero: *Si quis homo liber in Curte alterius nocte inventus, & a parentibus ejus non dans &c.*

(5) Est in Codic. Esten. *det pro se*. Infra, *ut homo liber noctis tempore*. Et inferius, *sed si qualemcumque utilitatem*.

(6) In utroque Cod. Mutin. *liberet eum dominus ejus cum XL. soldis*.

(7) Ambo Codices Mutin. habent, *aut de foris sæpe alium plagaverit infra curtem*. Ms. Cathedr. Mutin. *excepto compositiones plagarum, aut feritas*. Et pro *componat* in utroque Ms. habetur *persolvat*.

(8) Hæc ita leguntur in Ms. Esten. *XL. soldos ipsi venerabili loco componat, excepto plagas, aut feritas*. Et pro *altari* illic legitur *altario*.

(9) Esten. Cod. *infra Palatium, ubi Rex præest, scandalum perpetraverit*. Scilicet *infra* pro *intra* sæpissime ab antiquis usurpatum.

(10) Rectius in Esten. Ms., *vel tunc invenitur esse*.

(11) Hæc ita in Cod. Esten. scripta: *Nam si incitaverit, & percusserit, sit culpabilis in Palatio solidos XXIV. excepto plagas, aut feritas*.

(12) Ms. Esten. *Rex præest, vel tunc invenitur esse*. Hic & alibi *scandalum incitare*, seu *perpetrare*, est rixam concitare, & in jurgia, verbera, ac vulnera tumultuose proruere.

(13) Uterque Cod. Mutin. *Si autem incitaverit, & percusserit, aut plagaverit, sit culpabilis in Palatio Regis soldos XII. excepto compositiones plagarum, aut feritas, quas cui fecerit, sicut in hoc Edicto legitur, componat*.

(14) Habent Codices Mutin. *componat Regi solid. &c.*

nat, ficut fubter annexum eft. I. 2. 7.

XLI. Si quis homini libero infidiatus fuerit cum virtute aut folatio (1), videns eum imparatum, & fimpliciter ftantem, aut ambulantem, & fubito fuper eum adveniens turpiter eum tenuerit, aut battiderit fine juffione Regis, medium pretii ipfius, ac fi eum occidiffet, ei componat, eo quod in turpitudinem, & in derididiculum ipfius eum male tractavit. I. *6.* 1.

XLII. Si quis hominem liberum ligaverit abfque juffione Regis fine cauffa, duas partes pretii ipfius, ac fi eum occidiffet, ei componat, eo quod in turpitudinem & in derididiculum ipfius eum male tractavit. I. *6.* 2.

XLIII. Si quis hominem liberum fubito furgente rixa percufferit, & livorem (2) aut vulnus fecerit, pro una ferita componat ei folidos III. fi duas, fol. VI. fi tres, IX. fi quatuor, XII. Si vero amplius duraverint feritæ, non numerantur, fed fit contentus (3). I. *6.* 3.

XLIV. Si quis alium pugno percufferit, componat folidos III. Si alapam dederit, folidos VI. I. *6.* 7.

XLV. De plagis & compofitionibus plagarum (4). Quæ inter liberos homines evenerint, per hunc tenorem ficut fubter adnexum eft, componantur, ceffante faida, id eft, inimicitia. I. 7. 1.

XLVI. Si quis alii plagam fecerit in capite, ut cutica tantum rumpatur, quam capilli cooperiunt, componat folidos VI. Si duas plagas fecerit, componat fol. XII. Si ufque tres fecerit, XVIII. Si vero amplius fecerit (5), non numerentur: nifi iftæ tres componantur. I. 7. 2.

XLVII. Si quis alium plagaverit in capite, ut os rumpatur; pro uno offe (*6*) componat folidos XII. Si duo fuerint, componat fol. XXIV. Si tria fuerint, componat folidos XXXVI. Si plura fuerint, non numerentur. Ita tamen, ut os tale inveniatur, quod ad pedes duodecim fupra viam fonum in fcuto facere poffit (7), & ipfa menfura de certo pede mediocris hominis menfuretur, nam non ad manus. I. 7. 3.

XLVIII. Si quis alii oculum excufferit, pro mortuo adpretietur qualiter in garathingi (8), id eft, fecundum qualitatem perfonæ, & medietas pretii ipfius componatur ab eo qui oculum percufferit. I. 7. *16.*

XLIX. Si quis alii nafum abfciderit, medietatem pretii ipfius componat ei, ut fupra. I. 7. 4.

L. Si quis alii labrum abfciderit, componat folidos XVI. Et fi dentes apparuerint, unus aut duo, aut plures, componat folidos XX. I. 7. 5.

LI. & LII. Si quis alii dentes excufferit, qui in rifu apparent, pro uno dente componat folidos XVI. Si duo aut plures (*9*) fuerint in rifu apparentes, numerentur, & per hunc numerum componantur. Si quis alii dentes maxillares excufferit, unum aut plures, componat pro uno dente fol. VIII. I. 7. *6.*

LIII. Si quis alii aurem abfciderit, quartam partem pretii ipfius componat ei. I. 7. 7.

LIV. & LV. Si quis alii plagam in facie fecerit, componat ei folidos XVI. Si quam in nafo fecerit plagam, componat folidos XVI. fi refolidaverit tantum, ut cicatrix appareat. Si non refolidaverit, quartam partem pretii ipfius componat ut fupra. I. 7. 8.

LVI. Si quis in aurem plagam fecerit, componat folid. XVI. fi refolidaverit. I. 7. 7.

LVII. & LVIII. Si quis alium in brachio punxerit, & non transforaverit, componat folidos VIII. Si transforaverit, componat folidos XVI. I. 7. 11.

LIX. Si quis alium intra capfum (10) plagaverit, componat ei folidos XX. I. 7. 9.

LX. & LXI. Si quis alium in coxa punxerit, aut plagaverit, fi transforaverit, componat folid. XVI. Et fi non transforaverit, componat folidos VIII. Si plagæ fuerint plures,

---

(1) Hoc eft, affociatus, aut protectus ab aliis armatis, hominem folum, nil tale cogitantem, aggreffus fuerit. *Virtutem* pro *vi*, ac *violentia* fæpe deprehendas in hifce Legibus, uti & in reliquis Populorum Septemtrionalium. Infra Eften. Codex habet: *pro eo quod turpiter, & in ridiculum ejus eum tam male tractavit*. Codex vero Cath. Mutin. *eo quod in turpe, & derifa ipfius eum tam male tractaverit, feu injuriaverit*.

(2) Codices Mutin. *livorem ei* &c.

(3) Hæc ita in Cod. Eften. *Si vero amplius duraverit, non numerentur: nifi iftæ quatuor feritæ componantur, & fit fibi contentus*.

(4) Hæc defiderantur in Edit. Goldaft. At leguntur in utroque Codice Mutinenfi. Habet & Boheriana Editio, ubi Rubricæ loco adferuntur.

(5) Mss. Mutin. *Si vero amplius plagæ capitis fuerint*.

(6) Cod. Eften. *ut offa rumpantur, pro uno offo*.

(7) Ita Mss. Mutinenfes. In Lege Ripuaria Tit. LXVIII. Cap. I. fimilis dicendi formula: *Si quis* &c. *plagatus fuerit, & os exinde exierit, quod fuper viam XII. pedum in fcuto jactum fonaverit*. Eadem quoque occurrit in Lege Alamannorum Tit. LIX. ut videas Septemtrionales Populos in hunc ritum confenfiffe. In fine Cod. Cathedr. Mutin. habet: *nam non ad manum*.

(8) Legitur in Ms. Cathedr. Mutin. *qualiter in arigargathungi, id eft fecundum qualitatem perfonæ; & medietas pretii ipfius componatur ab ipfo, qui oculum evulfit*.

(9) Ms. Cathedr. Mutin. *Si duo, aut amplius fuerint in rifu apparentes, per hunc numerum componantur, & adpretientur*.

(10) Hoc eft, in thorace, five ea pectoris parte, quæ a coftis circumtegitur. Vox non ignota Latinis. Hinc Danti Aligherio non uno in loco *Caffo* eadem fignificatione; & apud vulgus noftrum perdurat vox *Caffaro* penultima brevi, eademque fignificatione. Hinc autem originem habuiffe videtur Gallica vox *Carçaffe*.

res, usque ad tres tantummodo numerentur, & pro unaquaque plaga componat, ut supra. Nam amplius si fuerint, non componat. I. 7. 10.

LXII. Si quis alii manum absciderit, medietatem pretii ipsius, quo appretiatus fuerit, tamquam si eum occidisset, componat: (1) & si siderata fuerit, & non excusserit a corpore, quartam pretii partem ipsius ei componat. I. 7. 12.

LXIII. Si quis alii digitum pollicem de manu excusserit, sextam partem, quo homo appretiatus fuerit, ac si eum occidisset, ei componat. I. 7. 13.

LXIV. LXV. LXVI. LXVII. Si quis alii secundum digitum de manu excusserit, componat ei solidos XVI. Si tertium (2) qui est medianus, solidos VI. Si quartum digitum de manu excusserit, VIII. Si quis alii quintum digitum de manu excusserit, XIII. sol. componat. I. 7. 13.

LXVIII. Si quis alii pedem excusserit, medietatem pretii ipsius componat: & si sideratus (3) & non excusserit, quartam partem pretii componat. I. 7. 14.

LXIX. LXX. LXXI. LXXII. LXXIII. Si quis alii pollicem de pede excusserit, componat solidos X. Si quis alii secundum digitum de pede excusserit, solidos VI. Si tertium, III. Si quartum, similiter. Si quintum, duos. I. 7. 14.

LXXIV. In omnibus istis plagis ac feritis superius descriptis, quæ inter homines liberos eveniunt, ideo majorem compositionem posuimus, quam antiqui nostri, ut faida, quod est inimicitia, post compositionem acceptam postponatur, & amplius non requiratur (4), nec dolus teneatur: sed caussa sit finita, amicitia manente. Et si contigerit de ipsis plagis & feritis infra anni spatium mori hominem, qui plagatus est, tunc ille, qui plagaverit eum, componat, qualiter in gargathingi, id est, secundum qualitatem personæ. I. 7. 15.

LXXV. Si infans in utero matris suæ nolendo ab aliquo occisus fuerit, si ipsa mulier libera est, & evaserit, appretietur ut libera secundum nobilitatem suam: medietatem, quo ipsa valuit, & infans ipse componatur (5). Nam si ipsa mortua fuerit, componat ipsam secundum generositatem suam: excepto qui in utero ejus mortuus fuerit, comp. ut supra cessante faida, quia nolendo fecit. I. 9. 4.

LXXVI. (6) De aldiis & servis ministerialibus dicimus, qui docti domi, & nutriti, aut probati sunt. I. 8. 1.

LXXVII. Si quis aldium alienum, aut servum ministerialem percusserit, si livor, aut vulnus apparuerit, pro una ferita componat solidum unum. Si duas fecerit, solidos II. Si tres, solidos III. Si quatuor, IV. Si vero amplius fuerint, non numerentur. I. 8. 2.

LXXVIII. Si quis aldium alienum, aut servum ministerialem plagaverit in capite, ita ut os non rumpatur, pro una plaga det solidos duos. Si duas plagas fecerit, solidos IV. excepta opera & mercede medici. (7) Si vero plures plagæ capitis fuerint, non numerentur. I. 8. 3.

LXXIX. Si quis aldium alienum, aut servum ministerialem ita in capite plagaverit, ut os rumpatur, unum vel plura, componat solidos IV. excepta opera & mercede medici. I. 8. 4.

LXXX. & LXXXI. Si quis aldium aut servum ministerialem in facie plagaverit, componat ei solidos duos. Si nasum absciderit, componat solidos VIII. I. 8. 5.

LXXXII. Si quis aldio aut servo alieno oculum excusserit, medium pretii ipsius, quo appretiatus fuerit, ac si eum occidisset, componat. I. 8. 6.

LXXXIII. Si quis aldio alieno aut servo ministeriali aurem absciderit, componat solidos duos, excepta opera & mercede medici. I. 8. 7.

LXXXIV. Si quis aldio alieno aut servo ministeriali labrum absciderit, ut dentes appareant, componat solidos VI. excepta opera & mercede medici. I. 8. 8.

LXXXV. Si quis aldio alieno aut ministeriali servo dentes excusserit unum aut plures in risu apparentes, pro uno componat solidos IV. Si plures fuerint, per hunc numerum componat. I. 8. 9.

LXXXVI. Si dentem maxillarem excusserit, pro uno componat solidos II. Si vero plures fuerint, per hunc modum componantur. I. 8. 9.

LXXXVII. Si brachium ruperit, compo-

(1) In Ms. Mutin. *ei componat*. Ita quoque in Ambros. Cod. ubi pro *siderata* legitur *esciderata*.

(2) Ms. Cathedr. Mutin. legem singularem constituit hic, uti & ad reliqua membra, his verbis: *Si quis alii tertium digitum de manu excusserit, id est medianum, componat soldos V.*

(3) Mss. Mutinens. *& si desideratus fuerit*. *Sideratus*, hoc est sidere afflatus, quod est morbi genus. Vox Latinis nota, unde Italicum *Assiderato*, hoc est membris contractis deformatus. Infra: *quartam partem pretii ipsius ei componat*.

(4) In Ms. Estens. *Ut faida, id est inimicitia, non teneatur post acceptam istam compositionem, & pœna amplius non requiratur*. Nempe persoluta mulcta pecuniaria tum Regio Fisco, tum illi, cui vulnus aut dedecus inlatum fuerat, *faida*, hoc est inimicitia, deponenda erat, & a reo nihil aliud exigendum restabat. Sequitur in Cod. Ambros. *nec dolosum teneatur*. Infra legitur in Ms. Estens. *in angar gathungi*. In Ms. Cathedr. Mutin. *in argargathungi*.

(5) Cod. Esten. *& medium, quod ipsa valuerit, infans ipse componatur*.

(6) In Edition. Boherian. loco Rubricæ hæc sunt.

(7) In Mss. Mutinens. hic & in aliis ejusmodi locis elegantius: *excepto operas, & mercedes Medici. Si vero amplius plagæ capitis fuerint* &c.

ponat ſolidos VI. excepta opera & mercede medici. I. 8. 10.

LXXXVIII. Si manum abſciderit, componat medium pretii ipſius. I. 8. 11.

LXXXIX. Si pollicem de manu excuſſerit, componat ſolidos VIII. excepta opera & mercede medici. I. 8. 11.

XC. XCI. XCII. XCIII. Si ſecundum digitum (1) de manu excuſſerit, componat ſolidos VI. Si tertium, ſolidos III. ſi quartum, ſolidos II. ſi quintum, ſolidos IV. I. 8. 11.

XCIV. Si quis aldio alieno aut ſervo miniſteriali coxam aut tibiam ruperit, componat ſolidos III. excepta opera & mercede medici. I. 8. 12.

XCV. Si pedem excuſſerit, medium pretii ipſius componat. I. 8. 13.

XCVI. XCVII. XCVIII. XCIX. C. Si pollicem de pede excuſſerit, componat ſolidos quatuor, excepta opera, & mercede medici. Si ſecundum digitum de pede excuſſerit, componat ſolidos II. Si tertium digitum excuſſerit, componat ſolid. III. De aliis ex unoquoque ſolidum unum. I. 8. 13.

CI. Si quis aldio alieno aut ſervo miniſteriali plagam infra capſum fecerit, aut cum ſagitta, aut cum quibuslibet armis (2), componat ſolidos VI. excepta opera, & mercede medici. I. 8. 14.

CII. Si quis aldio alieno aut ſervo miniſteriali brachium, aut coxam transforaverit, componat ſolidos III. excepta opera, & mercede medici. Et ſi plagaverit, & non transforaverit, componat ſolid. II. I. 8. 15.

CIII. Si quis ſervo alieno ruſticano plagam in capite fecerit, ut cutica tantum rumpatur, quam capilli cooperiunt, pro una plaga det ſolidum unum, pro duabus ſolid. II. excepta opera & mercede medici. Si vero plures fuerunt, non numerentur. Si autem oſſa ruperit unum aut plura, componat ſolidos III. & amplius non numerentur. I. 8. 16.

CIV. CV. CVI. CVII. CVIII. Si quis ſervo alieno ruſticano plagam in facie fecerit, componat ſolidum unum. Si oculum excuſſerit, componat medietatem pretii ipſius (3) quo appretiatus fuerit domino ejus, tamquam ſi eum occidiſſet. Si naſum abſciderit, ſolidos IV. excepta opera & mercede medici. Si labrum, ut dentes appareant, componat ſolidos IV. Si dentes excuſſerit, qui in riſu appareant, pro uno, ſolidos II. pro maxillari I. Si plures fuerunt, per hunc numerum componantur. I. 8. 17.

CIX. Si quis ſervo alieno ruſticano aurem abſciderit, componat ſolidos II. excepta opera & mercede medici. I. 8. 18.

CX. Si brachium aut coxam (4) transforaverit, componat ſolidos II. Si autem plagaverit, & non transforaverit, componat ſolidum unum, excepta opera & mercede medici. I. 8. 19.

CXI. Si intra capſum plagaverit, componat ſolidos III. excepta opera & mercede medici. I. 8. 20.

CXII. Si brachium, aut coxam, aut tibiam ruperit, componat ſolidos III. excepta opera & mercede medici (5). Et ſi de ipſa ruptura intra anni ſpatium ſanus factus non fuerit, & ad priſtinam ſanitatem non redierit, quartam partem pretii ipſius, quod valuerit, domino ejus componat. I. 8. 21.

CXIII. Si quis ſervo alieno ruſticano manum abſciderit, medietatem pretii ipſius domino ejus componat. I. 8. 22.

CXIV. CXV. CXVI. CXVII. CXVIII. Si pollicem de manu excuſſerit, componat ſolidos IV. Si ſecundum digitum, ſolidos III. Si tertium, aut quartum, ſolidum unum. Si quintum, ſolidos II. excepta opera & mercede medici. I. 8. 22.

CXIX. CXX. CXXI. CXXII. CXXIII. CXXIV. Si pedem abſciderit, medietatem pretii ipſius componat, ut ſupra. Si pollicem de pede excuſſerit, componat ſolidos X. Si ſecundum, VI. Si tertium, ſolidos IV. Si quartum, III. Si quintum, componat ſolidos II. I. 8. 23.

CXXV. Si battiderit aut percuſſerit, pro una ferita, id eſt, pluslaib (6), ſi vulnus aut livor apparuerit, componat ſol. medium: ſi vero uſque quatuor feritæ fuerint, componat ſol. II. amplius feritæ non numerentur. I. 8. 24.

CXXVI. Si de plagis aut feritis ſuperius ſcriptis aldii, aut ſervi miniſterialis, aut ruſticani, atque aldiæ, aut ancillæ, manus, aut pedes, vel quodlibet membrum, plagatum aut percuſſum eſt, ſi fuerit ſideratum, & non perexcuſſerit a corpore, ſimili modo componat, tanquam ſi eum excuſſiſſet. I. 8. 25.

CXXVII.

---

(1) In Salica Lege Tit. XXXI. Cap. VI. habetur: *Si ſecundum digitum, quo ſagittatur, excuſſerit*. Ita in editis a Baluzio, & Eccardo. Neque improbanda lectio. Attamen in Cod. Eſten. altera occurrit & ipſa probanda, nempe *quo ſignatur*, hoc eſt digitus index. Qua appellatione unus ille digitus deſignatur; quum contra ad *ſagittandum* pollice quoque ſit opus.

(2) Ms. Eſten. præfert, *aut ſagitta injecta, aut cum qualibet arma*. Alter Ms. *aut ſagitta injecta, aut per quælibet arma*.

(3) Cod. Eſtenſ. *medium pretii ipſius, quod appretiatus fuerit, ac ſi eum occidiſſet, componat*.

(4) Addit Ms. Eſten. *ſeu tibiam*.

(5) Hæc ita in Cod. Eſten. *aut coxam, ſeu tibiam ruperit, componat ſolidos III. excepto operas, & mercede Medici*.

(6) Ms. Eſtenſ. *Si quis ſervum alienum ruſticanum percuſſerit, id eſt pluslaim* (Ms. Cathed. Mutin. habet *puliſclagi*), *pro una ferita, ſi vulnus* &c.

CXXVII. Omnes vero plagæ aut feritæ tam de aldiis, quam de servis ministerialibus, seu de servis rusticanis, atque aldiis, aut ancillis, quæ evenerint, per hunc tenorem, sicut supra constitutum est, finiantur. Si autem aliqua dubietas inde fuerit, quod evadere, aut citius sanari non possit, tunc medium pretii de plaga, quod arbitratum fuerit, dominus ejus accipiat: reliqua vero medietas suspendatur, usque dum cognoscatur, si intra anni spatium evadere possit de ipsa plaga. Si evaserit, quod reliquum est, compleatur. Si autem de ipsa mortuus fuerit intra anni spatium, sicut subter annexum est, ita componat. Quod pro plaga acceptum est, in ipsa summa compositionis mortui computetur. I. 8. 26.

CXXVIII. Qui plagas fecerit, ipse quærat medicum; & si neglexerit quærere, tunc ille, qui plagatus est, aut certe dominus ejus inveniat medicum. Et ille qui caput ruperit, aut suprascriptas plagas fecerit, operas reddat, & mercedem medico persolvat, quantum per doctos homines arbitratum fuerit. I. 8. 27.

CXXIX. Si quis aldium alienum occiderit, componat solidos LX. I. 11. 1.

CXXX. & CXXXI. Si quis servum ministerialem (1) probatum, ut supra, aut doctum domi, occiderit, componat solidos L. De alio vero servo ministeriali, qui secundus ejus invenitur esse, & tantum nomen ministeriale habet (2), si quis occiderit, componat solidos XXV. I. 11. 2.

CXXXII. Si (3) quis servum alienum rusticanum, qui sub massario est, occiderit, componat solidos XVI. I. 11. 5.

CXXXIII. Si quis servum alienum bubulcum de sala occiderit, componat solidos XX. I. 11. 4.

CXXXIV. Si quis servum alienum rusticanum, qui sub massario est, occiderit, componat solidos XVI. I. 11. 3.

CXXXV. Si quis porcarium alienum occiderit, magistrum tamen illum, qui sub se discipulos habet duos, aut tres, aut amplius, componat solidos L. De inferioribus autem porcariis si quis occiderit, componat solidos XXV. I. 11. 6.

CXXXVI. Si quis porcarium (4), aut caprarium, seu armentarium occiderit, magistrum tamen, componat solidos XX. Pro discipulis, aut qui sequentes sunt, si quis occiderit, componat solidos XVI. De illis vero pastoribus dicimus, qui ad liberos homines servierunt, & de sala propria exeunt. I. 11. 7.

CXXXVII. Si quis infantem parvulum de servo massario (5) casu faciente occiderit, arbitretur a judice, secundum qualem habuerit ætatem, aut quale lucrum facere poterat, ita componat. I. 11. 8.

De arbore communiter incisa, homineque occiso.

CXXXVIII. Si duo aut tres homines liberi, seu amplius in unum, arborem inciderint, & alium hominem supervenientem occiderint (6), aut quodlibet damnum fecerint; tunc incidentes arborem, quanticunque fuerint, ipsum homicidium aut damnum pariter componant. Et si casu faciente ab ipsa arbore aliquis ex ipsis, qui inciderint, mortuus fuit; si duo fuerint collegæ (7), medietas pretii reputetur illi mortuo, & medietatem reddat parentibus collegæ. Et si plures fuerint, eodem modo portio una reputetur illi mortuo, & quanticunque fuerint vivi, similiter reddant (8) summam pretii, cessante faida, eo quia nolendo fecerint. I. 9. 5.

CXXXIX. Si quis liber homo, aut mulier (9) venenum temperaverit, & alii ad bibendum dare voluerit, componat solidos XX. sicut ille, qui in morte alterius consiliatus fuerit. I. 3. 4.

CXL. Si liber aut libera venenum alii ad bibendum dederit, & qui accepit, ex ipso veneno mortuus non fuerit, componat qui venenum dederit, medietatem pretii ipsius, ac si eum occidisset (10). I. 3. 5.

CXLI.

---

(1) Cod. Esten. *servum alienum ministerialem*. Cod. Cathedr. Mutin. *De servo ministeriali probato, ut supra dictum est, aut docto domi, si occiderit aliquem*.

(2) Restitue ad fidem Mss. Mutinensium: *Qui secundus ei invenitur esse, tamen nomen ministerialis habet, si quis occiderit, componat solid. XXX.*

(3) Legem hanc repetitam vide ex librariorum incuria ex ea, quæ habetur infra Num. CXXXIV. Correctam accipe quam exhibet Murat. Editio: *Si quis servum alienum massarium occiderit, componat solidos XX.* (Nota Collectoris.)

(4) Cod. Ambros. *Si quis pecorarium*.

Hæc ita in Cod. Esten. *De illis vero pastoribus dicimus, qui liberos homines serviunt* &c. Ita quoque in Ambros. Cod. Cathedr. Mutin. *qui dominis serviunt* &c.

Quæ hic dicitur *Sala propria*, idem est ac domus propria, qua significatione vocabulum hoc sæpe usurparunt antiqui. Nos vocem retinuimus, sed ad significandum tantummodo cubiculum cæteris amplius in ædibus potentum, atque nobilium.

(5) Edit. Boher. addit *nolendo*. In fine Cod. Ambr. habet, *ita domino componat*.

(6) In Cod. Ambros. non legitur *liberi*. Uterque Codex habet: *& alium hominem supervenientem ex ipsa arbore occiderint*. Nimirum cadente in ipsum arbore cæsa. Ita quoque Ambros. Cod.

(7) Ms. Cathedr. Mutin. *mortuus fuerit, si duo fuerint collegantes, medietas* &c. Et infra: *reddat parentibus collega ipse*.

(8) Idem Codex: *reddant simul*.

(9) Cod. Esten. & Ambros. *aut libera mulier*.

(10) In Cod. Esten. *medietatem pretii ipsius, quod appretiatum fuerit, ac si eum occidisset*. Tum hæc adduntur, nescio num pars Legis, an Glossæ: *Si liberæ, similiter medietatem. Si amentes ....*

CXLI. Si quis alii venenum ad bibendum dederit, & qui acceperit mortuus fuerit, pretium mortui secundum qualitatem personæ in integrum componat (1). I. *9. 6.*

CXLII. Si servus aut ancilla venenum alteri dederit ad bibendum, & ille qui acceperit, mortuus non fuerit, componat dominus servi vel ancillæ medietatem pretii ipsius, quantum ipse valuerit, qui acceperit, & per omnia (2) ipse servus vel ancilla in ipsa compositione pro quanto appretiati fuerint ad occidendum tradantur. Et si ille mortuus fuerit, qui acceperit, tunc dominus servi vel ancillæ ipsum hominem integrum componat; sic tamen ut servus vel ancilla in ipsa compositione pro quanto appretiati fuerint, ad occidendum tradantur, & nulla sit redemtio aut excusatio in morte servi vel ancillæ. I. *9. 7.*

De eo, qui post acceptam compositionem se revendicaverit. (Cod. Ambros.)

CXLIII. Si homo occisus fuerit liber aut servus, & de ipso homicidio compositio facta fuerit, & pro amputanda inimicitia sacramenta præstita fuerint; & postea si contigerit, ut ille qui compositionem acceperit, revindicandi caussa occiderit hominem de parte, de qua compositionem acceperat, jubemus ut ipsam compositionem in duplum reddat, aut parentibus, aut domino servi. Simili modo de plagis aut feritis, qui post compositionem acceptam revindicare tentaverit, ut in duplum, quod accepit, restituat; excepto si hominem occiderit, componat, ut supra, in integrum. I. *9. 8.*

CXLIV. Si Magister Comacinus (3) cum collegis suis domum ad restaurandum vel fabricandum super se placito finito de mercede susceperit, & contigerit aliquem per ipsam domum, aut materiæ lapsu, aut lapidis mori, aut quodlibet damnum fieri, non requiratur domino, cujus domus fuerit: nisi Magister Comacinus cum consortibus suis ipsum homicidium aut damnum componat. Qui postquam fabulam (4) firmatam de mercede pro suo lucro suscepit, non immerito sustinet damnum. I. *9. 9.*

CXLV. Si quis Magistrum Comacinum unum aut plures rogaverit, aut conduxerit ad operam dictandum (5) aut solatium diurnum præstandum inter suos servos, ad domum aut casam sibi faciendam, & contigerit per ipsam casam aliquem ex ipsis Comacinis mori, non requiratur ab ipso, cujus casa est. Nam si cadens arbor, aut lapis ex ipsa fabrica occiderit aliquem extraneum, aut quodlibet damnum fecerit, non reputetur culpa Magistro; sed ille, qui conduxit, ipsum damnum sustineat. I. *9. 10.*

CXLVI. Si quis casam alienam asto animo, quod est voluntarie, incenderit, in triplo eam, quod est sibi tertia sub æstimatione pretii cum omnibus, quæ ibi cremata fuerint (*6*) (secundum quod vicini homines bonæ fidei appretiaverint) restauret. Et si aliqua de hoc, quod intrinsecus concrematum est, orta fuerit intentio, tunc ille qui damnum pertulit, juratus dicat, quantum in eadem casa perdidit, & omnia ut dictum est, in triplo restituentur ab illo, qui hoc malum voluntarie perpetraverit. I. *19. 1.*

CXLVII. Si quis focum super novem pedes a foculare portaverit, & damnum ex ipso foco sibi aut alteri factum fuerit, ipse qui focum portavit, (7) damnum ferquidum, id est simile componat, ideo quod nolendo fecit: & si intra ipsos novem pedes, quod est de foculare, damnum fieri sibi aut alteri contigerit, non requiratur. I. *19. 2.*

CXLVIII.

---

(1) Additur in Cod. Esten. *At si fœminæ liberæ dedit, in CC. soldos componat.*

(2) Esten. Cod. *qui accepit. Insuper ipse servus, vel ancilla* &c.

(3) Nostris quoque temporibus ex Insubrum montibus, & præcipue ex Lacubus Verbano, & Lario, in reliquas Italiæ partes non pauci commigrant fabri murarii. Comenses autem ad Larium positi, Langobardis regnantibus, majorem ejusmodi artificum copiam suppeditabant, ut puto; atque hinc *Magistri Comacini* appellati fabri cœmentarii, qui & adhuc *Magistri* titulum, sive *Mastro* apud nos retinent. Codex Cathedr. Mutin. hanc Legem ita effert: *Si Magistri Comacini cum collegantibus suis cujuscumque domum ad restaurandum, vel ædificandum super se, placitum finitum de mercede, susceperint.* Significatur autem per *placitum finitum* conventio facta, sive pactum constitutum de mercede.

(4) Idem Codex habet: *fabulam firmam de mercedibus pro suo lucro susceperit, non immerito damnum sustineat. Fabula* hic & alibi in his Legibus *pactum conventionis* significat. *Tabulam* vitiose præferunt nonnullæ editiones.

(5) Uterque Codex Mutin. *ad opera dictandi, aut solatium diurnum præstandi. Operam dictare* significare videtur præesse operariis, eisque normam tradere atque ordinem structionis: quod Architecti solet esse. Sed numquid pro *dictare* legendum *diætare* operam, hoc est diætim præstare operam? Quod sequitur *solatium diurnum*, lectionem ejusmodi admittere videtur; atque hoc postremum fortasse respiciat famulos cœmentarios, quos *Manuali* nos appellamus.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *cum omnibus intrinsecus, quidquid intus crematum fuerit.*

(7) In Mss. Mutinens. *Ipse, qui portavit,* (Ambros. Cod. *portaverit*) *damnum, componat damnum, ferquido, id est similem.* Addit Cod. Cathedr. *ideo quia nolendo fecit.* Alter vero Cod. Estens. *ideo quia volens fecit.* Editio Boherian. & ipsa *nolendo* habet. Cod. Ambr. *quia nolens fecit.* Sequitur uterque Codex Mutin. *Et si intra ipsos novem pedes, quod est a foculare, damnum facere sibi aut alteri contigerit, non ei requiratur.* Novem pedes *a foculare* significat spatio novem pedum longe a foculari ignem excitare, aut delatum relinquere.

CXLVIII. Si quis focum foris in itinere fecerit, antequam egrediatur (1), extinguat eum, & non negligenter dimittat. Nam si contigerit post egressum ipsius alicui ex ipso foco damnum aut læsionem fieri, ipse qui focum fecerit, & negligenter eum dimisit, damnum sicut appretiatum fuerit, componat tantum: sic tamen ut post relictum focum a qua hora reliquerit, usque ad aliam talem horam diei aut noctis computetur, quæ sunt horæ XXIV. Nam si contigerit transire ipsum focum super publicam viam, aut rivum, si damnum fecerit, non requiratur ei, qui focum dimisit. I. 19. 3.

CXLIX. Si quis molinum alterius asto animo incenderit, id est voluntarie, in triplum eum restituat, sub æstimatione pretii, cum omnibus, quæ intus cremata sunt. I. 19. 4.

CL. Si quis molinum alterius scapellaverit (2), aut clausuram ruperit sine auctoritate judicis, componat solidos XII. illi, cujus molinum esse invenitur. Et si judicem interpellaverit, & judex dilataverit ipsam caussam deliberare, aut licentiam dederit adversæ parti ipsum molinum evertendi, componat solidos XX. in Palatio Regis districtus abstolizaz (3). I. 19. 5.

CLI. Si quis molinum in terra aliena ædificaverit, & suam probare non potuerit (4), amittat ipsum molinum, & omnem operam; & ille habeat, cujus terra aut ripa esse invenitur; quia omnes scire debent, quod suum non est, id ad alium pertinere. I. 27. 1.

CLII. Si quis operarios conduxerit, aut rogaverit in opera, & casu faciente contigerit unum ex ipsis aut in aqua mori, aut flumine percuti (5), aut a vento arbore mota occidi, aut propria morte mori, non requiratur ab ipso, qui conduxit aut rogavit: tantum est, ut per ipsius factum, qui conduxit aut rogavit, aut per hominem ejus (6) non moriatur. Et si a quocumque unus eorum occisus fuerit, aut læsus, ipse componat, qui eum occiderit aut læserit. I. 9. 11.

De gradibus cognationum.

CLIII. Omnis parentela usque in septimum (7) genuculum numeretur, ut parens parenti per gradum & parentelam heres succedat: sic tamen ut ille qui succedere vult, nominatim uniuscujusque nomina parentum suorum antecessorum dicat. Et si intentio fuerit contra Curtem Regis, tunc ille, qui quærit, præbeat sacramentum cum legitimis sacramentalibus suis duodecim, & dicat per ordinem, quod parentela nostra sic fuit, & illi sic fuere nobis parentes quomodo nos dicimus. II. 14. 1.

CLIV. Si quis dereliquerit filium legitimum unum, quod est fulboran (8), & filios naturales unum aut plures; filius legitimus tollat duas portiones de patris substantia, naturales vero tertiam. Et si sint duo legitimi, habeant quatuor partes; naturales quintam partem, quanticumque fuerint. Et si tres fuerint legitimi, habeant naturales septimam partem. Si quatuor fuerint legitimi, habeant naturales nonam partem. Si quinque fuerint legitimi, habeant naturales duodecimam partem (9). Si sex fuerint legitimi, habeant naturales tertiam decimam partem. Si septem fuerint legitimi, habeant naturales quintam decimam partem. Si autem plures fuerint, per hunc numerum dividant patris substantiam. II. 14. 2.

CLV. Nulli sit licentia naturales filios æquales, aut consimiles facere legitimis filiis, nisi filii legitimi post completam legitimam ætatem patri consenserint. Legitima autem ætas est, postquam filii duodecim annos habuerint (10). II. 14. 3.

CLVI. De filio naturali, qui de ancilla alterius natus est, si pater comparaverit eum, & liberum thingaverit, libertas illi per-

(1) Cod. Cathedr. Mutin. *Si quis focum foris in itinere fecerit, antequam vadat* &c. Quod infra legitur, *super publicam viam, aut rivum*, significare hæc puto: Si contigerit, ut ignis ultra publicam viam, aut ultra aquæ rivum, sive ultra ripam, quæ confinis sit, transiliat, & damnum faciat, vento videlicet flante delatus: tunc quia casus hic fortuitus prævideri non potuit, nulla pœna homini infligatur.

(2) Cod. Estens. *capellaverit*. Atque ita fortasse scribendum. *Capellare*, & *Capulare* significabat frangere, concidere, & similia. Infra idem Cod. habet: *cujus molinus est*.

(3) Cod. Esten. *districtum ab astolisazo*. Cod. Cathedr. Mutin. *abstolscaz*. Germanicæ Linguæ peritis divinare hic, & verba restituere liceat.

(4) Cod. Esten. *& suam eamdem terram probare non potuerit, amittat ipsum molinum cum omnia opera sua*. Cod. Cathedr. Mutin. *& omnia opera sua perdat, & ille habeat, cujus terra fuerit; quia omnis scire debet, quod suum est, non alienum*. Additur in fine Glossa: *Similiter judicantur de ceteris ædificiis, ut de molino*.

(5) Locus corrigendus præeunte Ms. Estensi, *aut a fulmine percuti*.

(6) Rectius in Cod. Esten. *aut hominum ejus*: scilicet dummodo non moriatur opera illius, qui conduxit, aut hominum, sive famulorum ejus.

(7) Hoc est in septimum cognationis, sive generationis gradum: quam vocem habent etiam Leges Ripuaria, & Salica. *Genuculum* a vocabulo *Genus*. Infra in Ms. Ambros. legitur, *parentum antecessorum suorum*. In Estensi vero, *parentum suorum dicat antecessorum. Et si intentio facta fuerit circa Curtem* &c. Legitur quoque supra *per gradus* in Cod. Cathedr. Mutin. non *per gradum*.

(8) Cod. Cathedr. *quod est fulbornet*.

(9) Rectius hæc expressa in Cod. Cathedr. Mutin. *Si quinque fuerint legitimi, habeant naturales undecimam partem*.

(10) In utroque Codice: *Legitima ætas est, postquam duodecim annos habuit ipse filius*.

permaneat. Et ſi non liberaverit (1) eum, ſit ſervus, cujus & mater eſt ancilla. Nam ſi eum comparaverit, & eum liberaverit, & aliquid de rebus ſuis per legem ei thingaverit, habeat ipſas res. II. 14. 4.

CLVII. De eo, qui de filio naturali generatus fuerit, quod eſt threus (2), heres non fiat, niſi ei thingatum fuerit aliquid per legem. Et ſi ei thingatum non fuerit aliquid de rebus, tamen libertas illi permaneat. II. 14. 5.

CLVIII. Si quis dereliquerit filias legitimas duas aut plures, & filios naturales unum aut plures, & alios parentes proximos (3), ut ſupra; illæ filiæ tollant uncias ſex, quod eſt medium: (naturales (4) filii uncias quatuor, quod eſt tertia pars, & parentes legitimi uncias duas, quod eſt ſexta pars.) Et ſi parentes non fuerint, Curtis Regia ipſas duas uncias ſuſcipiat. II. 14. 7.

CLIX. Si quis dereliquerit filiam legitimam unam, & filium naturalem unum, aut plures, & alios parentes proximos, æqualiter dividant ſubſtantiam defuncti, id eſt in tres partes. Filia legitima accipiat uncias quatuor, quod eſt tertia pars: naturales filii uncias quatuor; & parentes proximi, aut heredes uncias quatuor; quod eſt tertia pars. Et ſi parentes proximi non fuerint, tunc Curtis Regia ſuſcipiat ipſas quatuor uncias. II. 14. *6.*

CLX. Si quis dereliquerit filiam legitimam unam aut plures, & filium naturalem unum aut plures, & ſororem legitimam unam aut plures, tollant filiæ, & ſorores inter ſe æqualiter dividendas uncias ſex, quod eſt medium; naturales filii uncias quatuor, quod eſt tertia pars; & duas uncias parentes legitimi. Et ſi parentes legitimi non fuerint, Curtis Regia ſuſcipiat ipſas duas uncias, quod eſt ſexta pars. Pro mundio autem ſupra ſcriptarum, tollant naturales filii tertiam partem; & heredes legitimi, aut Curtis Regia partes duas. II. 14. 8.

CLXI. Si fuerint filii legitimi, & naturales, & ſorores tam legitimæ, quam naturales, pro mundio (5) earum tollant filii legitimi partes duas, naturales vero partem tertiam. II. 14. *9.*

CLXII. Si fuerint filii legitimi, & filii (*6*) naturales duo aut plures, & contigerit caſus, ut unus ex naturalibus occiſus fuerit, tollant legitimi fratres pro compoſitione ipſius; quo appretiatus fuerit, partes duas: naturales, qui remanſerunt vero, tertiam partem. Facultas vero illius mortui ad legitimos fratres revertatur, & non ad naturales (7). Ideo ita prævidimus hoc propter faidam deponendam, id eſt inimicitiam pacificandam. II. 14. 10.

CLXIII. Si quis in morte parentis ſui inſidiatus fuerit, id eſt ſi frater in morte fratris ſui aut barbani, quod eſt patruus, ſeu conſobrini inſidiatus fuerit (8), & ille, cui inſidiatus fuerit, filium non reliquerit, non ſit illi heres, de cujus anima tractavit, nec (*9*) alii parentes proximi; & ſi alios parentes proximos non habuerit, tunc illi Curtis Regia ſuccedat. De anima autem illius homicidæ ſit in poteſtate Regis judicare quod illi placuerit: res vero, quas homicida reliquerit, parentes proximi, & legitimi habeant; & ſi parentes proximos non habuerit, tunc Curti Regiæ ſocientur. I. 10. 1.

CLXIV. Si quis ex parentibus, id eſt barbanus, (10) quod eſt patruus, aut quicumque proximus de nepote aut conſobrino, doloſo animo dixerit, quod de adulterio natus ſit; nam non de certo patre: tunc ille, cui crimen mittitur, quærat ſibi liberos homines ſacramentales duodecim, & præbeat (11) ſacramentum, quod filius legitimus ſit, & per legem res ipſæ ad eum pertineant, nec alteri eas per legem dimittere debeat. Et ſi hoc fecerit, habeat & fruatur: quia grave & impium videtur eſſe, ut talis cauſſa ſub uno ſcuto per pugnam dirimatur. II. 55. 1.

CLXV. Si quis dixerit de uxore aliena, quod

---

(1) Cod. Cathedr. Mutin. *Et ſi non libertaverit eum*. Ita & infra.

(2) Uterque Codex Ms. habet, *qui eſt*, ſeu *quod eſt threus*. Editio Boherian. *ſtremus*, & in margine *thecus*. Sequitur in Codice Eſtenſ. *heres non fiat, niſi ſi ei thingaverit per legem. Et ſi* &c. Additur Gloſſa, quæ contrarium ſonare videtur: *Is qui de filio liberto naturali generatus fuerit, quod eſt threus, heres patris fiat, etiamſi thingatum non fuerit. Threus* Libertum ſignificat.

(3) Addit Cod. Cathedr. *aut heredes*.

(4) Ambroſian. Cod. verba parentheſi clauſa non habet.

(5) Tum hic, tum in præcedenti Lege *mundius*, ſive *mundium* uſurpatum videtur pro portione hæreditaria in bonis parentum.

(6) In eodem Cod. atque in Ambroſ. legitur; *filii legitimi, & naturales*. Infra idem Codex: *Naturales vero, qui remanſerint, partem tertiam*.

(7) Ibidem hæc ita efferuntur: *Facultas vero illius mortui legitimi fratres accipiunt, nam non naturales*. Et de hiſce elegantiis minime ſtupendum.

(8) Uterque Cod. habet: *Inſidiatus fuerit, aut conſiliatus, & ille, cui inſidiatus, aut conſiliatus fuerit, filios non reliquerit, non ſit illi heres*. Ita quoque in Ambroſ. *Barbanus* pro patruo apud antiquos ſæpe occurrit. Adhuc vocem *barba* Italica lingua retinet eadem ſignificatione. Infra ad *parentes proximos* Cod. Eſten. addit *legitimos*. Ambroſianus autem habet, *proximos, aut legitimos*.

(9) Apud Murat. *Sed*. (*Nota Collect.*)

(10) Cod. Eſten. habet, *id eſt barbam*. Cod. Cathedr. *id eſt barba*. Infra in Ambr. Cod. *quærat ſibi liberos ſacramentales, & præbeat*. Legitur, *quicumque ex proximis*.

(11) In Cod. Cathedr. Mutin. legitur, *qui præbeant ſacramentum*. Uterque Codex in fine pro *dirimatur* habet *dimittatur*.

quod mundium de ea ad ipſum pertineat, (1) nam non ad maritum; tunc ille, qui eam habet uxorem, præbeat ſacramentum cum legitimis ſacramentalibus ſuis duodecim, quod de certo domino mundium ipſius feciſſet, & non eum alteri per legem dimittere debeat. Si autem hoc fecerit, habeat & fruatur: quia injuſtum videtur eſſe, ut tam grandis cauſſa ſub uno ſcuto per pugnam dirimatur. II. 55. 2.

CLXVI. Si fuerit ſuſpicio, quod maritus immerentem uxorem ſuam occidiſſet, ita decernimus, ut purificet ſe maritus cum ſacramentalibus ſuis legitimis duodecim, quod in morte ipſius mulieris mixtus non ſit nec per ſe, nec per aliam ſuppoſitam perſonam: & ſit abſolutus ab hoc crimine. Quia abſurdum, & impoſſibile videtur eſſe, ut tam grandis cauſſa ſub uno ſcuto per pugnam dirimatur. II. 55. 3.

CLXVII. Si fratres poſt mortem patris in caſa communi remanſerint, & unus ex ipſis in obſequio Regis, aut cum Judice aliquas res acquiſierit (2) ſerviendo, habeat ſibi in antea abſque portione fratrum, nec quod foris in exercitu acquiſierit, commune ſit cum fratribus, quos in communi caſa dimiſerit. Et ſi quis alicui de ſuprafcriptis fratribus garathinx fecerit, habeat in antea ille, cui factum fuerit. Et ſi quis ex ipſis duxerit uxorem, & de rebus communibus meta data fuerit, (3) quando alter uxorem tulerit, aut quando ad diviſionem faciendam venerit, ſimili modo de communibus rebus ei refundatur aliud tantum, quantum ille alter frater in meta dederit: paternæ autem vel maternæ ſubſtantiæ quod reliquum fuerit, inter ſe æqualiter dividant. II. 14. 11.

CLXVIII. Nulli liceat (4) ſine certa culpa filium ſuum exheredare, nec quod ei debetur per legem, alii thingare. II. 14. 12.

CLXIX. Juſtas autem culpas dicimus exheredandi filios eas eſſe; ſi filius contra animam patris aut ſanguinem inſidiatus aut conſiliatus fuerit: aut ſi percuſſerit patrem voluntarie: aut ſi cum matrinia ſua, id eſt noverca peccaverit, juſte a patre exheredatur. II. 14. 12.

CLXX. Item ſicut nec patribus licitum eſt ſine juſta cauſſa, aut culpa filios ſuos exheredare, ita nec filiis liceat vivo patre cuicunque res ſuas thingare, aut per quemlibet titulum alienare, niſi filios forte, aut filias legitimas, aut filios naturales dimiſerit, ut ipſi ſecundum legem conſervent (5). II. 14. 12.

CLXXI. Si quis deſperaverit propter ſenectutem, aut aliquam corporis infirmitatem, quod filios non poſſit habere, & res ſuas alii thingaverit; poſteaque cum contigerit filios legitimos procreare, omne thinx, quod eſt donatio, quæ prius facta eſt, rumpatur, & filii legitimi unus aut plures, qui poſtea nati fuerint, heredes patri in omnibus ſuccedant. Si autem filiam legitimam unam, aut plures, ſeu filios naturales unum, aut plures, poſt thinx factum habuerit, habeant & ipſi legem ſuam, ſicut ſupra conſtitutum eſt, tamquam ſi nulli (6) alii thingatum fuiſſet. Et ille, cui thingatum eſt, tantum habeat, quantum alii parentes proximi debuerant habere, aut Curtis Regia ſuſcipere, ſi alii thingatum non fuiſſet. II. 14. 13.

CLXXII. Si quis res ſuas alii thingare voluerit, non abſconſe, ſed ante liberos homines, ipſum garathinx faciat, quatenus qui thingat, & qui giſiles fuerint, (7) liberi ſint, ut nulla in poſterum oriatur contentio. II. 15. 1.

CLXXIII. Si quis res ſuas alii thingaverit, & dixerit in ipſo thinx lidolaip, id eſt, qui (8) in die obitus ſui reliquerit, non diſpergat ipſas res poſtea doloſo animo, niſi fruatur cum ratione. Et ſi talis evenerit neceſſitas, ut terram cum mancipiis vendere, aut loco pignoris ponere debeat, aut ſine mancipiis, dicat prius illi cui thingaverit: *Ecce vides, quia neceſſitate compulſus, res iſtas volo vendere. Si tibi videtur, ſubveni mihî, & res iſtas conſerva* in

(1) Cod. Eſtenſ. *quod mundium ad ipſum pertineat*. Hoc eſt ejus tutela, ſive defenſio ad ipſum ſpectet: quod importabat ſpeciem quamdam juris ac dominationis in mulierem habenti ipſam in mundio. Fœminæ autem nuptæ in mundio mariti eſſe jubebantur.

(2) Cod. Eſtenſ. *in obſequium Regis, aut Judicis aliquid adquiſiverit, habeat ſibi in antea*. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *& quod foris in exercitu*. Infra idem Cod. *quando alteri eamdem uxorem tollere contigerit*. Qui *Judex* hic appellatur, *Comes* quoque interdum appellatus eſt, hoc eſt Præfectus Civitati. At ſub Regibus Francis frequentiori in uſu fuit *Comitis* appellatio.

(3) Antiquitus etiam Langobardis in more fuit marito dotem recipere, & uxori donationem propter nuptias facere. Hanc donationem *metam* appellabant, quæ vox ſæpe infra recurret. Vide Legem CLXXVIII & CLXXXII. ipſius Rotharis. Statuebatur autem *Meta* eo ipſo die, quo ſponſalia de futuro matrimonio publicis tabulis firmabantur.

(4) Cod. Eſten. *Nulli ſit licentia*. Sequitur Cod. Cathedr. *ſine certa culpa filium exhæreditare*. In editis Lex iſta cum duabus ſequentibus continuatur. Infra legitur in Mss. *aut per quemlibet titulum*. *Thingare* idem hic eſt, ac *donare*.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *ut ipſi ſecundum legem conſentiant*. Sed cum editis conſentit Cod. Eſtenſis.

(6) Cod. Cathedr. *tamquam ſi nihil alii*. In poſtremis verbis Cod. Eſten. præfert: *Si illi thingatum non fuiſſet*.

(7) Uterque Cod. Mutin. *& qui giſel fuerit*. *Giſel* teſtem ſignificat.

(8) Codex Cathedr. Mutin. ſcriptum habet, *lidinlaib*:, *id eſt, quod in die obitus* &c. Codex Ambroſ. *lindila*. Eſtenſis vero, *lidem lajo* &c. *non diſpergat ipſas res doloſo animo, & fruatur eas cum ratione. Et ſi talis ei evenerit neceſſitas, ut terram cum mancipiis, aut ſine mancipiis vendere* &c. Infra, *res iſtas vado dare*.

in tua proprietate. Tunc si noluerit subvenire, quod alii dederit, sit illi stabile & firmum, qui acceperit. II. 15. 2.

CLXXIV. Nulli donatori liceat ipsum thinx, quod antea fecerit, iterum in alium hominem transmittere: tantum est, ut ille, qui garathinx susceperit, tales culpas non faciat donatori suo, quales solent ingrati filii parentibus suis facere, per quas exheredantur, quæ in hoc Edicto scriptæ sunt. Ipse autem, qui garathinx susceperit (1) ab illo, quidquid reliquerit donator in diebus obitus sui, habeat licentiam in suum dominium recolligere, & debitum creditoribus solvere, & aliis requirere; & quod in fiduciæ nexu positum est, reddat debitum, & requirat rem in fiduciæ nexu positam. II. 15. 3.

CLXXV. Si quis res suas cuicumque donaverit, & postea qui donaverit, launechild (2) requisierit, tunc ille qui acceperit, aut heredes ejus jurent, quod launechild redditum sit. Et si ausus non fuerit jurare, quod compositum sit, reddat ei ferquidum, id est simile, quale in illa die fuit, quando donatum est: & si juraverit, sit absolutus. II, 15. 4.

CLXXVI. Si quis leprosus fuerit effectus, & cognitum fuerit Judici vel populo, quia certa sit rei veritas, & expulsus sit a civitate, vel a casa, ita ut solus inhabitet, non sit illi licentia res suas alienare, aut thingare cuilibet personæ. Quia in eodem die, quando a domo expulsus est, tamquam mortuus habetur. Tamen dum vixerit, de rebus, quas dereliquerit, pro mercedis intuitu nutriatur. II. 18. 1.

CLXXVII. Si quis liber homo migrare voluerit aliquo, potestatem habeat intra dominium regni nostri cum fara sua (3) migrare, quo voluerit; sic tamen, si a Rege ei data fuerit licentia. Et si ei aliquas res Dux, aut quicunque liber homo (4), donaverit, & cum eo noluerit permanere, vel cum herede ipsius, res ad donatorem, vel heredem ejus revertantur. III. 14. 1.

CLXXVIII. Si quis sponsaverit puellam liberam aut mulierem, & post sponsalia facta, & fabulam (5) firmatam, per duos annos sponsus neglexerit eam tollere, & dilataverit nuptias exequi; post transactum biennium potestatem habeat pater, aut frater, vel qui mundium ejus in potestate habet, distringere fidejussorem, quatinus adimpleat metam illam, quam in die sponsaliorum promisit: postea liceat eis ipsam dare marito alii, libero tantum. Et meta, quæ exacta fuerit, sit in potestate puellæ, aut mulieris, eo quod sponsus infra præfinitum tempus eam tollere neglexerit, aut voluntarie dilataverit, excepta inevitabili caussa. II. 1. 1.

CLXXIX. Si dixerit sponsus de sponsa sua, postquam eam sponsaverit, quod adulterata sit, (6) liceat eam parentibus purificare cum duodecim sacramentalibus suis. Tunc postquam purificata est, accipiat eam sponsus, sicut in priori fabula stetit. Et si postquam purificata fuerit, eam tollere uxorem neglexerit, sit culpabilis sponsus duplam metam, quantum dictum est in die illa, quando fabula firmata fuerit. Et si parentes, ut dictum est, eam de ipso crimine mundare non potuerunt, tunc sponsus recipiat res suas, quas dederit, & illa patiatur pœnam adulterii, sicut in hoc Edicto scriptum est. II. 1. 2.

CLXXX. Si peccatis imminentibus contigerit, postquam puella aut mulier sponsata fuerit, ut leprosa aut dæmoniaca (7) aut de ambobus oculis cœcata fuerit, tunc sponsus recipiat res suas, quas dedit, & non compellatur ipse invitus eam tollere ad uxorem, nec pro ea caussa calumnietur; quia non suum neglectum fuerit, sed peccato imminente, & ægritudine superveniente. II. 1. 3.

CLXXXI. Si pater filiam suam, aut frater sororem suam legitimam alii ad maritum (8) dederit, in hoc sibi sit contenta de patris, aut fratris substantia, quantum ei pater, aut frater in die nuptiarum dederit, & amplius non requirat. II. 14. 14.

CLXXXII. Si quis filiam suam (9) aut quam-

(1) Uterque Cod. Mutin. *Ipse autem, qui garanthinx susceperit ab alio, quidquid reliquerit donator in die* &c.

(2) In Ambros. legitur *Lonebitd*. At in Mss. Mutinen. & alibi *Launechid*, *Launichild*, & *Launegild*. Atque ita scribendum. Significat vox ista remunerationem, & donum simile. Neque enim Langobardus donare publicis tabulis quidquam alteri poterat, nisi a donatario aliquod vicissim donum reciperet, puta annulum, equum, pileum, scutum, aut quid simile. Exempla prostant in Chartis antiquis. Excipiebatur donatio facta Ecclesiis. Infra Codex Esten. *reddat ei fercoid, id est similem, qualis* &c.

(3) Id est, cum sua generatione, sive familia. Vocem hanc usurpavit & Paulus Diaconus de Gestis Langobardorum.

(4) *Liber homo*. Ita ap. Mur. (*Nota Collect.*)

(5) Hoc est, stabilito per publicas tabulas pacto omni de matrimonio futuro. Eadem vox occurrit & in aliis Legibus infra.

(6) Cod. Esten. *postquam eam sponsatam habuit, quod adulterasset*. Infra in eodem legitur: *cum duodecim sacramentalibus legitimis. Tunc post purificatam accipiat* &c.

(7) Cod. Esten. *aut leprosa, aut dæmoniosa facta fuerit, aut de ambobus* &c. Consonat hæc eadem Lex cum Sacrorum Canonum doctrina, ut videre est C. *Literas extra de Conjugio Lepros.* & C. *Quemadmodum extra de Jurejurando*. Vide S. Thomam in IV. Senten. 27. qu. 2. art. 3. Subdit Codex Cathedr. Mutin. *aut ambos oculos excœcata apparuerit*.

(8) Cod. Esten. *Si quando filiam pater, aut frater sororem suam legitimam alii uxorem dederit, in hoc sit sibi contenta de patris* &c. Infra legitur, *in die traditionis nuptiarum* &c.

(9) Cod. Esten. *Si quis filiam suam, aut sororem, aut quamlibet* &c. Infra, *potestatem habeat illa vidua*. Infra Cod. Ambros. *qui eam tulerit, disponat de suis* &c.

quamlibet parentem in conjugio alii dederit, & contigerit casus, ut ille maritus moriatur, potestatem habeat illa mulier vidua, si voluerit, ad alium maritum ambulandi, liberum tantum. Secundus autem maritus, qui eam tollere disponit, de suis propriis rebus medium pretii, quantum fuerit dictum, quando eam primus maritus sponsavit, pro ipsa meta dare debet ei (1), qui heres proximus mariti prioris esse invenitur. Et si noluerit accipere, habeat ipsa mulier morgengab, & quod de parentibus ejus adduxerit, id est phaderfium: parentes vero ejus potestatem habeant eam dandi ad alium maritum, ubi & ipsi & illa voluerint. Et mundium prioris mariti non habeant parentes, pro eo quod denegaverunt eidem voluntatem suam: ideo redeat mundium ejus ad parentes proximos, qui prius eam ad maritum dederint. Et si parentes non fuerint legitimi, tunc mundium ipsius mulieris ad Curtem Regis pertineat. Et si talis fuerit mulier, quæ maritum non vult, aut non possit habere, sit in potestate ipsius, ad quem mundium de ea pertinet. Et si ille eam male habuerit (2), aut tractaverit, & probatum fuerit, tunc liceat ei ad parentes suos reverti; & si parentes non habuerit, ad quos ipsa revertatur, ad Curtem Regis habeat refugium, & mundium ejus in potestate Regis sit. II. 1. 4.

CLXXXIII. Si quis pro muliere libera, aut puella mundium dederit, & ei tradita fuerit (3) ad uxorem, posteaque mortuus fuerit maritus, & contigerit, ut ipsa mulier ad alium maritum debeat ambulare, aut ad parentes reverti, aut ad Curtem Regis, tunc heres mariti prioris accipiat medium de meta, sicut supra constitutum est, & ipsa per manum ei simili modo retradatur, sicut priori marito tradita fuerit. Nam aliter sine traditione nullarum rerum dicimus subsistere firmitatem. II. 1. 5.

CLXXXIV. Si quando pater filiam, aut frater sororem suam alii ad uxorem tradiderit, & aliquis ex amicis accepto xenio ipsi mulieri aliquid dederit, in ipsius sit potestate, quia mundium (4) de ea fecit; eo quod maritus, si launechild requisitum fuerit, ipse debeat persolvere. II. 1. *6*.

CLXXXV. Nulli liceat novercam suam, id est matrinam (5), quæ fuit uxor patris, neque privignam, id est filiastram, neque cognatam, quæ fuit uxor fratris, ducere uxorem. Et si ipsa consenserit, vir, qui eam duxerit uxorem, componat pro culpa in Curte Regis solidos C. & mox separetur ab ea, districtus a Rege. Et ipsa mulier habeat medium de omni re sua, & medium amittat, & Curtis Regia suscipiat, eo quod contra mandatum regis illicitas consenserit celebrare nuptias, & pœnam sustineat, & mox, ut dictum est, separentur. II. 8. 1.

CLXXXVI. Si vir mulieri violentiam fecerit, & invitam eam tulerit ad uxorem, sit culpabilis DCCCC. solid. medium Regi, & medium parentibus mulieris: & si parentes non habuerit, ipsi DCCCC. (*6*) solidi ad Curtem Regis exigantur. Et mulier ipsa habeat licentiam cum omnibus rebus suis propriis, quæ ei per legem competunt, eligendi, qui mundium ejus in potestate habeat; vult ad parentes, si habuerit, vult ad fratrem, vult ad barbanum, aut ad manum Regis, in ipsius mulieris sit potestate, ubi sibi ipsa elegerit. I. 30. 1.

CLXXXVII. Si quis violento nomine (7) tulerit uxorem, componat ut supra solidos DCCCC. & postea mundium ejus faciat. Nam si contigerit casus, ut antequam mundium ejus faciat, mortua fuerit, res ejus parentibus reddantur: & ille vir qui eam violento ordine tulerit uxorem, componat eam pro mortua, tamquam si virum de simili sanguine, id est fratrem ejus occidisset, ita appretietur; & eam parentibus pro mortua componere cogatur, aut cui mundium de ea pertinuerit. I. 30. 2.

CLXXXVIII. Si puella libera, aut vidua, sine voluntate parentum ad maritum ambu-

(1) Hoc est, restituere hæredibus defuncti mariti dimidium donationis sibi nuptiarum caussa factæ. *Phaderphium*, quod in Estensi Codice scribitur *Faderfium*, dotem significat, quam ipsa mulier ex paternis bonis ad maritum attulit. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *tunc mundius ille ad Curtem Regis perveniat*.

(2) Hoc est, si hæres defuncti mariti, ad quem mundium spectat viduæ mulieris, eam male habuerit.

(3) In Mss. Mutinen. legitur: *& evenerit, ut tradatur ad uxorem, posteaque mortuus* &c. Cod. Ambros. *& conveniet, ut ei tradatur*. Infra Cod. Esten. *tunc hæredes prioris mariti accipiant medietatem de meta, quæ adpretiata fuit, quæ a priore marito data est, ipsa* &c.

(4) Cod. Esten. habet: *in ipsius sit potestate, qui donationem de ea fecit*. Ubi vides *mundium facere*, ac *donationem facere* nuptiarum caussa, idem fuisse. Scilicet donatio uxori fiebat a viro, ut ejus *mundium*, sive tutelam, ac potestatem in eam ille sibi acquireret. Vide in antecedenti Lege, *mundium dederit*, hoc est donum caussa mundii obtinendi dederit.

(5) Cod. Cath. Mut. *id est matriniam*. Infra in Cod. Esten. *eo quod contra Dei mandatum consenserit illicitas contrahere nuptias, hanc pœnam patiantur, & mox ut dictum est, separentur*. Cod. Cathedr. addit: *alter ab altero*.

(6) Cod. Esten. *tunc ipsi DCCCC. solidi in integrum ad Curtem* &c. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *cum omnes res suas proprias, quæ ei per legem competunt, eligendum qui mundio ejus in potestate debeat habere*. Etiam Cod. Esten. habet, *qui mundium ejus* &c. Inferius: *vult ad barbanem*. Cod. Esten. *vult ad barbam*. In fine: *sit in potestate, ubi sibi ipsa voluerit*. Cod. Ambros. *ubi sibi ipsa mulier elegerit*.

(7) Cod. Cathedr. Mutin. *Si quis violenti animo tulerit*. Sequitur Cod. Esten. *uxorem liberam*.

laverit, liberum tamen, tunc maritus, qui eam acceperit uxorem, componat pro anagrip (1) solidos xx. & propter faidam alios xx. Et si contigerit casus eam ante mori, quam mundium ejus faciat, res ipsius mulieris ad eum revertantur, qui mundium ejus in potestate habet: nam amplius calumnia præsumtori non generetur. Et ideo perdat maritus res mulieris, eo quod mundium ejus de ea facere neglexerit. II. 2. 1.

CLXXXIX. Si puella, aut mulier libera voluntarie fornicata fuerit, cum libero tamen homine, potestatem habeant parentes ejus in eum dare vindictam. Et si forte ambabus partibus (2) steterit, ut ille, qui fornicatus fuerit, eam tollat uxorem, componat pro culpa, id est anagrip solidos xx. Et si non convenerit, ut eam habeat uxorem, componat solidos c. medium Regi, & medium ad quem mundium de ea pertinuerit. Et si parentes neglexerint, ut eam habeat uxorem aut noluerint in ipsam dare vindictam, tunc liceat Gastaldio Regis, aut Sculdasio, ipsam ad manum Regis tollere, & judicare de ipsa, quod Regi placuerit. I. 31. 1.

CXC. Si quis puellam aut viduam alteri sponsatam, illa tamen consentiente, tulerit uxorem, componat parentibus mulieris, id est patri, vel fratri ejus, vel ad quem mundium pertinuerit, pro anagrip solidos xx. & propter faidam alios xx. & mundium ejus qualiter steterit, faciat. Sponso autem cui sponsata fuerit, omnia quæ in meta sunt dicta, quando eam sponsavit, in duplum ei componatur ab illo, qui ei de sponsa sua turpe fecit; & postea sponsus, post acceptam duplam compositionem, sit sibi contentus, & amplius ex hac caussa adversus fidejussorem calumnia non requiratur. II. 2. 2.

CXCI. Si (3) quis puellam aut viduam alteri sponsatam, illa tamen consentiente, rapuerit, sit culpabilis parentibus mulieris, id est patri, aut fratri, vel cui mundium de ea pertinuerit, DCCCC. solidos, medium Regi, & medium parentibus puellæ, aut qui sunt proximi; & mundium ejus, sicut convenerit, faciat. Sponso autem, in cujus turpitudinem aut deridiculum egit, componat duplam metam, quantum dictum est in die illa, quando fabula firmata fuerit, & amplius fidejussori, aut raptori ab ipso sponso suo calumnia non generetur, sed sit sibi contentus in ipsa dupla compositione. I. 30. 3.

CXCII. Si pater, aut frater, (4) aut aliquis ex parentibus puellæ, eam alii sponsaverit, & postea cum alio extraneo colludium fecerit, aut fraudem commiserit cum illo, qui eam violenter, aut ipsa consentiente ducat uxorem: tunc illi parentes, qui hujus colludii fraudem consenserint, componant sponso, qui eam sponsatam habuit, similem pœnam, ut supra, duplam metam, quæ dicta fuerat tempore sponsaliorum; & postea sponsus amplius adversus eos, aut fidejussores eorum, calumniam non requirat. I. 30. 4.

CXCIII. Si puella libera servum alienum foris provinciam secuta fuerit, requirant eos (5) pariter, dominus servi & parentes puellæ; Et si eos invenerint, ambo pœnam luxuriæ juxta legem sustineant: nam culpa ad dominum, cujus servus fuerit, non requiratur, II. 9. 1.

CXCIV. Si quis cum ancilla gentili (6) fornicatus fuerit, componat domino ejus solidos xx. et si cum Romana, solidos XII. I. 31. 2.

CXCV. Si quis de puella libera aut muliere mundium in potestate habens, excepto patre aut fratre, ei crimen injecerit, quod adulterata sit, tunc amittat mundium ipsius (7) puellæ, & illa potestatem habeat cum rebus suis propriis, si vult, ad parentes reverti, vel ad Curtem Regis se commendare, qui mundium ejus debeat habere: & si vir ille hoc crimen dixisse negaverit, liceat ei se pu-

(1) Id est pro culpa præsumtionis suæ, ut hanc vocem Glossographi explicant.

(2) Cod. Esten. *amborum parentibus*. Infra: *& medietatem parentibus mulieris. Et si parentes* &c. Infra: *aut Sculdai*.

(3) Hæc ita se habent in Cod. Esten. *Si quis rapuerit puellam, aut viduam sponsatam alteri, sit culpabilis soldos* DCCCC. *medietatem Regi, & medietatem parentibus puellæ, id est patri, aut fratri, aut qui proximi sunt; & mundium ejus, sicut convenerit, faciat. Sponso autem (cui turpe, & ridiculum egit) componat duplam metam, quantum dictum est in die illa, quando fabula* &c. Ab his parum abludit Cod. Cathedr. Mutin. ubi hæc tantum attingenda: *cujus in turpe, aut in deridiculum egit*. In fine legitur: *in ipsa compositionis pœna*.

(4) Cod. Esten. *aut quislibet ex parentibus puellæ*. Infra: *in duplam metam, quæ dicta fuit in die illa, quando eam sponsavit*. Codex Cathedr. Mutin. *in dupla meta, quæ dicta fuit in die sponsaliorum*.

(5) Cod. Esten. *sequatur eam pariter* &c. Et infra: *pœnam juxta legem*. Et inferius Codex Cathedr. Mutin. *Nam culpa a domino* &c.

(6) Hoc est, *Pagana*, sive quæ in Christum non credit. Tum pœna indicitur fornicanti cum *Romana*, hoc est cum Christiana quidem, sed nata in ditione Romana, quod idem est, ac in regione tunc subjecta Græcis Augustis, quos inter & Langobardos frequens erat bellum. At quæ pœna, bone Rotharis, miscenti se cum ancilla aliena Langobarda? Silet ille. At nonne inde etiam injuria, & damnum obvenit domino ancillæ? Ita sane, atque id sæpe, ac sæpius accidere potuit. Ego medelam indicabo. *Gentilis* hic mihi videtur significare ancillam ex eadem *gente*, hoc est *Langobarda*, ortam. Vide Festum ad hanc vocem. Vide etiam Lib. VI. Cap. XLI. Liutprandi, ubi hæc eadem Lex memoratur. Præterea infra in Lege LVII. ejusdem Liutprandi conjectura mea omnino firmata videtur. Et sane Populum suum Reges ii appellare consueverunt *Gentem Longobardorum*.

(7) Hæc ita in Cod. Estens. *postea mundium ejus in potestate non habeat; & illi puellæ aut mulieri sit licentia cum rebus suis, vult ad parentes reverti, vult ad Curtem &c.* Infra: *qui mundium ejus debeat habere in potestate*. Et in fine: *liceat ei se purificare; & si se purificaverit, habeat mundium ipsius, sicut & habuit*.

purificare, ſi potuerit, & mundium ipſius, ſicut habuit, habere liceat. II. 11. 1.

CXCVI. Si quis (1) mundium de muliere libera, aut puella, in poteſtatem habens, excepto patre aut fratre, & in animam ipſius puellæ aut mulieris inſidiatus fuerit, aut alii invitam ad maritum tradiderit, aut volentibus, ad ejus violentiam faciendam (2) conſenſum præbuerit, aut conſilium dederit, & probatum fuerit, amittat mundium ipſius, & illa poteſtatem habeat de duabus viis eligendi, ubi vult ad parentes reverti, aut ad Curtem Regis (3) cum rebus ſuis propriis, quæ ad eam per legem pertinent, ſe commendari, qui mundium ejus in poteſtate habere debeat. Et ſi ille vir hoc crimen negaverit, liceat ei ſe purificare, & mundium ejus habere ut ſupra. II. 11. 2.

CXCVII. Si quis mundium de puella libera, aut muliere habens, eam Strigam (4), quod eſt Maſca, clamaverit, excepto patre aut fratre, amittat mundium ipſius, ut ſupra; & illa poteſtatem habeat cum rebus ſuis propriis, ubi vult, ad parentes, aut ad Curtem Regis ſe commendare, quæ mundium ejus debeat habere. Et ſi vir ille negaverit dixiſſe hoc crimen, liceat ei ſe purificare, & mundium ejus habere ut ſupra. II. 11. 3.

CXCVIII. Si quis puellam, aut mulierem liberam, quæ in alterius mundio eſt, fornicariam, aut ſtrigam (5) clamaverit, & pulſatus pœnitens manifeſtaverit, ſe per furorem dixiſſe; tunc præbeat ſacramentum cum duodecim ſacramentalibus ſuis, quod per furorem ipſum nefandum crimen dixiſſet, & non de certa cauſſa cognoviſſet. Tunc pro ipſo vano improperii ſermone (6), quod non convenerat loqui, componat ſolidos xx. & amplius non calumnietur. Nam ſi perſeveraverit, & dixerit ſe probare poſſe, tunc per Campionem cauſſa, id eſt per pugnam, ad Dei judicium decernatur. Et ſi probatum fuerit, quod illa de ipſo crimine ſit culpabilis, componat ſicut in hoc Edicto legitur. Et ſi ille, qui hoc ctimen mittit, probare non potuerit, widrigild ipſius mulieris ſecundum nativitatem ſuam componere compellatur. I. 16. 2.

CXCIX. Si pater filiam ſuam, aut frater ſororem ſuam alii ad maritum tradiderit, & contigerit caſus, ut ille maritus moriatur (7), & pater aut frater mundium ejus liberaverit, ſicut ſupra conſtitutum eſt, & illa vidua in domo patris aut fratris regreſſa fuerit, & alias ſorores in caſa patris, aut fratris invenerit, & poſtea pater aut frater mortuus fuerit, & illa remanſerit in domo cum aliis ſororibus, una, aut pluribus, & ad facultatem patris, aut fratris venerint dividendam cum aliis parentibus, aut Curte Regis (8); tunc illa vidua, quæ in domo patris aut fratris regreſſa eſt, habeat ſibi morgengab, & methium; de faderſio autem, id eſt de alio dono, quantum pater, aut frater dederit ei, quando ad maritum ambulaverit, mittat in confuſum cum aliis ſororibus, & illa alia ſoror, una, aut plures, tollat unaquæque in antea quantum pro mundio pater aut frater liberando eam ad parentes mariti defuncti dederit; reliquam patris aut fratris ſubſtantiam æqualiter dividant, ſicut in hoc Edicto legitur. Et ſi ſola in caſa remanſerit, in quantum ei per legem competit, heres ſuccedat. II. 14. 15.

CC. CCI. Si maritus uxorem ſuam (9) occiderit immerentem per quamlibet occaſionem, quæ per legem non ſit merita mori, componat ſolidos mille ducentos; medie-

(1) Cod. Eſtenſ. *Si quis ex parentibus mundium*. Infra: *ad maritum tradere voluerit*.

(2) Idem Cod. *ad ei violentiam faciendam*. Ita quoque in Cod. Cathedr. Mutin.

(3) Ms. Eſten. *poteſtatem habeat de duabus viis, vult ad parentes reverti ſuos, vult ad Curtem Regis*. Eadem legas in Cod. Cathedr. Mutin. Infra habetur: *quæ per legem ei competunt*.

(4) Cod. Eſten. *eamque Strigam*. Vide Adnot. ſequent. Infra Cod. Eſtenſ. *poteſtatem habeat, vult ad parentes reverti, vult ad Curtem Regis* &c. Ita quoque legitur in Codice Cathedr. Mutin. Infra: *qui mundio ejus in poteſtate debeat habere*. In fine idem Cod. *& mundium ſicut habuit habeat, ſi ſe purificaverit*.

(5) Etiam nunc habet Italica Lingua vocem *Strega*. Ms. Cod. Cathedr. Mutin. præfert, *aut Iſtricam*. Atque etiam ita in antecedenti Lege, *eam Iſtricam, quod eſt Maſca, clamaverit*: quaſi a fœminis Iſtriam habitantibus hæc vox derivata fuerit. In Lege Alamannorum, & in Salica Cap. LXVII. num. 2. legitur: *Si quis mulierem ingenuam Striam clamaverit*. Adhuc autem apud nos *Stria* appellatur mulier, quæ veneficiis operam dare a ſtulto popello creditur. Infra idem Cod. *nam non de certa cauſa*.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *improperio, & ſermone*. Cod. Eſten. *improperandi ſermone, quod non convenerat dicere, componat ſoldos X. & amplius non calumnietur. Nam ſi ipſe firmaverit crimen, & dixerit ſe poſſe probare, tunc per Campionem cauſſa ipſa, id eſt per pugnam, adjudicanda decernatur. Et ſi probatum fuerit, tunc illa de ipſo crimine ſit culpabilis, ſicut &c.* In fine uterque Codex habet: *ſecundum nationem ſuam*.

(7) Cod. Cathedr, Mutin. *caſus maritus mori*.

(8) Cod. Eſten. *dividendam cum ſororibus aliis: tunc illa vidua, quæ in domo patris, aut fratris regreſſa eſt, habeat ſibi in antea morgincap & metam*. Ubi vides *metam* adhiberi pro *mephio*. Aliæ editiones & Gloſſographi pro *mephio* legunt *methio*: quæ ſingula vocabula *donationem nuptialem* a marito uxori factam ſignificant. Sequitur Cod. Eſten. *Et faderſium, id eſt quantum, quando ad maritum ambulavit, pater, aut frater dedit ei, mittat* &c. Cod. Cathed. Mutin. *Et illa remanſerit in domo cum alias ſorores una, aut plures, & ad facultatem patris, aut fratris venerint dividendam cum alios parentes aut Curtis Regis, tunc* &c. In fine Cod. Eſten. habet; *Et ſi ſola in caſa patris aut fratris*.

(9) Cod. Eſten. *uxorem ſuam pro qualibet occaſione immerentem* &c. Infra legitur: *& faderſium matris ſuæ mortuæ*. Ita eſt in Cod. Cathedr. Mutin.

dietatem illis parentibus, qui eam ad maritum dederint, & mundium susceperint, & medietatem Regi, ita ut per Actorem Regis distringatur, & pœnas suprascriptas componat. Et si filios de ipsa muliere habuerit legitimos, habeant filii morgingap, & faderphium suæ matris: & si filios de ipsa non habuerit, revertatur ipsa facultas ad parentes, qui eam ad maritum tradiderunt: & si parentes non habuerit, tunc ipsa compositio, & prædicta facultas ad Curtem Regis perveniat. I. *9.* 12.

CCII. Si quis puellam aut mulierem liberam per quamlibet occasionem occiderit, componat solidos MCC. medietatem (1) parentibus ejus, ad quos mundium de ea pertinet, & medietatem Regi. Et si parentes non habuerit, tunc ipsa compositio in integrum ad Curtem Regis perveniat; sic tamen si asto animo, id est voluntarie, occiderit. I. *9.* 13.

CCIII. Si mulier in morte mariti sui consiliata fuerit per se aut per suppositam personam, sit in potestate mariti sui de ea facere, quod voluerit: similiter & de rebus ipsius mulieris. Et si illa negaverit, liceat parentibus eam purgare, aut per sacramentum, aut per pugnam, id est per Campionem. I. 3. *6.*

CCIV. Si mulier maritum suum occiderit, ipsa occidatur; & res ejus, si filium non habuerit, parentes mariti habeant in potestate. I. *9.* 14.

CCV. Nulli (2) mulieri liberæ sub Regni nostri ditione, lege Longobardorum viventi, liceat in suæ potestatis arbitrio, id est sine mundio vivere, nisi semper sub potestate viri, aut potestate Curtis Regiæ debeat permanere; nec aliquid de rebus mobilibus aut immobilibus sine voluntate ipsius, in cujus mundio fuerit, habeat potestatem donandi aut alienandi. II. 10. 1.

CCVI. Si quis aldiæ alienæ, id est quæ de libera matre nata est, violentiam fecerit, componat solidos XL. I. 30. 5.

CCVII. Si quis libertæ alienæ, id est personæ (3), quæ libera dimissa est, violentiam fecerit, componat solidos XX. I. 30. *6.*

CCVIII. Si quis ancillæ alienæ violentiam fecerit, componat (4) solidos XX. I. 30. 7.

CCIX. Si quis rapuerit aldiam alienam, & in Curte alterius duxerit, & secutus dominus fuerit, aut parentes ejus, & ille cujus Curtis fuerit, antesteterit, & non permiserit vindicare, aut foras extrahere, componat solidos XL. medium Regi, & medium cujus aldia fuerit. I. 30. 8.

CCX. Si quis (5) ancillam alienam rapuerit, & in Curte aliena duxerit, & secutus fuerit dominus, aut parentes ejus, & ille, cujus Curtis fuerit, antesteterit, componat solidos XX. qui antesteterit, medium Regi, & medium cujus ancilla fuerit. I. 30. *9.*

CCXI. Si quis aldiam alienam rapuerit, aut ancillam, & in Curtem Regis duxerit, & secutus eam dominus fuerit, aut quicumque ex amicis, aut servis, & Gastaldius, aut Actor Regis antesteterit, pro aldia de suis propriis rebus componat illi, cujus aldia fuerit, solidos XL. pro ancilla XX. I. 30. 10.

CCXII. Si liber aut servus uxorem alterius tulerit, eamque sibi in conjugio sociaverit, ambo occidantur; sic tamen, si ambo consenserint. I. 32. 1.

CCXIII. Si quis liber vel servus cum uxore sua liberum, aut servum fornicantem invenerit (*6*), potestatem habeat eos ambos occidendi; & si eos occiderit, non requirantur. I. 32. 2.

CCXIV. Si quis (7) alii crimen de uxore sua miserit, quod cum ea fornicatus esset, liceat ei, cui crimen mittitur, aut sacramento, aut per Campionem se purificare; & si ei probatum fuerit, animæ suæ incurrat periculum. I. 32. 3.

CCXV. Si quis liberam puellam absque consilio, vel voluntate parentum adduxerit ad uxorem, componat, ut supra, pro anagrip solidos XX. & propter faidam alios XX. De mundio autem qualiter convenerit, & lex habet, faciant; sic tamen si ambo liberi sunt. II. 2. 3.

CCXVI. Si quis puellam liberam, aut viduam sponsatam habuerit, & contigerit casus, ut ipsa ante moriatur, quam a patre, aut a fratre, aut ab eo qui mundium ejus in potestate habet, tradita fuerit: tunc meta, quæ data est ab ipso sponso, reddatur ei;

(1) Cod. Cathedr. Mutin. *medietatem parentibus, aut ad quem mundius de ipsa pertinet, & medietatem* &c.

(2) Hinc habes, apud Langobardos nullam fœminam fuisse, quæ sub *mundio*, hoc est sub tutela ac jure alicujus non foret. Suberant ergo potestati aut patris, aut fratris, aliorumve sanguine junctorum, aut viri, si nuptæ, aut Curtis Regiæ, si consanguinei deerant. Infra editi habent: *Lege Langobardorum*. Verum uterque Codex Mutinensis effert: *Lege Langobardorum liceat in suæ potestatis arbitrio, id est salbmundia* (ita unus: alter *selpmundia*, quod idem est) *vivere, nisi semper sub potestate virorum, aut certe Regis* (ita antiquior: alter vero, *aut in Curte Regis*).

(3) Verba hæc, uti & alia ejusmodi ad explicationem verborum apposita, pleraque Glossas puto, quæ in textum tandem irrepserint.

(4) Cod. Esten. *Componat domino ejus solidos XX.*

(5) Cod. Esten. *Si quis rapuerit ancillam alienam, & in Curte alterius duxerit; & sequetur dominus, aut parentes ejus, & cujus fuerit Curtis antesteterit, componat solidos XX. medietatem Regi, & medietatem cujus ancilla fuerit*. Cod. Ambros. *antesteterit, & non permiserit judicare, aut foris trahere, componat* &c.

(6) Cod. Esten. *cum uxore sua alium fornicantem invenerit servum, aut libertum*. Sed retine *liberum*.

(7) In Cod. Cathedr. Mutin. tale est exordium hujus Legis: *Si quis super alium* &c. Tum uterque Codex Mutin. *de uxore sua crimen injecerit, quod cum ea fornicasset*.

ei; aut ſponſus recipiat tantum, quantum in ipſa meta dedit. Nam aliæ res ipſius ſint, qui mundium ejus in poteſtate videtur habere, eo quod ante traditionem mortua eſt. II. 1. 7.

CCXVII. Si aldius cujuſcumque liberam uxorem tulerit, id eſt fulfreal (1), & mundium de ea fecerit, poſteaque de ea filium habens, & maritus ejus mortuus fuerit; ſi mulier in ipſa caſa noluerit permanere, & parentes ejus eam ad ſe recolligere voluerint, reddant pretium, quod pro mundio mulieris datum eſt illi, cujus aldius fuerit: tunc illa abſque morgengab, aut aliquid de rebus mariti revertatur ad parentes ſuos cum rebus ſuis, ſi aliquas res de parentibus adduxit. Et ſi filii de ipſa muliere fuerint, & noluerint in caſa patris ſedere, res paternas dimittant, & mundium pro ſe reddant, quantum pro matre eorum datum eſt, & vadant, ubi voluerint, liberi. II. 12. 1.

CCXVIII. Si aldia aut libera in caſa aliena ad maritum intraverit, & ſervum maritum tulerit, libertatem ſuam amittat. Et ſi dominus ejus neglexerit eam replicare ad ſervitium, mortuo tamen marito vadat, ubi voluerit, libera una cum liberis ſuis, & cum omnibus rebus ſuis, quantas in illo tempore (2) ſecum adduxit, quando ad maritum intravit. Nam amplius nullam rem conſequatur, ſed vitium ſuum ſibi reputet, eo quod ſervo conſenſerit voluntarie. II. 12. 2.

CCXIX. Si aldius cujuſcumque aldiam, aut libertam (3) alienam uxorem tulerit, ſi filios ex ipſo coitu habuerit, patrem ſequantur, & ſint aldii, cujus & pater eſt. II. 12. 4.

CCXX. Si aldius ancillam ſuam aut alterius tulerit ad uxorem, filii, qui ex ipſa ancilla naſcuntur, ſint ſervi ejus, cujus & mater ancilla eſt. II. 12. 3.

CCXXI. Si ancilla cujuſcumque in caſam alterius ad maritum intraverit, & ſervum tulerit, nihil de ipſa caſa marito mortuo conſequatur, niſi quantum ſecum adduxit. II. 12. 5.

CCXXII. Si ſervus liberam mulierem, aut puellam auſus fuerit ſibi conjugio ſociare, animæ ſuæ incurrat periculum: & illam, quæ ſervo fuerit conſentiens, habeant parentes poteſtatem occidendi, aut foris provinciam tranſvendendi, & de rebus ipſius mulieris faciendi quod voluerint. Et ſi parentes ejus infra anni ſpatium hoc facere diſtulerint, tunc liceat Gaſtaldio Regis, aut actori, aut Sculdaſio, ipſam in Curtem Regis ducere, & intra penſiles ancillas conſtituere. II. 9. 2.

CCXXIII. Si quis ancillam ſuam propriam matrimoniare voluerit ſibi ad uxorem, ſit ei licentia; tamen debeat eam liberam thingare, & ſic facere liberam, quod eſt widerboram (4); & legitimam per garathinx, id eſt per libertatis donationem; vel per gratuitam donationem, id eſt morgengab; tunc intelligatur eſſe libera, & legitima uxor, & filii, qui ex ea nati fuerint, legitimi heredes efficiantur. II. 1. 8.

CCXXIV. Si quis ſine heredibus mortuus fuerit, & res ipſius ad Curtem Regis pervenerit (5), nec donatum nec præſtitum quicumque ipſi mortuo dederit aut præſtiterit, non habeat poteſtatem requirendi: quia poſtquam ad manum Regis pervenit, terminum poſuit, & ſine debito aut aliqua repetitione cecidit. II. 14. 16.

CCXXV. Si quis ſervum ſuum proprium, aut ancillam ſuam propriam liberos dimittere voluerit, ſit illi licentia, qualiter ei placuerit. Nam qui fulfreal, & a ſe extraneum, id eſt amund, (6) facere voluerit, ſic debet

(1) *Sulfreal* hic & alibi habet Editio Goldaſti. Verum in Codicibus Mutinen. legitur *Fulfreal*, atque ita legendum. Eſt autem *Fulfreal* Teutonica lingua utentibus *liber*, & tamquam *ingenuus*, ut hæc ipſa Lex docet. Infra iidem Codices Mutinen. habent: *poſteaque filias* (*filios* alter ex his præfert) *habens, maritus mortuus eſt; & mulier cum illis in caſa* &c. Et in fine: *Et vadant ſibi, ubi voluerint, liberi*. Ita & ſupra: *revertatur ſibi ad parentes*: unde Italica adhuc volendi formula, *ſe ne vadano: ſe ne ritorni*.

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *vadat ſibi una cum filiis ſuis, & cum omnes res, quantas in tempore* &c.

(3) Cod. Eſten. *aldiam, aut libertam tulerit uxorem*. Infra: *& ſint aldii, qualis & pater eorum eſt*.

(4) Cod. Cathed. Mutin. *quod eſt Wiriburan, & legitimam facere per garinthinx*. Eruditiſſimus Vir Baluzius Tom. II. Capitular. pag. 992. hanc eamdem Legem in Not. ad Leges Ripuarias profert ex Codicibus Mss. Pariſienſibus cum levi diverſitate ab editione Goldaſti, qua utor. Tunc editam a Lindenbrogio pone ſtatuit, oſtendens in eam irrepſiſſe Gloſſemata quædam inepta, quæ ſane a Codicibus Mutinen. abſunt. Hæc autem ita ſe habet in Cod. Eſten. *Si quis ancillam ſuam propriam matrimoniare voluerit ad uxorem, debeat eam liberam thingare, & ſic liberam, quod eſt Widerbora, & legitimare facere per garthulam* (fortaſſe *chartulam*), *id eſt, quod intelligatur libera, & legitima uxor* &c. Cod. Ambroſ. habet *garethinx*.

(5) In Codicibus Mutinenſ. *pervenerint*. Infra: *dedit, aut præſtitit*. Infra: *non habeat pontificium* &c. Frequenter adhibita eſt hæc vox *pontificium* ab antiquis noſtris pro *poteſtate*, & *jure*; eademque adhuc perdurat in Collecta, ſive Oratione adhibita diebus feſtivis Apoſtolorum Principis Petri, ſublata ex aliis. Sed neſcio quis delicatulus & hic & alibi Latiniora verba intulit, conſilio tamen parum laudabili; nos enim Langobardos loquentes, non Romanos veteres, audire hic volumus. Infra Cod. Eſten. *pervenit, & in unum poſuit, & ſine debito, aut aliqua requiſitione devenit*.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *Nam qui fulfreæ, & a ſe extraneo, id eſt amund, facere voluerit, ſic debet facere*. Cod. Eſten. poſtrema hæc verba habet. Infra vero, neſcio qua ratione ibi ſcriptum ſit: *& per gartilam*. Fortaſſe legendum eſt, *per chartulam*. Editi habent *garantix*. Olim certe *chartulati* dicebantur, qui *per chartam*, hoc eſt publicis tabulis de conceſſa libertate conſcriptis manumittebantur.

bet facere. Tradat eum prius in manus alterius hominis liberi, & per garathinx ipsum confirmet; & ille secundus tradat eum in manus tertii hominis; eodem modo & tertius tradat eum in quarti. Et ipse quartus ducat eum in quadrivium (1), & thingat in wadia, & gisiles ibi sint, & dicant sic: *De quatuor viis ubi volueris ambulare, liberam habeas potestatem*. Si sic factum fuerit, tunc erit amund, & ei manebit (2) certa libertas: & postea nullam repetitionem patronus adversus ipsum, aut filios ejus habeat potestatem requirendi. Et si sine heredibus legitimis ipse, qui amund factus est, mortuus fuerit, Curtis Regia illi succedat; nam non patronus aut heres patroni. Similiter & qui per impans (3), id est in votum Regis dimittitur, ipsa lege vivat, sicut qui amund factus est. II. 34. 1.

(*Ex Cod. Estensi Cl. Muratorius sequentia addit:* Postea mundi eorum nec ad ipso nec a filiis ejus nullatenus requiratur, & si filia ejus aut ipsa, quæ fulfrear facta est, ad maritum ambulare contigerit, detur pro ea mundius, sicut pro libera.)

CCXXVI. Item qui fulfreal (4) fecerit, & quatuor vias ei dederit, & amund a se, id est extraneum non fecerit, tali lege patronus cum ipso vivat tanquam cum fratre, aut cum aliis parentibus liberis Longobardis: id est, si filios aut filias, qui fulfreal factus, non dimiserit, patronus ejus illi succedat, sicut supra scriptum est. II. 34. 1.

CCXXVII. Item qui aldium aut aldiam facere voluerit, non illi debet (5) quatuor vias, hæc sunt genera quatuor manumissionum. Tamen necesse est pro futuri temporis memoria, ut qualiter liberum aut liberam thingaverit, ipsa manumissio in carta libertatis commemoretur. Et si cartam non fecerit, tamen libertas illi permaneat. II. 34. 1.

CCXXVIII. Si libertus homo, qui fulfreal (6) factus est, filios dereliquerit legitimos, sint illi heredes. Si filias habuerit, habeant & ipsæ legem suam, sicut supra constitutum est. Et si naturales fuerint, habeant & ipsi legem suam. Et si casu faciente sine heredibus mortuus fuerit, & antea judicaverit res suas proprias se vivente, id est andegaverit, & arigaverit (7) secundum legem Longobardorum, habeat cui donaverit. Nam quantum de rebus benefactoris sui per donum habuerit, si eas non obligaverit, in libertatem ad ipsum patronum aut heredes revertantur. Et si aliquid in gasindio Ducis, aut privatorum hominum obsequio donum vel munus conquisierit, res ad donatorem revertantur. In alias vero res, sicut dictum est, si heredes non dereliquerit, aut se vivo non judicaverit, patronus succedat, sicut parenti suo. I. 14. 17.

CCXXIX. Omnes liberti, qui a dominis suis Longobardis libertatem meruerunt, legibus dominorum suorum vivere debeant; secundum qualiter a suis dominis propriis concessum fuerit. II. 35. 2.

De emtoribus, & venditoribus.

CCXXX. Si quis comparaverit terram, id est solum ad ædificandum, aut casam mancipatam (8), & per quinque annos inter personas præsentes possederit, & postea ipse venditor, aut heres ejus pulsaverit dicendo, quod præstitisset, non enim vendidisset, ostendat libellum scriptum, ubi rogatus fuisset præstandi. Et si libellum non habuerit, nihil aliud faciat emtor, nisi sacramentum secundum qualitatem pecuniæ præbeat, scilicet quod cum pretio suo rem ipsam

---

(1) Cod. Cathedr. Mutin. *in quadrubio*: unde adhuc vox Mediolanensis *Carrubio*. Sequitur Cod. Esten. *& thinget in gaida ad gisel, & sic dicat. De quatuor* &c. Cod. Cathedr. Mutin. *& thinget in gaida & gisal, & sic dicat*. Jam monui *giseles* idem significasse ac *testes*.

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *& ei maneat* &c. Alter Cod. *Si sic fecerit, tunc erit amund*. Infra in utroque Codice legitur, *adversus eum, aut* &c.

(3) Cod. Esten. *Similiter & qui infas, id est, in votum Regis*. Alter Cod. *Similiter & infans, id est, qui in voto Regis dimittitur, ipsam legem vivat*. Erat enim etiam mos manumittendi *coram Rege*: qua manumissione servi integram, & plenariam libertatem consequebantur. Ad finem legis nonnulla in Codice Estensi adduntur, quæ apponenda textui curavi; videntur enim potius pars Legis, quam Glossa.

(4) Cod. Esten. habet: *Idem qui fulfreal*. Lex ista una cum sequenti in Editis præcedenti unitur; at in Cod. Esten. dividitur. Infra in Cod. Esten. *talem legem patronus cum ipso habeat, quam cum fratre, aut aliis parentibus suis Langobardis, id est, si filios aut filias legitimas, qui fulfrea factus est, non dimiserit, patronus ejus illi succedet, sicut supra constitutum est*.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *non illi det quatuor vias*. Infra ex Edit. Boherian. & ex Mss. Mutinen. *Hæc sunt genera manumissionum. Tamen necesse est propter futuri temporis memoriam* &c. In Ambros. Cod. legitur: *Hæc sunt quadidegaræ quatuor manumiss.*

(6) Cod. Cathed. Mutin. *Si quis libertus, qui fulfree factus est*. Cod. Esten. *qui fulfrear*. Hoc est, qui plenariam libertatem per manumissionem fuerit consequutus.

(7) Cod. Esten. *id est indignip, & arigavit*. Alter Cod. Esten. *id est andicavvere, & aurigavverch*. Infra *in gasindio Ducis* idem est ac *in familiaritate Ducis*, quod nunc nos appellamus, *stando al servigio di qualche gran Signore*. Propterea qui Regi, aut Magnatibus familiares, sivé domestici, ac famuli erant (non tamen servi) *Gasindii* vocati sunt. Infra Cod. Esten. *si non eas obligaverit in libertate*.

(8) Cod. Esten. *aut casam mencipatam, & quinque annis*. Ego *casam mencipatam* puto dici, quæ ad auctionem vendita est. Vide Festum & Grammaticos Latinos. Infra idem Esten. Cod. habet: *Nisi præbeat sacramentum secundum legem, & qualitatem pecuniæ*. In fine: *Tunc si fecerit, liceat ei & filiis ejus firmiter possidere* &c.

ipſam comparaſſet, nec alteri per legem debeat dimittere. Tunc liceat ei poſtea firmiter poſſidere, quod ſibi comparaverit. II. 35. 1.

CCXXXI. Si quis alium de re mobili, aut immobili pulſaverit (1) dicendo, quod malo ordine poſſideat, & poſſeſſor negaverit, ita proſpeximus: quod ſi per annos quinque fuerit poſſeſſor, tunc ipſe qui poſſedit, aut per ſacramentum debeat negare, aut per pugnam ſe defendere, ſi potuerit. II. 35. 2.

CCXXXII. Si quis res alienas, id eſt ſervum, aut ancillam, ſeu alias res mobiles, ſciens alienas eſſe, non ſuas, (2) ubicumque tranſvendiderit, & inventum, aut probatum fuerit, in octogilt eas reſtituat. Et ſi per ignorantiam vendiderit, tunc præbeat ſacramentum, quod credens ſuas res vendidiſſet: & reddat caput cum nutrimine ſuo in qualecunque ſit. II. 25. 1.

CCXXXIII. Si quis comparaverit mancipium, & poſtea leproſum aut dæmoniacum apparuerit, tunc venditor ſi pulſatus fuerit, præbeat ſacramentum ſingulis (3), quod in conſcientia ipſius de ipſa infirmitate non fuiſſet, quando eum vendidit, & amplius non calumnietur. II. 55. 4.

CCXXXIV. Si quis comparaverit ancillam, & poſtea venerit alter certus homo, qui eam ſuam dicat eſſe, revertantur (4) pariter ad auctorem. Tunc auctor, ſi vindicare non potuerit, præbeat ſacramentum, quod conſcius non ſit fraudis, nec colludium feciſſet, & reddat pretium tantum, quantum in illa die fuit, quando eam tradidit, & accipiat ancillam ipſam, & proprio domino tradat. Et ſi ancilla ipſa apud emtores filios fecerit, tunc ille qui eam prius vendidit, & vindicare non potuerit, quanticumque ſint filii ipſius, per ſuum diſpendium comparet, & proprio domino reddat (5), quatenus filii matrem ſequantur. Et ſi auctor mortuus fuerit ſine heredibus legitimis, & facultas ipſius auctoris ad Curtem regis ceciderit, nulla ſit repetitio: ſic tamen, ut det ſacramentum, quod ab illo comparaſſet, cujus res ad Curtem Regis pervenerit. II. 36. 1.

CCXXXV. Si quis caballum emerit, & auctorem ignoraverit, & venerit certus (6) homo, qui ipſum caballum ſuum dicit eſſe, tunc ille homo, qui emit, ſicut diximus, ſi auctorem non habuerit, & neſcit de quo comparaſſet, præbeat ſacramentum quod in eo nec fur eſſet (7), nec collega furis, niſi ſimpliciter cum pretio ſuo comparaſſet; & inſuper addat, in ipſo ſacramento, ſi quoquo tempore auctorem invenerit, non negabit. Tunc poſt præſtitum ſacramentum reddat caballum, & ſit ſibi contentus. Et ille, qui ſe proprium dominum dicit eſſe, ſub tali titulo eum tollat; ut ſi cognitum fuerit, quod malo ordine eum vindicaſſet, & alter certus auctor venerit, qui ſuum fecerit ipſum caballum, ſibi nonum reddat. II. 28. 1.

CCXXXVI. Servo cujuſcumque non liceat ſine permiſſu domini ſui neque terram, neque mancipia (8), nec quamcumque rem vendere, aut liberum dimittere. II. 32. 1.

CCXXXVII. Si quis (9) de ſervo comparaverit, & pretium perdat, & quod de ſervo emit, proprio domino reſtituat. II. 32. 2.

CCXXXVIII. Servus maſſarius licentiam habeat de peculio ſuo, id eſt bovem, vaccam, caballum, ſimiliter & de minutis peculiis in ſocio (10) dare, & in ſocio recipere,

---

(1) Cod. Cathedr. Mutin. *compellaverit dicendo*. Infra: *fuerit poſſeſſio*. Pro *debeat negare*, in eodem Ms. legitur, *debeat firmare*.

(2) Idem Cod. *ſeu alias res, ſciens alienam rem eſſe, non ſuam, ubicumque* &c. Infra: *quod credens ſuum vendidiſſet, & reddat caput cum nutrimento ſuo, qualiter ſibi fecit*. Cod. Eſten. *cum nutrimine ſuo quale ſit*. Vocabulo *nutriminis* cenſeo hic deſignari filios aut pullos, qui ex homine, aut animali vendito nati fuerint, Vide proxime ſequentem Legem.

(3) Cod. Eſten. *ſingulis, quando vendidit, quod in conſcientia illius non fuiſſet de ipſa* &c. Additur in fine Gloſſa hæc: *Similiter de ceteris animalibus venditis*.

(4) Uterque Cod. Mutin. *revertatur pariter ad auctorem*. Hoc eſt ad venditorem, vocabulo, ut arbitror, deducto ab *auctione*, quæ venditio fuit publico loco facta. Infra Cod. Cathedr. *quod conſcius non ſit fraudi nec ullo concluſio feciſſet*. Cod. vero Eſten. *nec illum* (*ullum* fort. legendum) *colludium cum ipſo, qui pulſat, feciſſet. Tunc reddat pretium tantum, quantum in die illo, quando eum tradidit, accepit; & ancilla ipſa proprio domino reſtituatur. Et ſi ancilla ipſa* &c. Ita & in Cod. Cathedr.

(5) Cod. Cathedr. *qualiter ſci. filios ipſius, per ſuum diſpendium recomparet, & proprio domino retradat*. Cod. vero Eſten. *& vindicare non potuerit, filios ipſos de ſuo proprio pretio comparet, & proprio domino reddat*. Infra Cod. Cathedr. habet: *ſine heredes legitimos*, Et in fine: *ad Curtem Regis ceciderunt*.

(6) Cod. Eſten. *& venerit tertius homo*. Infra: *nec ſcit, unde, aut a quo comparaſſet*.

(7) Uterque Codex Mutin. *quia neque fur ſit, neque collega furis*. Infra Cod. Eſten. *& ſit ſibi contentus de pretio. Ille autem, qui ſe propoſitum* &c.

(8) Cod. Eſten. *neque terram, neque ſervum, neque ancillam, neque qualemcumque rem* &c.

(9) Idem Cod. *Si quis ſciens de ſervo* &c.

(10) Idem Cod. Eſten. *de minuto peculio in ſocium dare*. Cod. Cathedr. Mutin. *id eſt bove, vacca, cavallo, ſive & de minuto peculio in ſocia re dare*. Adhuc in aliquibus Italæ locis hæc formula durat: *dare a ſocida*. Infra idem Cod. *vendere autem non habeat licentiam niſi* &c. Servus *Maſſarius* ille erat, qui *Maſſæ*, ſeu prædio domini ſui colonus, aut cuſtos dabatur. *Peculium* autem proprie de *ſervis* dicebatur. Feſtus: *Peculium ſervorum a pecore item dictum eſt, ut pecunia patrum familiæ*. Quaſi pecuniola. Nihil enim proprium Servi poſſidebant; ſed quandoque ſinebantur a do-

pere, vendere autem non, nisi pro utilitate casæ ipsius est, quatenus casæ proficiat, ut non depereat. II. 32. 3.

CCXXXIX. Nulli liceat aldio cujuscumque qui amunt factus non est (1), sine voluntate patroni sui terram aut mancipium vendere neque liberum dimittere. II. 32. 4.

CCXL. Si quis liber homo terminum antiquum corruperit, aut exterminaverit (2), & probatum fuerit, sit culpabilis LXXX. solid. medium Regi, & medium in cujus fine fuerit terminus. I. 26. 1.

CCXLI. Si quis servus alienus terminum antiquum ruperit, aut exterminaverit, mortis incurrat periculum, aut solidis XL. redimatur (3). I. 26. 2.

CCXLII. Si quis liber homo arborem, (4) ubi theclatura facta est, inter fines discernendos, inciderit, aut deleverit, LXXX. solid. sit culpabilis, medium Regi, & medium cujus arbor fuerit. Et si servus per jussionem domini sui fecerit, dominus ejus componat ut supra solidos LXXX. I. 26. 3.

CCXLIII. Si servus sua auctoritate arborem, ubi theclatura facta est, inter fines discernendos, inciderit aut deleverit, aut moriatur, aut liberet se solidis XL. I. 26. 4.

CCXLIV. Si quis propter intentionem (5) signa nova, aut theclaturam, aut sinaidam in silva alterius fecerit, & suam non probaverit, componat solidos XL. medium Regi, & medium cujus silva fuerit. I. 26. 5.

CCXLV. Si servus extra jussionem domini sui theclaturam, aut sinaidam in silva alterius fecerit, manus ejus incidatur; & si cum jussione domini sui theclaturam, aut sinaidam in silva alterius fecerit, reputetur culpa domino, ut supra. I. 26. 6.

CCXLVI. Si quis sine jussione Regis aurum figuraverit, aut monetam confinxerit, manus ejus incidatur. I. 28. 1.

CCXLVII. Si quis cartam falsam scripserit, aut quodlibet membranum, manus ejus incidatur. I. 29. 1.

CCXLVIII. Si quis per murum castri aut civitatis (6), sine notitia Judicis sui exierit, aut intraverit, si liber est, sit culpabilis in curte Regis solid. XX. Si autem aldius, aut servus fuerit, sit culpabilis in curte Regis solid. X. Et si furtum fecerit, sicut in hoc edicto legitur, componat pœnam furti. I. 25. 1.

CCXLIX. Si quis debitorem habens, appellet eum semel, & bis, & usque tertio; si debitum non reddiderit, aut non composuerit, tunc debeat eum pignorare in his rebus, in quibus pignorare licitum est. II. 21. 1.

CCL. Si quis alium pro quolibet debito aut caussa pignorare præsumserit, antequam eum tertio pulsaverit, pignus, quod ante contestationem tulerit, sibi nonum (7) reddat in potestate domini sui. II. 21. 2.

CCLI. Nulli liceat alium pro alio pro quolibet debito pignorare, excepto illo, qui gaphans esse invenitur, id est coheres ejus proximior, qui (8) ad illius hereditatem, si casus evenerit, venturus est. II. 21. 3.

CCLII. Si quis per errorem alium pro alio pignoraverit, in servo aut ancilla, ita decernimus, ut postquam cognovit, quod male pignoraverit, mox ipsum relaxet. Et si pulsatus fuerit a domino servi vel ancillæ, tunc præbeat sacramentum, quod per errorem fecerit, nam non asto animo, sed credidit debitorem suum pignorasse, & tunc sit indemnis. Nam si plagas aut feritas fecerit in ipsum, pignus componat, sicut in hoc edicto legitur. Et si sacramentum dare non præsumserit, quod per errorem pignorasset, reddat pignus in octogilt. II. 21. 4.

CCLIII. Si quis greges equarum sive porcorum sine jussione Regis pignoris nomine abstulerit, ille prior aut moriatur, aut componat solidos DCCCC. medium Regi, & medium cui pignus abstulerit: & illi qui cum illo fuerint (9), si tamen liberi sint, componat unusquisque solidos LXXX. medium

---

a dominis suis quædam animalia emere, eorumque reditibus frui. Hic tamen *peculium suum* vereor ne tantummodo significet animalia servis massariis a domino credita. Certe *minuta peculia* infra legitur pro *pecoribus*.

(1) Videlicet, qui nondum perfecta libertate donatus est.

(2) Cod. Esten. *terminum antiquum effoderit, & probatum* &c.

(3) Idem Cod. *effoderit, aut moriatur, aut redimat eum dominus suus cum XL solidis*.

(4) Idem Cod. addit: *signatam, ubi teclatura est inter fines terminandos*. Nomine *theclaturæ* significantur signa cultro aut scalpello impressa in arbore, veluti crux, ad terminum inter agros ostendendum. In Antiquitatibus Esten. cap. 16. pag. 149. attuli Placitum Otberti Marchionis, in quo occurrit *cerrus, ubi ab antiquo clavos ferreos infixus fuerat*, hoc est ad fines signandos. Quæ consuetudo fuit etiam antiquis, ut videre est apud Scriptores Rei Agrariæ a Goesio editos. Infra Cod. Esten. *& medietatem, cujus finis arbor fuit*.

(5) Idem est ac *contentionem*. *Propter interatonem*: mendose profecto. Sed neque lectio prior omni suspicione vacua. Infra idem Cod. pro *sinaidam* habet *aut signaidam*. Ita & in Lege sequenti. Hoc est, signa terminos agrorum indicantia.

(6) Cod. Esten. *per murum de Castello, aut Civitate*.

(7) Alii hic, & alibi legunt: *novum*. Cod. Esten. *illud sibi nonum reddat*. Tum hic, tum alibi in eodem Codice *nonum* pro *novum* occurrit. Ita & in sequenti Lege CCLII. Idem Cod. in fine habet: *reddat pignus in actogild* (quod & alibi, & non *octogild*) *id est sibi nonum*, ut idem videatur *actogild*, seu *octogild* & *nonum*, sive *novum*. Librarius quispiam in uno aut altero erravit. In Ms. eodem non leguntur verba illa, *in potestate domini sui*.

(8) Idem Cod. *pignorare pro quolibet debito, excepto illum, qui gaphantes esse invenitur, id est proximior parens, qui hæres ad illius* &c. Cod. Cathedr. habet: *qui gafandus*.

(9) Cod. Cathedr. Mutin. *& quicumque cum eo fuerit*.

dium Regi, & medium illi, quem pignoraverit ut supra. Et si servi dominum secuti fuerint, in compositione domini sui computetur: culpam enim fecit dominus, nam non servi, qui dominum suum secuti sunt. II. 21. 5.

CCLIV. Si quis caballos domitos, aut boves, aut vaccas jugo domitos pignoraverit (1) sine jussione Regis, sibi nonum reddat. II. 21. *6*.

CCLV. Si quis alii wadiam dederit, & eam recipere neglexit per fidejussorem; & apud eum remanserit una nocte, aut duabus, vel tribus, nihil componat. Si remanserit quatuor noctibus, componat solidos duodecim; si remanserit quinque noctibus, componat solidos XXIV. Si remanserit sex noctibus, componat solid. XXXVI. Et si ille, qui eam wadiam (2) acceperit, eam reddere neglexerit per fidejussorem, & apud eum remanserit, sic componat, quomodo ille, qui wadiam suam recipere neglexerit. II. 21. 10.

CCLVI. Si quis liber homo, qui debitor est, alias res non habuerit nisi caballos, aut boves domitos, seu vaccas junctorias, tunc ille, qui debitum requirit, vadat ad Sculdasium, qui in loco ordinatus est, & intimet caussam ipsam, quod (3) debitor ipsius alias res non habeat, nisi quod supra legitur. Tunc Sculdasius tollat boves aut caballos ipsius, & ponat eos penes creditorem, dum usque justitiam faciat. Si Sculdasius dilataverit facere, sit culpabilis in Palatio Regis solid. XII. & post justitiam factam pignus restituatur. II. 21. 7.

CCLVII. Nulli liceat pro quolibet debito casam ordinatam tributariam loco pignoris tollere, nisi servum, aut ancillam, vaccas, aut pecora: ita ut ipsum pignus, quod tulit, per suam custodiam salvum faciat, usque ad præfinitum tempus, sicut subter annexum est, id est intra eas personas, quæ intra centum milliaria habitant intra dies XX. Et si intra istos dies XX. debitor (4) pignus suum, justitiam faciens, & debitum reddens, non liberaverit, & post transactos dies XX. contigerit ex ipso pignore mancipium, aut quodlibet peculium mori, aut homicidium, aut damnum fieri, aut alibi transmigrare, tunc debitor in suum damnum reputet, quod sua pignora liberare neglexerit. Nam si intra XX. dies servi aut ancillæ mortui fuerint, aut peculium perierit, aut homicidium, aut damnum dederit, ipse qui pignoraverit, in suum damnum reputet, & priori domino satisfaciat (5). Et si supra centum milliaria inter se creditor & debitor habitaverint, tunc usque ad XL. dierum spatium pœna suprascripta pignus custodiatur. II. 21. 8.

CCLVIII. Si liber homo furtum fecerit, & in ipso furto tentus fuerit, id est fegangi (*6*), si furtum ipsum usque ad decem siliquas fuerit, sibi nonum reddat, & componat pro tali culpa LXXX. solidos, aut animæ suæ incurrat periculum. I. 25. 2.

CCLIX. Si quis servus furtum fecerit, & tentus fuerit in ipso furto, usque ad decem siliquas, sibi nonum reddat, & componat pro tali culpa solidos XL. aut certe occidatur. I. 25. 3.

CCLX. Si quis per proditorem, id est per certum indicatorem, furtum invenerit, sibi nonum reddat qui furtum fecerit, ei cui factum fuerit. I. 25. 4.

CCLXI. Si servus, dum in fuga est, furtum aut damnum (7) fecerit, & in ipsa fuga foris provinciam migraverit, & non redierit, tunc dominus servi medium pro ipsa re, quam furatus fuerit, aut damnum si fecerit, restituat. Nam si regressus fuerit in potestate domini sui, tunc de quanto tulerit, tantum dominus ejus in integrum reddat: cessante in hoc capitulo pœna furti, eo quod in fuga fuerit. I. 25. 5.

CCLXII. Si mulier libera fulfreal (8) super furtum comprehensa fuerit, furtum quod fecerit, sibi nonum reddat; nam alia culpa non requiratur, pro eo quod injuriam suam passa est, sed vitium suum sibi reputet, quia operam indecentem facere tentavit. I. 25. *6*.

---

(1) Ms. Esten. *aut vaccam jugo domitam alterius pignoraverit*.

(2) Cod. Esten. *qui ipsam vadiam acceperit, eam reddere neglexerit per fidejussorem, & apud eum remanserit, sic componat, sicut & ille, qui ipsam vadiam liberare per fidejussorem neglexerit*. *Vadia*, quod etiam scribitur *Guadia*, *Wadia*, & *Vadium*, *Guadius* &c., modo significat *fidejussorem*, modo *vadimonium* & pignus. A Latino *Vas vadis* desumtum credo. Retinet adhuc Italica Lingua *Gaggio* eadem significatione.

(3) Cod. Esten. *causam suam intimet, & dicat, quia debitor* &c. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *post creditorem, usque dum ei justitiam* &c.

(4) Uterque Codex Mutin. *inter eas personas, quæ intra centum milliaria inter se habitant, dies XX. Et si infra istos XX. dies quis pignus suum* &c. In Ms. Ambros. legitur *dies XXX.* in omnibus hujus Legis locis.

(5) Iidem Mss. *in suo damno reputet, & proprio domino satisfaciat. Et si supra* &c. In fine Cod. Esten. habet: *tunc usque LX. dierum spatium pœnam istam consequantur*.

(6) Cod. Esten. *id est fegangi*. Alter Cod. *id est figangus*. Infra: *usque ad decem siliquas*. *Siliqua*, si Isidoro credimus Lib. 16. Cap. 24., *est vigesima pars solidi*, hoc est aurei. Verum ex Epist. XXXVIII, Lib. IX. Gregorii M. Papæ, qui his fere diebus vixit, inferri potest, solidum constasse ex *viginti quatuor Siliquis*.

(7) Uterque Cod. *aut damnum alii fecerit*. Infra iidem habent: *tunc de quanto tulit, caput tantum, dominus ejus* &c.

(8) Cod. Esten. *libera fulfrea*. Et infra: *pro eo quod injuriam passa est*. In fine Cod. Cathedr. Mutin. *& vitium suum reputet, quæ opera indecenter facere adtentavit*.

CCLXIII. Si aldia aut ancilla (1) super furtum tenta fuerit, componat dominus ejus furtum ipsum nonum sibi, excepto pro culpa solid. XL. I. 25. 7.

CCLXIV. Si liber homo puerum aut servum (2) furtum facere jusserit, & ipsum furtum inventum fuerit, sibi nonum componat, & alterum tantum in Curte Regis persolvat; quia inhonestum esse videtur, & nulli convenit rationi, ut homo liber debeat in furtum se commiscere, aut consensum præbere. I. 25. 8.

CCLXV. Si quis aurum aut vestem, aut quamlibet rem (3), in viam invenerit, & super genuculum levaverit, & non manifestaverit, aut ad judicem non duxerit, sibi nonum reddat. I. 25. 9.

CCLXVI. Si servus ancillam alienam habens uxorem, furtum fecerit, & ancillam, & filios servus alienus nutrierit, omne furtum, quod fecit servus, dominus componat (4): nam nihil computetur in damnum, nec in culpam illius ancillæ, vel filiorum ejus. Tantum est, ut ancilla & filii similiter cum patre ad furtum faciendum non ambulaverint; nam si fecerint, similes illi efficiantur. I. 25. 10.

CCLXVII. Si servus, dum in fuga est positus, res aliquas cuicunque homini commendaverit, & postea proprius dominus requisierit eas: & ille qui susceperit, denegaverit, & postea inventæ fuerint, pro furto eas reddat. I. 25. 11.

CCLXVIII. Si plures homines furtum in unum fecerint, tam liberi, quam servi, liceat eis, si voluerint, se adunare, & furtum ipsum in octogilt reddere. Et si ex ipsis aliquis se subtraxerit, pro se tantum legibus componat, id est furtum sibi nonum reddat (5). I. 25. 12.

CCLXIX. Si liber, aut servus voluerit, foris provinciam fugere, & judex, aut quicumque in loco aut finibus provinciæ residet, eum comprehenderit, teneat eum; & res, quas secum tulerit, salvas faciat; & mox mandet ad judicem de loco, unde fugere cœpit, quatinus eum recipiat, & det pro uno fugace solidos II. ita ut cum rebus, quas secum detulerit, reddatur. Et si contigerit fugere de ligamine, præbeat sacramentum ille, qui eum tenuit, quod non asto animo eum laxasset, sed cum tota virtute eum custodire voluisset, & post datum sacramentum res, quas secum tulerit (6), reddat; prehensuram autem non requirat, & amplius non calumnietur. Et si fugax ille manus ad ligandum non dederit, & occisus fuerit, non requiratur: nisi tantummodo res, quas tulerit, reddantur: & si ille, qui fugacem hominem comprehendere voluerit, ab ipso occisus fuerit, non requiratur. I. 25. 13.

De Portinario qui super flumina portum custodit. (Cod. Ambros.)

CCLXX. Si quis portunarium (7) pulsaverit, quod fugacem hominem aut furem transposuisset, & portunarius negaverit, ita decernimus, ut præbeat sacramentum solus, quod ad conscientiam ipsius non pervenisset, quod fugitivum hominem aut furem transposuisset, & sit absolutus a culpa. I. 25. 14.

CCLXXI. Si portunarius furem (8) hominem sciens transposuerit cum aliqua re furtiva, collega furis sit, & cum eo ipsum furtum componat, excepto quod sit culpabilis in palatio Regis solidos XX. I. 25. 15.

CCLXXII. Si portunarius mancipium fugitivum sciens transposuerit, si probatum fuerit, perquirat eum, & proprio domino cum rebus, quas secum detulerit, restituat. Et si ipse fugax alibi transmigraverit (9), ut non inveniatur, tunc portitor, ipsum mancipium, simul & res, quas secum detule-

(1) Cod. Ambrof. addit, *aliena*. Infra uterque Cod. Mutin. *pro culpa solid. XL.* Estensis vero addit alia quædam, quæ ne ipse quidem librarius intellexerat, eoque minus ego, nempe, *pro aldia tantum, pro LL. G. si ancilla*.

(2) Uterque Cod. Mutin. *aut servum suum*. Infra Codex Esten. *sibi nonum componat dominus ejus & alterum* &c.

(3) Codex Esten. addit, *mobilem in via*.

(4) Hæc ita in Cod. Cathedr. Mutin. efferuntur: *Si servus, dum ancillam alienam habet uxorem, furtum fecerit, & ancilla filios alienos nutrierit, omne furtum, quod fecerit, servus componat*. Infra uterque Cod. *Tantum est, si ancilla, & filii simul cum patre* &c.

(5 Uterque Cod. Mutin. *si voluerint se insimul adunare, & furtum ipsum in actogild reddere. Nam si quis* (subdit Cod. Esten.) *se dividere voluerit, pro se tantum ipsum furtum legibus, id est sibi nonum, componat.*

(6) Cod. Esten. *res, quantas attulerit, reddat*. In fine: *nec ipse requiratur*.

(7) *Portonarium* habet Esten. Codex. Lindenbrogius hic designari putat eum, a quo *portorium* exigitur. Du Cangius vero ad verbum *Portanarius* censet *Janitorem* ita appellatum. Neuter audiendus. *Portonarius* nihil aliud est hic, quam nauta, sive custos navis, per quam viatores ad ulteriorem fluminis ripam transmittuntur. Hujusmodi navigia *Portus*, & *Portora* appellabantur, & adhuc apud nos appellantur, ut repetam ad Legem XLI. Pipini. Cæsari, Agellio, Paullo Jurisconsulto, atque aliis antiquis memorantur *Pontones* navigiorum genus quasi pontes, quorum præcipue usus erat ad trajectum fluminum: unde etiam *Pontonarii* nautæ appellatio aliquando adhibita. Quare a *Pontonarius* suspicari possemus efformatum *Portonarius*. Sed sistendum in priore sententia; adhuc enim in usu sunt apud nos voces *Portus*, & *Portinarius*. Idem nauta infra proprio nomine dicitur *Portitor* in utroque Codice Mutinensi his verbis: *quod fugacem hominem* (alter habet, *furonem*) *transposuisset, & Portitor* &c. Infra: *quod fugitivum, aut furonem hominem transposuisset, & sit absolutus a calumnia*.

(8) Cod. Esten. *Si portonarius furonem hominem sciens transposuerit* (subdit Cod. Cathedr. Mutin.) *cum aliquas res furtivas, collega sit furoni*. In fine legitur: *in Curte Regis*.

(9) Uterque Cod. Mutin. *Et si ipsos fugaces alibi transmigraverit, ut non inveniantur*. Infra: *ei qui perdidit*.

tulerit, de quanto ausus fuerit jurare, qui perdit, ab ipso qui sciens transposuerit, reddat sub æstimatione pretii; excepto pro culpa componat ipse portunarius in Curte Regis solidos xx. I. 25. 16.

CCLXXIII. Si portunarius hominem liberum sciens (1) transposuerit fugacem, & cognoverit quod fugax est, animæ suæ incurrat periculum, aut componat widrigilt suum: quia postquam cognovit, quod fugax erat, si eum tenere non potuerit, mox innotescere, aut antecurrere debuit. I. 25. 17.

CCLXXIV. Si mancipium cujuscumque post alium hominem fugerit, & dominus secutus invitaverit, ut in pace reddatur: (2) & si in gratia & in pace redditum fuerit, & postea dominus pro ipsa culpa in eum vindictam dederit, componat solidos xx. illi, de cujus curte id tulerit. Et si denegaverit, quod in eum vindictam non dedisset, præbeat sacramentum solus sine aliis sacramentalibus ad Evangelia, & sit absolutus a culpa. I. 25. 18.

CCLXXV. Si ille, post quem (3) mancipium alienum fugerit, & noluit id reddere post secundam & tertiam contestationem domino suo, tunc constrictus restituat ipsum mancipium, & aliud simile sub æstimatione pretii componat. I. 25. 19.

CCLXXVI. Si mancipium cujuscumque in Curte Regis confugium fecerit, & Gastaldius, aut Actor Regis (4), post secundam & tertiam contestationem reddere dilataverit, ita jubemus, ut reddat ipsum mancipium; & aliud simile, de suis propriis rebus, domino, cui dilataverit, reddere cogatur. Et si ille, qui de Curte Regis ipsum mancipium in gratia recepit, & postea pro ipsa culpa in id vindictam dederit, componat in Curte Regis, unde id tulerit, solidos xl. si se idoneare non potuerit, I. 25. 20.

CCLXXVII. Si in ecclesia aut in domo sacerdotis mancipium cujuscumque confugium fecerit, & Episcopus, aut sacerdos, qui in eo loco præest, id reddere in gratia post secundam & tertiam contestationem dilataverit: ita decernimus, ut reddat ipsum mancipium, & aliud simile de suis propriis rebus, ut supra (5). Et si in gratia redditum fuerit, postea quam dominus pro ipsa culpa in eum vindictam dederit, aut se idoneet, ut supra, aut sit culpabilis ipsi ecclesiæ solid. xl. ita ut per actorem Regis exigantur, & in sacro altari, ubi injuria facta est, ponantur. I. 25. 21.

CCLXXVIII. Si servus intra provinciam in fuga vagaverit, & dominus eum invenerit, & servus ipse fugierit in curtem alienam, & dominus sequens eum apprehenderit; non reputetur culpa domino pro eo, quod in curte alterius furorem in servum suum habens, rem suam apprehendere visus est. Et si ille, cujus curtis fuerit, aut aliquis ex hominibus illius, mancipium de manibus ejus tulerit, aut antesteterit, nullum penitus, qui sequitur servum suum, in curte ipsa scandalum faciat, & si fecerit, qualiter in hoc edicto legitur, componat (6). Et quia antesteterit, aut servum de manu tulerit, in ipsius sit periculum. Nam si casu faciente ipsum mancipium mori, aut alibi aberrare contigerit, ipse, qui eum de manu domini abstulerit, aut antesteterit, restituat. Et si inventum fuerit, reddatur, & non cogatur dominus post talem fatigationem eum recipere in gratia, nisi voluerit. I. 25. 22.

CCLXXIX. Si quis mancipium fugax in casa sua nesciente domino super novem noctes habuerit, & contigerit ipsum mancipium aliquid mali perpetrare, aut mori, aut aberrare; ille qui id susceperit & celaverit & mandare neglexerit (7), reddat ipsum mancipium, aut pretium ejus domino ejus, & damnum, quod fecerit, ipse componat, qui id apud se habuerit. I. 25. 23.

CCLXXX. Si alienum mancipium post alium (8) hominem confugium fecerit, id est in faida, mox mandet domino ipsius, quam citius poterit, aut per scriptum, aut per certum hominem, quatenus id in gratia recipiat. Et si noluerit id recipere, & dilataverit, & contigerit id alibi transmigrare, nulla culpa illi sit, qui prius ipsum in casa sua habuerit; nam qui susceperit, & non mandaverit, reddat ipsum mancipium, & damnum cui fecerit, simul & operas. I. 25. 24.

CCLXXXI. Si quis mancipium alienum sciens fugax esse, nesciente domino susceperit, aut annonam dederit, aut ostenderit viam, aut transposuerit; & mancipium ipsum fuga lapsum in antea fugerit (9); ipse id per-

(1) Uterque Cod. *hominem liberum fugacem transposuerit, & cognoverit, quod fugax est*, sive, *quod in fuga est*.

(2) Cod. Esten. *& dominus secutus invitaverit eum in pace, ut reddatur in gratia, & si in gratia redditus fuerit*.

(3) Cod. Esten. *Si ille, apud quem fugerit mancipium alienum, id post secundam aut tertiam contestationem voluerit reddere*. Infra: *& alium simile*.

(4) Id est, qui prædio Regis præest, ejusque curam gerit. Cod. Esten. *aut Actor Regis ipsum mancipium reddere dilataverit post secundam* &c. *ita jubemus*. Infra: *in gratiam recepit, postea* &c. In fine: *unde extulit soldos XL*.

(5) Esten. Cod. addit: *domino reddere cogatur. Et si in gratia redditum fuerit, & postea in eum dominus* &c. Infra: *aut se idoniet*.

(6) Cod. Esten. addit, *solidos XX*. Infra idem Cod. *qui eum de manu domini sui tulit*.

(7) Cod. Esten. *aut mandare neglexit*. In fine: *qui eum post se habuit*.

(8) Cod. Esten. *Si mancipium cujuscumque confugium post alium*. Alter Cod. infra: *& contigerit eum alibi translatare*:

(9) Cod. Cathedr. Mutin. *& mancipium ille fuga lapsus fuerit, ipse eum* &c. Infra: *reddat pretium mancipii simul & rebus, quas* &c.

perquirat, qui ei annonam dederit, aut viam ostendere præsumserit; & si id non invenerit, reddat pretium mancipii, simul & res, quas secum portavit: & si inventum fuerit, reddat ipsum, simul & operas ejus. I. 25. 25.

De Oberos. (1)

CCLXXXII. Si quis in Curte aliena asto animo (2) intraverit, xx. solidos illi componat, cujus curtis fuerit. I. 24. 4.

CCLXXXIII. Mulier curtis rupturam, quod est oberos, facere non potest; quod absurdum esse videtur, ut mulier libera, aut ancilla, quasi vir, cum armis vim facere possit. I. 24. 5.

CCLXXXIV. Si servi per consilium (3) rusticanorum, manu armata in vicum intraverint ad malum faciendum, & quicumque homo liber sub Regni nostri ditione positus cum illis consiliatus in capite (4) fuerit, animæ suæ incurrat periculum, aut certe componat solidos DCCCC. medium Regi, & medium ei, cui injuria illata fuerit. Servi enim, qui cum ipso fuerint ex eodem consilio, unusquisque componat solidos XL. medium Regi, & medium cui injuria illata fuerit. Et si liber homo in capite non fuerit, ille prior servus, qui eos conduxit, moriatur; servi vero reliqui, qui cum eo fuerint ex eodem consilio, unusquisque servus XL. solidos pro eo componat, medium Regi, & medium cui malum fecerit. I. 17. 2.

CCLXXXV. Si pro quacumque caussa homines rusticani (5) se collegerint, id est consilium, & seditionem facere præsumserint, & cuicumque se anteposuerint, aut mancipium, aut peculium de manu tulerint, quod de casa servi sui dominus tollere voluerit, tunc ille, qui in capite fuerit ex ipsis rusticis, moriatur; aut animam suam redimat, quantum appretiatus fuerit: & unusquisque qui in ipsam seditionem cucurrerit ad malum faciendum, componat solidos XII. medium Regi, & medium cui injuria illata fuerit, aut se anteponere præsumserit. Et si ille, qui rem suam quærere, aut exigere videatur, ab ipsis rusticis feritas, aut plagas factas habuerit, sicut superius statutum est, ei componatur: nam pro præsumtione tantum pœnam suprascriptam patiatur. Et si aliquis ex ipsis rusticis occisus fuerit, non requiratur; quia ille, qui eum occiderit, se defendendo, & res suas vindicando hoc egerit. I. 17. 3.

CCLXXXVI. Si quis de lignario alterius lignum furatus fuerit, componat ei, cujus lignarium fuerit, solidos VI. I. 25. 26.

CCLXXXVII. Si quis de casa erecta lignum quodlibet, aut scindulas (6) furatus fuerit, componat solidos VI. I. 25. 27.

CCLXXXVIII. Si quis de lignamine adunato in curte (7) aut in platea ad casam faciendam lignum furatus fuerit, componat solidos VI. Si autem in silva dispersum fuerit, & furatus fuerit, componat in octogilt. I. 25. 28.

CCLXXXIX. Si quis in hortum alterius intraverit, aut salierit, ad furtum faciendum, componat solidos VI. nam si pro sua re ingreditur, & damnum non fecerit, non sit culpabilis. I. 25. 29.

CCXC. CCXCI. CCXCII. Si quis sepem alienam ruperit, id est derzon, componat solidos VI. Si quis assem de sepe assiata (8) unam aut plures tulerit, componat solidum unum. Si quis de sepe stantaria facta vimen (9) tulerit, componat solidum I. Si autem perticas transversarias tulerit, componat solidos III. I. 25. 30.

CCXCIII. Si quis ploum (10) aut aratrum alienum iniquo animo scapellaverit, componat solidos IV. Et si furatus fuerit, componat in octogilt. I. 19. 6.

CCXCIV.

(1) Cod. Ambros. habet: *De Operos, sive de curtis ruptura*.

(2) Cod. Esten. *irato animo, id est usterus*. Codex vero Cathedr. habet: *aistan, id est, per furorem*.

(3) Cod. Esten. *Si servi, id est, concilium rusticanorum*.

(4) In utroque Cod. *cum illis in capite*, aut *in caput fuerit*. Infra Cod. Esten. *Servi enim reliqui, qui cum ipso fuerint ex eodem concilio, unusquisque, cujus servus fuerit, XL. solidos pro eo componat, medietatem Regi, & medietatem cui ut supra malum fecerit*. In editis Goldasti hæc bis repetita errore librariorum videas.

(5) Cod. Ambros. *homines liberi rusticani*. Infra uterque Cod. *id est, concilium, & seditiones*. Infra Cod. Esten. *Tunc ille, qui in caput ex illis rusticanis fuerit, aut occidatur, aut* &c. Infra: *pœnam suprascriptam patiantur*.

(6) Cod. Esten. *aut sindulam furaverit, componat illi, cui furaverit, solid. VI*. Alter Cod. habet, *scandula*. Isidoro atque Ugutione testibus, *Scindula*, seu *Scindala* est asseris species, quo tecta tegebantur. Desumserunt ii a Plinio Lib. 16. cap. 10. ubi *scandulæ e robore aptissimæ* &c. qui & addit ex iis, non autem ex tegulis, *contectam fuisse Romam annis CCCCLXX*. Cornelio Nepote auctore. *Scandurarum* quoque meminerunt Columella, Cæsar de Bello Gall. & alii. Quare vox Latina est. Tu vero consule Vossium in Etymolog. Latino, ubi disputationem longam instituit, dicendum ne sit *Scandulæ*, an *Scindulæ*.

(7) Cod. Esten. addit, *alterius*.

(8) Cod. Esten. *Si quis assigias* (id est, tabulas sectiles ligneas) *de spe, vel assigiato*. Infra: *componat solid*. II. Cod. vero Cathedr. Mutin. habet: *Si quis exegia de spe, id est, azegiato, una aut duas*.

(9) Cod. Esten. *stantaria facta vimen tulerit*. Alter Cod. habet: *facta de vimen*. Pro *stantaria* Heroldus legit *stangaria*, quasi ab Italico *stanga*. Du Cangius legendum putat, *sepe stataria, ut sit palus defixus stans*. Certe significari videtur hic sepes e palis efformata.

(10) Cod. Cathedr. Mutin. *Si quis plovum*: atque ita scribendum, aut *ploum*. Adhuc rustici nostri aratrum *Piodo* appellant. Cod. Esten. habet, *plaustrum*; & infra, *Solidos VI*. Pro cædere, aut frangere, veteres dixerunt *capellare, capulare*.

CCXCIV. Si quis tintinnum (1) alterius desuper caballo, aut bove furatus fuerit, componat solidos VI. I. 25. 31.

CCXCV. Si quis jugum furatus fuerit, componat solidos VI. I. 25. 32.

CCXCVI. Si quis sogas furatus fuerit de bove junctorio (2), componat solidos VI. Et si qualemcumque rem mediocrem furatus fuerit, unde VI. solidos, aut minus in hoc Edicto judicantur, si fur ipse supra furtum tentus fuerit, non sit fegangi, sed tantum componat, sicut supra constitutum est. I. 25. 33.

CCXCVII. Si quis (3) vitem exspoliaverit, id est amminicula tulerit super III. aut IV. sit culpabilis solidorum VI. I. 25. 34.

CCXCVIII. Si quis palum, quod est carratium, de vite tulerit, componat solidos VI. I. 25. 34.

CCXCIX. Si quis vitem alienam de una fossa asto animo scapellaverit, componat solidum I. Si autem succiderit, componat solidos III. I. 19. 7.

CCC. Si quis tranicem (4) de vite aliena inciderit, componat medium solidum. I. 19. 7.

CCCI. Si quis super tres uvas de vinea (5) aliena tulerit, componat solidos VI. nam si usque tres tulerit, nulla sit ei culpa. I. 25. 34.

CCCII. & CCCIII. Si quis capistrum de capite caballi tulerit, componat solidos VI. Si quis pastoriam (6) de caballo alieno tulerit, componat solidos VI. I. 25. 35.

CCCIV. Si quis rete alienum, aut nassam (7) levaverit, aut de piscaria aliena pisces tulerit, componat solidos VI. I. 25. 36.

CCCV. CCCVI. & CCCVII. Si quis roborem, aut quercum, seu cerrum, quod est modo laiscum (8), aut glandem, quod est faia, inter agrum alienum, aut inter culturam, vel clausuram, in cujus vicino inciderit, componat pro arbore tremisses duos. Nam si iterans homo propter utilitatem suam foris clausuram scapellaverit, non sit ei culpa. Si quis castaneam nucem, pirum, aut malum (9) inciderit, componat solidos III. Si quis olivam (10) scapellaverit, componat solidos III. I. 19. 8.

CCCVIII. Si (11) homo, aut quodlibet peculium in sepe alterius, texta cum vimine, se impinxerit, & mortuus, aut aliquam læsionem passus fuerit; tunc ille, qui sepem ipsam fecit, & caput majus aut minus de vimine foris dimiserit, ipse sit culpabilis homicidii, aut læsionis. I. 19. 9.

CCCIX. Si (12) caballus, aut quodlibet peculium in clausuram alterius intus saliendo se impalaverit, non requiratur ab ipso, cujus sepis est. Et si ab infra foras saliendo se impalaverit, tunc ille, cujus sepis esse invenitur, eum componat; & si damnum infra ipsam clausuram fecerit, componat ei, cujus clausura est. I. 19. 10.

CCCX. Si quis fossatum circa campum suum fecerit, & caballus aut quodlibet pecus (13) inciderit, aut homo periclitaverit, non requiratur ab ipso, cujus fossatum esse in-

(1) Hoc est, *tintinnabulum*. Sequitur Cod. Esten. *desuper caballos aut boves furaverit* &c.

(2) Cod. Esten. *sogas de bobus junctoriis*, id est funes: quæ vox *Soga* adhuc apud rusticos nostros in usu habetur. In altero Cod. legitur: *de bove sogas junctorias*. Infra Cod. Esten. *in hoc Edicto sint judicati, si fur ipse supertentus fuerit, non sit fegangi, nisi tantum* &c.

(3) Cod. Esten. addit, *alterius*. Infra: *super tres, aut quatuor, componat soldos VI.*

(4) Corrige præeunte Cod. Esten. *Si quis traucem vitis inciderit*. Alter Cod. *Si quis trauce de vite alterius asto animo inciderit*. Italica Lingua adhuc retinet vocem *tralcio* pro *palmite*. Menagius in Origin. Linguæ Italicæ a *Ramus* hanc vocem deducendam conjicit; sed parum feliciter. A *trauce* venit, voce, ut verisimile est, Germanicæ originis.

(5) Cod. Esten. *Si quis tres uvas* (hoc est, *tre grappoli*) *de vinea aliena tulerit, non sit culpabilis. Nam si super tres tulerit, componat soldos sex*. In Cod. Cathedr. Mutin. pro *vinea* legitur *vite*.

(6) Cod. Esten. *Si quis pasturiam*. Alter, *Pasturias*. Nunc *pastoje, e balze da cavallo*, quibus equorum pedes constringuntur, ne longius migrent.

(7) Cod. Cathed. Mutin. *Si quis retes, aut nassas alterius*. Cod. quoque Esten. *nassas*; & infra, *solidos III.* uti & in altero. *Nassa nassæ* Latina vox est, adhuc in Italico sermone vigens.

(8) Cod. Cathedr. Mutin. *Si quis rubore, aut cerrum, seu quercum, quod est modolaiscio*. Cod. Esten. *De arbore robore, cereo, seu quercu, quod est modula hisclo*. Infra idem Codex Esten. *vicinus ad vicinum inciderit*. Inferius: *Nam si intrans homo*. Legitur autem in eodem Estensi Codice semper *capellaverit*, non vero *scapellaverit*.

(9) Cod. Esten. *aut melum alienum inciderit, componat pro unaquaque arbore solidum unum*. Lingua nostra nunc *Melo* arborem appellat, quæ olim *Malus*.

(10) Cod. Esten. *olivam alienam capellaverit*.

(11) In Cod. Cathedr. Mutin. hæc ita leguntur: *Si homo, aut quislibet peculius in sepem alterius texta cum vimine se intricaverit, aut impingerit, & mortuus, aut aliquam læsionem fecerit: tunc ille, qui sepem illam fecit, & caput majore de vimen foris dimisit, ipse sit culpabilis damnum, aut homicidium*. In Esten. Cod. *Si quis homo, aut quodlibet peculium in sepe alterius texta viminibus* &c. Ut ex his intelligis, si Langobardicas Leges haberemus, quales primum scriptæ fuerunt, immanem fortasse in iis Latinæ Linguæ rubiginem inveniremus, quod & in Salica Lege animadversum est.

(12) Elucidanda hæc sunt ope Codicum Mutinensium, ubi ita leguntur: *Si caballus, aut quodlibet peculium* (*aut quislibet peculius*, habet alter ex iis) *in clausura alterius intro saliendum se impalaverit: tunc ille, cujus sepis esse videtur, damnum non componat de eodem caballo*. Infra habetur: *Et damnum insuper si caballus intra clausuram fecerit, ille componat, cujus fuerit caballus*.

(13) Cod. Esten. *aut aliud peculium*. Alter Ms. *aut alter peculius*. Uterque: *ibidem ceciderit*. Uti & infra uterque: *damnum, quod ibi factum fuerit, componat ipse, qui occulte cooperuit*.

invenitur ; quia pro ſalvatione campi ſui fecit , nam non doloſe tractaverit . Si eum occulte cooperuit , & damnum factum fuerit , componat ipſe , qui occulte fecit . I. 19. 11.

CCCXI. Si animal in puteo alterius ceciderit , & mortuum aut debilitatum fuerit , non requiratur , cujus puteus eſt ; quia putei aqua communis omnium (1) utilitatibus invenitur eſſe . I. 19. 12.

CCCXII. Si quis alii arma ſua ſimpliciter præſtiterit , & ille qui acceperit , aliquod malum cum ipſis fecerit , non reputetur illi culpa , qui præſtiterit , ſed ei qui malum cum eis perpetraverit . Et e contrario ſi ille , qui præſtiterit , conſenſum ad malum faciendum adhibuit , collega ſit illi ad ipſum malum ſanandum . I. 20. 1.

CCCXIII. Si quis ſua auctoritate arma alterius tollere præſumſerit , & malum cum eis fecerit , non ſit illi culpa , cujus arma ſunt , ſed illi qui cum eis malum fecerit . (2) I. 20. 2.

CCCXIV. Si quæ fera ab homine plagata fuerit , & in ipſo furore hominem occiderit , aut quodlibet damnum fecerit , tunc ipſe , qui plagaverit , ipſum homicidium aut damnum componat ; ſub ea videlicet obſervatione (3) , ut tamdiu intelligatur culpa eſſe venatoris , quamdiu eam perſecutus fuerit , aut canes ipſius . Nam ſi ipſam feram poſtpoſuerit , & ſe ab ea tornaverit , poſtea quod fera ipſa damnum fecerit , non requiratur ab ipſo , qui plagaverit aut incitaverit . I. 22. 1.

CCCXV. Si in pedica , aut in taliola (4) fera tenta fuerit , & in homine aut in peculio damnum fecerit , ipſe componat , qui pedicam miſit . I. 22. 2.

CCCXVI. Si (5) quis ſuper feram ab alio plagatam , aut in taliola tentam , aut a canibus circumdatam , iter ſuum poſtpoſuerit , & volens eam lucrari , ſuper eam ſe miſerit , & ab ipſa fera plagatus vel occiſus fuerit , non requiratur ab ipſo , qui plagaverit , aut incitaverit ; ſed ſuæ culpæ reputet , & audaciæ , quod cum auctoritate ſua lucrandi animo ſe ſuper eam miſit . I. 22. 3.

CCCXVII. Si quis feram ab alio vulneratam , aut in taliola tentam , aut canibus circumdatam invenerit , aut forſitan mortuam , aut ipſe occiderit , & ſalvaverit , & bono animo manifeſtaverit , liceat de ipſa fera tollere dextrum armum cum ſeptem coſtis . I. 22. 4.

CCCXVIII. Si quis feram ab alio plagatam , aut forſitan mortuam , invenerit , & celaverit , componat ſolidos VI. illi , qui eam plagavit . I. 22. 5.

CCCXIX. Si cervus , aut quælibet fera ab aliquo homine ſagittata fuerit , tamdiu illius eſſe intelligatur , qui eam ſagittaverit , aut vulneraverit , uſque ad aliam talem horam diei aut noctis , quæ ſunt horæ XXIV. quando eam poſtpoſuerit , & ſe ab ea tornaverit : nam qui eam poſt tranſactas horas prædictas invenerit , non ſit culpabilis , ſed ſibi habeat ipſam feram . I. 22. 6.

CCCXX. Si quis cervum domeſticum , qui tempore ſuo rugire ſolet , intricaverit (6) , componat domino ejus ſolidos XII. nam ſi furatus fuerit , reddat in octogilt . I. 19. 13.

CCCXXI. Si quis cervum domeſticum alienum qui non rugit (7) , intricaverit , componat domino ejus ſolidos VI. nam ſi furatus fuerit , reddat in octogilt , I. 19. 13.

CCCXXII. Si quis accipitrem , gruam , aut cignum domeſticum alienum intricaverit , componat ſolidos VI. nam ſi furatus fuerit , reddat in octogilt . I. 19. 14.

CCCXXIII.

---

(1) Cod. Eſten. *non requiratur ille , cujus puteus eſt , quia puteus aquæ omnibus communibus utilitatibus invenitur eſſe* . Fortaſſe , *non requiratur illi* .

(2) Cod. Eſten. *non ſit culpabilis ille , cujus arma ſunt , ſed ille , qui eum malum fecit* .

(3) Cod. Eſten. *ſub ea videlicet ratione* . Infra : *aut ſe ab ea tornaverit , poſteaque ipſa fera* . Ubi vides jam tum in uſu fuiſſe verbum *tornare* , nunc in Italica Lingua uſitatiſſimum pro *reverti* , ac *recedere* . Miſcellæ Auctor Tom. I. pag. 114. Rer. Italicar. rem narrat obſervatione dignam . Dum Romani milites in Chajanum Hunnorum Regem ſpe victoriæ ruituri eſſent , improviſo quidam patria voce dixit : *Torna , torna frater* , ſive *fratre* , ut habet Theophanes Græcus Scriptor . Contigere hæc circiter Annum Chriſti 585. Quare vides quam antiqua ſit Linguæ Latinæ corruptio , & Italicæ origo .

(4) Adhuc in uſu eſt Italicæ Linguæ *la tagliuola* , & apud nos , *menare alla tagliuola* , proverbialis formula . Laqueum , quo pedes animalium capiuntur , explicant Auctores Vocabularii *della Cruſca* . Sed fortaſſe rectius explices , ferream machinam , dentibus , oris ad inſtar , armatam , quæ dum eſca appoſita trahitur , ſe claudens feram capit . Mutinenſes *il Lovo* , ſive *Lupo* , appellare ſolent ejuſmodi decipulas , quod nempe frequentior earum uſus foret ad capiendos lupos . Uſi ſunt & Itali veteres verbo *piedica* eadem ſignificatione , uti videre eſt in Vocabulario *della Cruſca* . Infra Cod. Eſten. *& in ipſo furore in hominem aut peculium damnum* &c.

(5) Rectius in utroque Cod. Mutinen. *Si quis fera ab alio plagata , aut in taliola tenta , aut a canibus circondata , iter ſuum poſtponens , volens eam lucrare , ſuper ipſa ſe miſerit* . Infra : *pro eo quod ſua auctoritate* .

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *fragaverit* . Fortaſſe *flagraverit* a flagris . Cod. Eſten. *plagaverit* . In Lege ſequenti legitur , *intricaverit* . Eadem vox utrobique adhibita fuiſſe videtur . Infra Cod. Cathedr. *nam ſi furaverit* .

(7) Cod. Cathedr. Mutin. *Si quis cervo alieno domeſtico , qui non ruxit , intricaverit* . A *trica* , dum florebat Lingua Latina , deductum fuit *intricare* , quod hic ſignificare videtur , non *remorari* , aut *impedire* , ſed aut in laqueos conjicere , aut vulnerare . Infra enim occurrit : *Si porcus cum dente hominem intricaverit* , ſeu *inſtricaverit* . Apud nos in uſu eſt *ſtriccare* pro ſtringere . De cervis quoque *domeſticis* agitur in Lege Salica , hoc eſt , cicuratis & manſuefactis , quorum uſus erat in venatione ad cervos feros in retia aut tela trahendos .

CCCXXIII. Si quis de apiculari vas cum apibus furatus fuerit (1), unum aut plura, componat solidos XII. I. 25. 37.

CCCXXIV. Si quis de arbore signata in silva alterius apes tulerit, componat solidos VI. Nam si signata non fuerit, tunc quicumque invenerit jure naturali habeat sibi, excepto de gajo Regis. Et si contingerit, ut dominus, cujus silva est, supervenerit, tollat mel, & amplius non requiratur ei calumnia (2). I. 25. 37.

CCCXXV. Si quis accipitres de silva alterius tulerit, excepto de gajo (3) Regis, habeat sibi: nam si dominus silvæ supervenerit, tollat accipitres, & amplius culpa adversus eum non requiratur. Et hoc idem jubemus, ut si quis de gajo Regis accipitrem tulerit, sit culpabilis Regi solid. XII. I. 25. 38.

CCCXXVI. Si quis de arbore signata in silva alterius accipitrem de nido tulerit, componat solidos VI. I. 25. 38.

CCCXXVII. Si quis canes alienos clamaverit, aut incitaverit, & damnum fecerit in homine, aut in peculio, non reputetur illi culpa, cujus canes sunt, sed illi, qui eos incitaverit. I. 21. 1.

CCCXXVIII. Si quis peccatis imminentibus homo rabiosus, aut dæmoniacus factus fuerit (4), & damnum fecerit in homine, aut quolibet peculio, non requiratur ab heredibus ejus; & si ipse occisus fuerit, simili modo non requiratur; tantum est, ut sine culpa non occidatur. I. 19. 15.

CCCXXIX. Si canis aut caballus, aut quodlibet peculium rabiosum factum fuerit, & damnum fecerit in homine, aut in peculium, non requiratur a domino; & qui ipsum occiderit, simili modo non requiratur, ut supra. I. 21. 2.

De quadrupedia.

CCCXXX. De quadrupedibus, si in homine, aut in peculium damnum fecerit, ipse componat damnum, cujus fuerit pecus. I. 21. 2.

CCCXXXI. Si caballus cum pede, bos cum cornu damnum fecerit, vel si porcus cum dente hominem intricaverit (5), aut si canis momorderit, excepto ut supra rabiosus fuerit ipse, componat damnum aut homicidium, cujus animal fuerit, cessante in hoc capitulo faida, quod est inimicitia, quod muta res fecit, non hominis studium. I. 21. 3.

CCCXXXII. Si quis præstitum, aut conductum habuerit caballum, vel bovem, aut canem, vel quodlibet peculium, & dum in ipso beneficio, & conductura est, homicidium fecerit, aut damnum, non requiratur proprio domino, sed illi, qui conductum, aut præstitum habuit, & ipsum homicidium, aut damnum componat (6). I. 21. 4.

CCCXXXIII. Si (7) animal alicujus alienum animal occiderit, aut intricaverit, id est bos bovem, aut quodlibet peculium, tunc dominus, qui suum animal intricatum invenerit, aut forsitan jam marcidum, aut minutum, jubemus (8) ut consignet ipsum marcidum, aut intricatum illi, cujus animal eum intricavit, & similem qualem in illa die fuerit, quando intricatum est, recipiat ab ipso, cujus animal hoc fecerit. I. 21. 5.

CCCXXXIV. Si quis canem alienum furatus fuerit, nonum (9) sibi reddat. I. 25. 39.

CCCXXXV. Si quis se vindicando occiderit canem alienum cum spatha, aut virga, aut quibuslibet armis manu tenendo, non requiratur (10); tantum est, ut ipsa vir-

(1) Cod. Esten. *de apiculario vasculum cum apibus furaverit.*

(2) Idem Cod. *& amplius culpa non requiratur.*

(3) Idem Cod. *Si quis de silva alterius accipitrem tulerit de nido, excepto Gaje Regis*; id est, silva ad Regis jus spectante. Cod. Ambros. hic & alibi habet, *in Gagio Regis*. Idem legit *acceptorem* pro *accipitrem*, uti etiam & Cod. Cathedr. Mutin. In Lege Baiuvariorum Tit. XXI. num. 6. apud Baluzium Tom. I. Capitular. pag. 139. legitur: *Si vero de minutis silvis, de luco, de quacumque Kabeio vegetum reciderit*. At in Cod. Cathedr. Mutin. habetur ibi: *de luco vel qualecumque Gajo vegitium reciderit*. Infra in Cod. Esten. exaratum est: *Et hoc jubemus: si quis de Gagio Regis tulerit, sit culpabilis Regi soldos XII.* Sunt & adhuc in hisce partibus rura, quibus nomen *Gazzo*, *Gaggio*; quod ibi, ut arbitror, olim foret *Gajum*, sive *Gagium* Regis.

(4) In Cod. Esten. *aut demoniosus apparuerit.*

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *Si cavallus cum calce, si bos cum cornu, si porcus cum dente hominem intricaverit, aut si canis morderit, excepto ut supra si rabiosus fuerit, ipse componat homicidium, aut damnum* &c.

(6) Uterque Cod. Mutin. *Sed ille, qui præstitum apud se habuit, ipse damnum, aut homicidium componat*. Addit Cod. Esten. *nisi sit pullus calcitrosus jumenti præstiti*. Quæ puto glossam continere: est enim infra Lex de ejusmodi pullis.

(7) En ut Cod. Cathedr. Mutin. hæc efferat: *Si animalis alterius alienum animalem occiderit, aut intricaverit, id est, bovis bovem, aut quibuslibet peculius*. Infra: *aut foris animam marcitum*. Sequitur Cod. Esten. *aut minutum*.

(8) Cod. Cathedr. Mutin. *jubemus, ut ille, qui animalem suum intricatum, aut forsitan mortuum invenit, det eum apud illum, cujus animalis eum intricavit, & recipiat similem, qualis in illa die fuit, quando fragiatus est* (*frangiatum* habet Cod. Esten.) *ab ipso, cujus animalis hoc fecit*. Atque hæc, ut puto, primigenia fuerit lectio Legis; ejus vero rubiginem aliquantulum exterserint recentiores.

(9) Hic & alibi Cod. Esten. habet *nonum*. At in hoc non est constans.

(10) Cod. Cathedr. Mutin. *id est, cum spata, aut cum virga, aut qualibet arma* (ita & Cod. Esten.) *in manu tenendo, non ei requiratur*. Infra Cod. Esten. *Et si spatam, aut aliam armam post ipsum jactaverit, qua eum occiderit, reddat ferquido* (*fercoto* legitur in altero Cod.), *id est simile.*

virga talis inveniatur, ut mediocris ſpatha. Nam ſi poſt ipſum jactaverit, & eum occiderit, reddat ferquidum, id eſt ſimilem. I. 19. 16.

CCCXXXVI. Si quis canem alienum, nocte aut die damnum facientem, invenerit in caſa ſua; ſi eum occiderit, non requiratur, & ſi occiſus non fuerit, damnum quod fecerit, dominus reddat (1). I. 19. 16.

CCCXXXVII. Si quis percuſſerit vaccam (2) prægnantem, & abortum fecerit, componat tremiſſem unum. Et ſi mortua fuerit, reddat eam qualiter appretiata fuerit, ſimul quod in utero ejus mortuum eſt. I. 19. 18.

CCCXXXVIII. Si quis percuſſerit equam prægnantem (3), & abortum fecerit, componat ſolidos III. Si autem ex ipſa percuſſura mortua fuerit, componat eam, ſimul & quod in utero ejus mortuum eſt. I. 19. 17.

CCCXXXIX. Si quis percuſſerit ancillam (4) gravidam, & abortum fecerit, componat ſolidos III. Si autem ex ipſa percuſſura mortua fuerit, componat eam, ſimul & quod in utero ejus mortuum eſt. I. 19. 19.

CCCXL. Si lupus animal cujuſcumque occiderit, & aliquis, id neſciente domino ſuo excoriaverit, & celaverit, & per proditorem ſuum inventum fuerit, componat ſolidos XII. I. 25. 40.

CCCXLI. Si in flumine animal cujuſcumque mortuum fuerit, aut ubicumque; & alius homo, cujus non fuerit, excoriaverit, componat ſolidos XII. I. 25. 41.

CCCXLII. Si quis caballo alieno aurem vel oculum excuſſerit, aut aliquam læſionem corporis fecerit, recipiat ipſum, qui læſus factus eſt, & reddat ei (5) ferquidum, id eſt ſimilem. I. 19. 20.

CCCXLIII. Si quis caballo alieno caudam capellaverit, id eſt ſetas traxerit, componat ſolidos VI. I. 19. 20.

CCCXLIV. Si quis caballum alienum plagaverit, aut aliquam læſionem fecerit, tunc dominus caballi reddat ipſum caballum illi homini, qui læſionem fecit, ut ipſe eum ſanet; & dum ipſe (6) ſanare potuerit, det illi ſuum proprium caballum, qualiter utilitatem ſuam faciat. Et ſi ipſe caballus, qui læſus fuerit, ad priſtinam redierit ſanitatem, reddat ipſum proprio domino. Si autem ex ipſa læſione mortuus fuerit, reddat alium ſimilem. Et ſi contigerit, ut ipſe caballus, qui pignoratus eſt, apud ipſum moriatur, tunc ſatisfaciat ille, qui pignoratum habuit, ſi pulſatus fuerit, quod non per illius negligentiam mortuus fuerit, & poſtea nulla ſit repetitio. I. 19. 21.

CCCXLV. Si quis caballum alienum aſcenderit, & intra viciniam tantum caballicaverit, id eſt per ipſum vicum, componat ſolidos II. Nam ſi in antea eum caballicaverit (7), & dominum ejus non rogaverit, in octogilt eum reddat. I. 25. 42.

CCCXLVI. Si quis caballum alienum apprehenderit, ipſumque diffiguraverit, aut circinaverit (8), furti pœna ſit culpabilis in octogilt. I. 25. 43.

CCCXLVII. Si quis caballum alienum, aut quodlibet peculium, credens ſuum eſſe, apprehenderit, & dominus ejus eum cognoverit, & calumniam generare voluerit, ita decernimus, ut præbeat ſacramentum ille, qui eum tenuit, quod non aſto animo, nec aliqua (9) cauſſa faciente, eum apprehendiſſet, ſed credens ſuum fuiſſe, ſit abſolutus a culpa furti, & reddat ipſum caballum proprio domino illæſum. Si autem præſumſerit jurare, reddat eum in octogilt. Quia poſtquam cognovit, quod ſuus non fuiſſet, mox debuit proprio domino innoteſcere. Nam ſi eum poſtquam cognovit, quod ſuus non fuerit, aſcenderit, ſit culpabilis ſolid. II. ut ſupra. I. 25. 44.

CCCXLVIII. Si quis caballum alienum, aut quodlibet peculium, damnum ſibi facientem invenerit, ipſumque in curte clauſerit, & non venerit certus dominus, qui eum cognoſcat; tunc ille, qui eum in damno invenerit, ducat eum ad judicem, qui in

(1) Cod. Eſten. *dominus ejus perſolvat*.

(2) Cod. Cathedr. Mutin. addit, *alienam*, Cod. Eſten. infra habet non *tremiſſem unum*, ſed *ſolidum unum*.

(3) Cod. Cathedr. Mutinen. addit, *alienam*. Infra hæc habet: *componat ſolidum unum*; *& ſi mortua fuerit, reddat eam, ſimul & pecus*. Et quidem legendum *ſolidum unum*; ſupra enim eadem pœna indicitur pro vacca prægnante; & infra *tres ſolidi* pro abortu *ancillæ* ſtatuuntur. Ridendum vero foret æquiparare ancillæ fœtum vaccino fœtui.

(4) Cod. Cathedr. Mutin. addit, *alienam*.

(5) Ita corrige ex Ms. Eſten. *ipſum, qui læſionem fecit, & reddat ferquidum, id eſt ſimilem*. Tum gloſſema additur: *Similiter de ceteris beſtiis reſpondetur*.

(6) Uterque Cod. Mutin. *& dum ipſum*. Infra Cod. Eſten. *quatenus, uſque dum ſuus ſanus factus fuerit, ſuam faciat utilitatem*. Et infra: *reddat ipſum proprio domino, & ſuum recipiat*.

(7) Cod. Eſten. *caballicare præſumſerit*. A *caballo* Latina voce, ut facile quiſque intelligit, inferiora ſæcula deduxerunt *caballicare*, quod nunc nobis eſt *cavalcare*.

(8) Hanc vocem explicat Du-Cangius pro *avertere*, *abigere*. In Cod. Eſten. legitur: *Si quis caballum alienum pendiſerit, & circinaverit, ipſumque diffiguraverit, furti* &c. Corruptum ſane illud *pendiſerit*, ac ſcribendum *prendiderit*, aut *priſerit*. Attamen hinc vides, dubium eſſe hunc locum in editis. Vocabulo *circinaverit* ſignificari videtur læſio aliqua, aut ſigna aliqua impreſſa (*circino* fortaſſe) equo, unde is deformatus & *diffiguratus* evadat. Aut nihil aliud ſignificatur, quam notam (nunc *Marca* appellamus) alieno equo inurere, ut ad alterum ſpectare videatur: in quem ſenſum Eccardus explicat Cap. II. Tit. X. Legis Salicæ, ibi legens *caballum pinxerit*, non *punxerit*. In fine uterque Cod. Mutin. *in octogild, id eſt, ſibi nonum*.

(9) Cod. Eſten. *nec alia cauſa*. Et inferius: *niſi credidit ſuum fuiſſe*.

in loco ordinatus eſt, aut certe ante Eccleſiam in conventum, uſque ad quartam, vel quintam vicem, & *omnibus voce præconia innoteſcat, quod caballum inveni, & neſcio cujus ſit*. Et ſi non venerit, qui eum cognoſcat, jubemus ut ille, qui invenerit, caballicet & cuſtodiat eum tanquam ſuum proprium. Et ſi mortuus fuerit, ſigna de corio conſervet; ut cum venerit certus dominus, habeat quod ei oſtendat. Nam ſi iſta neglexerit, & inventum fuerit, ſibi alterum ſimiliter reddat. At ſi iſtam cautelam obſervaverit, ſit abſolutus a calumnia, (1) I. 23. 1.

CCCXLIX. Si quis caballos, aut armenta aſto animo in meſſem alienam, aut in pratum miſerit, aut in quodlibet damnum, componat unum ſolidum pro capite (2); excepto damno, ſicut appretiatum fuerit, aut loci conſuetudo eſt. Sic tamen ſi paſtor non auſus fuerit jurare, quod aſto animo non miſiſſet; & ſi juraverit, ſit abſolutus a culpa, tantum damnum componat. I. 19. 22.

CCCL. Si quis porcos, aut pecora aſto animo in damnum alterius miſerit, ſi auſus non fuerit jurare (3), componat ſolidum unum, excepto damno. I. 19. 24.

CCCLI. Si quis peculium de damno ſuo ad clauſuram minaverit, & ille cujus peculium eſt, ei anteſteterit, componat ſolidum unum, excepto damno, ſicut arbitratum fuerit. Et ſi in curte minaverit, ille cujus peculium eſt, roget eum ut reddat illi; ſic tamen, ut det ei pignus per ultimum, valens ſiliquas III. aut certe fidejuſſorem ſub tali titulo, ut damnum, quod arbitratum fuerit, componat ſecundum fabulam, qualiter intra vicinos ipſos eſt. Et ſi pignus ſuſcipere noluerit, & una nocte apud ſe peculium habuerit, componat ſolidum unum. Et ſi ille, cujus peculium eſt, tenens duritiam cordis, id liberare deſpexerit, tunc habeat ille id peculium, qui in damno invenerit, & per novem noctes aquam (4) ei tantum det, & de damno in hoc ſit contentus, eo quod novem noctes ipſum peculium tenuit. Et ſi de ipſis peculiis aliquod mortuum fuerit, ſuæ negligentiæ reputet, qui diſpignorare neglexerit. I. 23. 2.

CCCLII. Si hominem iterantem (5) caballus aut quodlibet peculium ſecutum fuerit, & ille quem ſequitur, in ligamine, aut in clauſura miſerit, ipſe id ſalvum faciat, ſicut ſupra conſtitutum eſt, ut venienti proprio domino reſtituat. Nam ſi ſequi cœperit, & ſe de via tornaverit, nulla ſit ei culpa, quem ſequi cœperat. Nam ſi ille, quem ſequitur, eum abſconſe habuerit, aut eum vendiderit, componat ipſum caballum in octogilt. I. 25. 45.

CCCLIII. Si quis ab alio homine rogatus fuerit caballum, aut quodlibet peculium perditum quærere, ſignaque ei dictaverit, & ille qui rogatus fuerit, forſitan caballum (6), aut peculium per errorem comprehenderit, ſi venerit proprius dominus, & calumniam generare voluerit, ita proſpeximus, ut ille qui per errorem comprehenderit, præbeat ſacramentum, quod credidit ipſum eſſe, unde rogatus fuerat, & tunc reddat caballum, & amplius non calumnietur, ſi eum male non tractaverit. Et ſi non venerit proprius dominus, reddat eum illi, per quem ipſum tulit; & ipſe iterum juxta legem conſervet, ſicut ſupra dictum eſt. I. 25. 46.

CCCLIV. De porcis, ſi in eſca alterius paverint, & inventi fuerint, ſi minus ſunt decem, non occidantur (7) nec unus de ipſis; ſed ille qui eos invenerit, teneat unum ex ipſis, & habeat ſalvum; & componantur ei per porcos ſiliquæ III. Nam ſi ſupra decem fuerint, aut uſque ad decem, unus mediocris occidatur, & non requiratur. Nam ſi minus decem fuerint, & occiderit unum, reddat ferquidum, id eſt ſimilem. I. 23. 3.

CCCLV. Si quis in prato porcos foſſas facientes invenerit, unum aut plures, occidatur unus tantum, & non requiratur. I. 23. 4.

CCCLVI. Si quis verrem alienum furatus fuerit, componat ſolidos XII. ipſum qui dicitur ſonopair (8), qui omnes alios verres in grege battit & vincit. Tantum in uno grege, quamvis multitudo porcorum ſit,

(1) Cod. Eſten. *ſit abſolutus a culpa*.

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *componat per caput ſolidum unum, excepto damno, ſi fecerit, ſicut arbitratum fuerit, aut* &c. In fine uterque Codex: *ſit abſolutus a culpa: tamen damnum componat*.

(3) Cod. Eſten. *idoniare*.

(4) Cod. Eſten. *tunc habeat id ille, qui in damno ſuo invenerit, novem noctes, & aquam tantum ei det*. In fine: *qui diſpignorare neglexit*.

(5) Ita Mss, Editio Boherian. *itinerantem*: quod idem ſignificare voluit Langobardorum elegantia. Gellius tamen adhibuiſſe & ipſe creditur. Infra: *in ligamine*, aut *in ligamen*, ut habet editio Boheriana. Cod. Eſten. neſcio quid ſibi velit exhibens *in lingamba*. Depravatum puto. Infra: *& venienti*.

(6) Cod. Eſten. addit, *alienum*. Infra: *non calumnietur, ſi eum male non tractavit*. Hoc eſt, dummodo eum non læſerit.

(7) Cod. Eſten. *non occidatur nec unus*. Infra: *& componantur ei pro porco ſiliquæ tres*.

(8) Cod. Cathedr. Mutin. *ſonarpair*. Ambroſ. *ſonor-fair*. Cod. vero Eſten. *qui dicitur ſenorpaiz. Ille eſt Senorpaiz* (ſequitur Cod. Cathedr.) *qui alios verres in grege batet, & vincet*. Vides antiquam originem Italici verbi *battere*, & Gallici *battre*, quod tamen ab antiquo Latino *batuere* deſcendit. Infra Eſten. Cod. *nam ſi minor grex de triginta capitibus fuerit, non reputetur* &c. In fine Cod. Cathedr. *Nam alii verri, aut porci ſi fuerint furati, in octogild reddantur*. Conſentit & alter Codex.

fit, unus computetur sonopair. Nam si minor grex xxx. capitibus, non computetur sonopair, nisi xxx. vel supra fuerint. Et si in damno ipse sonopair occisus fuerit, aut similem aut meliorem ille, qui occiderit, restituat, & damnum ei componatur. Nam si alios verres, aut porcos furatus fuerit, in octogilt reddat. I. 25. 47.

CCCLVII. Si quis porcarium de libero homine battiderit, ipsum quidem, qui in curte ejus erit (1), nam non de casa massarii, componat solidos xx. Tantum est, ut ipse porcarius feritas prius non faciat, aut scandalum non committat. Nam si fecerit plagas aut feritas, arbitrentur & componantur. I. 8. 29.

CCCLVIII. Si duo porcarii inter se battiderint, aut scandalum commiserint; si plagas aut feritas fecerint, componantur: nam alia culpa non requiratur. I. 8. 30.

CCCLIX. Si quis campum alienum araverit, sciens non suum, aut sementem spargere præsumserit, perdat operas & fruges; & ille, qui campum suum probaverit esse, habeat fruges. I. 27. 2.

CCCLX. Si (2) quis campum alienum exaraverit seminatum, aut devastaverit, & suum non potuerit probare, aliud tantum frugum, quantum devastaverit, proprio domino reddat; & pro incauta præsumtione componat solidos VI. I. 27. 3.

CCCLXI. Si (3) quis pratum alienum secuerit, aut exaraverit, & fœnum reddat, & pro incauta præsumtione componat solidos VI. I. 27. 5.

CCCLXII. Si quis campum alienum asto animo cum peculio suo deleverit, aut spicas manibus evulserit, componat solidos VI. I. 19. 23.

CCCLXIII. Nulli sit licentia iterantibus herbam negare, excepto prato intacto, tempore suo, aut messe. Post fœnum autem, aut fruges collectas, (4) tantum fruges vindicet is, cujus terra est, quantum cum clausura sua potest defendere. Nam si quis caballos iter facientes, de stipula, aut de ipsis pascuis, ubi alia pecora pascuntur, movere præsumserit, in octogilt caballos componat, pro eo, quod ipsos de aruo campo, quod est fossinagar, movere præsumserit. III. 4. 1.

De sacramentis.

CCCLXIV. Si qualiscumque caussa inter homines liberos evenerit, & sacramentum dandum fuerit, si usque ad xx. solidos fuerit caussa ipsa aut amplius, ad Evangelia sancta juret cum duodecim aliis suis (5), id est sacramentalibus: ita ut sex illi nominentur ab illo qui pulsat; & septimus sit, qui pulsatur, & quinque quales voluerint liberos eligat, ut tamen sint XII. Quod si minor caussa fuerit de xx. solidis usque ad duodecim, sibi sextus juret ad arma sacrata: tres ei nominet, qui pulsat, & duos liberos eligat, qui pulsatur, quales voluerit, & sextus sit ipse. Et si minor fuerit caussa de XII. solidis, sibi tertius juret ad arma sacrata: unum ei nominet, qui pulsat, & alium ipse sibi quærat, & tertius sit ipse. II. 55. 5.

CCCLXV. Si quis alii wadiam (6) & fidejussorem de sacramento dederit, omne quod per wadiam & fidejussorem obligavit, adimpleat. Et ille qui pulsat, & wadiam suscepit, proximiores sacramentales, qui nascendo sunt, debeat nominare tantum: excepto illo (7), qui gravem inimicitiam cum ipso, qui pulsatur, commissam habet, id est, si ei plagam fecerit, aut in morte ejus consenserit, aut res ipsius alii thingaverit, ipse non potest esse sacramentalis, quamvis proximus sit, eo quod inimicus, & extraneus esse invenitur. II. 21. 9.

CCCLXVI. Si quis alii pro quacumque caussa wadiam & fidejussorem de sacramento dederit, detur (8) ei spatium usque ad XII. noctes ad ipsum sacramentum dandum. Et si propter ægritudinem forsitan aut aliam caussam supervenientem, in prædicto constituto non potuerit jurare, suspendatur ipsa caussa usque ad alias XII. noctes. Et si nec tunc compleverit, & totum annum voluntarie

(1) Cod. Esten. *qui de curte ipsius exiit*. Cod. Cathedr. Mutin. *ipsum, qui de curte ipsius erit*. Distinguitur hic *porcarius de libero homine*, id est, *il porcajo di un uomo libero*, a porcario *de Casa Massarii*, hoc est ab eo, qui famulatur servo Massario.

(2) Cod. Esten. *Si quis campum alienum seminatum exaraverit, & suum non potuerit facere, alias tantas fruges, quas devastavit, proprio* &c. Abest etiam ab Ambros. Cod. *devastaverit*.

(3) Cod. Cathedr. Mutin. *Si quis prato alieno segaverit, aut exaraverit*, (sequitur Cod. Esten.) *& fœnum perdat*, (tum uterque Cod.) *& pro inlicita præsumtione* &c.

(4) Cod. Esten. *collectus tantum &c.* Ita & Cod. Cathedr. & Ambros. Infra Cod. Esten. *de stupla, aut de ipso loco, ubi alia* &c. Servat adhuc Italica Lingua vocem *stoppia* pro stipula. In fine legitur: *quod est fossachar*. Et in Cod. Cath. Mutin. *quod est fonsnegar*. In Ambros. *fosinachar*. Veteres *arvum* dixere campum, qui nec aratus, nec satus erat.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *cum duodecim aidos suos, id est sacramentales*. Infra Cod. Esten. *& quinque, quales voluerit reus, liberos tamen, ut sint XII.* Infra idem Cod. *ad arma sacrata, & tres ei*. Jurare *ad arma sacrata*, hoc est antea benedicta, mos fuit plerisque Populis Septemtrionalibus, ut ostendit Du-Cangius in Glossario Latino.

(6) Cod. Mutin. *Si quis alii Wadia dederit, & fidejussore posuerit de sacramento per omnia, quod per Wadia obligavit, adimpleat*. Jam supra monui *Wadiam, vadiam, gaudiam* &c. significare *vadimonium*.

(7) Uterque Cod. *debeat nominare. Tantum est, ut excepto illos*. Infra Cod. Cathedr. *& res suas alii thingaverit*. Et inferius: *eo quod inimicus aut extraneus*.

(8) Uterque Cod. Mutinen. *det ei spatium*. Infra: *Et si forsitan per ægritudinem*.

tarie dilataverit, & ſacramentum non dederit, tunc rem ipſam, unde agitur, amittat, & ille acquirat, qui wadiam ſuſcepit. Et e contrario, ſi ille (1) qui wadiam ſuſcepit, ſacramentum audire dilataverit, & annus totus pertranſierit; poſt tranſactum anni ſpatium nullam impoſterum habeat facundiam de ipſa re loquendi: ſed ille, qui paratus fuerit ſacramentum dare, firmiter poſſideat. II. 55. *6.*

CCCLXVII. Si contigerit homini (2) poſt datum fidejuſſorem de ſacramento, & ſacramentales nominatos, mori, & filios dimiſerit; poſteaque ille, qui cauſſam quærit, pulſaverit filios dicendo, *quia quicquid pater per wadiam & fidejuſſorem obligavit, filii complere debent*: tunc neceſſe eſt filiis, quamvis minorem virtutem habeant, quam pater, aut per ſacramentum negare, quod pater eorum non promiſerit, aut certe quod ſpopondit adimpleant. Et ſi aliquis de ſacramentalibus mortuus fuerit, poteſtatem habeat ille, qui pulſat, in loco mortui ſimilem alium nominare, de proximis legitimis, aut de naturalibus, aut de gamalibus, id eſt confabulatis (3). Et ſi dixerit, qui pulſat, quod ſacramentum ruptum fuiſſet, præbeat ſacramentum, qui negat. Si auſus fuerit jurare, quod neque a patre, neque a ſe (4) ſacramentum ruptum fuiſſet; poſtea juret, ſicut ſupra ſcriptum eſt. (5) Sacramentum tunc intelligitur ruptum, quando præſentibus ſacroſanctis Evangeliis, aut armis ſacratis, ille qui pulſatur, cum ſacramentalibus ſuis conjunxerit, & non auſus fuerit jurare; & aut ipſe, aut aliquis de ſacramentalibus ejus ſe ſubtraxerit, tunc intelligatur ſacramentum ruptum. II. 55. 7.

CCCLXVIII. Si pro quacumque cauſſa aut culpa homo pulſatus fuerit ab alio, & negaverit, liceat ei ſe idoneare, ſecundum legem, & qualitatem cauſſæ. Si autem manifeſtaverit ſe feciſſe, componat ſecundum quod in edicto lex eſt (6). Nam nulli liceat, poſtquam manifeſtaverit, poſtea per ſacramentum negare, quod non ſit culpabilis, poſtquam ille ſe culpabilem aſſignavit. Quia multos cognovimus in Regno noſtro tales pravas opponentes intentiones, & hæc moverunt nos præſentem corrigere legem, & ad meliorem ſtatum revocare. II. 55. 8.

CCCLXIX. Si quis poſt mortem patris filium de debito appellaverit, quod pater ipſius ei debitor fuiſſet, & filius negaverit; ita decernimus, ut præbeat filius ſacramentum, ſecundum qualitatem pecuniæ, unde pulſatus eſt, quod pater ejus ei debitor non fuiſſet; aut per pugnam ſe defendat, ſi potuerit. II. 55. *9.*

CCCLXX. Si aliqua inter creditorem, & debitorem (7), atque fidejuſſorem, ſurrexerit intentio, & dixerit creditor, quia in tali prætextu wadiam ſuſceperit, & fidejuſſor negaverit, non eſt cauſſa fidejuſſori, præbere ſacramentum, niſi debitor ſingulus ſatisfaciat ad Evangelia, vel in arma ſacrata: quia in tali capitulo, nec wadiam dedit, nec fidejuſſorem poſuit. II. 55. 10.

CCCLXXI. Nullus camphio (8) præſumat, quando contra alium pugnando vadit, herbas, quæ ad maleficia pertinent, ſuper ſe habere, nec alias tales ac ſimiles res: niſi tantum arma ſua, quæ conveniunt. Et ſi ſuſpicio fuerit, quod eas occulte habeat, inquiratur a judice: & ſi inventæ fuerint, evellantur, & jactentur. Et poſt iſtam inquiſitionem, tradat manum ipſe camphio in manu parentis, aut conliberti ſui, ante judicem ſatisfaciens, & dicat, quod nullam talem rem, quæ ad maleficia pertinet, ſuper ſe habeat, & tunc vadat ad certamen. II. 55. 11.

CCCLXXII. Omnes vero regales cauſſæ, (9) quæ ad manum Regis pertinent, unde compoſitio expectatur, aut culpa quæritur, dupliciter ſecundum antiquam conſuetudinem componantur, excepto mundio de libera, aut morth, aut aliis, quæ ſimiles ſunt, unde DCCCC. ſolidi judicantur, quas in ſuo vigore ſimiliter conſtituimus permanere. Reliquæ vero cauſſæ, ut ſupra diximus,

---

(1) Cod. Eſten. *Et ſi ipſe, qui vddium ſuſcepit*. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *& anno toto pertraxerit*, fortaſſe *protraxerit*.

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *Si contigerit hominem* &c. Infra Cod. Eſten. *negare, quod ſpopondit, adimpleant*.

(3) Cod. Cathedr. Mutin. *nominare de proximos legitimos, aut de natos, aut de gamalus, id eſt, confabulatos. Et ſi* &c. Cod. Eſten. *aut de gamalis, id eſt fabulatis*. *Gamali* appellabantur nati e legitimis nuptiis, ſive ex maritali pacto, quod *Fabulæ* voce deſignabatur, uti ſupra in aliis Legibus Rotharis vidimus.

(4) Cod. Eſten. *quia neque patris, neque ipſius ſacramentum* &c.

(5) In Cod. Eſten. hinc exordium ſumit Lex altera a ſuperiore diſtincta. Infra idem Codex: *& non auſi fuerint jurare* (ſcilicet omnes) &c.

(6) Cod. Eſten. *ſecundum quod in hoc Edicto legitur*. Infra: *poſtquam ipſe ſe culpabilem adſignaverit*.

(7) In Cod. Eſten. *oritur intentio, & dixerit creditor, quia in tali proteſtu Wadiam ſuſcepiſſet, & fidejuſſor negaverit, non eſt cauſa fidejuſſorem ſacramentum præbere. Niſi ſingulus debitor ſatisfaciat* (hoc eſt, juret) *ad Evangelia aut arma, quia in tali proteſtu* (Cod. Cathedr. Mutin. habet *prætextu*) *nec Wadiam dedi, nec fidejuſſorem poſui*.

(8) Ita Cod. Eſten. *Nullus camphio*, hoc eſt, qui *pro alio pugnam ſuſcipit*, uti olim in uſu erat. Infra Cod. Eſten. *quando ad pugnam contra alium vadit*. Cod. Cathedr. Mutin. *quando ad pugnandum contra alium vadit, herbas, quæ ad maleficium* &c. Infra: *nec alias ſimiles res*. Inferius uterque Codex Mutin. *Et ſi inventæ fuerint ſuper eum*. Tandem: *& ante Judicem ſatisfaciens dicet*: hoc eſt, jurans dicat.

(9) Cod. Eſtenſ. *Legales cauſæ*. Infra Cod. Ambr. *excepto mundio de muliere libera*. Cod. Eſten. *excepto mundio de liberis feminabus, aut mordi, aut aliis* &c.

mus, in duplum exigantur. I. 2. 8.

CCCLXXIII. Si servus Regis morth (1) fecerit, ita decernimus, ut componat ipsam personam, sicut appretiata fuerit, & servus ille super fossam ipsius mortui appendatur, ut in eo vindicta detur, & sit caussa finita. I. 36. 1.

CCCLXXIV. De aliis vero caussis, unde liberi, & servi aliorum hominum DCCCC. solidorum fuerint culpabiles, id est, de muliere libera, si ei in via antesteterit, aut injuriam fecerit, seu de gregibus equorum, aut porcorum pignoratis, aut aliquibus similibus caussis (2), unde præfati DCCCC. solidi quæruntur, de quibus in hoc edicto constituimus, si servus Regis fuerit, animæ suæ incurrat periculum, & DCCCC. solidi non requirantur a Curte Regis. I. 36. 2.

CCCLXXV. Si servus Regis furtum fecerit, & deprehensus fuerit, reddat in octogilt, & non sit fegangi. (3) I. 36. 3.

CCCLXXVI. Si servus Regis (4) oberos, aut vecorin, seu meruorphin, aut quamlibet talem culpam vel minorem fecerit, ita componat, sicut de servis aliorum exercitalium decretum est. I. 36. 4.

CCCLXXVII. Si quis Sculdasium (5) aut actorem Regis occiderit, utilitatem Regis facientem, appretietur pro libero homine sicut in edicto legitur, & parentibus legitimis componatur: excepto quod in Curte Regis, qui eum occiderit, componat solidos LXXX. Et si eum battiderit, aut ligaverit, simili modo componatur pro libero homine, secundum nationem suam, sicut in edicto constitutum est: excepto in Curte Regis sit culpabilis solid. LXXX. I. 9. 16.

CCCLXXVIII. Si Gastaldius, aut quislibet actor Regis, post susceptas & commissas sibi ad (6) gubernandum curtes, aut casas Regis, aliquid per garathinx, id est donationem, ab alio quocumque factum conquisierit, sit illi stabile, si per præceptionem indulgentiæ Regis in eum fuerit confirmatum. Alioquin quidquid, ut supra dictum est, post susceptam administrationem per garathinx acquisierit, hoc totum Regi acquirat, & non ad suum proprium nomen vindicet, nec ipse, nec heres ejus. II. 17. 1.

CCCLXXIX. Nullus præsumat aldiam alienam, aut ancillam, quasi strigam, quæ dicitur (7) masca, occidere: quod christianis mentibus nullatenus est credendum, nec possibile est, ut hominem mulier vivum intrinsecus possit comedere. Si quis deinceps talem illicitam ac nefandam rem perpetrare præsumserit, si aldiam occiderit, componat pro statu ejus solidos LX. & insuper addat pro culpa solidos C. medium Regi, & medium cujus aldia fuerit. Si autem ancilla fuerit, componat pro statu ejus, sicut supra constitutum est, si ministerialis, aut rusticana fuerit: & insuper pro culpa solidos LX. medium Regi, & medium, cujus ancilla fuerit. Si vero judex hoc malum perpetrare visus fuerit, de suo proprio pœnam supra scriptam componat. I. 11. 9.

CCCLXXX. Si quis homini libero unum oculum habenti, ipsum excusserit, duas partes pretii ipsius, quo appretiatus fuerit, ac si eum occidisset, componat. Si autem aldio (8), aut servo unum oculum habenti, ipsum excusserit, componat eum pro mortuo. I. 7. 17.

CCCLXXXI. Si mulier libera in scandalum concurrerit, ubi viri litigant; si plagas aut feritas factas habuerit, aut forsitan impincta, aut occisa fuerit, appretietur secundum nobilitatem suam, & sic componatur, tamquam si in fratrem ipsius mulieris perpetratum fuisset: nam altera (9) culpa pro injuria sua, unde DCCCC. solidi judicantur, non requiratur, eo quod ipsa mulier ad litem concurrerit, quod inhonestum est mulieribus facere. I. 16. 3.

CCCLXXXII. Si quis cassinam, aut tectum alienum foris in curte, ubi viri non habitant, dum intentio est de terra, distur-

---

(1) Idem Cod. *mordi fecerit*. Alter Cod. *moroth. Mordi*, sive *Moroth*, *Morth*, & *Mortraudo* (ut alia prætéream) appellatum est in Legibus Salicis, Ripuariis, ceterisque Borealium Populorum, *homicidium clandestinum*. Hic quoque idem significat.

(2) Cod. Esten. *vel porcorum, si pignoratus fuerit, vel reliquæ, quæ sunt similes, unde* &c. *si servus Regis fecerit* &c.

(3) Cod. Esten. *non sit fegandi*, id est, obnoxius morti. Ambros. Cod. *fegangit*.

(4) In Cod. Esten. *Si servus Regis oberus fecerit, aut Wecovorin, seu marmorphin, aut aliam quamlibet culpam minorem fecerit, ita componat, sicut & servi aliorum exercitantium, quæ supra decreta sunt, componant*. Alter Ms. habet *oberos, aut Wecuvorint, seu maravvorfin*. Cod. Ambros. habet, *marachvorfim*. *Oberus* est curtis ruptura. *Vecorin* est, in via se alteri opponere. *Memorfin*, sive *mervvorphin*, aliquem ex equo dejicere.

(5) Uterque Cod. *Si quis Sculdais*. Idem significat. Infra: *Et si battitus* (*batudus* habet alter Codex) *fuerit, aut si ligatus, similiter componatur*.

(6) Cod. Esten. *aut commissas causas, aut ad gubernandum Curtes Regias, aliquid per garethinx* &c. In fine: *& non suo proprio nomine vindicet nec ipse, nec heredes ejus, nisi fideles inveniantur Regi Gastaldii*.

(7) Uterque Cod. *quasi strigam, quæ dicitur vulgo Masca*. Infra Cod. Esten. *ut homo, aut mulier hominem vivum*. In Legis Salicæ Tit. LXVII. Cap. III. habetur: *Si stria hominem comederit, & convicta fuerit*. Rem curiose animadverte: Rotharis barbarus ineptam Salicorum credulitatem hic digito ostendit, simulque videt, ac improbat, numquam credendum, & neque *possibile* statuens, *ut mulier hominem vivum comedere possit*. Inferius uterque Codex: *talem illicitam rem, & nefandam*. In fine: *Si vero Judex hoc opus malum perpetrare jusserit, ipse de suo proprio* &c. Vide supra Legem CXCVII. ipsius Rotharis.

(8) Cod. Esten. addit: *alieno*.

(9) Idem Cod. *nam alia culpa*. Infra: *eo quod ad virorum litem ipsa cucurrit*.

ſturbaverit (1), aut in terram jactaverit, & terram ſuam, ſicut lex habet, convincere non potuerit, reſtauret ipſam caſſinam, & componat aliam talem ſub æſtimatione pretii. Nam ſi caſam, ubi viri habitant, diſturbaverit, componat ſicut in hoc edicto legitur, aratraib, id eſt ſibi tertiam. I. 19. 25.

CCCLXXXIII. Si quis peculium ſuum de clauſura aliena tulerit occulte, & non rogaverit, componat curtis rupturam, id eſt Oberos, ſolidos xx. I. 24. *6.*

CCCLXXXIV. Si quis alium Argam per furorem clamaverit, & negare non potuerit, & dixerit, quod per furorem dixiſſet: tunc juratus dicat, quod eum Argam non cognoviſſet, & poſtea componat pro ipſo injurioſo verbo ſolidos xii. Et ſi perſeveraverit & dixerit, ſe poſſe probare per pugnam, convincat eum (2), ſi potuerit, aut certe componat, ut ſupra. I. 5. 1.

CCCLXXXV. Si quis hominem liberum impinxerit, ut cadat, componat ei ſolidos vi. ſi tamen aliquam læſionem in corpore ipſius non fecerit. Si autem (3) fecerit, componat, ſicut ſubter in hoc edicto legiter. Si autem ſic impinxerit, ut non cadat, componat ſolid. iii. I. *6.* 5.

CCCLXXXVI. Si quis hominem liberum ſubito ſurgente rixa per barbam, aut per capillos traxerit, componat ſolidos vi. Si ſervum miniſterialem, aut aldium, ſeu ſervum alienum ruſticanum per barbam aut capillos traxerit, componat ei ſicut pro una ferita unum ſolidum. I. *6.* 4.

CCCLXXXVII. Si quis homini libero brachium ſuper cubitum, hoc eſt morioc, (4) ruperit, componat ſolidos xx. Si autem ſubtus cubitum, hoc eſt tremum, componat ſolidos xvi. Si vero coxam ruperit ſupra genuculum, hoc eſt largicam (5), componat ſolidos xx. Si autem ſubtus genuculum, quod eſt tibia, componat ſolidos vi. Si autem ſecuus, aut claudus fuerit, componat ſicut in hoc edicto legitur, id eſt quartam partem pretii ipſius. I. *6. 6.*

De mundio puellæ, & de debito.

(Cod. Ambroſ.)

CCCLXXXVIII. Si mundium de puella libera parentibus mortuis ſuis ad Curtem Regis ceciderit, & pater aut frater (*6*) debitum dimiſerit; in quanta portione patri vel fratri heres ſucceſſerit, ita debitum perſolvat. Simili modo & ſi naturalis filius fuerit. II. 21. 11.

CCCLXXXIX. Si quis hominem liberum caſu faciente nolendo occiderit, componat ſicut appretiatus fuerit, & faida non requiratur, eo quod nolendo occiderit. I. *9.* 17.

CCCXC. Omnes warengangi, qui de exteris finibus in regni noſtri finibus advenerint (7), ſeque ſub ſcuto poteſtatis noſtræ ſubdiderint, legibus noſtris Longobardorum vivere debeant; niſi legem aliam a pietate noſtra meruerint. Si legitimos filios habuerint, heredes eorum in omnibus, ſicut & filii legitimi Longobardorum, exiſtant. Et ſi filios non habuerint legitimos, non ſit

(1) Cod. Eſten. *diſterpaverit*. Alii legunt *deturpaverit*, ſed minus recte. *Caſſina* hic ſumitur pro tecto, ſub quo ſtabulantur boves & pecora: quod vocabulum apud Italos adhuc viget. In fine Cod. Cathedr. Mutin. *ſicut in hoc Edicto legitur*, *aritzup*. At in Ambroſ. *aratraib*.

(2) Cod. Cathedr. habet: *Et ſi perſeveraverit, aut convincat per pugnam, ſi potuerit, aut componat ut ſupra*. *Arga* a Boherio *cucurbitam* ſignificare dicitur: alii, & rectius, inertem ac inutilem. *Moccicone* Tuſci appellant. Alii Itali aliter pro more ac dialecto ſuæ regionis. Vide Paullum Diac. Lib. VI. Cap. 24. de Geſt. Langobard. ubi Argaido Sculdaſcio inſultato ſcribit, convicio ex ejus nomine deducto. *Memento*, is reſpondit, *quod me inertem & inutilem dixerit, & vulgari verbo Arga vocaverit*. Viris Langobardis gloriam in fortitudine collocantibus non levis hæc videbatur injuria. In Lege Salica Tit. XXXII. Cap. I. habetur: *Si quis alterum Cenitum clamaverit*. Pithœus *coclitem* interpretatur; Bignonius & Du-Cangius *cœno* ſeu *luto conſperſum*; & nuper Joannes Georgius Eccardus in Not. ad Leg. Salic. *cinædum*. Vetuſtiſſimus Codex Eſtenſis vetuſtam Gloſſam adfert: *Cenitum, id eſt, Arga*. Amplector ſententiam, in quam deſcenderant jam pridem Goldaſtus & Wendelinus, explicantes *Cenitum, hominem nibili*: quod idem *Arga* ſignificat.

(3) Cod. Eſten. *ſic tamen ſi alteram læſionem in corpore ipſius non fecerit. Nam ſi alteram læſionem fecerit, ſicut in hoc Edicto legitur, componatur*. In Ambroſ. verba, *Si autem fecerit, componat, ſicut ſubter in hoc Edicto legitur*, deſiderantur.

(4) Ambo Codices Mutinen. *id eſt, murioth*. Infra: *ſubtus cubito, quod eſt reno*. Alter Codex: *quod eſt treno, ruperit*.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *Si coxa ruperit ſuper genuculo, hoc eſt lagi*. Habent etiam Eſten. & Ambroſ. *lagi*. Veteres, pro *genu*, *geniculum & genuculum dixere*. Infra Cod. Eſten. *Si vero ſcemus, aut claudus factus fuerit*. Cod. vero Cathedr. *Si vero Simus aut clodis pro hoc fuerit*. Vide infra Legem LXVIII. Lib. VI. Liutprandi, ubi vox *ſcematio*, ſive *ſematio*.

(6) Cod. Eſten. *& pater aut frater debitum dimiſerit; in quantam portionem heres* ipſa *ſucceſſerit, ita & debitum perſolvat*. Et nihil aliud additur.

(7) Cod. Cathedr. Mutin. *Omnes Wargangi, qui de exteras fines in Regno noſtro finibus advenerint, ſeque ſub ſcuto noſtræ poteſtatis ſubdiderint*. Ambroſ. Cod. habet: *Omnes Warengang*. Uti in Antiquitat. Eſten. monui, Teutonicum W ab Italis reddi ſolet per GV. Quare ſcribendum *Guargangi*, *Wargi* autem, ſive *Waringi*, & *Warganei*, quod idem erat ac *Wargangi*, fuerunt profugi, exules, & ut nunc vocamus, banniti e patria ſua, qui in Regnum Langobardicum ſe recipiebant. Memorantur in Lege Salica Tit. LVII. Leg. V. ubi *Wargus ſit, hoc eſt depulſus de eodem pago*. Memorantur & in Ripuaria. Vide Comment. Savaron. & Sirmondi ad Lib. 6. Epiſt. 4. Sidonii Apollinaris. Infra in Cod. Ambroſ. legitur: *ſeque ſub ſcuto poteſtatis noſtræ*. Infra Cod. Cathedr. *niſi ſi aliam Legem a pietate noſtra meruerint*. Non inveni ſcriptam in Codice Eſtenſi hanc Legem, ac propterea ad calcem eam rejeci.

illis poteſtas abſque juſſione Regis res ſuas cuicumque thingare, aut per quemlibet titulum alienare. III. 15. 1.

Conclusio Legum Rotharis.

Et (1) hoc addimus atque definimus, ut cauſſæ, quæ finitæ ſunt, non volvantur. Quæ autem non ſunt finitæ ad præſentem vigeſimam ſecundam diem menſis hujus Novembris Indictione 11. inchoatæ, aut quæ motæ fuerint, per hoc edictum incidantur, & finiantur. Et hoc generaliter damus in mandatis, ne aliqua fraus per vitium Scriptorum in hoc edicto adhibeatur. Si aliqua fuerit intentio, nulla alia exemplaria credatur, aut ſuſcipiatur, niſi quod per manus Anſcaldi Notarii noſtri ſcriptum, aut recognitum, ſeu requiſitum fuerit, qui per noſtram juſſionem ſcripſit.

(Admonitio Cl. Muratorii.)

Denique Ms. Codex Cathedralis Mutinenſis hæc addit, quæ coronidis loco ad finem Edicti ſui Rex Rotharis appoſuit, nuſquam antea edita, quod ſciam.

Præſentes vero diſpoſitiones edicti, quæ Deo jubente atque propitio, & ſummis vigiliis ad cœleſtem favorem præſtitis, inquirentes & remorantes antiqua: Leges patrum noſtrorum, quæ ſcriptæ non erant, condidimus, & pro communi omnium gentis noſtræ utilitate expediunt, partem conſilio, parique conſenſu cum Primatos, Judices, cunctumque feliciſſimum exercitum noſtrum augentes conſtituimus, in hoc membranum ſcribere juſſimus. Pertractantes, & ſub hoc tamen capite reſervantes, ut quod adhuc adnuente divina clementia per ſubtilem inquiſitionem de antiquas leges Langobardorum tam noſmet ipſos, quam per antiquos homines memorare potuimus, in hoc edicto adjungere prævidimus (2). Addentes, quin etiam per garithinx ſecundum ritus gentis noſtræ confirmantes, ut ſit hæc lex firma & ſtabilis, quatinus feliciſſimis futuris temporibus firmiter, & inviolabiliter ab omnibus noſtris conſtituatur.

Potuiſſem tantam barbariem detergere; ſed placuit omnino deſcribere, qualia vetuſtiſſimus Codex noſter habet, ſaltem ante ſeptingentos annos exaratus. Tribue hæc, ſi velis, amanuenſi. Ego pleraque Linguæ ſphalmata a conditione temporum, quibus hæ leges prodierunt, arceſſo.

(Hæc idem Cl. Muratorius.)

Deo Gratias. Amen. Explicit Edictus Rothari.

GRIMOALDI
LEGES.

Incipit Grimoaldi Prologus.

Superiore (3) pagina hujus edicti legitur, quod adhuc annuente Domino memorare potuerimus, ut de cauſſis ſingulis, quæ in præſenti non ſunt adſitæ, in hoc edicto (4) adjungere debeamus, ita ut cauſſæ, quæ judicatæ ſunt & finitæ, non revolvantur. Ideo ego Domnus Grimoaldus excellentiſſimus Rex gentis Langobardorum, Anno Deo propitio Regni mei ſexto (5), menſe Julio, Indictione XI. per ſuggeſtionem Judicum, omniumque conſenſum, ea quæ illis dura, & iniqua (6) in hoc edicto viſa

---

(1) Hæc in editis non leguntur. Habet ea uterque Codex Mutinen. Evulgavit etiam Sigonius Lib. 2. de Regno Ital. ad Ann. 643. Codex vero Cathedr. Mutin. hæc habet: *Et hoc addimus, ac decernimus, ut cauſas, quæ finitas ſunt, non volvantur* &c. Pro *Anſcaldi Notarii*, Ambr. Cod. habet *Anſoald Notarii*.

(2) Cod. Ambroſ. *ſubjungere debeamus*. In fine idem Cod. habet: *Quatinus noſtris feliciſſimis & futuris temporibus firmiter & inviolabiliter ab omnibus ſubjuctis cuſtodiatur.*

(3) In Codice Eſtenſi Prologus iſte (uti & reliqui Legum Langobardicarum) legitur, neglectus ab earumdem Legum editoribus. Attamen Sigonius noſter, neſcio quo Codice uſus (Eſtenſem enim eidem incompertum fuiſſe pæne certum habeo) eamdem hanc Præfationem Hiſtoriæ ſuæ de Regno Italiæ inſeruit Lib. II. ad Ann. 668.

(4) Sigonius ita legit: *poterimus, de ſingulis cauſis, quæ præſenti non eſſent adſictæ in hoc Edicto* &c.

(5) Undecima Indictio infra appoſita has Leges a Grimoaldo promulgatas evincit Anno 668. cujus menſe Julio ejuſmodi Indictio currebat. Itaque Grimoaldi Regnum exordium habuiſſe dicendum poſt menſem Julium Anni 662. Emendandus autem Sigebertus, qui non tantum uno anno citius ejus Regnum ſtatuit, ſed ipſum quoque *Taurinenſium Ducem* appellat, quod omnino falſum jam Eruditi norunt; fuit enim Dux Beneventi ante uſurpationem Regni.

(6) Sigonius habet, *dura & impia*. Præferenda lectio Codicis Eſtenſis; ut ut enim aliqua in Edicto Rotharis viderentur dura, & parum æquitati conſentanea, certe nihil ibi impium deprehendas.

visa sunt, ad meliorem statum, & dementium remedium (1) corrigere & revocare prævidimus.

EXPLICIT PROLOGUS GRIMOALDUS.

INCIPIT CAPITULUM I.

SI servus aut ancilla per xxx. annos domino suo servierit, de quibus rei veritas cognita fuerit, quod per xxx. annos dominis suis servisset, & per superbiam aut injusta patrocinia se voluerit de domino (2) per pugnam vindicare, nullatenus ei permittimus: sed serviat ei, sicut decet servum, aut ancillam proprio domino servire. Similiter & si aldius fuerit, impendat obedientiam suo patrono, sicut per xxx. annos fecit: & ei nova conditio a domino suo amplius non imponatur: sed liceat ei res suas habere, quas per xxx. annorum spatium juste possederat. II. 35. 3.

II. De liberis hominibus, quos constat per xxx. annorum spatium in libertate sua permansisse, nullam per pugnam patiantur violentiam, sed liceat eis in libertate sua permanere. Et si eos quicumque pulsaverit, liceat eis cum sacramentalibus suis (3) legitimis se idoneare. II. 35. 4.

III. Si servus talem culpam fecerit, unde DCCCC. solidi (4), qui in hoc edicto scripti sunt, judicantur, ut dominus pro servo debeat componere, hoc amputare jussimus, ut, si factum fuerit, nihil aliud componat dominus, nisi tantummodo persona ipsa tradatur ad occidendum, & componat pro illicita caussa, quam servus perpetraverit, solidos LX. amplius non requiratur. Et si ipse servus fuga lapsus fuerit, & non poterit dominus ejus eum invenire, det pro ipso servo, qui fugam petiit, aut se dilataverit, solidos xx. & præbeat sacramentum dominus ejus, quod non potuit eum invenire. Et si quandocumque eum invenire potuerit, tradat eum ut supra ad moriendum, & recipiat solidos xx. quos pro fuga ipsius dedit. Nam LX. solidos componat pro culpa, quod servus ejus fecit. Et si spolia de homine sepulto servus de sepultura tulerit, de quanto tulit, dominus ejus reddat, & componat, ut dictum est, solidos LX. & persona tradatur ad occidendum. I. 36. 5.

De xxx. annorum possessione prædiorum.
(Cod. Ambr.)

IV. Si quis per xxx. annos bona fide (5) possederit casas, familias, & terras, & cognitum fuerit, quod ejus possessio fuerit, post xxx. annorum curricula ad pugnam non perveniat (6): nisi ipse, qui possedit, secundum qualitatem pecuniæ cum sacramento suo se defendat: nam per pugnam, ut supra diximus, non (7) fatigetur. II. 35. 1.

De successione nepotum, qui post mortem patris in sinu avi remanserint.
(Ambr. Cod.)

V. Si quis (8) habuerit filios legitimos unum aut plures, & contigerit unum ex his vivente patre mori, & dereliquerit filios legitimos unum, aut plures, & contigerit avum mori, talem partem percipiant de sub-

(1) Ita hæc apud Sigonium: *ad meliorem sensum revocare prævidimus*. Dura profecto vox illa *dementium* visa fuisset. Sed hæc in Cod. Ambros. rectius corriguntur; ibi enim legitur, *& clementius remedium*.

(2) Cod. Esten. *se voluerit de domino suo proprio per pugnam* &c.

(3) Cod. Esten. *cum XII. suis sacramentalibus*.

Nota, in vetustissimo Cod. Ms. Cathedr. Mutin. Legem hanc, uti & præcedentem, non semel haberi, quippe alio in loco eædem conjunctæ leguntur, veluti Lex diversa. Accipiat ergo Lector eadem, sed sub aliis verbis, repetita.

Si quis servus per XXX. annos domino suo servitium fecerit, non præsumat contra dominum suum pugnare, nisi serviat ei. Et si aldius fuerit, & per XXX. annos fecit operas, similiter non liceat eum pugnare contra dominum suum, sed faciat sicut & parentes ejus fecerunt. Nam nova amplius a domino suo non imponatur. Et qui per XXX. annos cognoscitur fuisse liber, nullam patiatur violentiam, nisi liceat eum in libertate sua permanere aut per sacramentum defendere.

(4) Ita hæc exhibentur in Cod. Esten. *unde DCCCC. solidos proprii domini jubentur componere, qui in hoc Edicto constituti sunt, hoc amputari jussimus. Quod si* &c. In Codice vero Cathedr. Mutin. non levi diversitate verborum ita efferuntur: *De servis, qui culpas faciebant de solidis DCCCC. & dominos suos pro ipsis componere stetit, statuimus, ut si talem culpam fecerit servus, unde DCCCC. solidi componebantur, nihil aliud faciat dominus ejus, nisi ipsa persona tradatur ut moriatur: & componat pro inlicita causa dominus ejus quod servus commisit solidos LX. & amplius non calumnietur.*

(5) Non leguntur hæc verba, *bona fide*, in Cod. Esten. neque in Ambros.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *quia ejus possessio est per XXX. annos, pugna non vadit*. Cod. Esten. & Ambros. *quod ejus possessio fuit per XXX. annorum curricula, pugna non perveniat, nisi ipse, qui possederit, secundum qualitatem pecuniæ*, id est pretii, quod valet res controversa, ut supra in Lege CCCLXIV. Rotharis. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *& exinde pugna, ut diximus, non vadit.*

(7) Addit Cod. Esten. *non fatigetur de eo. Instituimus, ut qui possedit per triginta annos, possideat & in antea.*

(8) In editione Goldastina Lex hæc tribuitur, sed perperam, Rothari. In Cod. Cathedr. Mutin. præfigitur hic titulus: *Si post mortem patris in sinu avi nepotes remanserint*. Apud Germanos sub Ottone Magno ingens controversia invaluit, teste Witichindo Lib. II. Histor., de successione nepotum ex filio patri præmortuo, & lis per pugnam diremta. *Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios; & firmatum est, ut æqualiter cum patruis hæreditatem dividerent.*

ſubſtantia avi ſui, una cum patruis ſuis, qualem pater eorum inter fratres ſuos percepturus erat, ſi vivus fuiſſet. Similiter & ſi filiæ legitimæ una, aut plures, aut filii naturales unus, aut plures fuerint, habeant legem ſuam, ſicut in hoc edicto legitur. Quia inhumanum, & impium videtur nobis eſſe, ut pro tali cauſſa exhæredentur filii ab hæreditate patris ſui, pro eo, quod pater eorum in ſinu avi mortuus eſt: ſed ex omnibus æqualem, ut ſupra, cum patruis in loco patris ſui poſt mortem avi percipiant portionem. Similiter & ſi filiæ legitimæ non fuerint, & naturales inventi fuerint, unus aut plures, habeant legem ſuam, id eſt tertiam, ex omnibus. II. 14. 18.

VI. Si quis uxorem ſuam abſque culpa legitima (1) poſtpoſuerit, & aliam in domum ſuper eam duxerit, componat ſolidos D. medium Regi, & medium parentibus mulieris, quam poſtpoſuerit: mundium vero mulieris ejuſdem, quam poſtpoſuerit, amittat. Et ſi noluerit ad maritum ſuum reverti, revertatur ad parentes ſuos cum rebus ſuis & mundio. II. 13. 1.

De crimine uxoris. (Ambr. Cod.)

VII. Si quis uxorem (2) ſuam incriminaverit aſto animo, ſine certa cauſſa legitima, quaſi adulterata ſit, aut contra animam mariti ſui tractaſſet, liceat illi mulieri per ſacramentum parentum ſuorum, vel per pugnam ſe mundare. Et ſi purificata fuerit, tunc maritus ejus præbeat ſacramentum cum parentibus ſuis legitimis ſibi XII. quod non aſto animo nec doloſe ei crimen injecit, ut eam debeat dimittere, niſi pro certa ſuſpicione, & audita habuiſſet hæc verba: & (3) ſi hæc facere potuerit, ſit abſolutus a culpa. Et ſi auſus non fuerit jurare, componat widrigilt ipſius mulieris, tamquam ſi fratrem ejus occidiſſet, medium Regi, & medium parentibus ipſius mulieris. II. 55. 12.

VIII. Si mulier (4) aut puella notum habuerit, quemcumque hominem uxorem habere, & ſuper ipſam introierit, & tulerit maritum non ſuum; ſancimus ut omnes res ſuas perdat ipſa mulier, quæ ſe ſciente alterius marito voluntarie conſenſit. Et medium de rebus ſuis accipiat Curtis Regia, & medium parentes mulieris prioris. Et illa prior mulier recipiat maritum ſuum (5), & ille colat eam, ut decet uxorem legitimam. Et illa vitium ſuum ſibi reputet, quæ ſuper aliam uxorem intrare præſumſerit, & nihil ei componat, nec fayda requiratur. II. 13. 2.

IX. Si ancilla furtum fecerit, componat dominus ejus furtum ſibi nonum tantum. (6) Nam XL. ſol. unde in hoc edicto legitur, pro culpa, quod eſt *fegandi*, non requirantur a domino ſuo. I. 25. 48.

(1) Cod. Eſten. *uxorem ſuam legitimam abſque culpa poſtpoſuerit*. Infra: *Mundium vero ejus, quam præpoſuit* (lego *poſtpoſuit*,) *amittat. Et illa ſi* &c.

(2) Rothari hæc Lex adſcribitur in editione Goldaſtina, ſed perperam. Idem Cod. Eſten. *uxorem ſuam legitimam incriminatus fuerit aſtu ſine cauſa, quaſi adulteraſſet, aut in animam* &c. Infra uterque Codex Mutin. & Ambroſ. *per ſacramenta parentum, aut per pugnam ſe purificare*. Infra uterque Codex: *ut eam deberet dimittere, niſi quod per certam ſuſpicionem audita habuiſſet*.

(3) In Cod. Cathedr. Mutin. hæc non leguntur, ſed ſequitur: *Et ſi noluerit jurare*.

(4) Cod. Cathedr. *Si mulier libera aut*. Infra Cod. Eſten. *& tulerit ei ſuum maritum ſancimus*. Infra: *quæ ſe ſciendo* &c. *conſenſit, & medietatem de rebus ejus*.

(5) Cod. Eſten. *Et illam priorem mulierem accipiat maritus ſuus, & colat eam*. Infra uterque Cod. Mutin. *& vitium ſuum reputet illa mulier, quæ ſuper alienam uxorem intrare præſumpſit*.

(6) Cod. Eſten. *ſibi nonum. Nam* &c. Infra idem Cod. *pro culpa, id eſt fegandi* (*id eſt, figang*, habet alter Codex), *non requirantur neque exigantur a domino ancillæ*. Alter Cod. *ad dominum ancillæ*.



LIUT-

LIUTPRANDI LEGUM
LIBER PRIMUS.

INCIPIT LIUTPRANDI PROLOGUS.

(In Cod. Ambr.) *Incipit Edictum Legis Langobardorum, quam junxit Domnus Liutprandus Rex.*

REcolimus, (1) quoniam robuſtiſſimus deceſſor noſter, atque eminentiſſimus Rothar Rex, ſicut ipſe eſt in ſcriptis effatus ſuis, ſuperius in Langobardis Edictum renovavit, atque inſtituit, ubi & prudenter inſerere curavit dicens, (2) ut quiſque Langobardorum Princeps ejus ſucceſſor ſuperfluum, quod ibi reperiret, ex eo ſapienter auferret, & quod minus inveniret, Deo inſpirante adjiceret. Poſt hunc enim glorioſiſſimus Grimoald Rex, quæ illi ſecundum Dominum placita fuerunt, minuit, & ampliavit. Cujus nos normam ſequuti, divinitus, ut credimus, inſpirati, ſimili modo ea, quæ juxta Dei legem nobis congrua apparuerunt, ſubtrahere, & addere decrevimus, ſicuti & in præſenti pagina ſcribere juſſimus. Ob hoc ego in Dei omnipotentis nomine Liutprand excellentiſſimus, chriſtianus, & catholicus Deo dilectæ gentis Langobardorum Rex, anno, (3) Deo propitio, Regni mei primo, pridie Kalend. Martias, Indictione undecima, una cum omnibus Judicibus de Auſtriæ, & Neuſtriæ partibus, & de Tuſciæ finibus cum reliquis fidelibus meis Langobardis, & cuncto populo aſſiſtente, hæc nobis juxta Dei timorem, atque amorem ſancta comparuerunt, & placuerunt.

CAPUT I.

SI quis (4) Longobardus ſine filiis legitimis maſculinis mortuus fuerit, & filiam dereliquerit unam aut plures legitimas, ipſæ ei in omnem hereditatem patris vel matris ſuæ, tanquam filii legitimi maſculini, heredes ſuccedant. II. 14. 19.

II. Si quis Longobardus ſe vivente filias ſuas nuptui tradiderit, & alias poſt mortem in capillo (5) in caſa reliquerit, tunc omnes æqualiter in ejus ſubſtantia heredes ſuccedere debent, tamquam filii legitimi maſculini. II. 14. 20.

III. Si quis Longobardus ſorores reliquerit, & vivente eo ad maritum ambulaverint, tantum habeant ex fratris (*6*) facultate, ſi ipſe filios vel filias reliquerit, quantum in die votorum acceperint, quando ad maritum ambulaverint. Nam ſi ipſe frater neque filios, neque filias reliquerit, aut ſi habuerit, & ante eum mortui vel mortuæ fuerint abſque filiis vel filiabus, tunc ſorores ejus, tam quæ (7) in capillo remanſerint, quam quæ ad maritum ambulaverint, in omnem ſubſtantiam ejus æqualiter ſuccedant. II. 14. 21.

IV. Si quis Longobardus filias & ſorores in capillo in caſa reliquerit, pariter atque æqualiter, quantæcumque fuerint, in hereditatem ejus ei ſuccedere debent, tamquam ſi filios dereliquiſſet legitimos. II. 14. 22.

V. Si filiæ, aut ſorores contra voluntatem patris, aut fratris egerint, poteſtatem habeat pater aut frater judicandi res ſuas, quomodo aut qualiter voluerit (8). II. 14. 23.

VI.

(1) In Codice Eſtenſi, unde ceteras Legum Langobardicarum Præfationes accepi, non legitur hæc Præfatio, ſed quidem locum hic habet, quæ infra Libro Secundo a me præponetur. Bene tamen ceſſit, quod Clariſs. Sigonius meus germanam Lib. I. nobis Præfationem ſervavit, eamque publici juris fecit Lib. 3. de Regn. Ital. ad Annum 713. Dimiſſa ergo, & ad ſequentis Libri exordium tranſlata Præfatione Codicis Eſtenſis, alieno loco ſita, accipiant Lectores a Sigonio alteram, quæ re vera prima fuit, qualis ab ipſo eſt edita.

(2) Hæc eadem Grimoaldus repetiit ſupra in Præfatione ſua. Ubi autem Rotharis dixerit, a Succeſſoribus ſuis ſua fore emendanda, incompertum eſt mihi.

(3) Indictio *Undecima* hic adhibita Annum Chriſti 713. prodit; quo harum Legum promulgatio facta eſt.

(4) Cod. Eſten. *Si quiſcumque Langobardus*. Infra: *patri vel matri ſuæ*.

(5) Hinc habes, intonſas fuiſſe Langobardicas virgines; & tunc ſolum poſuiſſe comam, quum jungebantur maritis: quod & nunc Judæis feminabus in uſu eſt. Hinc puellæ nondum nuptæ *intonſæ* appellatæ: quæ vox ſenſim corrupta in *Toſa*, & plurali numero *Toſane*, evaſit apud Mediolanenſes, alioſque Populos. Græciæ quoque, atque aliarum gentium virgines tum ſolum comam ſeu crines tondebant, quum nuptui tradebantur.

(6) Id eſt, defuncti. Infra Cod. Cathedr. *quantum in die votorum* (id eſt, nuptiarum) *acceperunt, quando ad maritum ambulaverunt*.

(7) Cod. Eſten. *tam quæ in capillo remanſerunt*.

(8) Cod. Eſten. *judicandi quomodo, aut qualiter voluerit de rebus ſuis*. *Judicare* ſignificat, res ſuas alicui per teſtamentum relinquere.

VI. Si quis liber Longobardus, ut habet casus humanæ fragilitatis, ægrotaverit, quamquam in lectulo jaceat, potestatem habeat, dum vivit, & recte loqui poterit (1), pro anima sua judicandi, vel disponendi de rebus suis, quomodo aut qualiter voluerit, & quod judicaverit, stabile debeat permanere. II. 18. 2.

VII. Si quæ (2) caussæ de supradictis Capitulis, quæ nuper in præsenti pagina hujus Edicti configere præcipimus, ante deliberatæ, aut per divisionem finitæ sunt, in eo ordine permaneant, sicut antea sunt finitæ vel statutæ. Quæ autem terminatæ, & per divisionem finitæ non sunt, in eo ordine deliberentur, & maneant, sicut modo decrevimus, & in hoc Edicto statuere visi sumus.

EJUSDEM LIUTPRANDI
LEGUM
LIBER SECUNDUS.

INCIPIT PROLOGUS.

(In Ambrof.) *Item de Anno V. Domini Liutprandi.*

EGo (3) in Dei nomine Liuprandus excellentissimus Rex gentis felicissimæ, Catholicæ, Deoque dilectæ Langobardorum reminiscor, quoniam, sicut superius a nobis pagina legitur, instituta Anno scilicet Regni nostri I. Indictione XI., ea quæ nobis, nostrisque Judicibus, & reliquis Langobardis fidelibus nostris ob Dei timorem atque amorem recta comparuerunt, in antiquo Edicti corpore, recto adjicere curavimus moderamine. Nunc iterum annuente Dei omnipotentis misericordia die Kalend. Martii Anno Regni nostri, Deo propitio, V., Indictione XV. simili modo cum omnibus Judicibus nostris de partibus Austriæ, & Neustriæ, necnon & de Tusciæ finibus, seu ceteris nostris Langobardis adhuc prævidimus adaugere illa, quæ Deo credimus placita esse, ut in multis caussis & locis prohibeantur perjuria, & caussæ a quibuscumque hominibus misericorditer disponantur, & in peccata homines deinceps nequaquam procidant, & illud, quod forsitan antea videbatur obscurum, nunc omnibus luce clarius enitescat.

CAPUT I.

Primo omnium de Morgincap mulierum.

SI quis Longobardus (4) Morgingab conjugi suæ dare voluerit, quando sibi eam in conjugio sociaverit, ita decernimus, ut alia die ante parentes & amicos suos ostendat per scriptum a testibus roboratum, & dicat: *quia ecce quod conjugi meæ Morgengab dedi, ut in futuro pro hac caussa perjurium non incurrat.* (5) Tamen ipsum Morgengab volumus, ut non sit amplius, nisi quarta pars de ejus substantia, qui ipsum Morgengab dedit. Si quidem minus dare voluerit de rebus, quam quarta portio sit, habeat in omnibus licentiam dandi, quantum voluerit; nam super ipsam quartam portionem dare nullatenus possit. II. 4. 1.

II. Si

---

(1) Cod. Esten. *loqui potest*. Infra: *& quod judicaverit pro anima sua, stabile* &c.

(2) Hæc ab editis absunt. Ejusmodi vero Constitutione finis imponitur Legibus a Liutprando primum editis Anno 713. Infra Cod. Cathedr. Mutinen. habet: *hujus Edicti adfigi cepimus, quæ antea liberatæ*. Infra: *in eo modo maneant*. Infra: *quæ autem terminatæ, & decisæ non sunt*. Infra: *sicut modo decrevimus, & in hoc Edicto a nobis facto statuere visi sumus*. Denique additur: *quæ universa denique superius ad Celsitudinem nostram* (hoc est, a *Celsitudine nostra*) *instituta scribere jussimus*. Ambrof. Cod. hisce Edictum hoc claudit: *quod de quibus universa superius Celsitudine nostra instituta per Notarium Sacri nostri Palatii comprehendenda præcipimus*.

(3) Habet hanc Præfationem Codex Estensis, sed, ut supra innui, extra chorum, nempe in fronte Legum Liutprandi locatam, quum re vera Libro II. sit præponenda. Ego eam restitui suo loco. Quum autem hæ Leges additæ dicantur *Indict. XV.* intelligis Annum Christianæ Æræ 717. Recte Baronius, Pagius, & alii exordium Regni Liutprandi statuisse videntur ad Annum Christi 712. ut ex his notis chronologicis colligi potest.

(4) Jam alibi monui, sub nomine *Morgincap* designari *donum matutinale*, quod maritus fere semper uxori post primam noctem nuptialem publicis tabulis assignare solebat. In hac autem Lege decernitur, ut non excedat quartam partem bonorum viri; minus autem quarta largiri, imo quidquid lubebat largiri, liberum erat cuicumque viro. Quare *Papias* & *Ugutio* falluntur, scribentes, *Morgincap* fuisse *quartam partem bonorum mariti* dono datam uxori. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *in conjugio copulavit*.

(5) Codex Cathedr. *ut in postero pro hac causa*

II. Si qualiſcumque cauſſa inter conlibertos, aut parentes convenerit (1), aut acta fuerit, & homines boni tres aut quatuor interfuerint, non reprobetur poſtea ipſa cauſſa, niſi eorum teſtimonio ambæ partes credant, quæ interfuerint. Pro cujus autem cauſſa teſtes illi teſtimonium reddere debent, ipſe homo cauſſatori ſuo per ſacramentum ſatisfaciat. Teſtes vero ipſi tales ſint, quorum opinio in bonis præcellat operibus, & quorum fides admittitur, vel quibus Princeps, aut judex credere poſſit. Et ſi forſitan remunerati teſtes veritatem ipſam celare voluerint, tunc per ſacramentum ſatisfaciant Principi, (2) aut Miſſo ejus, ut veritas non obſcuretur. Si (3) quidem per wadiam obligatio facta fuerit, & intentio pro hoc fuerit excitata, in eo judicio maneat, ſicut in anteriori Edicto legitur, quod glorioſiſſimus Rex Rotharis inſtituit. II. 55. 13.

III. Si quis ſervum ſuum, aut ancillam in manu Regis dederit, & ipſe Princeps eos per manus Sacerdotis circa ſacrum (4) altare liberos dimiſerit, ſic permaneant liberi, ſicut illi, qui fulfreal thingati ſunt. Et qui mundium de ipſa muliere libera a Principe accepit, ſic eum habeat, ſicut de fulfreal muliere: nam amplius nullam conditionem debeat habere neque ipſa neque filii ejus. Et hoc ſtatuimus ut maſculi, qui de ipſa muliere nati ſunt, abſque mundio ſint: feminæ autem habeant mundium, ſicut mater earum. Et ipſum mundium non ſit amplius quam ſolid. III. II. 34. 3.

IV. Si quis ſervum ſuum aut ancillam, liberum vel liberam dimiſerit, & poſuerit ei mundium; aut unum ſolidum, aut duos, aut tres, aut ſex tantum habeat mundium, quantum in carta ei affixit (5). Et quæ poſtea ex ipſa muliere libera nati fuerint, ſive maſculi ſive fœminæ, non habeant amplius mundium, niſi quantum & mater earum. II. 34. 4.

V. Si ſervus, dum in fuga eſt, furtum fecerit, & in ipſa fuga foris provinciam exierit, ſic exinde procedat judicium, ſicut glorioſiſſimus Rex Rotharis inſtituit. Et ſi ipſe ſervus intra provinciam ſe dilataverit, tunc dominus ejus habeat ſpatium requirendi (6) per menſes tres. Et ſi eum invenerit, aut non invenerit, & cauſſa furti manifeſta fuerit, quod ſervus ille furtum ipſum feciſſet, tunc dominus ejus componat furtum ipſum, ſicut lex eſt. Et ſi forſitan manifeſtum non fuerit, & dominus ejuſdem ſervi negaverit, quod ipſum furtum feciſſet, ſervus ejus tunc per pugnam aut per ſacramentum ſe defendat, ſi potuerit. I. 25. 49.

VI. Si quis puellam ante annos XII. ſponſaverit aut tulerit, tunc ille qui eam tulerit aut ſponſaverit, componat, ſicut Edictum de raptu continet, id eſt DCCCC. ſolidos, medium Regi & medium eidem infantulæ, & ipſa revertatur in caſam & in pecuniam ſuam, & ſit quieta uſque ad juſtum (7) tempus: poſtea autem eligat ſibi virum, & nubat, cui voluerit. Si autem mundualdus ejus conſentiens fuerit, aut tradiderit (8) ante duodecim annos, componat in ſacro Palatio ſolidos CCC. & mundium ejus amittat, & ſit ipſa cum rebus ſuis in mundio Palatii. Pater vero, aut frater poteſtatem habeant, cui aut in quali ætate voluerint, ad dandum aut ſponſandum filiam ſuam, aut ſororem ſuam. Quia non eſt credibile (9), ut pater filiam ſuam, aut frater ſororem ſuam doloſo animo, aut contra rationem cuiquam homini dare debeat. II. 8. 2.

VII. Si quis Longobardus ab aliquo homine, quod Deus avertat, interemtus fuerit, & cauſſa ſecundum legem ad compoſitionem venerit; & ipſe qui occiſus eſt, filium maſculum non reliquerit, quamquam filiam inſtituiſſemus heredem (10), ſicut maſculos, in omnem ſubſtantiam patris, aut matris; ipſam tamen compoſitionem volumus ut accipiant parentes ejuſdem propinqui, qui occiſus fuerit, illi qui per caput ſuc-

ſa perjurius non fiat, Cod. Eſten. *perjurium non percurrat*. Tum uterque Cod. *Ipſum autem morgincap, nolumus, ut amplius ſit*. Infra Cod. Cathedr. *qui ipſum morgincap facit. Si minus voluerit dare de rebus ſuis, quam ipſam quartam portionem* &c.

(1) Cod. Cathedr. Mutin. *pervenerit*. Infra uterque Cod. *teſtes illi teſtimonium reddiderint*. Qui infra *cauſator* dicitur, idem atque *accuſator* & *actor* in foro. Infra: *aut ejus Judex credere poſſit*.

(2) Cod. Cathedr. *ſatisfaciant Principi*, (addit alter Codex) *aut Judici, aut Miſſo ejus*.

(3) In Cod. Eſtenſi, quæ ſequuntur, Legem conſtituunt ab antecedente diverſam. Infra *intentio* pro lis & contentio ſæpe occurrit.

(4) Cod. Eſten. *circa ſacroſanctum*. Infra: *Et qui mundium de ipſa liberta a Principe expetierit, ſic id habeat, ſicut de fulfreal muliere. Nam amplius ei nullam conditionem debeat, neque* &c. Inferius: *qui de ipſa femina nati ſunt*.

(5) Codices Mutinen. *Si quis liberos ſervos ſuos, aut ancillas liberas dimiſerit, & poſuerit eis mundium unum aut duos vel tres ſolidos, tantum habeant mundium, quantum eis in chartula adfixerit*. Infra iidem Codices: *& poſtea qui ex ipſa liberta* &c. In fine: *niſi quantum de matre eorum*.

(6) Ambo Codices Mutinen. *ſpatium ad eum requirendum*.

(7) Cod. Eſten. *uſque ad præfatum tempus*. Infra: *Si autem Mundoald ejus in hac cauſa conſentiens* &c.

(8) Cod. Cathedr. Mutinen. *aut tradiderit eam ante*. Infra alter Cod. *pater autem, aut fratres poteſtatem habeant, cui, aut qualiter voluerint ad dandum*.

(9) Cod. Eſten. *Quoniam iſtam licentiam idcirco dedimus, quia credimus, quod pater* &c. *dare non debeant*. Similia habet & alter Codex Mutin. uti & Ambroſ.

(10) Uterque Cod. Mutinen. *quamquam filias hæredes inſtituiſſemus*. Infra Cod. Eſten. *non poſſunt faidam ipſam liberare*.

ſuccedere poſſunt. Quia filiæ ejus, eo quod femineo ſexu eſſe probantur, non poſſunt ipſam faidam levare. Ideo proſpeximus, ut ipſam compoſitionem non recipiant, niſi, ut ſupra diximus, præfati propinqui parentes. Et ſi propinqui non fuerint, tunc medietatem de ipſa compoſitione ſuſcipiant filiæ ejus, ſi una, aut plures fuerint, & medietatem Curtis Regia. I. 9. 18.

VIII. Si ſorores in caſa patris remanſerint, aut ad maritum ambulaverint, ſuccedant patri ſuo, & matri ſuæ in omnem ſubſtantiam eorum, ſicut antea ſtatuimus. Et ſi contigerit, unam ex eiſdem ſororibus mori, tunc & quæ in capillo remanſerint, & quæ ad maritum ambulaverint, in omnem portionem ſororis ſuæ defunctæ, quamvis puella mortua fuerit, ſuccedant. Parentes autem propinqui, aut mundualdus earum, ſuſcipiant de ea tantum mundium: nam de rebus ejus aliud nihil percipiant (1). Si autem contigerit illam mori, quæ jam nuptui tradita eſt, tunc ille ei ſuccedat, qui eam per mundium ſuam fecit. II. 14. 24.

IX. Si (2) qualeſcumque cauſſæ amodo emerſerint de his Capitulis, quæ nunc Excellentia noſtra ſtatuit, id a præſenti die Kalendarum Martium, hoc eſt XV. Indictione, & Anno Regni noſtri in Dei nomine V. volumus, ut ſic terminentur, ſicut Celſitudo noſtra cum Judicibus noſtris, & reliquis Langobardis decreverunt, ut ſupra legitur. Quæ vero in antea de talibus Capitulis pervenerunt, etiam finitæ aut ſtatutæ ſunt, ſic permaneant, ſicut prius cognoſcuntur eſſe. Quæ denique univerſa ſuperius a Celſitudine noſtra comprehenſa Potoni Notario Sacri Palatii noſtri comprehendenda & ordinanda præcipimus.

EJUSDEM LIUTPRANDI
LEGUM
LIBER TERTIUS.

INCIPIT PROLOGUS.

EGo (3) in Dei nomine omnipotentis excellentiſſimus Liuprand Rex feliciſſimæ gentis Langobardorum Anno propitio (4) Regni mei VIII. die Kalendarum Martium, Indictione III. una cum illuſtribus viris Optimatibus meis Neuſtriæ & Tuſciæ partibus, vel univerſis Nobilibus Langobardis, dum ſingula, quæ in anterioribus titulis hujus Edicti leguntur, ſtudioſe ac ſubtiliter ſcrutavimus, adſiſtente omni populo, quam ſequens ſermo monſtraverit, addere, & lucidare, ſive ſtatuere prævidimus legem.

CAP. I.

Primum omnium.

QUicumque liber homo, ſub Regni noſtri ditione poſitus, cuicumque amodo wadiam dederit, & fidejuſſorem poſuerit, in præſentia duorum vel trium teſtium, quorum fides admittitur, in omnibus complere debet. Et ſi ſe (5) diſtulerit, & pignoratus fuerit in his rebus, in quibus licitum eſt pignorare, nullam calumniam, qui pignoravit, patiatur: nam qui ſine hac manifeſtatione pignorare præſumſerit, jubemus ut in duplum ipſum pignus reſtituat. Si vero inter creditorem, & debitorem, atque fidejuſſorem orta fuerit intentio, qualiter in anteriori Edicto legitur, quod a glorioſiſſimo Rothare Rege inſtitutum eſt, per ſacramentum determinetur. Nam ſi in præſentia duorum vel trium teſtium ſtipulatio ipſa facta fuerit, in eorum teſtimonio credatur, (6) ut ſacramentum

(1) In utroque Cod. Mutin. *Parentes autem defunctæ propinqui, aut Mundual mundium earum ſuſcipiant. Nam de rebus ejus aliud nihil percipiant. Si autem &c.*

(2) Inter editas Langobardicas Leges non occurrit Capitulum hoc, appoſitum pro coronide Libri Secundi. Habent illud ambo Codices Mutinenſes. Nempe illud neglexere collectores Legum, quandoquidem minime Lex eſt. Verum eruditionis intererat hoc etiam ſervare poſteris.

(3) Hanc etiam Præfationem nuſquam editam vidi. Eam exhibet Eſtenſis Codex Ms. Quum vero ſequentes Leges Anno *Regni Liutprand VIII. & Indictione III.* promulgatæ fuerint, conſequens eſt, ut referantur ad Annum Chriſti 720. In Ms. legitur *Liuprand*; at ſcribendum, & non dubito quin ſcriptum quoque fuerit, *Liutprand*: ita enim hoc nomen efferunt marmora, & antiqui Codices manu exarati, non autem *Liutprandus*.

(4) Herold. *Deo propitio*. (Not. Coll.)

(5) Cod. Eſten. *debeat. Et ſi diſtulerit*. Infra: *ut per ſacramentum determinetur*.

(6) Idem Cod. *in eorum teſtimonio credant ambæ partes, ut ſacramentum inter dantes & accipientes minime perveniat, ſed eis creditur*. Infra uterque Cod. *firmare debeant*.

tum inter dantes, & accipientes minime perveniat. Et ſi debuerint ipſi teſtes ſuum teſtimonium firmare, nobis, vel qui in tempore Princeps fuerit, vel judici firmare debent. Et ſi homines non interfuerint, quando wadia datur, quicumque quaſi fidejuſſorem pignoraverit, componat, ſicut ſupra legitur, II. 21. 12.

II. Si quis mutuaverit ſolid. cuicumque homini per cautionem, ſi intra quinque annos creditor pulſaverit, & debitor non habuerit unde ſolvat (1), renovetur cautio ipſa uſque ad annos x. Et ſi intra annos x. pulſatus fuerit, & non reddiderit, & dilataverit uſque ad annos xx., & fuerit pulſatus aut per Principem, aut per judicem civitatis, & probatum fuerit per ipſam cautionem, debitor, aut heres ejus perſolvat. (2) Nam ſi nec cautio fuerit intra viginti annos bis renovata, neque Principi vel judici (3) oſtenſa fuerit, ſive manifeſta uſque ad xx. annos, jubemus, ut creditor poſtmodum taceat & nullam habeat facundiam requirendi debitores ſuos, excepto ſi ei captivitas evenerit. De cautionibus autem, quæ uſque modo in præſenti Indictione III. factæ ſunt, intra quinque annos iſtos advenientes jubemus, ut renoventur aut exigantur. Nam ſi diſtulerint intra v. annos debitores ſuos pulſare, ut cautiones renoventur, aut debita exigantur, & ſic negligentiam fecerint, non habeant poſtmodum facundiam ipſa debita requirendi. De his autem cautionibus, quæ amodo factæ fuerint, ſic fiat, ſicut ſupra præmiſimus, atque ſtatuimus. II. 21. 13.

III. Si frater (4) ſuum fratrem occiderit in peccatis, quamquam anterius Edictum contineat, ut proximi parentes homicidæ ſuccedant, nos autem proximos fratres appellamus, ſi frater relictus fuerit, in res homicidæ fratris ſuccedat: ita ut ſecundum qualitatem perſonæ de ipſa ſubſtantia homicidæ, ſi ille qui occiſus eſt, filios reliquerit, compoſitionem illis dare debeat: reliquum autem, quod ſuperfuerit, ſibi habeat. Et ſi pecunia ipſius homicidæ in tantum fuerit ſub æſtimatione, quantum compoſitio eſt, aut forte minus, habeant eam filii ipſius, qui occiſus eſt. Quod ſi non reliquerit fratres unum aut plures is qui occiſus eſt, quantumcumque fuerit ſubſtantia homicidæ, filius ipſius, qui occiſus eſt, in ea ſuccedere debet. Quod ſi non habuerit filios legitimos, proximi ſuccedant parentes per gradum. Quod ſi nec parentes fuerint, qui ei legitime ſuccedere poſſint, ſuccedat ei Curtis Regia. De anima vero homicidæ illius ſit in poteſtate Regis, ſicut in anteriore Edicto legitur. I. 10. 2.

IV. Si quis ad negotium peragendum, (5) vel pro qualicumque artificio infra provinciam, vel extra ambulaverit, & intra tres annos regreſſus non fuerit, & forſitan infirmitas ei emerſerit, faciat ſcire per judicem, aut per Miſſum (6) ſuum: nam ſi hoc diſtulerit mandare, & filios reliquerit, habeant res ipſius in ſuo jure. Et quicumque filii poſt tranſactum conſtitutum (7), cautiones vel venditiones, aut qualeſcumque obligationes de rebus patris fecerint, ſtabiles permaneant, & debita patris, & ſua perſolvant. Et ſi ipſe poſtea reverſus fuerit, jubemus, ut nec a ſuis filiis recipiatur, nec res ſuas in poteſtate habeat. Quod ſi filii ipſius ſine notitia aut juſſione Regis eum recolligere præſumſerint, omnes res ipſorum & patris ſubſtantia ad Curtem Regis revolvantur. Et ſi filios non habuerit, aut filias, ſed fratres, ipſi res ejus habeant. Et ſi nec fratres habuerit, habeant proximi parentes. Et ſi nec proximi parentes inventi fuerint, qui legibus ſuccedere poſſint, poſt prædictos tres annos Curtis Regia ei ſuccedat. Quod ſi habuerit uxorem, & infra ſupra dictum tempus, hoc eſt, tres annos, (8) minime reverſus fuerit, veniat ipſa mulier ad Regem (9), qui in tempore fuerit, & qualiter ei ipſe maritandi licentiam dederit, aut de cauſſa ipſius ordinaverit, vel tractaverit, ita facere debeat: nam ſine permiſſione Regis non præſumat maritum ducere. Et ſi ipſe poſt tres annos inventus fuerit, poteſtatem habeat Rex de eo judicare, qualiter voluerit. II. 3. 1.

(1) Cod. Eſten. *Si infra V. annos creditor pulſaverit, & non apparuerit, unde ſolvere poſſit.*

(2) Cod. Eſten. *& probatum fuerit; ipſam cautionem (cauſationem* habet alter Codex) *debitor, aut heredes ejus ſolvant.*

(3) Cod. Cathedr. Mutin. *neque Principi, neque Judici oſtenſa* &c. Infra Cod. Eſten. *excepto ſi ei captivitas evenerit, & probatum fuerit.* Infra: *Nam ſi diſtulerit quis infra* &c. Infra: *non habeant poſtmodum facundiam ipſum debitum ad requirendum.*

(4) Cod. Eſten. *Si quis frater fratrem ſuum interemerit, quamquam* &c. Infra: *quantalacumque ſit ſubſtantia ipſius homicidæ.*

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *Si quis in negotio peragendo.* Sequitur Cod. Eſten. *vel pro qualicumque artificio ſuo laborandum.*

(6) Cod. Eſten. *faciat ſcire Judici per Miſſum ſuum.* Infra, *mandare*, idem eſt ac nobis *far ſapere, notum facere*: atque in ea ſignificatione frequentiſſime occurrit apud Veteres; quod nonnulli minime animadvertentes errarunt.

(7) Corrigenda hæc ex utroque Cod. Mutinen. *Et cuicumque filii, tranſacto conſtituto* (*poſt tranſactum conſtitutum tempus*, habet editio Boheriana,) *cautiones* &c. *de rebus patris ſui fecerint.*

(8) Codices Mutin. *Quod ſi habuerit uxorem, & in iſto conſtituta, hoc eſt in tribus annis.*

(9) Uterque Cod. Mutin. & Ambroſ. *ipſa mulier ad Palatium Regis.* Infra: *nam ſine permiſſo Regis.* In fine neſcio quid ſibi velit idem Codex hæc exhibens: *Et ubi . . . poſt tres annos inventi fuerint, poteſtatem habeant de eis rebus judicare, qualiter voluerit.*

EJUSDEM LIUTPRANDI LEGUM LIBER QUARTUS.

PROLOGUS.

EGo in Dei omnipotentis nomine Liuprand excellentissimus Rex Deo dilectæ & Catholicæ gentis Langobardorum reminiscor jam ante superioris Edicti corpori addere curavimus, licet in parvo, tamen in voluminibus tribus, id est, Primo, Quinto, Octavo Regni nostri Anno, Indictione XI. XV. & III., ea quæ recta, & secundum Deum tranquilla nobis comparuerunt. Nunc autem Regni nostri (1) Anno Deo protegente IX. die Kalendarum Martiarum, Indictione IV. pensitantes omnia, & recurrentes antiquioris Edicti Capitula, una cum Judicibus, & reliquis Langobardis fidelibus nostris in . . . . in quarto volumine supplere & jungere prævidimus, quæ nobis Deoque recta comparuerunt.

CAP. I.

De ætate in quantis annis debet esse legitima.

HOc prospeximus, ut intra x. & VIII. annos non sit legitimus homo, ad res suas alienandas (2); excepto si pater debitum dimiserit, habeat potestatem, una cum notitia Principis terræ ipsius, tantum de rebus suis dandi, quantum debitum ipsum fuerit, ut ei major damnietas (3) propter onera solidorum non accrescat. Et ipse Princeps, qui pro tempore fuerit, propter Deum, & animæ suæ mercedem, dirigat personam Deum timentem, de sua præsentia, quæ hoc ipsum sapienter consideret, ut ad ipsum infantulum aliqua damnietas (4) contra rationem, aut per negligentiam, minime veniat. Et in nono decimo anno homini Longobardo sit legitima ætas, & quodcumque fecerit, vel judicaverit de rebus suis, stabili ordine debeat permanere. Et hoc statuimus atque diffinimus, ut si cuicumque ante ipsos x. & VIII. annos evenerit ægritudo, & se viderit ad mortis periculum tendere, habeat licentiam, de rebus suis pro anima sua in sanctis locis caussa pietatis, vel in Xenodochio, judicare quod voluerit, & quod judicaverit, (5) stabile debeat permanere. II. 29. 1.

II. Si quis liber homo se defendendo, liberum hominem occiderit (6), & si probatum fuerit, quod se defendendo liberum hominem occiderit, sic eum componat, sicut in anteriori Edicto continetur, quod Rotharius gloriosissimus Rex instituit. Nam qui super alium ambulaverit, & sic eum pro quacumque caussa occiderit, omnem substantiam suam amittat, & habeant eam heredes ipsius, qui occisus fuerit, in hoc ordine: ita sane ut si minus fuerit ipsa substantia homicidæ, quam antiqua (7) compositio erat, aut non, nisi tantum, tunc res suas perdat ipse homicida, & persona ejus tradatur ad propinquos defuncti. Nam si amplius habuerit substantiæ (8), quam ipsa compositio anterior erat, amittat omnes res suas, & accipiant heredes mortui in antea tantum, quantum antiqua compositio fuerat,

(1) Hunc quoque Prologum nusquam editum legi. Do illum ex Ms. Cod. Esten. Hæc autem nova Legum promulgatio facta est a Liutprando Rege *Indict. IV.* atque adeo Anno Christi 721.

Prologus iste exstat & in Edit. Herold. & quidem integer, ubi & infra posita lacuna suppletur sic: *Fidelibus nostris, iteratis, quarto volumine supplere* &c. Alia parvi momenti variantia omitto. (*Nota Coll.*)

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *homo ad res suas alienare, excepto si pater ejus debitum* &c.

(3) *Damnietate* pro damno usi sunt & alii antiqui, sed rudes Scriptores. *Onera solidorum* usuras significant.

(4) Vides ergo, fuisse quoque in usu apud Langobardos sapientes viros, quos nunc appellamus *Giudici d'autorità*, a Rege delectos, qui contractibus minorum, ac mulierum, consensum, & auctoritatem præberent.

(5) Cod. Esten. *& quod judicaverit pro anima sua, stabile* &c. Atque hinc intelligis non postremam virtutem Langobardis Regibus fuisse pietatem, quando liberum pupillis ac minoribus reliquerunt quidquid luberet sacratis Deo locis, aut Xenodochiis legare.

(6) Cod. Esten. *alium liberum hominem occiderit, & probatum fuerit, quod se defendendo ipsum hominem occidisset, componat, sicut in anteriore Edicto continetur, quod gloriosus Rothar Rex facere jussit.* Æquiores Leges nullam indicunt pœnam alterum occidenti cum moderamine inculpatæ tutelæ.

(7) Cod. Esten. *quam anterior compositio* &c.

(8) Uterque Codex Mutin. *Nam si amplius habuerit ipse homicida substantiam.* Infra: *& accipiant hæredes ipsius, qui occisus fuerit, in antea tantum, quantum ipsa compositio est: & quod superfuerit, medietatem habeat Curtis Regia, & medietatem hæredes defuncti. Et ipse animam suam deliberet.*

rat, & quod super fuerit, medium habeat Curtis Regia; & medium heredes defuncti; & ipse homicida animam suam liberet. I. 9. 19.

III. Si servus cum voluntate domini sui hominem liberum occiderit, & probatum fuerit, tunc dominus ejus omnes res suas amittat, in eo ordine, sicut supra annexum est. Et si dominus ejus negaverit, quod per ipsius consilium factum non fuisset, purificet se (1) ad legem Dei, & componat ipsum mortuum, sicut antea fuerat consuetudo, & ipse insuper servum tradat in manibus parentum defuncti, I. 9. 20.

IV. Si qua mulier res suas, consentiente viro (2) suo, communiter venumdare voluerit, ipse qui emere vult, vel qui vendunt, faciant notitiam ad duos vel tres parentes ipsius mulieris, qui propinquiores sunt: & si in præsentia de ipsis parentibus suis mulier illa violentiam (3) se pati dixerit, non sit stabile, quod vendiderit. Nam si in præsentia ipsorum suorum parentum, vel judicis, qui in loco præfuerit, mulier violentiam se pati non reclamaverit, nisi sua voluntate (4) ipsa res se dixerit venumdare, tunc ab illo die omni tempore, quod vendiderit, stabile debeat permanere: ita tamen, ut ipsi parentes, qui interfuerint, aut judex in carta ipsa manum ponant. Et si contigerit casus, ut ille maritus moriatur, & ad alium maritum ambulaverit, stabilis permaneat ipsa venditio. Scriba autem, qui cartam ipsam scripserit, non aliter præsumat facere, nisi cum notitia parentum, vel judicum, sicut supra dictum est: & si aliter fecerit, sit ipsa venditio vacua, & præfatus scriba sit culpabilis, sicut qui cartam falsam scripserit. II. 10. 2.

V. Si quis servum suum aut ancillam in Ecclesia circa altare amodo liberum vel liberam dimiserit, sic ei maneat libertas, sicut illi, qui fulfreal in quarta manu traditus, & amund factus est. Nam qui aldium (5) facere voluerit, non eum ducat in Ecclesia; nisi alio modo faciat, qualiter voluerit, sive per cartam, sive qualiter ei placuerit. II. 34. 5.

VI. Si mulier libera (6) servum tulerit, & parentes ejus infra anni spatium in eam vindictam dare neglexerint, sicut in anteriori Edicto continetur, tunc quandocumque post ipsum anni spatium inventa fuerit, sit ancilla Palatii, & ipse servus similiter ad Palatium (7) replicetur: & filii, qui ex eis nati fuerint, Curti Regiæ omnimodo serviant. Nam si parentes ipsius mulieris, vel dominus compleverint intra supradictum anni spatium, quod anterius Edictum continet, sic permaneat. II. 9. 3.

VII. Si quis caussam habuerit, & Sculdasio suo (8) eam adduxerit, & ipse Sculdasius justitiam ei intra quatuor dies facere neglexerit, si ambo caussatores ejus de sub uno Sculdasio sunt, tunc componat ei, qui pro caussa sua reclamavit, ipse Sculdasius sol. VI. & judici suo similiter sol. VI. Et si forsitan ille, super quem reclamaverit, infirmus est, aut propter utilitatem suam in alia civitate esse dinoscitur, exspectet eum, dum revertatur, aut de infirmitate sua convaluerit; & postquam reversus fuerit, aut de infirmitate convaluerit, si infra statutos quatuor dies minime eum ad justitiam faciendam distrinxerit, componat ipse Sculdasius solidos VI. sicut jam dictum est, ei, cujus

(1) Hoc est, jurejurando ad sacra Dei Evangelia suspicionem criminis a se amoveat. Infra Cod. Esten. *& insuper ipse servus tradatur in manus de parentibus defuncti*. Hic & alibi vide Italicæ vulgaris Linguæ lineamenta: *In mano de' parenti del morto*. Ita & infra: *in præsentia de parentibus suis*. Codex Cathedr. Mutin. habet: *& ipsum insuper servum tradat in manus*, ut supra.

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *marito suo*. Infra: *qui propinquiores fuerint*.

(3) Codex Estensis: *violentiam aliquam se dixerit pati*. Hanc protestationem in antiquis Langobardicarum mulierum contractibus sæpissime invenias, etiam donationum.

(4) Cod. Esten. *nisi voluntarie ipsas res suas* &c. Infra: *manum ponant*, hoc est, subscriptione sua publicas tabulas firment. Infra: *Scriba autem, qui chartulam ipsam fecerit, non aliter præsumat scribere nisi cum licentia parentum vel Judicis* &c. In Codice vero Cathedr. Mutin. hæc eadem Lex aliis verbis alio in loco reperitur, quare & mihi repetere liceat. *Si qua mulier res suas vendere voluerit, non absconse, nisi in præsentia Principis, aut Judicis, vel Sculdais, seu duos, aut tres parentes suos secum habeat. Et sic Judicem roget; quia res meas volo vendere; & ipsa se venditricem faciat; & Munduald consentiat: & quod vendiderit, stabile sit. Scriba vero, qui chartulam ipsam fecerit, non aliter præsumat scribere, nisi cum notitia parentum, aut Judicis, qui in loco fuerit. Et si aliter fecerit, ipsa venditio vacua sit, & præfatus Scriba sit culpabilis, sicut qui chartulam falsam fecit*.

(5) Cod. Esten. *Nam qui amund facere voluerit*. Facere *amund* idem erat ac facere a se extraneum, & a suo jure dimittere, hoc est, libertate donare. Idem alibi occurrit. Attamen sustinenda videtur edita lectio *qui Aldium*. Etenim *Aldii* fuere servi libertate donati, sed non omnimoda, qualem consequebatur manumissus *in Ecclesia*, sive *fulfreal* & *amund* factus. Adhuc enim Aldiones quibusdam oneribus ac tributis obnoxii erant erga veteres dominos. Vide supra Legem CCXXXIX. Rotharis, *Nulli liceat*. In fine hæc addit Cod. Ambr. *sicut anteriori Edicto continetur*.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. addit, *aut puella*. Infra: *vindictam dare noluerint, aut neglexerint*.

(7) Idem Cod. *& cum ipso servo ad publicam replicetur*. Infra uterque Cod. *vel dominus servi compleverint*, hoc est vindictam sumserint de crimine, atque illato sibi dedecore. In fine Cod. Cath. *quod anterior Edictus continet, sic permaneat, sicut antea fuit constitutum*.

(8) Cod. Esten. & *Sculdabi suo eam adduxerit, & ipse Sculdabis justitiam ei intra quatuor dies facere neglexerit*, (sequitur uterque Codex) *si ambo causatores de sub uno Sculdabi sunt, tunc ponat ei, qui causam suam reclamavit* &c.

jus caussa est, & judici suo solidos VI. Si vero talis caussa fuerit, quod ipse Sculdasius deliberare minime possit, dirigat ambas partes ad judicem suum: & si judex ejus caussam ipsam dilataverit, & intra sex dies inter eos per legem non judicaverit, componat illi, qui reclamaverit, solidos XII. Et si nec judex deliberare potuerit, dirigat intra XII. dies ambas partes in præsentia (1) Regis: nam si aliter fecerit ipse judex, & intra XII. dies, ut dictum est, justitiam suam non invenerit, qui proclamavit, tunc componat ipse judex solidos XII. & Regi sit culpabilis solid. XX. II. 41. 1.

VIII. Si homines de sub uno judice, de duobus tamen Sculdais, caussam habuerint, ille qui pulsat, vadat cum misso aut epistola de suo Sculdasio ad illum alium Sculdaem, de sub quo ipse est, cum quo caussam habet. Et si intra (2) quatuor dies minime justitiam fecerit, componat ille Sculdasius, qui distringere neglexerit, ei, qui reclamaverit, solid. VI. & judici solidos VI. Et si talis fuerit caussa, quam deliberare non possit, dirigat eos intra sex dies ad judicem suum, secundum anterius Capitulum. Nam si qualiter superiori Capitulo constitutum est, sive Sculdais, sive judex, in omnibus non compleverit, componat qualiter supra affixum est, illi, qui caussam suam reclamavit, solidos VI., & Judici suo solidos VI., & judex componat illi, cujus caussa est, solid. XII. & Regi solid. XX. II. 41. 2.

IX. Si quis in alia civitate caussam habuerit, similiter vadat cum epistola (3) de judice suo ad judicem, qui in loco est: & si ipse judex ei justitiam intra octo dies minime fecerit ad distringendum, aut non compleverit, componat illi, qui caussam suam reclamaverit, solid. XX. & Regi sol. XX. Et si talis caussa fuerit, quam deliberare minime possit, ponat constitutum, & distringat hominem illum de sua judiciaria, & faciat intra XX. dies in præsentia (4) Regis venire. Nam si aliter fecerit, & distringere neglexerit, componat sicut supra scriptum est, solidos XL. medium Regi, & medium ei, qui caussam suam reclamavit. II. 41. 3.

X. Si quis caussam habuerit, & Sculdais aut judex ei secundum Edicti tenorem per legem judicaverit, & ipse stare in eodem judicio minime voluerit, componat illi, qui judicavit, sold. XX. (5) Nam de ea caussa, quæ per arbitrium judicata fuerit, & ipse sibi non crediderit legem judicasse, & ad Regem reclamavit, non sit culpabilis. Et si judex contra legem judicaverit, componat solidos XL. medium Regi, & medium cujus caussa fuerit. Et si forsitan judex caussam per arbitrium judicaverit, & judicium ejus rectum non apparuerit, non sit culpabilis; nisi præbeat sacramentum Regi, quod (6) iniquo animo, aut corruptus præmio, caussam ipsam non judicasset, nisi sic ei legem comparuit esse, & sit absolutus: nam si jurare non præsumserit, componat ut supra dictum est. II. 41. 4.

XI. Et hoc (7) statuimus, ut si de suprascriptis Capitulis, quæ modo adfiximus, qualescumque caussæ antea emerserint, aut factæ sunt, in eo ordine finiantur, & remaneant, sicut anterior fuit consuetudo; vel qualiter in antiquo Edicti corpore continetur. (8) Quæ vero amodo, id est a die primo Kalendarum Martiarum, Indictione IV. evenerint, vel fieri contigerint, sic terminentur, & finem accipiant, sicut in præsenti pagina constitutum est: excepta muliere libera, quæ servum tulit, & secundum anterius Edictum condemnata est, ubicumque inventa fuerit, sit ancilla Palatii & filii ejus servi Regis. II. 41. 5.

---

(1) Cod. Esten. *dirigat* &c. *ad præsentiam Regis*. In fine: *tunc componat ei Judex ipse soldos XII. & Regi soldos XX.*

(2) Uterque Codex: *Et si ei intra*.

(3) Cod. Esten. *vadat cum Misso, aut Epistola de Judice suo ad Judicem*. Infra uterque Cod. Mutin. & Ambros. *qui causam suam reclamavit, soldos XX. & Regi alios XX. Et si* &c.

(4) Cod. Esten. *de sub sua Judiciaria intra XII. dies in præsentiam Regis venire*.

(5) Cod. Esten. *componat illi, qui judicavit, solidos XXX.*

(6) Ambo Cod. Mutin. & Ambros. *quod non iniquo animo*. Infra: *& nisi sic ei legem comparuisset*.

(7) Cod. Esten. *Et hoc statuimus atque diffinimus, ut si de suprascriptis Capitulis, quæ modo adjunximus*.

(8) Uterque Cod. Mutin. *continetur. Quæ vero amodo, scilicet a die isto Kalendarum Martiarum Indictione IV. evenerint, vel fieri contigerint, sic terminentur, & finem accipiant, sicut in præsenti pagina statuere visi sumus, excepto de muliere libera, quæ servum tulit, ut secundum anterius Edictum condemnata non sit, sed ubicumque* &c. Eadem leguntur & in Cod. Cathedr. Mutin.

EJUS-

EJUSDEM LIUTPRANDI LEGUM LIBER QUINTUS.

PROLOGUS.

(Cod. Ambr.) *Incipit de Anno decimo.*

QUoniam (1) quidem superius in hoc Edicti corpore ea , quæ nobis , & nostris Judicibus, vel ceteris Langobardis fidelibus nostris congrua paruerunt, in quatuor voluminibus adjungere curavimus ; & nunc si aliquid pro gentis nostræ salvatione adhuc adjicere credidimus , pro his Dei misericordiam adipisci , & de tribulatione æterna (2) ab ipso domino Jesu Christo nihilominus promerere , ego in Dei nomine omnipotentis quidem Liuprand gentis Langobardorum Rex in quinto Volumine augere curavimus.

CAP. I.

DE his feminis , quæ velamen (3) religionis in se recipiunt, aut a parentibus suis Deo voventur, aut ipsæ elegerunt religionis habitum , aut vestem monachicam induere videntur , quamquam a sacerdote consecratæ non sint , sic nobis justum apparuit esse (4), pro Dei amore, ut in ipso habitu in omnibus perseverent : nec sit excusatio malis hominibus, dicendo, quod consecratæ non sint, & ideo si copulantur, culpam non habeant. Sed ut supra præmisimus , quæ tale signum super se habent , id est velamen , vel vestem sanctæ Dei Genitricis Mariæ , quocumque ingenio in se suscipiunt, postea ad secularem vitam vel habitum transire nullatenus præsumant. Quia considerare debet omnis Christianus , quod si quiscumque secularis homo parentem nostram secularem sponsat , cum solo annulo eam subarrat, & suam facit , & si postea aliam uxorem duxerit, culpabilis invenitur solid. D. Quanto magis debet caussa Dei & sanctæ Mariæ amplior esse , ut quæ ipsum velamen, vel habitum in se suscipiunt, in eodem debeant (5) permanere? Si qua vero femina contra hoc , quod nostra instituit excellentia, egerit, aut marito se copulaverit , perdat omnem substantiam suam : & deveniat ipsa substantia in potestatem Palatii . De persona vero ejusdem feminæ , quæ tale malum commiserit , judicet Rex, qui pro tempore fuerit , qualiter illi placuerit, aut in monasterio mittendo , aut qualiter secundum Deum melius providerit. Simili modo , & de victu , & vestimento (6) ipse Princeps ordinet, qualiter illi placuerit. Si autem ille, in cujus mundio talis femina est , consentiens fuerit in supra scripto malo, & probatum fuerit, componat widrigilt suum, & ille, qui eam tollere præsumserit , componat in Palatio Regis solid. DC. Si autem Mundoaldus ipsius feminæ in ipso malo consentiens non fuerit, medium de ipsis DC. solidis accipiat ipse , & Rex medium (7) . Qui autem talem feminam rapuerit , componat solid. M. & præcedat caussa Dei solid. C. quoniam de raptu secularis feminæ compositio DCCCC. solid. in Edicto legitur . Ipsa vero , quæ non servavit eam caussam, quæ supra legitur , & malo supradicto (8) consenserit , pœnæ suprascriptæ subjaceat. II. 37. 1.

II. Si quis rapuerit qualemcumque feminam liberam secularem , unde in anteriori Edicto legitur compositio sol. DCCCC. , ita volumus , ut de illis CCCCL. solidis , qui pertinent ad parentes , vel ad Mundualdos ea-

(1) Ne hanc quidem Præfationem in editis a me visis legi . Eam exhibeo ex Codice Estensi.

Exstat & in Heroldina Editione, ubi infra: *adjicere possumus, credimus*. Et infra: *& retributionem æternam*. Et in fine: *Ergo in Dei nomine ego qui supra Lutprand , excellentissimæ gentis Longobardorum Rex , anno Regni mei , Deo protegente , XI. die Cal. Martiarum, Indictione VI. hoc iterum in quinto volumine adaugere curavimus*. (Not. Col.)

(2) Fort. *& retributionem æternam* . Ceterum hic nonnulla deesse videntur; Annus videlicet Regni, Mensis, & Indictio, quæ in ceteris Præfationibus occurrunt . Ego incuria librariorum excidisse puto.

(3) Uterque Cod. Mutin. *velamen sanctæ religionis in se suscipiunt*. Hoc est, Deo sacrantur, suscepto velo , sive veste religiosa : quæ mulieres aut in propriis ædibus , aut in Monasteriis vitam ducebant. Infra : *aut ipsæ sibi eligere religionis* &c.

(4) Uterque Cod. Mut. *Justum paruit esse*.

(5) Uterque Cod. Ms. *debeant perseverare*. Infra : *melius præviderit*.

(6) Codd. Mutin. *& de vestimento ejus*.

(7) Cod. Cathedr. Mutinen. *& medietatem Curtis Regia*.

(8) Codex Ambros. *& quæ non servavit* . Estensis vero , *quæ non conservaverit ea , quæ supra leguntur , & malum istud consenserit* &c.

earum, accipiant ex ipsis sol. mundualdi, qui fuerunt pro tempore, pro fatigio suo, (1) & actione de ipsa pœna solid. CL. Reliquos vero CCC. habeat ipsa femina, cui talis injuria aut detractio facta est. Si autem pater aut frater fuerit, & ipsæ feminæ in eorum mundio fuerint, tunc pater aut frater de ipsa compositione, quæ est solidorum CCCCL. faciant cum filia aut sorore sua, qualiter voluerint: nam alii Mundualdus, aut parentes, sic dividant ipsam compositionem, sicut supra statuimus. I. 30. 11.

III. De his, qui de illicito matrimonio nati sunt, vel nascuntur, id est de matrina (2), aut filiastra, vel cognata, quæ fuit uxor fratris, aut soror uxoris: quia Canones sic habent, de duabus sororibus, sicut de duobus fratribus. Et qui de tali matrimonio natus fuerit, heres legitimus patri suo non sit, sed ipsam rem habeant parentes propinqui. Et si parentes propinqui non fuerint, succedat Curtis Regia. II. 8. 3.

IV. Hoc autem Deo annuente statuere prævidimus, ut amodo nullus præsumat relictam de consobrino, aut sobrino (3) suo uxorem ducere. Si quis autem hoc, quod illicitum est, amodo facere præsumserit, amittat omnem substantiam suam. Et qui de tali conjugio nati fuerint, legitimi heredes non existant, nisi parentes propinqui: & si parentes propinqui non fuerint, Curtis Regia succedat. Hoc autem ideo affiximus, quia Deo teste, & Papa urbis Romæ, qui in omni mundo caput Ecclesiarum Dei & sacerdotum est, per suam epistolam nos adhortatus est (4), ut tale conjugium fieri nullatenus permitteremus. II. 8. 4.

V. Item hoc censemus, atque præcipimus, ut nullus præsumat commatrem suam ducere uxorem, sed nec filiam, quam de sacro fonte levaverit: neque filius ejus præsumat filiam illius uxorem ducere, qui eum de fonte suscepit, quia spirituales germani esse (5) noscuntur. Et qui hoc malum facere tentaverit, perdat omnem substantiam suam. Et filii, qui de tali illicito matrimonio nascuntur, heredes esse non debent, nisi propinqui parentes: & si propinqui parentes non fuerint, Curtis Regia succedat ei. Ubi autem inventi fuerint, qui suprascripta illicita conjugia contraxerint, de præsenti separentur, & pœnæ suprascriptæ subjaceant. II. 8. 5.

VI. Si quis sine voluntate Regis in qualicumque civitate contra judicem suum seditionem levaverit, aut aliquod malum fecerit, vel eum sine jussione (6) expellere quæsierit; aut alteri homines de altera civitate contra aliam civitatem, aut alium judicem, ut supra, sine Regis jussione seditionem fecerint, aut eum expellere (7) quæsierint, tunc is qui in capite fuerit, animæ suæ incurrat periculum, & omnes res ejus ad Palatium deveniant: reliqui vero homines, qui cum illo in malo consentientes fuerint, unusquisque componat in Palatio widrigilt suum. Et si casam cujuscunque blutaverint (8), aut res eorum tulerint, qui eam in Palatio tenent, aut ipsis qui

(1) Id est, pro labore, sive fatigatione sua: quam vocem olim ab aliis adhibitam fuisse constat. Infra ambo Codices Mutin. *Si autem patrem aut fratres ipsa femina habuerit, & in eorum mundio fuerit*. Infra: *nam aliter Munduald*.

(2) Codices Mutinen. *id est, de matrinia*. Infra Cod. Esten. *nisi habeant ipsas res parentes propinqui*.

(3) Cod. Esten. *de consobrino, aut insobrino suo*. Baluzius Tom. I. Capitular. pag. 540. Legem Pippini Italiæ Regis adfert, ubi separandus dicitur, qui *uxorem Consobrino, aut Insobrino suo uxorem duxisset*. Lege, ut hic, *relictam de Consobrino* &c. Fortassis appellatus *Insobrinus* consobrini filius. Infra Cod. Esten. *& qui de tali coitu nati fuerint, legitimi hæredes non existent; nisi parentes propinqui habeant ipsas res. Et si*,

(4) Cod. Cathedr. Mutin. *qui in omni mundo caput Ecclesiarum Dei est, per suam Epistolam nobis adhortavit*. Vide nobile elogium Apostolicæ Sedis, & Regis Liutprandi laudandam pietatem. Nimirum paucis ante annis, ut ex Paulo Diacono, & Anastasio Bibliothecario discimus, Phocas Imperator, Episcopi Constantinopolitani temeritatem damnans, & Romanorum Pontificum jura a Christo manantia confirmans, statuerat, ut Ecclesia Romana *caput omnium Ecclesiarum* foret. Huc alludere videtur Liutprandus. In Cod. Esten. legitur, *& Sacerdotum*, ut in editis.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *germani sunt, & esse noscuntur*. Confraternitatem hanc spiritualem obstitisse, ne inter compatris aut commatris filios, & filium aut filiam e sacro fonte susceptam, nuptiæ inirentur, testatur etiam Zacharias Papa apud Gratianum Caus. 30. quæst. 4. cap. 3. *Bene tua* &c. Sed ejusmodi cognatio sublata demum fuit. Infra iidem Codic. Mutin. *heredes esse non debeant*.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *seditionem, aut aliud malum fecerit, vel eum sine jussione Regis expellere quæsierit*.

(7) Cod. Esten. & Ambros. *jussione seditionem levaverit, & aliquod fecerint, aut expellere sine Regis voluntate quæsierint, tunc ille, qui in caput fuerit, animæ suæ incurrat periculum, & omnes res ejus Publico deveniant*. Codex vero Cathedr. Mutin. & Ambros. *& omnes res ejus infiscentur ad Publicum*. Non hinc solum, sed & ex innumeris aliis veterum locis intelligimus *Publicum*, *Partem Publicam*, *Rem Publicam* idem significasse atque Palatium ac Jura Regis, ita ut cæcutire voluerint, qui has voces alieno plane sensu accipere nostris temporibus voluerunt.

(8) Editio Boheriana, *bructaverint*, & in postilla, *bluttaverint*. Cod. Cathedr. Mutin. vetustissimus aperte habet, *blutaverint*. Interpretes explicant pro *evacuaverint*, *seu exspoliarint*. In Cod. Esten. corrupte scriptum, *habitaverint*. Italica Lingua habet verbum *bruttare* pro conspurcare, fœdare. Fortassis eadem significatione usurpatum est *brutaverint*; nam quod sequitur, *aut res eorum tulerint*, satis indicat, *brutare* diversum quid ab exspoliatione significasse.

qui fidem in Palatio conſervant, componat omnes res ipſas, quibus eas tulit (1), in octogilt: & widrigilt ſuum, ut diximus, componat in Palatio. Hoc autem ideo prævidimus in præſenti Edicti pagina ſcribere, ut malum vitium non creſcat, ſed amputetur, ut omnes in pace, & gratia Dei, & Regis vivere valeant (2). I. 18. 1.

VII. Si quis dederit wadiam (3), & eam recipere neglexerit, per fidejuſſorem componat, ſicut in anteriori Edicto legitur. Et ſi ille, quiſquis wadiam acceperit, reddere neglexerit per fidejuſſorem, & apud eum remanſerit, ſic componat, quomodo & ille, qui wadiam ſuam recipere neglexerit. II. 21. 14.

VIII. Si quis alii homini wadiam dederit, & antequam eam per fidejuſſorem liberet, violenter de manu illius abſtulerit, (4) componat ei, cui ipſam wadiam de manu abſtraxerit, ſolid. XXIV. Hoc autem ideo affigere præcipimus, ne pro tali cauſſa ſcandalum oriatur, aut animæ pereant. II. 21. 15.

IX. Si quis alii wadiam dederit, & voluerit eam per fidejuſſores ſuos recipere, & adduxerit ad eum, qui wadiam receperit, fidejuſſorem unum, aut duos, vel tres, & ipſe dixerit, *Neſcio, qui ſint*, ut damnum ei facere poſſit; tunc adducere ei debeat fidejuſſores, aut de illa civitate, unde ipſe eſt, qui wadiam dedit, aut (5) unde ipſe eſt, qui ſuſcepit. Et ſi ibi minime inventi fuerint, tunc ſuſcipere debeat ipſe, qui wadiam accepit, fidejuſſorem liberum hominem, quem conlibertus ejus cognitum habeat, & dicat ei, *Ego ſcio, quia ei credere potes*, ut homo ille, qui wadiam dedit, damnum non patiatur. II. 21. 16.

De anxeſtata, & fidejuſſore. (Cod. Ambr.)

X. Si quis alii homini wadiam dederit, pro quacumque cauſſa, & fidejuſſorem poſuerit, & poſtea ipſi fidejuſſori anteſteterit, aut pignus de manu tulerit, & probatum fuerit, componat ſol. XX. II. 21. 17.

XI. Si quis alii homini wadiam dederit, & fidejuſſorem poſuerit, & ipſe fidejuſſor eum pignoraverit, & pignora ipſa ad creditorem ejus dederit: & poſtea ipſe, cujus pignora fuerint, per vim ea (6) tulerit, componat ipſa pignora in octogilt. II. 21. 18.

XII. Si quis alium ante conſtitutum pignoraverit, & probatum fuerit, quod ante conſtitutum pignoraſſet, componat ipſum pignus in octogilt. II. 21. 19.

XIII. Si (7) judex, aut actor publicus in qualicumque civitate aut loco inter homines, qui aliquam diſcordiam habent, treugas tulerit, & unus ex ipſis hominibus, inter quos ipſæ treugæ latæ ſunt, eas ruperit, medium de ipſis treugis componat in publico, & medium (8) illi cujus cauſſa eſt. Et ipſæ treugæ non ſint minus quam ſolid. CCC. Qui autem (9) forſitan amplius pro majoribus cauſſis ponere voluerit, ſit ei licentia. II. 24. 1.

XIV. Si quis alii homini (10) qualemcumque rem donaverit, & launechild ſuſceperit, & poſtea eam defendere minime potuerit, tunc aliam talem rem, qualem donavit, qualis in illa die invenitur eſſe, reddat cui donavit, & amplius non calumnietur. Et ſi de colludio pulſatus fuerit, ſatisfaciat ad Evangelia, quod nullum colludium cum alio homine de ea re factum habeat, & ſit abſolutus a culpa (11). Sic tamen, ut ſupraſcriptam rem conſimilem reddat, cui donavit. II. 36. 2.

XV. De ſervo fugace, & advena homine, ſi in alia (12) judiciaria inventus fuerit,

---

(1) Mss. Mutinenſes: *qui cum Palatio Regio* (*aut cum Rege*, alter Cod. pariterque Ambroſ.) *tenent, & fidem ſuam cum Judice in Palatio conſervant, componant omnes res ipſas, cui eas abſtulerint.*

(2) Uterque Codex: *vitium non creſcat, ſed amputetur, ut & omnes in pace & in Dei gratia & Regis vivere valeant.* Ambroſ. Cod. *vitium non accreſcat.*

(3) Cod. Eſten. *dederit alii Wadia.* Infra: *componat ſolidos XXXIII. ſicut.* Infra: *& ſi ille, qui ipſa Wadia acceperit.*

(4) Idem Codex: *illius abſtraxerit, cui eam dedit, componat.*

(5) Codex Eſtenſis: *aut de illa, unde eſt ipſe, qui Wadia ſuſcepit.* Infra Cod. Cathedr. Mutin. *conliberti ejus cognitum habent.*

(6) Uterque Codex Mutin. *per virtutem tulerit. Virtus* pro vi, ac violentia ſæpe in his Legibus uſurpatur, uti & in Salicis, ac Alamannicis.

(7) Ambo Codices Mutinenſes: *Si quis Judex, aut Actor Publicus*, id eſt, aut Miniſter, & Procurator Regis. Infra Cod. Cathedr. *inter homines aliquam diſcordiam habentes, trevvas tulerit.*

(8) Codex Eſtenſis: *ipſæ trevvæ tultæ ſunt* (*ipſas trevvas tultas ſunt*, habet alter Codex), *eas tulerit, medietatem de ipſis trevvis* (ſequitur Cod. Cathedr.) *componat in Palatio, & medietatem* &c. Quæ hic dicuntur *treugæ latæ*, idem ſignificat, ac induciæ per Miniſtros Regis inter diſcordes indictæ. A *treugas tulerit* deſcendit *trevvæ tultæ*, hoc eſt indictæ. Ceterum *tultus* pro *ablatus* in uſu fuit apud antiquos. Gregorius M. Lib. XI. Epiſt. 25. *de eodem Monaſterio ancillas Dei tollere, & unde tultæ fuerant, Monaſteria revocare.* Sed hic alio ſenſu.

(9) Cod. Cathedr. Mutin. *non ſit minus quam ſolidi CC.* Eſtenſis vero, *quam ſolidi III. Si autem amplius forſitan pro* &c.

(10) Cod. Cathedr. *Si quis alia homini.*

(11) Cod. Eſten. *de ea cauſa factum habeat. Et ſi juraverit, ſit ſolutus de culpa.*

(12) Cod. Eſten. *ſi in allena Judiciaria.* Cod. Cathedr. *ſi in alia Judiciaria.* Hoc eſt, ut nunc dicimus, in alterius civitatis diſtrictu. Infra: *tunc Decanus, aut Saltarius.* Cod. Eſten. habet, *Deganus.* Uti fuere *Centenarii*, qui centum familiis ruralibus præerant, ita & *Decani* numerabantur, qui decem familiis præſidebant. Judices autem minimi in ruribus fuiſſe videntur, quum conſtet eos habuiſſe Placita. *Scul-*

dai

rit, tunc Decanus aut Saltarius, qui in loco ordinatus fuerit, comprehendere eum debeat, & ad Sculdasium suum perducat. Et ipse Sculdasius judici suo consignet: & ipse judex potestatem habeat eum inquirendi, unde ipse est. Et si inventus fuerit, qui servus sit, aut fur, mox mandet ad judicem, aut ad dominum ejus, unde ipse fugerit: & habeat pro prehensura de ipso servo (1) solid. II. Si vero post inquisitam caussam ipse homo, qui comprehensus est, aut inquisitus fuerit, liber apparuerit, nulla sit ei culpa, qui eum comprehendit, aut inquisivit. Si vero Decanus aut Saltarius hoc facere distulerit, componat sol. IV. medium Sculdasio suo, & medium cujus caussa fuerit. Et si Sculdasius hoc neglexerit facere, componat solid. VIII. medium judici suo & medium cujus caussa est. Si vero judex ad eum inquirendum, vel mandatum faciendum, unde ipse homo est, distulerit, componat sol. XII. in Palatio Regis. Et si ille judex, cui mandatum fuerit, neglectum fecerit ad ipsum hominem recolligendum, aut Arimanno suo faciendum mandatum, quod in tali loco homo tuus comprehensus est: & si hoc neglexerit, componat in Palatio Regis solid. XII. Et sit spatium de ipso mandato faciendo, in his partibus in mense uno, & trans Alpes in partibus Tusciæ mensibus duobus. I. 25. 50.

XVI. Si quis stallariam (2) alterius scapellaverit, componat ei, cujus stallaria fuerit, solid. VI. I. 19. *26*.

XVII. Si quis fossatum in terra aliena fecerit, & suam non potuerit probare, componat ei, cujus terra est, sol. VI. I. 27. 4.

XVIII. Si quis in terram alienam miserit sepem, & suam non potuerit probare, componat ei, cujus terra est, sol. VI. I, 27. *6*.

XIX. Si quis liberum hominem foris provinciam vendiderit, & probatum fuerit, componat widrigilt ejus, tamquam si eum occidisset. II. 25. 2.

XX. Si quis servum alienum foris provinciam vendiderit, & probatum fuerit, in quadruplum componat, sicut appretiata fuerit ipsa persona. II. 25. 3.

XXI. Si quis servum alienum sine voluntate domini sui in sacramentum miserit, aut manum in caldaria (3) mittere fecerit, componat domino ejus solid. XX. I. 33. I.

XXII. Si quis servum alienum sine voluntate domini sui, in manu Regis dederit (4), & probatum fuerit, non suum servum dedisse, componat Regi, qui pro tempore fuerit, solid. C. & ipse servus revertatur ad proprium dominum; & sit servus cujus antea fuit, & insuper ille, qui eum illicite liberavit, componat domino ejus solid. XX. II. 34. *6*.

XXIII. Si quis servum alienum sine voluntate domini sui liberum dimiserit, aut per se, aut per qualecumque ingenium (5), excepto per manum Regis, & probatum fuerit, quod servum alienum liberasset, tunc ipse servus revertatur ad proprium dominum suum, & sit ejus servus, sicut antea fuit; & ille, qui eum illicite liberavit, componat domino ejus solid. XX. II. 34. 7.

XXIV. Si quis servum alienum sine voluntate domini sui clericaverit (*6*), componat domino ejus pro illicita præsumptione sol. XX. & ipse servus revertatur ad proprium dominum, & dominus habeat eum sicut voluerit. I. 33. 2.

---

dai autem suberant, hoc est Judici pagi. *Saltarii* fuere, qui saltus & silvas publicas, imo & fines agrorum custodiebant. Infra idem Codex: *& ad Sculdais suum adducat, & ipse Sculdais*.

(1) Cod. Esten. & Ambros. *pro pressura de ipso servo pro caput solid.* II. Ita & Cod. Cathedr. in quo: *pro prensura*. Infra in eodem Cod. legitur: *Et si Sculdais neglectum posuerit*. Infra Cod. Esten. *Et si ille Judex, cui mandatum venerit* &c. *aut ad ipsum Ariminum suum mandatum faciendum, quia in tali loco homo tuus comprehensus, & hoc neglexerit*. In fine: *trans Alpes vero in finibus Tusciæ*.

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *Si quis astalia alterius* &c. *cujus astalia fuerit*. Sunt qui *stalariam*, sive *stalaria*, & *stallariam* interpretantur *arboretum, unde pali inciduntur*. Infra Boherius, & Chartæ veteres confirmare videntur. Piscinam, sive vivarium piscium indicare videtur charta a Du-Cangio laudata. Nam *astalia* positum est, ut designetur silva, unde *hastæ*, seu *hastilia* cædebantur.

(3) Cod. Esten. *aut in caldaria eum fecerit manum mittere*. Hoc est, subire judicium *Aquæ ferventis*, cujus ritum vide apud Martene de Antiqu. Eccles. Ritib. Tom. III. Lib. III. Cap. VII. & apud Du-Cangium in Glossar. verbo *Aqua*.

(4) Hoc est, coram Rege manumiserit, denario excusso ex illius manu. Infra uterque Cod. Mutin. & Ambros. *Et insuper qui eum in manu Regis dederit, componat*.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *aut per qualemcumque hominem*. Infra uterque Cod. *servum alienum libertasset* &c. *illicite libertavit*.

(6) Hoc est, Clericum ordinandum curaverit; neque enim servi a sacris Ordinibus arcebantur, dummodo libertate prius donarentur. In fine Cod. Esten. *Et ipse dominus ejus eum* &c.

EJUS-

EJUSDEM LIUTPRANDI LEGUM LIBER SEXTUS.

PROLOGUS.

PErcepimus (1) enim, & firmiter retinemus, quoniam per gradus & tempora in bono proficere opere, & ſemper ad meliora aſcendere videtur, qui in Deo ita operatur, ut ejus pietas & miſericordia eum illuſtret, qui omnes vult ſalvos fieri, & ad agnitionis ſuæ veritatem venire. Ergo ſi pro gentis noſtræ ſalvatione, aut pauperum fatigatione aliquid poſuimus, quod in Edicti corpore adjungamus, quam quæ in quinque voluminibus adjunximus, credimus quod Dei miſericordia in nobis retribuat eam cauſſam, quod pro ſolo Dei timore & in eleemoſyna hoc faciemus, ut omnis cauſſa per rationem & juſtitiam terminetur, nec ſit aliquis error, ſed magis in nobis juſtitia, unde ſine intermiſſione nomen Domini benedicat. Ideo ego Liuprand in Dei nomine excellentiſſimus chriſtianæ & catholicæ Langobardorum gentis Rex, Anno Regni mei Chriſto protegente XII. die Kalendarum Martiarum, Indictione VII. una cum Judicibus & reliquis Langobardis fidelibus noſtris, hoc adjungere in Edicti curavimus pagina in volumine ſexto, quod fuerit multis ſupervenientibus cauſſis. Id eſt primo.

CAP. I.

SI quis cartam donationis per garathinx (2) factam, aut per ſuſceptum launechilt, vel forte per comparationem oſtenderit: & res unde licet, non poſſederit, & dixerit, quod munimen ſuum abſentatum fuiſſet, & ſi per xxx. annos, aut ſupra, poſſeſſio iſta fuerit, non habeat adverſus eum, qui poſſedit, facundiam loquendi, cum munimine ipſo, quod oſtendere videtur: niſi ipſe, qui per xxx. annos poſſedit, firmiter poſſideat, quia glorioſiſſimus Grimoaldus Rex per xxx. annos inſtitutam habet poſſeſſionem. Nam ſi intra xxx. annos poſſeſſio iſta fuerit, poteſtatem habeat cum munimine (3) ſuo dicendi quod voluerit, & ipſe qui poſſedit, ſecundum Edictum reſpondeat. II. 35. *6.*

II. Si quis ſervum ſuum fulfreal thingaverit, & amund a ſe fecerit, vel quocumque modo eum a ſe abſolverit, in manu Regis dando, aut in eccleſia circa altare ducendo (4), & poſtea ipſe libertus voluntatem patroni ſui fecerit, manifeſtare debeat ipſe libertus libertatem, ſæpius indicet ad vicinos ſuos, qualiter abſolutus eſſe videtur. Et poſtea nullo tempore ipſe patronus, aut heres ejus, contra eum, qui libertus (5) eſt, quærelam poſſit movere, dicendo quod ei debeat obedire, pro eo quod ſua ſponte pro beneficio de domino ſuo voluntatem ejus fecerat: ſed firma, ut ſupra, maneat libertas. II. 34. 8.

III. Si quis alium de furto pulſaverit, & per pugnam eum vicerit, aut forte per diſtrictionem a publico factam manifeſtaverit, & compoſitio facta fuerat, & poſtea ipſum furtum apud alium hominem inventum fuerit, & certa veritas apparuerit, quod ipſe, qui prius compoſuerat, rem ipſam,

(1) Ne hanc quidem Præfationem in editis, quæ mihi ſunt ad manus, legi. Indictio *Septima* indicat Annum 724. quo hic Sextus Liber a Liutprando promulgatus eſt. Neque hic prætermittendum, pleraſque ex hiſce Præfationibus datas eſſe *Kalendis Martiis*, aut *pridie Kal. Martii*. Nempe quia ſolemnis totius Langobardici Regni conventus eo die celebrari conſuevit, Optimatibus cunctis ad ea Comitia coeuntibus. Illa vero habebantur ſub dio, in patenti Campo, qui propterea *Campus Martius* appellabatur, quale nomen adhuc Veronæ perdurat. Ibi novæ Leges promulgabantur, aliaque magni momenti negotia expediebantur. Fuit & Regibus Francis eodem tempore idem mos, ut Cangius in Gloſſario oſtendit.

Præfatio hæc exſtat & in Heroldina, quam Muratorius nondum viderat, paucis variantibus. Cæteræ Præfationes Editionis Heroldinæ in Liutprandi Leges, quæ in hac non exſtant, in calce legum tradentur. (*Not. Coll.*)

(2) Cod. Eſten. *per garathinx factæ, aut per ſuſceptum Launichild*. Cod. Cathedr. Mutin. *Launigild*. Infra Cod. Eſten. *& res ipſas unde legitur* (*ſecundum quod legitur*, habet alter Codex) *non poſſederit, & dixerit, quod ei monimen* &c.

(3) Uterque Cod. Mutin. *pontificium habeat cum monimine*, ſeu *monimento ſuo* &c. Supra quoque eadem vox *pontificium* occurrit. In fine iidem Codices: *ei ſecundum Edictum reſpondeat*.

(4) Cod. Eſten. *in manu Regis dandum, aut in Eccleſia circa altare ducendum; poſteaque ipſe libertus voluntatem patroni ſui fecerit*: hoc eſt, pergat adhuc antiquo domino ſuo famulari. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *debeat libertus ipſam libertatem ſuam ſæpius Judici, aut ad vicinos ſuos, quod liber abſolutus eſſe videtur, & poſtea* &c.

(5) Uterque Cod. Mutin. *qui libertatus eſt*. Infra Cod. Eſten. *pro beneficio domini ſui*. In fine: *ſed firma eì permaneat ſua libertas*.

ipſam non furatus fuerit ab eo (1), omnia, quidquid ipſe compoſuerat, recipiat ab eo, cui compoſuerat: & ipſe componat, apud quem furtum ipſum poſtea inventum fuerit. Nam ſi aliquid per ſacramentum ſuum dederit, habeat, cui dederit. Nam ſi certa veritas non apparuerit, quod alter homo furtum ipſum feciſſet, & per diſtrictionem manifeſtaverit, & compoſuerit, habeat ſibi ipſam compoſitionem, cui compoſuerit. I. 25. 51.

IV. Si quis debitum fecerit, & res ſuas vendiderit, & tale fuerit ipſum debitum, quod ſolvere (2) non poſſit, & filius ejus per uxorem ſuam aliquid conquiſierit, vel poſtea ſibi per quodcumque ingenium laboraverit, poſtquam genitor ejus omnes res ſuas venumdederit, vel pro debito ſuo creditoribus ſuis dederit, aut a publico intromiſſæ fuerint, non habeant facundiam creditores res ejus (3), quas filius de conjuge ſua habere videtur, vel poſtea conquiſivit, aut laboravit, repetendi, aut diſtrahendi, ſed habeat ſibi filius ejus jure quieto. Sic tamen, ut ſi a creditoribus pulſatus fuerit, præbeat ſacramentum, quod de rebus patris, aut matris ſuæ, ſi ipſa in mundio patris mortua fuerit, nihil apud ſe habeat, nec alieni commendaſſet, aut abſcondiſſet, & ſit abſolutus. Et ſi poſt apud eum inventum fuerit de rebus paternis, componat in octogilt. II. 21. 20.

V. Si infans, dum infra ætatem eſt, res ſuas cuicumque vendiderit, aut infiduciaverit (4), & poſtea quum in legitimam ætatem pervenerit, cartam ipſam ſecundum legem irrumpere voluerit, & in rebus ipſius introire, non habeat poteſtatem, qui emit aut infiduciavit, quæ dederit requirendi. Quia quando comparavit, aut infiduciavit, tunc debuit perſpicere, quia puer ipſe infra ætatem erat, & contra legem faciebat: Propterea conſtitutum eſt, ut qui infra ætatem fuerit, minime vendere aut infiduciare poſſit. Et talem cauſſam eum habere dicimus, qui emit, aut infiduciavit, qualem & ille habere videtur, qui de ſervo, aut aldione emere aut infiduciare dignoſcitur. II. 29. 2.

VI. Si quis Gaſtaldius, aut Actor Regis (5) Curtem Regiam habens ad gubernandum, ex ipſa Curte alicui ſine juſſione Regis caſam tributariam, terram, ſilvam, vites, vel pratum auſus fuerit donare, aut ſi amplius, quam juſſio Regis fuerit, dare præſumſerit, vel quærere neglexerit, quod per fraudem ablatum eſt, omne quidquid contra (6) juſſionem regiam facere auſus fuerit, in duplum octogilt componat, ſicut qui rem regiam furatus fuerit. Et ſi ipſe ante mortuus fuerit, quam fraus ipſa appareat, heredes ejus componant, ſicut ſupra legitur. Nam ſi per Actorem fraus facta fuerit, & antequam ad noſtram pervenerit notitiam, fraus ipſa per Gaſtaldium inventa fuerit, habeat ipſe Gaſtaldius de compoſitione, quam Actor componere debet, partem tertiam, & duæ ſint in Curte Regia. Et ſi prius per qualemcumque hominem ad noſtram pervenerit notitiam, quam per Gaſtaldium inventa fuerit, tunc compoſitio ipſa in integrum nobis, & Curti noſtræ perveniat. Quod ſi judex aut Actor Regis, vel heredes eorum, pulſati a nobis fuerint, quod neglectum feciſſent ad quærendum res noſtras, & ipſi dixerint, quod fraudem neſciſſent, & nullum neglectum feciſſent; præbeant ſacramentum in tali ordine, & dicant: *quod fraudem ipſam pater noſter nunquam ſcivit, nec conſenſit, nec neglectum poſuit ad perquirendum, nec nos culpabiles per legem eſſe debemus*: & ſint poſtea abſoluti. Hoc enim Capitulum amodo ſtatuimus firmum eſſe (7); nam quidquid antea

---

(1) Codices Mutinen. *non furaſſet* (*non furavit*, alter ex eis) *omnia quidquid ipſe compoſuit, recipiat ab eo, cui compoſuerit*. Infra Cod. Eſten. *aliquid pro ſacramento ſuo dedit, habeat ipſe, cui dederit*. Infra: *nam ſi certa veritas non fuerit*.

(2) Cod. Eſten. *quod ſanare non poſſit*. Cod. Cathed. *quod ſanari non poſſit*. Infra: *a Publico intromiſſæ fuerint*. Suſpicatur Du-Cangius *intromiſſas res dici*, quæ *a Judice in Fiſcum relatæ*, ſeu *confiſcatæ* fuerint. At in Cod. Eſten. legitur, *aut a Publico intromiſſi* fuerint: hoc eſt, ut arbitror, creditores decreto Judicis in poſſeſſionem bonorum debitoris immiſſi fuerint. Ita quoque hæc interpretatur antiquus Commentator editus.

(3) Cod. Eſten. *non habeat licentiam creditor ejus res, quas* &c. Cod. Cathedr. Mutin. *non habeant licentiam creditores ejus res, quas* &c. Infra idem Cod. *nec alicui commendaſſet*. In fine uterque Codex: *Et ſi poſtea apud eum inventum fuerit aliquid de rebus paternis, componat in octogild*, ſive *actogild*, ut hic & alibi habet idem Cod. Eſten.

(4) Cod. Eſten. *dum infra ætatem eſt, res ſuas cuiquam vendiderit, aut infiduciaverit*, hoc eſt, obligaverit, ſive in pignus ac fiduciam dederit. Nos dicimus *impegnare*. Infra Cod. Cathedr. *& rebus ſuis ipſis introire voluerit*. Alter Cod. *& in res ipſas introierit*. Tum uterque Cod. *non habeat pontificium qui emit, aut cui fiduciaverit, quod dedit ad requirendum*. Infra: *& contra Legem faciebat, poſtquam conſtitutum eſt*.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *Si quis Gaſtaldius, vel Actor Publicus*. Jam ſupra adnotavi, *Regium*, & *Publicum* idem olim fuiſſe. Infra Cod. Eſten. *vel terram, ſilveta, vel prata auſus* &c.

(6) In Cod. Eſten. legitur: *vel ſi requirere neglexerit, quod per fraudem tultum eſt, omnia ipſe, qui hæc contra* &c. In Codice etiam Cathedr. Mutin. legitur, *tultum eſt*, unde nunc Italica vox *tolto*. At delicatuli hic & alibi Langobardicam elegantiam expunxere. Supra Cap. XIII. Libri V. vidimus a Gregorio quoque Magno ejuſmodi vocem adhibitam fuiſſe. Infra uterque Cod. *ſicut qui res Regias* (*furaverit*, habet alter ex iis). Infra: *nobis & Curti noſtræ pertineat*.

(7) Cod. Eſten. *Hoc enim Capitulum amodo ſtatuimus, ut firmum ſit*. Infra: *in noſtrum arbitrium reſervamus*. Et in fine hæc ibi: *& in antea dederimus*.

rea factum est, in nostro arbitrio reservemus. Et hoc proinde statuere prævidimus, pro eo, quod multas fraudes a Gastaldiis, vel Actoribus nostris factas invenimus, unde jam multas fatigationes habuimus: nam quod a nostris decessoribus cuicumque datum est, stabili ordine volumus permanere, sicut & illud, quod nos dedimus, aut in antea dederimus. I. 34. 1.

VII. Si aldius cujuscumque cum libera muliere aut puella fornicatus fuerit, componat solid. L. ei in cujus mundio fuerit, & illa reputet vitium suum, pro eo quod aldio consenserit. I. 31. 3.

VIII. Si quis alii wadiam de sacramento dederit, & sacramentales dicti fuerint, & postea ipse, qui nominatus est, cum ad sacramentum venerit, & Evangelia posita fuerint, se subtrahere voluerit, ut sacramentum rumpatur, sic ut in anteriori Edicto legitur, tunc præbeat prius ille, qui jurare debet, ad sacramentales suos sacramentum, quod cum eis munditer juret. (1) Et si sacramentales ipsi jurare noluerint, & se aliquis subtrahere voluerit, ut ille caussam suam qui jurare debuerit, perdat; jubemus, ut manifestare debeat ipse sacramentalis, qui se subtrahere voluerit, certam veritatem, pro qua caussa jurare minime præsumat. Et si manifestare noluerit, (2) sacramentum præbeat, quod nullum colludium habeat cum homine illo, qui sacramentum audire debuit; nisi quod pro anima sua timendo non præsumat sacramentalis esse; & ipse postea qui jurare debet, habeat spatium per XII. noctes ad perquirendos ipsos sacramentales, qui prope sunt. Equidem si de longinquo sunt, quomodo de Tuscia, vel de Austria, per noctes XXIV. quærat alium (3) sacramentalem, quem in loco ipsius ponat; & sic sacramentum deducat, ut wadiam dederit. Et si jurare ausus non fuerit, aut manifestare non potuerit, quidquid ipse, qui sacramentum interdixerit, damnum passus fuerit, de propriis rebus suis restituat ei. II. 55. 14.

IX. Recolimus (4) qualiter jam statuimus, ut qui hominem liberum occidere præsumserit, res suas in integrum perdat. Et qui se defendendo liberum hominem occiderit, componat secundum qualitatem personæ. Nunc autem statuere prævidimus, quomodo sit ipsa quantitas consideranda. Consuetudo enim est, ut pro minima persona, quæ exercitalis homo invenitur esse, CL. solid. componantur, & pro eo, qui primus est, CCC. solid. (5). De gasindiis vero nostris volumus, ut quicumque ex minimis occisus fuerit (6) in tali ordine, pro eo quod nobis deservire videtur, CC. solid. fiat compositio: majores vero secundum quales personæ fuerint, ut in nostra consideratione, vel successorum nostrorum debeat permanere, quomodo ipsa compositio usque ad CCC. solid. debeat ascendere, amplius non. I. 9. 21.

X. Si quis testimonium falsum contra quemcunque reddiderit, aut in carta falsa sciens (7) manum posuerit, & ipsa fraus manifesta fuerit, componat widrigilt suum, medium Regi, & medium ei, cujus caussa fuerit. Et si talis persona fuerit, quæ non habeat unde componat (8), tunc Publicus debeat eum dare pro servo in manu ejus, cui culpam fecit; & ipse eidem serviat sicut servus. Et ipse, qui alium rogat testimonium falsum dicere, aut pro caussa sua manum in carta falsa ponere (9), sic componat, sicut testes ipsos falsos jussimus compo-

(1) Cod. Esten. *tunc illi prius præbeat sacramentum, qui jurare debet, ad illos sacramentales suos* (sequitur etiam Cod. Cathedr. Mutin.) *quod cum eo munditer jurent. Et si sacramentales ipsi audire noluerint, & si aliquis in omnibus subtrahere quæsierit: tunc ipse caussam suam, qui jurare debuerit, non perdat.* Nempe *Sacramentales* testes erant, qui coram Judice affirmabant ad sacra Dei Evangelia, & jurabant, se credere, reum quempiam, sive accusatum, aut ipsum actorem, sive accusatorem vera dixisse, quum juravit. Ac propterea *Conjuratores* quoque appellatos videas.

(2) Uterque Cod. Mutin. *Et si manifestare minime potuerit*, (sequitur Cod. Esten.) *præbeat sacramentum, quod nullum concludium habeat factum cum homine illo, qui sacramentum audire debet, nisi pro anima sua timendo* (*nisi animam suam salvandum*, habet Codex Cathedralis). Infra Cod. Ambros. pro *Austria* habet *Neustria*.

(3) Cod. Esten. *Et quærat sibi alium* &c. Infra: *sicut Wadiam dedit*. In fine Cod. Cathedr. Mutin. *cui sacramentum in terra juraverit, damni passus* &c.

(4) In utroque Codice Mutin. legitur: *Reminiscimur enim, qualiter*. Infra iidem Codices: *sic ipsa qualitas consideranda*. Ita & Ambros.

(5) Cod. Esten. *componat, qui eum occiderit, & qui priores sunt, CCC. solidos*. Codex vero Cathedr. Mutin. *& qui primus est, CC. solidos*. Sequitur *de Gasindiis*, hoc est, iis, qui famulatum nobis præstant & familiares nostri sunt. Nunc *Cortigiani*. Et fortasse latius ea vox excurrebat, complectens quoscumque Regi servientes a primo ad ultimum.

(6) Cod. Esten. *ut quicumque minimus sit* (*minores sunt*, legitur in altero Codice); tum uterque Cod. *& in tali ordine occisus fuerit, pro eo quod nobis deservire videtur* (*deserviunt*, habet alter Codex) *CC. solidis fiat compositus. De majoribus vero, secundum qualis persona fuerit*. Et in fine: *quousque ad CCC. solidos ipsa compositio debeat ascendere*.

(7) In ambobus Mss. Mutinen. legitur: *contra quemcumque hominem reddiderit, aut in chartula falsa se sciente manum posuerit, & ipsa fraus manifestata fuerit*.

(8) Uterque Cod. Mutin. *unde componere possit, tunc Publicus debet eum dare pro servo in manu ejus, cui culpam fecit, & ipse ei deserviat* &c. *Publicus*, id est, Minister Regis, uti Comes, Gastaldius &c.

(9) Cod. Esten. *in chartula falsa ponere fecerit*, (sequitur Cod. Cathedr. Mutin.) *componat, sicut & ipsi falsi testes, quos jussimus componere, pro eo quod ipsum malum per ipsum fuit inchoatum*. Paria habet Cod. Esten.

ponere ; pro eo , quod ipſum malum per ipſum fuit inchoatum. II. 51 1.

XI. De eo præcipimus (1) qui filiam in caſa habuerit in capillo , & filium non reliquerit legitimum, ut de rebus ſuis amplius per nullum titulum cuicumque per donationem , aut pro anima ſua facere poſſit , niſi partes duas ; tertiam vero relinquat filiæ ſuæ , ſicut glorioſiſſimus Rotharis Rex inſtituit . Quia qui thinx facit , & poſtea filia naſcitur, in tertiam partem ipſum thinx rumpitur , ſecundum anterius Edictum : & ſi duæ fuerint , aut amplius , in medietatem. Ideo dum ipſum Edictum loquitur de thinx, quod eſt donatio, nobis comparuit, quod per nullam donationem, nec per launechild , poſſit filiam ſuam de ipſa tertia portione ſubſtantiæ ſuæ exheredem facere . Et ſi duæ aut amplius fuerint , de medietate. II. 20. 1.

XII. De libero homine , qui uxorem de ſervo aut aldio ſuo , vivente ipſo marito , (2) tulerit , & filii aut filiæ exinde nati fuerint , nullatenus ei heredes ſuccedant . Sed nec libertatem ſuam habeant , nec per ullum ingenium eis de rebus ſuis aliquid facere poſſit ; quia in dubium venit cauſſa ipſa, cujus filii aut filiæ fuerint , quia non ambo vivunt (3) , & dominus & ſervus , qui ante habuit, & poſtea tulit. I. 32. 4.

De Cautione. (Cod. Ambr.)

XIII. Si quis alii cautionem fecerit , & non ei obligaverit nominative de rebus ſuis, niſi dixerit in ipſa cautione, in quibuſcumque locis de rebus ſuis potuerit invenire , & poſtea vendiderit ad alium hominem (4), habeat ipſe, qui eas emit: nam ſi obligatæ fuerint nominative , non eas poſſit vendere, dum uſque ipſam cautionem ſanaverit. Et qui cautionem facere voluerit , aut nominative obliget de rebus ſuis, qualiter inter eos convenerit , aut faciat ipſam cautionem de tantis rebus, quantum in illa die ſolidi ipſi fuerunt. II. 21. 21.

XIV. De aldionibus, qui de perſonis ſuis aldiones (5) ſunt, ſi aliqua compellatio facta fuerit, patroni eorum eos defendant per ſacramentum, aut per pugnam , juxta qualis cauſſa fuerit. II. 44. 1.

XV. Si aldius cujuſcumque in caſa alterius neſciente (6) domino ſuo fugerit ; quum inventus fuerit, ſic debet dare homo ipſe , qui eum habuerit, operas, quomodo de ſervo. I. 25. 53.

XVI. (7) Si inter fratres per XL. annos poſſeſſio fuerit (8) de rebus, ſeu de caſis, vel de terris, quæ indiviſæ ſunt, vel inter parentes, qui per XL. annos poſſedit, qualiter præſumit dicere , per ſacramentum ad ſancta Dei Evangelia affirmet, quod de avo , aut de patre , aut de fratre , aut de aliquo parente ipſas res ſuas habeat factas, aut per donationem, aut commutationem , aut per æſtimationem, aut per comparationem , aut quomodo præſumſerit dicere aut affirmare : & liceat ei ipſas res poſtea illibatas habere , & poſſidere. Aliæ vero res, quæ diviſæ fuerint inter fratres , ſeu nepotes, vel ubi menſura tracta eſt, ſortes ſtantes adæquentur . Nam ubi per XL. annos menſura minime ambulaverit, & cauſſa probata fuerit , quod jure quieto poſſediſſet , ſicut ſupra legitur , per ſacramentum finiatur , excepto ſi communiter aliquid poſſediſſet. II. 35. 7.

De cauſſa quæ per pugnam quæritur. (Cod. Ambroſ.)

XVII. Si quis alium aſto animo compellaverit de pugna , quæ (9) fieri ſolet per pravas perſonas, præbeat ſacramentum ipſe, qui

(1) Cod. Eſten. *De eo, qui filiam in capillo in caſa habuerit , & filios non reliquerit legitimos , ut de rebus* &c. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *ſicut a glorioſo Rothari Rege inſtitutum eſt . Quia quando thinx facit* . Cod. Eſten. *quia qui thinx facit, & poſtea filia naſcitur in tertia parte* &c. Infra idem Codex : *Ideo , dum in ipſo Edicto legitur de thinx* &c.

(2) Cod. Eſten. *aut de aldione ſuo , vivente ipſo ſervo , aut aldione* &c. Cod. Cathedr. habet: *vivente ipſo marito.*

(3) Cod. Eſten. *cujus filii aut filiæ ſint , quando ambo vivunt* . Cod. vero Cathedr. *cujus filius aut filia ſi quando vivant* . In fine Cod. Eſten. *qui ante habuit eam , & poſtea tulit* .

(4) Cod. Eſten. *vendiderit alii homini de rebus ſuis, habeat ipſe eas, qui emit* . Infra uterque Codex: *ipſam cautionem non ſanaverit* .

(5) Ergo Aldiones nonnulli erant ſuis perſonis adhuc obnoxii dominis, a quibus fuerant manumiſſi ; & alii, qui tantum ad onera quædam realia obligabantur.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *ſine notitia domini ſui fugerit , cum invenerit eum dominus ejus* &c.

(7) Ita ſcribere pergo , Eſtenſem Codicem ſequutus . Verum hic finem habere Librum VI. Legum Liutprandi, & Septimum inchoari, Ambroſianus Codex Ms. evincere videtur; nam poſt Legem XV. fragmentum hoc ibi legitur : *Explicit Edictum Anni XIV. Incipit Edictum Anni XVI. . . . Capitulo , & mos ſcilicet Regni noſtri, Deo largiente , Quarto decimo die Kal. Martiarum Indictione Nona, quia etiam & Judicibus & fidelibus noſtris de partibus Auſtriæ & Neuſtriæ nobiſcum adfuerunt , & hic omnia inter ſe conlocuti , & nobis renuntiantes, nobiſcum pariter ſtatuerunt atque definierunt, & cum præſentalibus ſuis Capitula iſta relecta omnibus placuerunt, & præbentes aſſenſum ſtatuerunt nobiſcum, ut nihilominus per ordinem ſcribantur.* Ergo quæ Leges hinc decurrunt , ſpectant ad Annum 726. & hinc Liber novus exordium ſumit.

(8) Codex Cathedr. *Si quis inter fratres per XL. annos poſſeſſor fuerit* . Infra Cod. Eſten. *aut de patre , vel matre , vel de fratre , aut qualis parens fuerit* . Infra Cod. Cathedr. *aut quomodo auſus fuerit dicere* . Codex vero Eſten. *aut quomodo præſumit dicere , aut firmare* . Et inferius Cod. Cathedr. *poſtea ipſas res in libertate poſſidere* .

(9) Cod. Eſten. *quod fieri ſolet per pravas perſonas* . Improbatur hic iniquus compellandi uſus *ad pugnam* , quod poſtea Italica Lingua dixit, *sfidare a duello*. Attamen verum amo. Toties in ipſis Langobardorum , uti & aliarum

qui compellat, ſolus, & dicat juratus, quia non aſto animo eum per pugnam fatigare quærat, niſi quod certam habeat ſuſpicionem, ſive de furto fuerit, ſive de incendio, aut unde ipſa compellatio agitur. Et ſi hoc juraverit, poſtea vadat exinde ad pugnam. Si autem minime jurare præſumſerit, non ſit ipſa cauſſa per pugnam judicata atque finita. II. 55. 15.

XVIII. Si quis liber homo ad alium liberum hominem conſilium dederit de perjurare, aut caſam alienam incendere, ubi homo cum rebus ſuis inhabitat, aut mulierem alienam, aut puellam tollere, aut rapere, & cauſſa approbata fuerit, componat pro illicito conſilio, quod contra rationem miniſtravit, ſolid. c. Ita ſane ut inter iſta Capitula quæ dicimus, unde compoſitio per ipſum datur, qui ipſum malum fecit, ſolid. DCCCC., ipſe conſiliator componat ſolid. c. Et unde compoſitio fit de ſolidis CCC., conſiliator componat ſolidos L. Et ſi minus de ſolidis CCC. fuerit ipſa compoſitio, conſiliator componat ſolidos XL., minus non. Medium ex iſtis capiat Palatium Regis, medium is, (1) cujus cauſſa fuerit. Et ſi ipſe de quo dicitur, quod iſta mala conſiliatus fuerit, vetare voluerit, quod tale conſilium non dediſſet, præbeat ſacramentum cum legitimis ſacramentalibus ſuis, juxta qualis cauſſa fuerit, & ſit ſolutus a culpa; nam per pugnam non fatigetur. Nam ſi rei veritas manifeſta fuerit, componat ut ſupra. I. 4. 1.

XIX. De donatione, quæ ſine thingatione, (2) aut ſine launechild facta eſt, minime ſtare debet: quia etſi ſpecialiter in Edicto ſic non fuit inſtitutum, tamen uſque modo ſic fuit judicatum. Ideoque pro errore tollendo hoc ſcribere in Edicti pagina juſſimus, ut qui fuerint propinqui parentes, ipſi ſuccedant. Et ſi ipſi ſuperſtites fuerint, qui ipſam donationem ſine launechild dederint, poſſint eam ſibi (3) recolligere; excepto ſi in Eccleſia, aut in loco ſacro, aut in Xenodochio pro anima ſua aliquid quiſpiam donaverit, ſtabile debeat permanere. Quia in loco Sanctorum, aut in Xenodochio, nec thinx, aut launechild impedire debet, eo quod pro anima ſua factum eſt. II. 15. 5.

De juſſione (ſive diviſione) de rebus infantis. (Cod. Ambr.)

XX. Si infans dum infra ætatem eſt, res ſuas cum fratribus, aut cum parentibus ſuis (4) dividere voluerit, aut ſi ipſi cum ipſo infante dividere voluerint, faciant judici notitiam; & ipſe judex faciat venire parentes ipſius propinquos, ut una cum ipſis, aut per ſe, aut per miſſum ſuum, bonam perſonam, Deum timentem, res ipſas dividant (5); ſic tamen, ut omni tempore ſortes ſtare debeant, & adæquatio percurrat. II. 29. 3.

XXI. Si infans, dum infra ætatem eſt, cauſſam habuerit cum qualicumque homine, ſimiliter faciat judex parentes ipſius venire propinquos, & accedat ad locum cum ipſis parentibus, & deliberet cauſſam ipſam per juſtitiam, & faciat notitiam (6) in quorum præſentia cauſſam ipſam deliberaverit; & judicatum ſuum emittat, ut ipſe, qui cauſſam ſuam quærit, non perdat juſtitiam ſuam, pro eo, quod ipſe infans infra ætatem eſſe videtur. Judex autem quomodo ordinaverit, aut qualiter fecerit cauſſam in his Capitulis, de eo qui infra ætatem eſt, habeat retributorem Deum omnipotentem, (7) ſive in bono, ſive in malo. Et miſſus ille, quem judex direxerit, pro diffiniendis cauſſis, quas ſupra diximus, ſi in aliquam partem in fraudem cor ſuum declina-

---

rum Gentium Legibus, ſingularia certamina proponuntur, ut hic eos ſolum argui putem, qui ex malignitate colorata cauſas conquirebant, ut ad ſingulare certamen alterum cierent. Verum nemo pugnam ſuſcipere cogebatur, niſi præſtito prius juramento a compellante, ſe non *aſto animo*, hoc eſt, doloſo animo, neque ſine juſta cauſa pugnam appetere.

(1) Cod. Eſten. *ſoldos XL. minus vero non. Medietatem ex omnibus iſtis Capitulis in Palatio Regis, & medietatem cujus cauſa fuerit*. Cod. vero Cathedr. Mutin. *ſolidos XL. minus non. Medietatem omnia de ſupraſcriptis Capitulis in Palatio Regis* &c. Infra Cod. Eſten. *quod iſta mala conſiliaſſet*.

(2) Hæc ita in Cod. Cathedr. Mutin. leguntur: *De donationibus quæ ſine Launigild, aut ſine commutationibus, ſtare non debeant*. In Eſtenſi: *ſine Launechild, aut ſine obingatione*: quam vocem corruptam puto. Papias in Gloſſis exponit *thingationem* pro *mutua donatione*. At quid *thingatio* diverſa fuiſſet a *Launechild*? Quum enim quis alicui donationem faciebat prædii aut alterius alicujus rei, uti ſupra innui, donatus & ipſe aliquod aliud munus rependere donanti debebat. Hoc autem donum retributum *Launechild* appellabatur. Vide exempla in Antiquitatib. Eſtenſib. Cap. 25. pag. 252. & Cap. 27. & Du-Cangium in Gloſſar. Latino.

(3) Audi Codicem Cathedr. Mutin. parum diſſimilem ab Eſtenſi: *Ut qui fuerit propinquus parens, ipſe ſuccedat. Et ſi ille ſuperſtes fuerit, qui ipſam donationem ſine Launigild dedit, poſt ſe debeat recolligere*, Cod. Eſten. *poſſit eam ad ſe recolligere*. In fine: *Quia in loca Sanctorum* &c. *impedire debet quod pro anima* &c. Et ſane in donationibus Eccleſiæ factis *Launechild* non memoratur.

(4) Cod. Eſten. *aut cum parentibus ſuis*. Alter. Cod. *cum fratribus ſuis, aut conſobrinis ſuis*.

(5) Cod. Eſten. *Deum timentem res ipſas dividat*. In fine: *& æquatio currat*.

(6) Codices Mutinen. *& faciat notitiam exinde in quorum præſentia* &c. Hic *notitiam faciat* potius quam *notum facere* ſignificare videtur, præcipiat, *ut charta*, ſive inſtrumentum ſcribatur. Ita & quod ſubſequitur, *judicatum emittat*, indicare videtur, literis tradere ſententiam a ſe promulgatam.

(7) Cod. Eſten. *habeat remunerationem a Deo omnipotente*. Infra: *ut ille infans damnum patiatur*. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *de proprio ſuo reſtituat*. Codex vero Eſten. *reſtauret ipſi infanti quod* &c.

naverit, aut fecerit ea quæ opportuna non ſunt, ut infans damnum habeat, qui infra ætatem eſt, & non fecerit æqualitatem, & probatum fuerit, quod fraudem feciſſet, aut colludium contra ipſam infantem ſtatuiſſet, de proprio ſuo reſtauret, quod fraudulenter diviſit. Hoc autem ideo proinde dicimus, ut infans ille, qui cauſſam ſuam neſcit legitime procurare, damnum non habeat. II. 29. 4.

XXII. Religioſa femina, quæ veſtem (1) & habitum ſanctæ religionis in ſe ſuſceperit, ſi contigerit ex peccato, ut adulterium voluntarie committat, quicumque ipſam ſanctimonialem feminam adulteravit, componat ſolid. CC. quia de ſecularibus feminis Edictum continet, ut componantur pro adulterio ſolid. C. Et nos proſpeximus veram eſſe juſtitiam, ut Dei (2) omnipotentis cauſſa, & Sanctæ ejus Genitricis Mariæ, cujus veſtem ſuſcepit, duplicetur. De pecunia autem ejuſdem religioſæ feminæ, quæ (quod abſit) voluntarie adulterium perpetravit, ſic fiat, ſicut jam (3) antea de religioſis feminis ſtatuimus, quæ ſe marito copulaverint. II. 37. 2.

XXIII. Si duo fratres, aut ſi pater & filius thingati fuerint (4), ſi unus ex ipſis ſine filiis, vel filiabus mortuus fuerit, Curtis Regia ei ſuccedat. Ideo autem hoc ſcripſimus, quia etſi affixum in Edicto proprie non ſit, tamen omnes judices, & fideles noſtri ſic dixerunt, quia cadarfreda (5) antiqua tunc ſic fuiſſet. II. 14. 25.

XXIV. De poſſeſſione, quam aliquis (6) de publico habet, & per XL. annos quietus poſſedit, liceat eum & in antea ſine aliqua moleſtatione habere, & poſſidere. Hoc autem ideo ſtatuimus, quia poſſeſſio aliorum hominum, ſecundum Longobardorum legem, in XXX. annis finitur. Cauſſas quidem Regales, unde compoſitio exſpectatur, duplicatas ſtatuit deceſſor noſter Rotharis Rex componere. Propterea nobis rectum cum noſtris judicibus comparuit eſſe, ut etiam in iſta cauſſa de poſſeſſione duplicentur ipſi anni, ut fiant LX. Et ſi judex, aut Actor noſter, ipſum, qui poſſeſſionem talem habet, pulſaverit, quod ipſam rem injuſte poſſediſſet, aut invaſiſſet, & non ſint completi LX. anni; tunc ille, cujus poſſeſſio eſt, dicat juratus ad ſancta Dei Evangelia, aut de ſe, aut de patre, aut de avo, quod ipſa res per Principem, qualem auſus fuerit nominare, data fuiſſet; & ipſe, aut parentes ejus, per LX. annos poſſediſſet, nec eam per legem dimittere debeat, & ſit poſtea ſecurus. Et ſi hoc facere auſus non fuerit, aut forte Gaſtaldius aut Actor probare potuerit, quod completa LX. annis poſſeſſio iſta non ſit (7); & veritas apparuerit, quod de publico fuiſſet, aut oſtendat præceptum, aut amittat rem ipſam in publico, ſi LX. anni in ipſa poſſeſſione non fuerint completi. Et ſi forſitan aliquis de ſervo aut aldione Domni Regis comparaverit, & probata cauſſa fuerit, relaxet ipſam rem in publico: quia de ſervo aut aldione Regis poſſeſſio venditionis eſſe non debet, ſicut nec de aliorum ſervis aut aldionibus. II. 35. 8.

XXV. De eo homine, qui caballum in mercato comparare voluerit, ut ante duos vel tres homines eum emere debeat, & non (8) ſecrete. Et ſi aliquis poſtea ipſum caballum cognoverit, habeat teſtimonium, in quorum præſentia comparaverit, & ei poſtea furti calumnia non fiat. Et ſi ad iſtos teſtes non crediderit, qui furtum quærit, firment ipſi teſtes per ſacramentum; excepto ſi tales perſonæ fuerint, quibus aut Rex, aut judex ſine ſacramento credere poſſit. Et ſi homines non habuerit, in quorum præſentia comparavit, niſi ſimpliciter dixerit, quod comparavit de Franco, aut neſcio a quali homine, componat ipſum caballum pro furto. II. 28. 2.

XXVI. De furtis, unuſquiſque (9) judex in civitate ſua faciat carcerem ſub terra, & cum inventum fuerit ipſum furtum, comprehendat eum, & mittat in ipſo carcere

---

(1) In Cod. Cathedr. Lex iſta ab his verbis exordium ducit: *Si qua veſtem & habitum*. In Eſten. *De Religioſa femina* &c. *in ſe ſuſcepit, ſi contigerit* (ſequitur alter Codex) *pro peccatis, ut adulterium*.

(2) Cod. Eſten. *ut in Dei omnipotentis cauſa* &c. *cujus veſtem ſuſcipiunt* &c.

(3) Idem Cod. *ſanctimonialis feminæ, quæ, quod abſit, voluntarie* (ut in Cod. Cathedr.) *adulteraſſet, ſic fiat, ſicut in anteriori Edicto* (Cod. Cathedr. habet, *in anteriore Capitulo*) *legitur, quæ jam antea* &c.

(4) Hoc eſt, *per thinx manumiſſi fuerint, libertate eis donata*. Vide ſupra Legem CCXXV. Rotharis. Infra Cod. Eſten. *Ideo autem hæc in Edicto proprie non fuit*.

(5) In Cod. Cathedr. Mutin. *quod Warfrida antiqua*. In Eſtenſi: *quod per cadarfi*, id eſt *antiquitus, uſque nunc fuiſſet judicatum*. *Cadarfredam* Boherius, & alii explicant *conſuetudinem*, & uſum; judicatum nempe fuerat ex conſuetudine & uſu de hac re uſque ad Liutprandi tempora, non autem ex lege.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *qui aliquid de Publico*, id eſt de rebus ad Regem ſpectantibus. Infra *quictus & quieto* habent Codices Mutin.

(7) Cod. Eſten. *quod completi LX. anni in poſſeſſione ipſa non ſint*. Infra: *Et ſi forſitan aliquid de ſervo*. Alter Cod. *de ſervis, aut aldionibus Regis*.

(8) Codices Mutinen. *Nam non ſecrete*. Infra: *quod comparaſſet de Franco, aut neſcio unde, aut de quali homine*. Ita Cod. Cathedr. Alter vero: *quod comparaſſet de extraneo, aut neſcio de quali homine*.

(9) Cod. Eſten. *De furonibus, ut unuſquiſque*. Alibi quoque fures appellatos videas *furones*. Cod. Cathedr. Mutin. abſque titulo ſupraſcripto ita exorditur hanc Legem: *Unuſquiſque Judex* &c. *& cum inventus fuerit fur* (ſequuntur ambo Codices) *ipſum furtum componat, & comprehendat ipſum furonem, & mittat in ipſo carcere* (ſeu *mittat ipſum in carcere*) *uſque ad annos* &c.

cere ad annos duos vel tres, & poſtea dimittat eum ſanum. Et ſi talis perſona fuerit, ut non habeat unde ipſum furtum componere (1) debeat, judex debet eum dare in manibus illius, cui furtum fecerit, & ipſe de eo faciat, quod voluerit. Et ſi poſtea ipſe iterum in furto tentus fuerit, decalvet eum, & cædat per diſciplinam, ſicut decet furem, & ponat in eo ſignum in fronte & in facie. Et ſi nec ſic emendare voluit, & poſt ipſas diſtrictiones in furto tentus fuerit, vendat eum foris provinciam, & habeat ſibi (2) pretium ipſius, verumtamen ut probata cauſſa ſit, & non eum ſine vera probatione debeat vendere. I. 25. 54.

XXVII. Si quis homo caballum perdiderit, aut aliam qualemcumque rem, vadat ad judicem, qui in loco poſitus eſt, ubi ipſum furtum factum fuerit (3), & dicat ei omnia, qualiter ei contigerit; & ſi judex neglectum fecerit ad inquirendum ipſum furem, componat de ſuo proprio. Et ſi dixerit, quod neglectum non feciſſet, præbeat ſacramentum, quod ad inquirendum (4) neglectum non feciſſet, niſi quod invenire non potuiſſet. Et ſi juraverit, ſit abſolutus. Quod ſi jurare auſus non fuerit, componat ipſum furtum de ſuo proprio. I. 25. 55.

XXVIII. Si quis carrum, & boves (5) in ſilva ſua invenerit, & lignamen ſuperpoſitum, aut qualicumque re oneratum, & ipſos boves aut carrum comprehenderit, & ad propriam ſuam caſam duxerit, non ſit culpabilis pro eo, quod in rebus ſuis invenerit. I. 23. 5.

XXIX. De omnibus judicibus, quando in exercitu ambulandi neceſſitas fuerit, non mittant (6) alios homines, niſi tantummodo, qui unum caballum habuerint, hoc eſt homines VI. (7) tollant ad ſaumas ſuas ipſos caballos ſex: & de minoribus hominibus, qui nec caſas, nec terram habeant, mittant homines X. & ipſi homines ad ipſum judicem faciant per hebdomadam unam operas tres, uſque dum ipſe judex de exercitu revertatur. Sculdaſius vero dimittat tres homines, qui caballos habeant, ut tollant ad ſaumas ſuas ipſos caballos tres: & de minoribus hominibus dimittant V. qui faciant ei operas, uſque dum ipſe reverſus fuerit, ſicut ad judicem diximus, per hebdomadam unam operas III. Saltarius, qui caballum unum tollat, & de hominibus minimis, qui ei operas faciant, tollat hominem unum, (8) & faciant operas, ſicut ſupra legitur. Et ſi amplius, aut judex, aut Sculdaſius, & Saltarius dimittere præſumſerit homines, ſine Regis permiſſu, aut ejus juſſione, qui ad exercitum ambulare deberet (9), componat widrigilt ſuum in ſacro Palatio. Hæc autem omnia ſuperius comprehenſa, quæ antea per judicem (10) finita & ſtatuta ſunt, & terminus poſitus eſt, ſic maneant, ſicut jam antea ſtatuta ſunt: quæ autem modo emerſerint, ſic terminentur, ſicut nunc in præſenti pagina affiximus. I. 14. 7.

De Magicis.

XXX. Si quis timoris Dei immemor, ad ariolos vel ad ariolas, pro aruſpicibus, aut qualibuſcumque reſponſis accipiendis (11), ambulaverit, componat in ſacro Palatio medium

(1) Rectius in Ms. Eſten. *componere poſſit, debeat eum Judex dare in manu ipſius, cui ipſum furtum fecit*. Infra: *ſicut decet* (ſeu *debet*) *furonem*, ut habet alter Codex, *& ponat ſignum in frontem & faciem: & ſi ſic non emendaverit*. Ergo apud Langobardos candenti ferro ſignabantur in fronte ac genis fures, tum in pœnam delicti, tum ut ab iis dimiſſis reliqui in poſterum ſibi caverent: id in uſu fuit & apud alias gentes. Verum Conſtantinus Magnus *l. ſi quis in metallum*, Cod. Theodoſian. & Juſtinian. de Pœnis vetuit, ne in damnati *facie ſcribatur, quum & in manibus* (hoc eſt, in brachiis) *& in ſuris poſſit pœna damnationis una inſcriptione comprehendi*, ne facies, *quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis eſt cœleſtis figurata*, maculetur. Vide infra Legem XLIV. & LXXXIV. Caroli Magni. Certe multa pro hoc uſu, & contra, dici poſſent.

(2) In Cod. Eſten. *vendat eum Judex foris provincia, & habeat ſibi Judex pretium* &c. uti & in altero Codice.

(3) Cod. Eſten. *ubi furtum factum fuerit*. Infra uterque Cod. *ad inquirendum ipſum furtum, componat de proprio ſuo ipſum furtum*.

(4) Idem Cod. *quod nullum neglectum feciſſet, præbeat ſacramentum, quod neglectum ad inquirendum ipſum furtum non feciſſet*. In fine ambo Codices: *componat ut ſupra ipſum furtum de proprio ſuo*.

(5) Cod. Eſten. *Si quis carra & boves*. Cod. Cathedr. Mutin. *Si quis carrum & boves & lignamen ſuperpoſitum, in ſilva* &c.

(6) In ambobus Codicibus Mutinenſ. hæc ita leguntur: *quando in exercitum ambulare neceſſe* (*neceſſitas*, alter ex eis) *fuerit, non dimittant* &c. Hoc eſt, non ſinant domi remanere, niſi qui *unum caballum* habent. Neque hos omnes immunes ab exercitu relinquere licebat, ſed ex iis paucos tantum, ut infra.

(7) In utroque Ms. Mutin. *hoc eſt homines ſex, & tollant ad ſaumas ſuas* &c. Hinc Italica vox *ſoma*, imo & *ſalma*, & *ſalmeria*. Infra Codices iidem: *De minoribus hominibus, qui nec caſas, nec terras ſuas habent*.

(8) In utroque Cod. Mutin. *Saltarius quidem caballum unum, & de minoribus hominibus tollat hominem unum, qui ei operas faciat, ſicut ſupra legitur*. Atque hinc intelligis, *Saltariorum* officium non contemnendum fuiſſe, quando & ipſi eodem privilegio ac Judices, ſive Comites, & Sculdaſii, ſive minores Judices, fruebantur, quamquam leviori menſura. Cæterum omnes viri ad arma apti, ipſique Regis Miniſtri, omnes, quum res poſcebat, ad exercitum procedere cogebantur.

(9) In Cod. Eſten. *ambulare debent*.

(10) Eſten. Cod. *quæ antea per judicium finita, aut ſtatuta ſunt, & terminus poſitus eſt, ſic maneant, ſicut jam antea ſunt ſtatuta. Quæ autem amodo emerſerint, ſic terminentur* &c. Quæ verba concluſionem Libri alicujus, ſive Legum quarumdam a Liutprando promulgatarum, indicare videntur.

(11) Cod. Eſten. *aut ariolas, vel aruſpices, aut alios qualeſcumque, reſponſum ab illis ad acci-*

dium pretii ſui, ſicut appretiatus fuerit, tamquam ſi eum aliquis occidiſſet: & inſuper agat pœnitentiam ſecundum Canonum inſtituta. Simili modo & qui ad arborem, quam ruſtici Sanguinum vocant, atque ad fontanas adoraverit, aut ſacrilegium (1), vel incantationem fecerit, ſimiliter medium pretii ſui componat in ſacro Palatio. Et ſi quiſcumque ſciens ariolum vel ariolam, & non eas manifeſtaverit, aut ipſos celaverit, qui ad ipſos ariolos aut ariolas vadunt, & non manifeſtaverit, prædictæ pœnæ ſubjaceat (2). Qui autem ſervum ſuum aut ancillam, ad ipſos ariolos aut ariolas, ad aliqua reſponſa ab eis accipienda tranſmiſerit, & probatum fuerit, pœnam componat. Si vero (3) ſervus aut ancilla ſine voluntate dominorum ſuorum, & tantum ſua auctoritate ad ariolum aut ariolam ambulaverit, ſimiliter ad aliqua reſponſa accipienda, tunc dominus eorum venundare eos debeat foris provinciam. Et ſi neglexerit dominus eorum hoc facere, ſupra ſcriptæ pœnæ ſubjaceat. II. 38. 1.

XXXI. Si quis judex, aut Sculdais, aut Saltarius, vel Decanus, de loco, ubi arioli aut ariolæ fuerint, neglexerit amodo intra tres menſes eos inquirere, & invenire, & per alios homines inventi fuerint, tunc componat unuſquiſque de loco medium pretii ſui, ſicut ſupra lex eſt (4). Et ſi manifeſtum fuerit, quod ſciat judex, aut Sculdais, & Saltarius, & Decanus, ubi ipſi arioli, aut ariolæ ſunt, & eos non condemnaverit, aut præmium tulerit, aut quaſi cauſſa pietatis, vel pro qualicumque ingenio abſolverit, integrum widrigilt ſuum in Palatio (5) componat. Nam ſi per judicem inquiſiti fuerint, ſine notitia Sculdais, tunc habeat ipſe judex poteſtatem foris provinciam eos vendendi, & pretium ſibi tollendi, atque habendi (6). Nam ſi per Sculdaem inventi fuerint, medium de ipſo pretio tollat judex, medium Sculdais. Et ſi Decanus aut Saltarius ipſos ariolos aut ariolas, vel ſupra ſcriptos ſacrilegos invenerit, & Sculdai ſuo manifeſtaverit, tunc tertiam partem ipſe Saltarius, aut Decanus per quem inventi fuerint, de ipſo pretio, habeat ſibi, & duas partes tollat ipſe Sculdais. Et inſuper (7) proſpeximus, ut unuſquiſque judex & Sculdais mittere faciat præconem, ut quicumque modo non faciant, aut ſi amodo non fecerint, non vadant venales. Nam ſi poſt ipſum præconem in talibus operibus malis inventi fuerint, pœnæ (8) ſubjaceant. Et ita volumus, ut unuſquiſque Sculdais, aut Saltarius, atque Decanus jurare debeat judici ſuo ad ſancta Dei Evangelia, quod in iſta cauſſa nullum neglectum ponant. Quia juſtum eſt, ut dum in iſta (9) cauſſa neglectum ponere non præſumunt, nec nobis celare eos, qui contra nos agunt, aut conſiliantur, quanto magis non debent neglectum in cauſſa ponere, quæ amplius eſt inquirenda. II. 38. 2.

XXXII. Si quis caballum alienum in ſuum damnum invenerit, & juxta anterius Edictum ad clauſuram minaverit (10), & illam rationem fecerit, quam anterius Edictum continet, ſic exinde procedat judicium, ſicut glorioſiſſimus Rex Rotharis inſtituit. Nam ſi in ipſo caballo amplius aliquid facere præſumſerit, quam in anteriori Edicto legitur, ſi ipſe caballus nihil mali paſſus fuerit, componat pro illicita præſumtione, juxta qualis ipſe caballus fuerit, medium pretii, quantum ipſe caballus appretia-

---

cipiendum. Hariolos, incantatores, ac divinationibus operam dantes, perpetuo Leges Eccleſiaſticæ ac ſæculares inſectatæ ſunt. Vide Codicem Theodoſianum, Pœnitentiale Theodori Cantuarien. a Petito editum & auctum, & Reginonem de Eccleſiaſtic. Diſciplin. Lib. 3. Can. 347. & ſeqq.

(1) Eſten. Cod. *quam ruſtici Sanctivam* (*Sanctivum* habet Cod. Cathedr. Mutin.) *vocant* &c. *vel incantationem fecerit, ſimiliter medietatem* &c. In Concilio Nannetenſi Can. XX. memorantur *Arbores Dæmonibus conſecratæ, quas vulgus colit, & in tanta veneratione babet, ut nec ramum, nec ſurculum inde audeat amputare*. Sic & in præfato Pœnitentiali Theodori damnatur, *qui vota voverit, vel perſolverit ad Arborem*, Similia omitto. Vide Du-Cangium ad vocem *Arbores Sacrivi*.

(2) Uterque Cod. Mutin. *ſupraſcriptæ pœnæ ſubjaceat*. Infra: *iſtam pœnam componat*. Funeſta adhuc in Langobardorum gente reſtabant veſtigia idololatricæ ſuperſtitionis, atque ad ea evellenda Liutprandus Rex Catholicus & pius hanc & ſequentem Legem promulgavit.

(3) In Cod. Cathedr. hinc exordium capit Lex ab antecedente diſtincta, his verbis: *Si ſervus aut ancilla ſua auctoritate ad ariolum aut ad ariolam ambulaverit ad aliqua reſponſa recipienda, tunc* &c.

(4) Cod. Cathedr. *de loco ſuo medietatem pretii ſui, ſicut ſupra legitur*. In Cod. Eſten. minime legitur *de loco*. In reliquis conſonat cum altero Ms.

(5) Iidem Codices: *tunc in integrum Widrigild ſuum componat. Nam ſi per Judicem inquiſiti aut inventi fuerint ſine notitia de Sculdais* &c.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *eos vendendum, & pretium ſibi habendum*. Alter Cod. *& pretium ſibi tollendum atque habendum*.

(7) Cod. Eſten. *Et ita proſpeximus* &c. *ut quicumque ipſa nec dicenda opera egerint, ſive maſculus, ſive fœmina, amodo non faciant, ut, ſi amodo fecerint, non vadant venales*.

(8) Cod. Eſten. *ſupraſcriptæ pœnæ ſubjaceant. Et ita volumus, atque præcipimus, ut* &c.

(9) Cod. Cathedr. Mutin. *Dei Evangelia, quod in iſta cauſa nullum neglectum ponant, quia injuſtum eſt, dum in noſtra cauſa neglectum ponere non præſumant, nec nobis celare, qui contra Dominum agunt aut conſiliant: quanto magis non debeant neglectum in Dei cauſa ponere, quæ plus eſt ad quærendum?* Codex vero Eſten. hæc ita habet: *quod in iſta cauſa neglectum ponere non præſumant* &c. *qui contra nos agunt* &c. *in Dei cauſa ponere, quæ amplius eſt ad inquirendum?*

(10) In Cod. Eſten. *ad clauſuram menaverit*, ſive *minaverit*, ut habet Ambroſ. Codex. Infra: *Edictum anterius decernit*.

tiatus fuerit, & ipsum caballum restituat sanum domino ejus. Nam si ipse caballus mortuus fuerit, aut læsus sit, componat sicut in anteriori Edicto legitur, & insupér pro illicita præsumtione componat ut supra. I. 23. *6.*

XXXIII. Si quis cum servo, aut aldione, vel cum pertinente alieno (1), de qualicumque re convenerit, sine notitia domini sui, quod in anteriori Edicto continetur, & probatum fuerit, quod res domini sui naufragasset; tunc reddat ipsam rem, qui eam suscepit, absque pretio domino ejus: ita ut satisfaciat per sacramentum, quod amplius exinde non tulisset: & postea dominus ejus faciat de servo aut aldione suo, quod illi placuerit. II. 32. 5.

XXXIV. De servis fugacibus, unde quidem antea Capitulum istud affiximus (2), sed non est specialiter dictum, in quo spatio dominus ejus perquirere debeat, ut ei justitiam faciat, qui eum de servo compellat. Modo vero ita prospeximus, ut si fuerit in Benevento, aut in Spoleto, habeat spatium dominus ejus menses III. Quod si fuerit intra Tusciam, habeat spatium per menses duos. Si fuerit de ipsa parte Alpium, habeat spatium ad eum perquirendum in mensem unum: & faciat justitiam ei, qui eum de servo compellat. I. 25. *56.*

XXXV. Si quis conjugi suæ metam (3) dare voluerit, ita nobis justum esse comparuit, ut ille, qui est judex, dare debeat, si voluerit, (4) solid. CCC., amplius non, minus quomodo placuerit. Reliqui nobiles homines debeant dare solid. CCC. amplius non. Et si quiscumque alter homo minus dare voluerit, det quomodo convenit, & ipsa meta sub æstimatione fiat data & apTom. I. pretiata, ut nullo tempore exinde intentiones aut causationes procedant. II. 4. 2.

XXXVI. Si quis res alienas, casas, aut terras, vel pecunias, aut familias, malo ordine possederit, & per legem & justitiam, & per judicium, exinde convictus & expulsus fuerit, aliud exinde non componat, nisi de retro tempore reddat fruges & labores sub sacramento, ab illo die, quo exinde compellatio facta & manifestata est. I. 27. 7.

XXXVII. De Scribis hoc prospeximus, ut qui cartam scripserit (5), sive ad legem Longobardorum, quæ aptissima & pene omnibus nota est (6), sive ad legem Romanorum, non aliter faciant, nisi quomodo in illis legibus continetur. Nam contra Longobardorum legem, aut Romanorum, non scribant: quod si nesciverint (7), interrogent alios. Et si non potuerint ipsas leges plene scire, non scribant ipsas cartas. Et qui aliter præsumserit facere, componat widrigilt suum; excepto si aliquid inter conlibertos convenerit. Et si unusquisque de lege sua descendere (8) voluerit, & pactiones atque conventiones inter se fecerint, & ambæ partes consenserint, istud non reputetur contra legem, quod ambæ partes voluntarie faciunt: & illi, qui tales cartas scripserint, culpabiles non inveniantur esse. Nam quod ad hereditandum pertinet, per legem scribant: & quod de carta falsa in anteriori Edicto annexum est, sic permaneat. I. 29. 2.

XXXVIII. Si quis liber homo, in terra aliena residens libellario nomine (9), homicidium fecerit, & fuga lapsus fuerit, tunc ille, cujus terram ipse homicida laboraverit, aut inhabitaverit, habeat spatium mensis

L unius

(1) Cod. Cathedr. Mutin. *cum pertinente ad alienum* &c. Appellantur apud veteres servi *pertinentes*, quia ad jus domini pertinebant. Hic *pertinentes* sumitur latiori significatione pro obnoxiis juri alicujus, quo etiam nomine significabantur *Conliberti*, scilicet servi libertate quidem, sed non integra donati. Infra autem patet, agi hic de unis *Servis* ac *Aldionibus*. Sequitur uterque Cod. *sine notitia domini ejus: quod in anteriore Edicto non continetur*.

(2. Cod. Estens. *De servis fugientibus, quia jam Capitulum istud affiximus antea*. Infra: *in quali spatio dominus ejus eum* &c.

(3) Hoc est, nuptiarum causa donationem facere. Eadem vox repetita occurrit in aliis Legibus. Diversam autem rem fuisse puto a *Morgincap*: idque persuadere videntur Rotharis Leges CLXXXII. & CXCIX. Fortasse constituebatur *Meta* in tabulis nuptialibus, quando Sponsalia contrahebantur: *Morgincap* vero primò mane post consummatum matrimonium.

(4) Ita hæc leguntur in Cod. Esten. *voluerit, in solidos CCCC. amplius non. Et reliqui* &c. Infra: *alter liber homo minus voluerit dare, det quomodo convenerit*.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *ut nullus, qui chartulam scribit*. Cod. Esten. *ut qui chartulam scribit*. Hoc est, Notarii, sive Tabelliones.

(6) Hæc non leguntur in Cod. Esten. sed quidem in vetustissimo Cathedr. Mutin. ubi, *quoniam apertissima est* &c.

(7) Cod. Cathedr. Mutin. *Quod non sciunt, interrogent alteros*. Infra: *& qui aliter scribere præsumserit*. Habes infra *Conlibertos*, quo nomine arbitror non significari hic Servos libertate antea ab uno domino donatos, sed quidem homines ejusdem loci aut conditionis. Vide supra Legem II. Libri II. & Legem IX. Lib. V. Liutprandi, ubi eadem vox occurrit. Attamen Cod. Esten. hic habet non *conlibertos*, sed *conliberos*. Fortasse ita & alibi scribendum.

(8) Cod. Esten. *& quicumque de lege sua subdiscendere*. Editio Boheriana, *subdiscedere*. Codex Cathedr. Mutin. *Et quicumque de Lege sua discedere* (hæc omnium potissima lectio; tum sequuntur ambo Codices Mutinen.) *voluerit, & pactiones aut convenientias* &c. Infra: *voluntarie consenserunt*.

(9) Et nunc dicimus, *dare*, aut *tenere a livello*; quia libello porrecto villici prædium aliquod excolendum impetrabant, censum ac tributum annuum spondentes. Infra in Cod. Esten. legitur: *in cujus terra ipse homicida habitaverit, habeat* &c. Infra: *comprehendere & tradere in manu ipsius, cui homicidium fecit*. Inferius Cod. Cathedr. Mutin. *reddere debet medietatem de omnibus rebus mobilibus, excepto tectores*. In fine idem Cod. *& faciat exinde unum, qualem voluerit*.

unius ad ipſum hominem perquirendum: & ſi eum invenerit, habeat licentiam ipſum hominem, quamvis liber ſit, comprehendendi, & tradendi in manu illius, cui fecerit homicidium: & ſi hoc non fecerit, dare debet medium de omnibus rebus mobilibus, excepto lecto, quas in ipſa caſa habuerit ipſe homicida. Quod ſi neque facere voluerit, ipſe cujus terra eſt, dare debeat libellario nomine ipſam terram ei, cui homicidium fecerit, ut reddat ei exinde, ſicut reddebat, qui ipſum homicidium fecit. Tamen de his tribus Capitulis in illius ſit poteſtate eligendi, cujus terra eſt, & faciat exinde quod voluerit. I. *9*. 22.

XXXIX. Si quis mulierem, aut puellam (1) aut religioſam feminam, quæ in alterius mundio eſt, in ſacramentum mittere præſumſerit, componat Mundoaldo ejus ſolid. L. & in Palatio Regis ſimiliter quinquaginta. I. 33. 3.

XL. Si quis fream alienam (2) ſine voluntate Mundoaldi ejus movere de caſa, ubi ipſa habitat, præſumſerit, & alibi duxerit, componat ille, qui in capite eſt, pro illicita præſumtione ad Mundoaldum una ſolidos (3) LXXX. Et ſi ibi liberi homines cum ipſo fuerint, componat unuſquiſque per caput ſolid. XX. Servi autem in compoſitione domini ſui computentur. Nam ſi forſitan ipſe homo liber eſt, qui ipſam fream de caſa, ubi eſt, tulerit, & ſibi uxorem duxerit, ſic componat, ſicut glorioſiſſimus Rex Rotharis inſtituit in anteriori Edicto. II. 2. 4.

XLI. Si quicumque homo liber (4) ancillam ſuam pro religionis & munditiæ cauſſa veſtem religioſam induerit, ut ei (ſicut conſuetudo terræ iſtius eſt) ad offerendam oblationem per loca ſanctorum debeat portare; & contigerit ex peccatis, ut quiſpiam homo eam ad uxorem ducat: ubicumque inventi fuerint, ſeparentur, & componat ipſe, qui eam tulit uxorem, domino ejus ſolidos XL. & illa revertatur in priſtinum ſtatum (5). Quod ſi aliquis eam, (quod abſit) adulteraverit, ſimili modo componat domino ejus ſolidos XL. Quia anterius Edictum de gentili ancilla adulterata XX. ſolidos continet, ut componatur: de Dei quidem ancilla juſtum eſt, ut compoſitio duplicetur. Verumtamen ſic ſtatuimus, ut ſi probata fuerit cauſſa, id eſt per Presbyterum aut alium Clericum, quomodo ipſa veſte religioſa induta eſt, ut non fiat alicui homini calumnia pro figmento, ſed pro certa veritate: & dum probatio vera facta fuerit, ſic ipſa compoſitio fieri debeat. II. 37. 3.

XLII. Si quis pro cauſſa ſua aliquid Judici, vel ad qualemcumque loci præpoſitum, vel fidelem Regis dederit, & vivente eo requiſierit, dicendo, quod liberatus non ſit, faciat illi juſtitiam, poſt quantoſcumque annos requiſierit. Nam ſi poſt mortem ejus filius aut heres ejus pulſaverit, ſtatuimus, ut ſi vivente patre pulſaverit (*6*), proclamando ad Regem, aut compellando per tales homines, quorum fides admittitur, & veritas apparuerit, quod pulſaſſet, & juſtitiam invenire non potuiſſet, faciant ei filii, aut heres ejus juſtitiam, ſicut lex eſt, ſi intra anni ſpatium poſt mortem patris repetitionem ſuam oſtendere potuerit. Nam ſi ſuam reclamationem oſtendere non potuerit, & anni ſpatium præterierit, etiamſi pulſaſſet pater, non habeat facundiam filius aut heredes (7) repetendi; niſi ſit ſibi contentus. Quia de wadia, & de fidejuſſore, & de ſacramento dato, Rex Rotharis deceſſor noſter in anteriore Edicto ſic ſtatuit, ut poſt anni ſpatium, cujus pars neglexerit, amittat ſuam cauſſam. Ideo nobis congruum apparuit, ut ipſe, qui ſine wadia & fidejuſſore repetierit, poſt anni ſpatium facundiam non habeat requirendi. II. [illegible] 1.

XLIII. Si quis alium pulſaverit de ſervo aut aldio ſuo, quod furtum, aut homicidium, aut aliquod malum feciſſet, & ſi vivente ipſo ſervo aut aldio eum pulſaverit, aut compellationem fecerit, faciat ei juſtitiam, quandocumque pulſatus fuerit. Nam

ſi d m

---

(1) Additur in Cod. Eſten. *liberam*. Infra: *in ſacramento mittere* &c. hoc eſt, adducere ad jurandum coram Judice. Infra: *& in Palatio Regis alios L. ſoldos*.

(2) Id eſt, non ſuam. A Langobardis *frea* appellabatur mulier, quod eſſet ſub tutela, dominio, ſive mundio alicujus viri, aut Curtis Regiæ, ſive Palatii. Erant autem omnes *freæ*.

(3) Cod. Eſten. *Munduald ejus ſoldos* &c. Infra: *Et ſi liberi homines*.

(4) Non legitur in Ambroſ. Cod. *liber*. Cod. Cathedr. Mutin. *Si quicumque liber homo pro religionis & munditiæ cauſa liberam aut ancillam ſuam veſtem religioſam induerit: & ea, ſicut* &c. *inferendam oblationem per loca Sanctorum debeat apportare* &c.

(5) Uterque Cod. Mutin. & Ambroſ. habet, *ad priſtinum habitum*. Infra: *De Dei ancilla juſtum eſt, ut compoſitio ipſa duplicetur*. Infra iidem Codices: *fuerit cauſa per Presbyterum aut alium Sacerdotem quomodo* &c. At Ambroſ. Cod. *probata fuerit cauſa per Epiſcopum, aut alium Sacerdotem* &c. Tandem Cod. Cathedral. Mutin. habet, *per figmentum*. Ad finem hujus Legis in Cod. Eſten. hæc alia ſubnectuntur: *Hæc autem omnia, quæ modo in præſenti pagina Edicti adfiximus, ſi deinceps cauſæ emerſerint, ſic debeant fieri terminatæ, ſicut nunc ſtatuere viſi ſumus. Quæ autem ante emerſerint, ſic determinentur, ſicut anterior inſtitutio fuit*. Hanc formulam alibi ad finem Librorum appoſitam vidimus. Neſcio an hic nata ſit, an aliunde huc irrepſerit. Veriſimile tamen, concludi hic novam Legum promulgationem, atque adeo novum Librum a Liutprando editum: quod & ſupra adnotavimus poſt Legem XV.

(6) In Ms. Eſten. *filios aut hæredes ejus pulſaverit, ſtatuimus ut ſi vivente patre eum pulſavit* &c.

(7) Cod. Cathedr. Mutin. *non habeat facundiam filios aut hæredes repetendi*. Eſten. vero Codex: *filios aut hæredes*. Ita in fine: *facundiam non habeat repetendi*.

si dum ipse servus advixerit, dominus pulsatus non fuerit, nisi (1) post mortem servi aut aldii ipsius, quæsierit a domino ejus, ut ei justitiam faciat, decernimus, ut nullam facundiam requirendi habeat, si vivente servo, aut aldio dominum ejus non pulsaverit: quia injustum nobis esse comparuit, ut postquam servum, aut aldium ipsum inquirere non potuerit, ut ei aliquam justitiam faciat. I. 36. *6*.

XLIV. Si servus cujuscumque ancillam alterius tulerit, & dominus ancillæ eam liberaverit, & amond fecerit a se (2), aut si eam vendiderit, & qui eam emit doloso animo, & liberavit, & servus ipse in servitio permanserit, amittat ipsam libertatem suam, & sit ancilla Regis; & ipse, qui eam liberavit, componat in Curte Regia aliam talem, aut pretium quantum ipsa valuerit, pro eo, quod colludium fecit. Servus vero ipse sit in potestate domini sui, & ancillam ipsam faciat dominus servi suam cum pretio, aut qualiter a Rege obtinere poterit. II. 12. *6*.

XLV. De puero, qui infra ætatem est, (3) decrevit clementia nostra, cum nostris judicibus, vel reliquis Longobardis, ut sicut in alio homine de rebus suis, dum infra ætatem est, donare non potest; ita nec Regi donare possit, antequam in legitimam pervenerit (4): quia de caussa ista multæ contentiones fuerunt. II. 29. 5.

XLVI. Nulli sit licentia quamlibet mulierem, etiam mundium ejus habenti in potestate, post mortem mariti sui ante anni spatium velare, aut monastico habitu induere. Et si ipsa sua voluntate ante anni spatium hoc facere disposuerit, veniat ipsa ad Palatium Regis, & dicat clementiæ ejus voluntatem suam, & interrogata vel inquisita diligenter a Rege, permissu ejus accipiat religionis velamen. Si vero ante anni spatium sine permissione Regis hoc facere præsumserit, componat Regi widrigilt suum: mundium vero mulieris, vel res propriæ ejus, sint in potestate Palatii. Quia qui hoc ante anni spatium facere quærit, pro lucro pecuniæ, vel seculi hujus cupiditate hoc facere quærit, & non ob amorem Dei (5), aut animam ejus salvandam: quia post mortem viri sui, dum dolor recens est, in qualem partem voluerit, animum ejus inclinare potest. Nam cum in se revertitur, (6) & carnis delectatio ei obvenerit, quod pejus est, in adulterium cadit, nec monacha esse invenitur, nec laica esse poterit. Et si alter quicumque homo, in cujus mundio non est, hoc facere præsumserit, componat widrigilt suum in sacro Palatio, & ipsa cum rebus suis sit in potestate Mundoaldi sui. II. *6*. 1.

XLVII. Si qua mulier religionis velamen induta fuerit, observatis omnibus (7), qualiter in superiori Capitulo affixa sunt, & monasterium intrare voluerit, si filios aut filias habuerit, in quorum mundio esse inveniatur, cum tertia portione de propriis suis rebus intret in monasteria: & post obitum ejus remaneat in ipso monasterio, ubi ipsa intraverit. Si vero filios aut filias non habuerit, cum medio de rebus suis intret: & post ejus decessum remaneat ipsa medietas in potestate monasterii. Nam si in domo remanserit, potestatem habeat de rebus suis judicare, pro anima sua, ubi voluerit, in tertiam partem (8): duæ vero portiones ex rebus suis sint in potestate ejus, ad quem mundium de ea pertinet. II. 37. 4.

XLVIII. Si quis Longobardus habuerit filium masculum legitimum unum, & filiam legitimam unam aut plures, & antequam eas ad maritum tradat, ad mortem venerit, potestatem habeat ad filias per cartam donationis (9), si voluerit, usque ad quartam portionem de rebus suis judicare. Et si judicaverit, stabile permaneat. Nam si duos filios legitimos habuerit, & filiam unam aut plures, septimam portionem de rebus suis judicet, si voluerit. Si vero amplius fuerint filii, per hanc rationem computentur. Si vero pater vivente se eas ad maritum dederit, ordinet juxta legem, qualiter voluerit. II. 20. 2.

XLIX. Nulli sit licentia conjugi suæ de rebus suis dare amplius per qualecumque ingenium, nisi quod ei in die votorum in methio (10) & morgengab dederit, secun-

(1) Aliter hæc in Cod. Esten. *dominum ejus* (Codex Cathedr. Mutin. *dominus ejus*) *non pulsaverit, & nisi post mortem servi aut aldionis ipsius quæsierit a domino ejus, ut justitiam faciat, decrevimus* &c. In fine: *inquirere non potest, ut ei aliquam justitiam faciat*.

(2) In utroque Cod. Mutin. *eam libertaverit, & eam amund fecerit, aut si eam vendiderit, & qui eam emit, dolose eam libertaverit* &c. *amittat ipsa libertatem suam*. Et infra: *qui eam libertavit*.

(3) Cod. Esten. *De puero intra ætatem decrevit*. Infra: *ut sicut alii homini* &c.

(4) In eodem Cod. hæc ita leguntur: *perveniat. Ideo hoc statuimus, quia de causa ista multas contentiones audivimus*.

(5) Cod. Esten. & Ambros. *nam non propter timorem Dei, aut animam* &c.

(6) Cod. Esten. *cum in se reversa fuerit*. Infra: *& nec Monacha esse invenitur, nec Laica esse potest*.

(7) Cod. Esten. *observata omnia*. Infra idem Cod. *intret in Monasterio ubi ipsa intrare voluerit, & post obitum* &c.

(8) Idem Cod. *cui aut qualiter voluerit tertiam portionem*.

(9) In utroque Cod. Mutin. legitur: *habeat ad filias suas per chartulam donationis* &c. Infra: *Et si judicaverit, stabile debeat permanere*. Inferius: *septimam portionem eis de rebus suis judicet*. Ut alibi commemoratum est, *judicare de rebus suis* plerumque significat eas legare alicui postremis tabulis.

(10) Ut supra adnotavi, idem fuit *mephium*, *methium*, ac *meta*, unum vocabulum diversimode scriptum aut pronuntiatum, & significans

dum anterius Edictum (1), & quod super dederit, non sit stabile.

FORMULÆ VETERES. (2)

Martine insimul cum Petro tuo tutore te appellat Joannes quod tu ei tenes terram in tali loco malo ordine. Ecce carta, quomodo talis homo mihi dedit. Quid pertinuit. Per cartulam, quam vir meus fecit sibi. Ipsa contra legem est, quia ipse eam fecit eo colludio, ut daret tibi plus quartam a . . . .

L. Si servus cujuscumque habens legitimam uxorem, aliam ancillam super eam duxerit, componat dominus servi, sicut (3) Edictum de adulterio continet, ei cujus ancillam postea tulit. Ancilla vero ipsa pro illicita præsumtione accipiat talem disciplinam a domino suo, in præsentia domini servi, (4) ut alia ancilla hoc facere non præsumat. II. 13. 3.

LI. LII. De his qui de illicito matrimonio nati sunt, vel ante hoc tempus nascuntur, & eis (5) legitimi fratres sui voluntarie partem dederint, ita statuimus, ut si eis fratres sui legitimi voluntarie partem dederint, in ipsa debeant permanere, & eos exheredare minime deberent (6). Nam pater non possit illos illicitos, neque per thinx, neque per qualecumque colludium heredes instituere. Hoc autem ideo constituimus, ut omnis homo, qui vult, accipiat legitimam uxorem: nam non illicitas contrahat nuptias. Si autem fratres (7) non sint, & parentes legitimi fuerint, qui légitime poterunt ad hereditatem pervenire, & usque modo tacuerunt, taceant & in antea. Et nullam habeant facundiam, nec potestatem, contra eos, qui possident per xxx. annos, loquendi, dicendo quod heredes esse non debeant (8): nisi qui per xxx. annos possederunt, possideant & in antea. II. 8. *6.*

LIII. Si quis aldiam (*9*) alienam aut suam ad uxorem tollere voluerit, faciat eam widerboram (10), sicut Edictum continet de ancilla. Nam qui sine ipsa ordinatione eam quasi uxorem habuerit, filii, qui ex ipsa nati fuerint, non sint legitimi, sed naturales. II. 1. *9.*

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu malo ordine tenes terram in tali loco positam. Illa terra mea propria est per successionem patris mei. Non debes ei succedere,

---

cans donationem nuptiarum causa a sponso sive marito factam. Addidi, inter *metam & morgincap*, sive *morginaph* : ut hic habet Codex Esten.) intercessisse differentiam, quamquam & *morgincap* nuptialis donatio foret. Eadem sententia ex hac Lege confirmatur. Vide & infra Legem LXIV.

(1) In Codice Esten. legitur: *secundum anterioris Edicti paginam*. In fine ejusdem Legis idem Ms. Codex addit hæc verba: *Nisi decedens uxori suæ usumfructum de rebus suis, judicare voluerit secundum legem*. Quæ nescio, sintne pars Legis, an Glossa alicujus, quæ in textum irrepserit.

(2) Incipiunt in Codice Estensi hæ Formulæ, quibus veteres Langobardi instituebant judicia, sive petitionis libellum offerentes, sive citationem instituentes. Videntur autem hæc usurpata a patronis causarum in placitis ac mallis, non scripto Judici tradita, sed petitione verbali pronuntiata coram Judicibus. Plerumque vero hic exhibentur tum actoris, tum rei responsa. Atque hinc non parum lucis accedet ritibus majorum nostrorum in agitandis litibus secundum Langobardicam Legem.

(3) Cod. Esten. *componat dominus servi XX. solidos, sicut* &c.

(4) Esten. Cod. *in præsentia de domino servi*. Italicæ Linguæ exordia hic etiam vide. Nunc ita loquimur; *in presenza del padrone del servo*. Attamen Cod. Cathedr. Mutin. habet: *in præsentia domini servi*.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *de inlicito matrimonio ante tempus nati sunt, & illis* &c. Cod. vero Esten. *de inlicito matrimonio nati sunt, vel nascuntur, & illis* &c.

(6) Cod. Esten. *in eadem sorte debeant permanere, & exhereditari minime debeant*. Infra, *neque per thinx*, hoc est, neque per donationem inter vivos, neque alia fraude heredes instituere. Infra: *Hoc autem ideo statuere prævidimus* (sequitur Cod. Cathedr. Mutin.) *ut omnis homo, qui vult, accipiat sibi legitimam uxorem*.

(7) Cod. Esten. *Si autem fratres non sunt, & parentes propinqui fuerint*. In eodem Codice Lex ista cum antecedenti copulata unam facit; & recte, ut mihi quidem videtur. Sequitur idem Codex: *qui potuerint ad hereditatem legitime venire, & usque modo tacuerint* &c.

(8) Cod. Cathedr. Mutin. *loquendi aut dicendi* (tum uterque Cod.) *quod exheredes esse debeant*, scilicet illegitimi illi.

(9) *Aldii* sive *Aldiones* tam masculi quam fœminæ in multis distinguebantur a proprie appellatis *Servis*. Ad quasdam operas, rurales præsertim, suis dominis præstandas se obligabant; ac minime ab arbitrio pleno dominorum pendebant: quippe ab iis jam aliqua libertatis specie donati. Hinc *domini* quidem, sed sæpius *patroni* dicebantur, qui eos in suo jure habebant. Vide infra Cap. LXXXIII. Caroli Magni, Supra quoque in Lege CCXVIII. Rotharis, *Aldia servo* nubens, *libertatem suam amittit*. Ergo *Aldiones* libertate donati erant, sed non omnimoda; adhuc enim dominis suis obsequia aliquot debebant, & tributum quodpiam præstabant. Fuerunt etiam Aldionibus *ancillæ*: quæ indicio sunt, eos a servorum conditione abfuisse. Attamen quia nondum a jure, sive patronatu antiqui domini plene soluti erant, si quis homo liber *aldiam* sibi jungere cupiebat, ei prius plenam libertatem aut dare, aut impetrare cogebatur. At de his fusius, quum Chartarium meum, si Deus vitam dabit, huic Operi adjungam, multis Dissertationibus, ut spero, illustratum atque stipatum.

(10) Cod. Esten. *faciat eam, Widerbora*. Cod. vero Cathedr. Mutin. *faciat eam Wribura*. Nihil aliud est *guiderbora*, quam *libera*, sed plena libertate donata. In eadem Rotharis Lege CCXXIII. quæ hic memoratur, legimus: *Si quis ancillam suam matrimoniare voluerit sibi ad uxorem, debeat eam liberam thingare, & sic facere liberam, quod est guiderboram*.

te, quia habuit te ex sua ancilla aldia. Vere; sed fecit eam Widerbora, sicut est Edictum, & tulit ad uxorem. Approbet ita, aut amittat.

LIV. Si plures homines cartam convenientiæ (1) inter se fecerint, & pœnam posuerint, & postea unus, vel duo, vel amplius se de ipsa convenientia subtrahere voluerint, aut pœnam corruperint, unusquisque componat per caput ipsam pœnam, quam posuerunt in integrum. Quia omnes unanimiter consenserunt, & nullus eis imperavit, talem caussam facere. Ideo per caput, qui ruperit, componat, sicut per caput voluntarie consenserunt (2). II. 21. 22.

LV. Si quis fidejussorem aut debitorem suum pignoraverit, & ipsum pignus recolligere neglexerit, & per dies XII. dimiserit; tunc ille, qui pignus apud se habuit, si servus, aut ancilla est, custodiat eum, ut ei fugam non faciat (3), & faciat eum sibi operas facere, sicut proprium suum servum aut ancillam (4). Et insuper licentiam habeat repignorare, usque in secundam vicem, ut sint ipsa pignora in triplum, quantum debitum est (5). Et si per XXX. dies pignora ipsa aut debitor aut fidejussor recolligere neglexerit, si in Istria (6) aut in Austria fuerit, amittat ipsa pignora, & non habeat facundiam requirendi. Si vero in partibus Tusciæ fuerit, habeat spatium in diebus LX. Nam si super LX. spatium dierum fuerit, similiter amittat pignora ipsa, & insuper potestatem habeat, qui pignoravit, caussam ipsam (7) per legem agere & procurare. II. 21. 24.

LVI. Si quis permissum habuerit a debitore, aut a fidejussore suo, ut boves, aut

caballos domitos pignorare possit, (8) & pignoraverit, & intra XII. noctes pignora sua debitor aut fidejussor recolligere neglexerit, potestatem habeat ea minare, sicut sua propria, & gubernare. Et si mortua fuerint, non requirantur. Nam si pulsatus fuerit, quod iniquo animo plus quam sua animalia minasset, satisfaciat ei solus ad Evangelia. Si vero per XXX. dies de ista parte Alpis, aut per LX. ex illa parte Alpium dilataverit, & non recollegerit, sicut supra de servo & ancilla statuimus, ita & de caballo, aut bove, auro, vel argento, vestimento, ferramento (9), aut si animalia minuta, vel quodlibet pignus fuerit, esse ita censemus. II. 21. 25.

LVII. Si quis servum, aut ancillam alienam, loco pignoris tenuerit, & furtum aut damnum, aut homicidium, aut quodlibet malum fecerit, non reputetur proprio domino suo, (10) nisi ei, qui eum tenuerit; quia postquam eum pro debito suo comprehendit, sic custodire debuit, ut aliquod malum facere non posset. Si vero ancilla fuerit, & cum ea ipse, qui cœpit pignus (11), aut servus ejus adulteraverit, ante tempus supra constitutum, quod supra proposuimus de XXX. vel de LX. diebus, componat adulterium ipsum proprio domino, cujus ancilla fuerit. Post constitutum vero XXX. vel LX. dierum spatium sit in potestate ejus, qui pignoravit, si ipse, cujus fuerit, recolligere neglexerit. II. 21. 26.

De Servo aut Aldione per conludium, componat ipsum, quasi de furto.
(Ambr. Cod.)

LVIII. Si quis servum aut aldium alterius per colludium comprehendere præsumserit, dicendo, quod super furtum suum

(1) Hoc est, publicis tabulis a Notario scriptis consignarint contractum, pacto, sive conventione inter eos inita. Infra ambo Codices Mutinen. *aut pœnam ruperint, unusquisque per caput componat ipsam pœnam, quam posuerit.*

(2) Cod. Esten. *ideo per capud componat, qui rupit, ipsam pœnam, quam posuerunt, sicut per capud voluntarie consenserunt, aut heredes eorum.*

(3) In Cod. Esten. hæc alia interseruntur, nempe a Scholiaste quopiam vetere, ut arbitror, sive Glossatore adjecta: *Quia nequeunt liberari: & videtur interim, quia si fugit, aut servum debeat reddere, aut ejus pretium restituere.*

(4) In eodem Cod. Esten. hæc alia adduntur, sive intermiscentur: *Nam si servus, aut ancilla perierit, aut fugerit ante XII. dies, nihil fieri debeat, sed de opere infra XII. dies respondeat. Et insuper* &c. *usque in secundam vicem similiter per duodenas noctes, ut sint* &c.

(5) In eodem Cod. Esten. hæc adjuncta leguntur: *Ita ut unusquisque istorum trium pignorum non sit majus, quam debitum est. Tunc pignorator reddat illud in octogild. Et si* &c.

(6) Idem Cod. Esten. *Si in Neustria fuerit, aut in Austria. Neustria* pars erat occidentalis Italici, sive Langobardici Regni; *Austria* orientalis, atque eo præcipue nomine designabatur Ducatus Fori-Julii. Errat Lindenbrogius in Notis ad Pauli Diaconi Lib. V. Cap. 39. de Gest. Langobard. ubi pro *Austria* legendum censet *Historia*. Non aliter scripsit Paulus. Neustria & Austria in aliis Legibus & Præfationibus harum Legum occurrunt.

(7) In ambobus Cod. Mutin. legitur: *causam suam in antea per legem agere & procurare.*

(8) Ita hæc exhibentur in Cod. Esten. *ut eum per bovem aut caballum domitum pignorare possit ipse creditor, & pignoraverit* &c. Infra: *habeat potestatem ea minare ubi voluerit, sicut sua propria*. Et inferius: *satisfaciat ei solum ad Evangelia*. Infra: *ex ista parte Alpium, aut per LX. ex illa* (*alia* legendum puto) *parte.*

(9) Cod. Cathedr. Mutin. *ita & de cavallos, & boves, aurum vel argentum, vestimenta, æramenta, ferramenta* &c. Codex vero Esten. *ita si caballus, aut bos, vel aurum, vel argentum, vestimenta, æramenta, ferramenta, aut animalia minuta, vel quodlibet pignus fuerit, esse censemus*. Tum additur antiqua Glossa his verbis: *Similiter intelligi potest de grege equarum, aut porcorum, quia refragare potest suæ prærogativæ quisquam; & grex vocatur usu a tribus in antea.*

(10) Cod. Esten. *non reputetur culpa ad proprium dominum*: phrasi Italica, *non se ne imputi la colpa al proprio padrone.*

(11) Codices Mutin. *& cum ea ipse, qui pignoravit, aut servus ejus adulteraverit ante præfinitum tempus* &c.

comprehendiſſet (1), aut tacite in curte ſua noctis tempore inveniſſet, & colludium ipſum apparuerit, & certa veritas fuerit approbata, componat ipſe, qui eum per tale colludium apprehendere præſumſerit, ei cujus fuerit ſervus, aut aldius, quantum ipſe componere debuerat, ſi abſque colludio & fraude eum comprehendiſſet; id eſt, furtum ipſum, quod quærebat, in octogilt componat, & pro illicita præſumtione componat ſolid. XL. Et ſi furtum non repererit, niſi tantum in curte ſua comprehenſum dixerit, componat ſolid. XL. ſi ipſum colludium apparuerit. I. 25. 57.

LIX. De puella, unde jam antea diximus, ut non ante XII. annos (2) legitima ſit ad maritandum, ita ſtatuimus, ut non intrante ipſo XII. anno, ſed expleto, ſit legitima ad maritandum. Ideo autem hoc diximus, quia multas intentiones de cauſſis iſtis (3) cognovimus, & apparuit nobis, quod immatura cauſſa ſit, ante expletos XII. annos. II. 1. 10.

LX. Si quis Longobardus voluerit filiis ſuis, ſibi bene ſervientibus, aliquid largiri, (4) habeat licentiam hoc modo largiri: ut ſi fuerint duo filii legitimi, tertiam partem ſubſtantiæ ſuæ poſſit meliorare eum, qui bene & ſecundum Deum ei obediens fuerit & ſervierit. Et ſi tres fuerint, habeat licentiam quartam partem meliorare, qualem (5) voluerit. Et ſi fuerint quatuor filii, tribuat quintam partem. Et ſi fuerint quinque, ſextam partem. Et ſi fuerint ſex, ſeptimam partem. Et ſi amplius fuerint, per hunc numerum percurrat; ut ſemper qui pater eſt, vigorem habeat, qualiter ei filii ſui, ut diximus, recte obediant, & ſerviant. Et ſi toti ei bene ſervierint, habeant æqualiter ſubſtantiam patris. Et ſi forſitan quicumque ſecundam aut tertiam mulierem duxerit, & habuerit filios, & de anteriore conjuge, & de ſequenti, non habeat poteſtatem illos poſteriores, quorum mater vivit, meliorare, dum ipſa vixerit, ne dicat aliquis, quod per illam mulierem talis ſuaſio facta ſit (6): defuncta autem muliere pater licentiam habeat facere, ut ſupra legitur. Quia credimus ſecundum Deum eſſe, ut dum ſervos, qui bene ſervierunt, melioratos vidimus, & remuneratos a dominis ſuis, magis quam illos, qui recte non ſervierunt: quanto magis debet fieri recta cauſſa (7), ut homo filium ſuum meliorare, & remunerare poſſit, qui ei melius ſervierit. II. 20. 3.

LXI. Si puella ſine voluntate parentum ad maritum (8) ambulaverit, & ei meta nec promiſſa nec data fuerit, & contigerit, ut maritus ipſe moriatur, antequam de ea mundium faciat, contempta ſit ipſa mulier, nec poſſit poſtea metam quærere ab heredibus ejus, qui defunctus eſt, pro eo quod negligenter ſine voluntate parentum ſuorum ad maritum ambulaverit, nec fuit, qui juſtitiam ejus exquireret. II. 2. 5.

De rebus contra rationem impublicatis.
(Cod. Ambr.)

LXII. Si quis poſſederit qualemcumque rem mobilem, aut immobilem, per cartam falſam, & probatum fuerit, quod per ipſum munimentum (9) falſum rem ipſam poſſideat, non eum defendat poſſeſſio ſua, hoc eſt XXX. annorum, nec excludat illum, cujus res legibus fuerit; ſed amittat rem ipſam, quam per cartam falſam poſſidere videtur; ſic tamen, ut diximus, ſi probatum fuerit, & ille ipſam rem recipiat, cui antea pertinere per legem debuerat. II. 35. 9.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, quod terram, quæ in tali loco eſt, ſit ſua: Tu ſibi eam detines. Etiam: ei reſpondeo, quia poſſedi per XXX. annos. Vere poſſediſti, ſed per cartam falſam, quam dixiſti patrem meum feciſſe tibi. Non eſt verum. Ita: probato. Vel ita: vere poſſediſti, ſed malo ordine, & malo titulo. Etiam malo ordine, quia patruelis tuus mihi eam vendidit per cartam. Illa carta falſa eſt.

LXIII. Si quis commutaverit terram, arvum, vel pratum (10), aut ſilvam, & ibi labo-

(1) Cod. Cathed. Mutin. *eum præſiſſet*. Ita & infra legitur: *fraude eum præſiſſet*. Nunc Italice, *l' aveſſe preſo*. Infra Cod. Eſten. *ſervus, aut ancilla, vel aldius*. Inferius: *Et ſi furtum non reperierit, niſi de tacito in curte* &c. Cod. Cathedr. Mutin. *& ſi de furtu ſuo non reperierit, niſi de tacito in curte ſua comprehenſo dixerit*.

(2) In Cod. Cathedr. Mutin. legitur: *ut in duodecimo anno legitima ſit*. Infra uterque Codex: *ſic modo ſtatuimus*.

(3) Cod. Cathedr. *Ideo nunc hoc dicimus, quia multas intentiones de cauſa ita cognovimus, & apparuit* &c. Cod. vero Eſten. *Ideo hoc diximus, quia multas intentiones de cauſa iſta* &c. Idem *intentio* ſignificabat rudibus ſæculis atque *contentio*. In fine Cod. Eſten. *& apparuit nobis, quia immatura ætate ſit ante expletos XII. annos*. Fortaſſe delendum eſt *cauſa*, & ſcribendum, *quia immatura ætas* &c. In Ms. Cathedr. *ante expleto duodecimo anno*.

(4) Cod. Cathedr. Mutin. *voluerit in filiis ſuis ſibi bene ſervientibus aliquid largiri*. Infra: *tertiam portionem*.

(5) Idem Cod. *cuicumque voluerit*. Infra: *Quod ſi forſitan quiſcumque*.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *quod mulier ipſa talem ſuaſionem feciſſet. Defuncta autem ipſa muliere*.

(7) Goldaſtus legit, *recta ea*; ſed in utroque Mutin. Cod. & in Ambroſ. legitur, *fieri recta cauſa*. Ita quoque Editio Boheriana. *Cauſa* abbreviate in Mss. ſcribitur *ea*: hinc autem per errorem *ea*. Infra: *ut homo filios ſuos* &c. *qui ei melius ſervierint*.

(8) Uterque Cod. Mutin. & Ambroſ. addunt *abſconſe*. Infra in iiſdem Mutinen. legitur: *contenta ſit ipſa mulier*.

(9) Cod. Eſten. *per ipſum munimen*.

(10) Cod. Cathedr. Mutin. *terram ſuam, pratum, aut ſilvam*. Infra: *ſurrexerit tertius homo*.

laboraverit, & ædificium fecerit, aut clausuram, aut vineas posuerit, & postea surrexerit certus homo, qui ipsum locum suum faciat, & ille qui dedit, minime potuerit eum defendere, recipiat res suas quas dedit, & insuper ipsum damnum restituat ei, quantum appretiatum (1) fuerit, quod ibi postea laboravit & ædificavit. Sed & de comparatione ita statuimus, sicut & de commutatione. Hoc autem de his caussis diximus, unde cartas commutationis, aut venditionis homines inter se non faciunt. Nam unde cartulas faciunt, & ostendunt, sic debet esse, sicut in ipsis cartulis legitur. II. 36. 3.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in loco. Ipsa terra mea est propria. Quid tibi pertinet? Donatus commutavit ea mecum. Da wadiam de auctore. Si auctor venerit, & negaverit: ipse, qui fuit appellatus, probet. Si dixerit: ego tecum commutavi: quid tibi pertinebat per successionem mei patris? Et quid ego quod meus pater, & quod iste per trenta annos possessam. Si dixerit: non possum defendere, restituat ei damnum. Similiter fiat de comparatione. Et hæc placita secundum quosdam. Sed ita: Petre te appellat Martinus, quod terra, quæ in tali loco est, quam tu tenes, sua est. Non debes mecum placitare, quia auctorem habeo. Mecum ad auctorem . . . .

De ætate infantum, & licentia eorum.
(Cod. Ambr.)

LXIV. Si infans ante x. & VIII. annos, quos nos instituimus, ut sit legitima ætas, sponsalia facere voluerit, aut sibi mulierem copulaverit (2), habeat potestatem, & metam facere, & morgengab dare, juxta Edicti tenorem; & obligationem facere, & fidejussorem ponere, & cartam si voluerit, pro ista scribere. Et qui fidejussor exstiterit, aut scriba, qui pro caussa ista cartam scripserit, nullam exinde habeat damnietatem. Quia nos (3) usque ad illam ætatem produximus caussam de infantibus, ut ipsi res suas non debeant naufragare, aut disperdere: nam per istam conjunctionem, quam Deus præcepit, absolvimus ut fiat. II. 29. 6.

LXV. Recolimus enim, quod statuimus cum nostris judicibus, ut qui liberum hominem occidere præsumserit, omnem suam substantiam amittat. Modo vero dum repeterent singuli homines, quos forte aliqua duritia detinebat, quod parens illorum, qui in lectulo mortuus fuerit (4), per venenum occisus fuerit; & dum per pugnam ipsam caussam, sicut antiqua fuerat consuetudo, quærere disponebant, gravis caussa nobis esse comparuit, ut sub uno scuto, per unam pugnam, omnem suam substantiam homo amittat. Ideoque statuere prævidimus, ut si amodo talis caussa emerserit, ut ille, qui mortem parentis sui per pugnam probare voluerit (5), quod eum per venenum occidisset, & observatis his, quæ in anteriori Edicto affiximus, per Evangelia affirmet, quod asto animo caussam ipsam non requirat, nisi quod ei certa suspicio sit: postea potestatem habeat quærere per pugnam, sicut antiqua fuit consuetudo. Et si ei ferita evenerit, cui crimen ipsum mittitur, aut ad Campionem ipsius, quem conductum habuerit, non amittat omnem substantiam suam; sed componat secundum qualitatem personæ, sicut antea fuerit (6) lex componendi. Quia incerti sumus de judicio Dei; & multos audivimus per pugnam sine justa caussa suam caussam perdere. Sed propter consuetudinem gentis nostræ Longobardorum legem impiam (7) vetare non possumus. I. 9. 23.

LXVI. Si quis filiam suam aut sororem alii sponsare voluerit, habeat potestatem dandi cui voluerit, libero tamen homini, sicut in anteriori Edicto continetur. Nam postquam eam sponsaverit, non habeat potestatem alteri homini eam ad maritum dandi ante

(1) Hæc ita leguntur in Cod. Esten. *& ille insuper, qui dedit, & minime defendere potuerit, ipsum damnum ei restituat, quantum inibi appretiatum* &c. Infra: *aut venditionis homines inter se faciunt.*

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *aut se mulieri copulare*. Infra Cod. Esten. *& chartas, si voluerit, pro causa ista scribere.*

(3) Uterque Cod. Mutin. *Quia nos ideo usque*. Infra pro *disperdere* unus habet *dispergere*, alter *dissipare*. In fine Cod. Esten. *Nam pro ipsa conjunctione, quam Deus præcepit, absolvimus, ut faciat*. Tum additur: *ita ut conjugium non ante XII. annos*: quæ nescio Glossamne, an Legis particulam exhibeant.

(4) Cod. Esten. *qui in lectulo suo mortuus fuerat, per venenum occisus esset*. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *gravis causa nobis paruit esse*.

(5) Ita hæc in Cod. Esten. leguntur: *ut ille, qui mortem parentis sui quærere, & per pugnam potuerit probare, quod eum per venenum occidisset, observato eo, quod in anteriori Edicto affiximus, per Evangelia* &c. Infra: *aut ad Camphionem ipsius, quem conductum habuit*. Qui enim aut ætatis, aut sexus, aut infirmitatis causa excusati pugnare pro se non poterant, *Campionem*, sive defensorem pro se dimicaturum inducebant.

(6) Uterque Codex Mutin. *sicut antiqua fuit lex componendi*. Infra Cod. Esten. *sine justitia suam causam perdidisse*.

(7) In utroque Mutin. Codice, uti & in Ambros. legitur *Legem ipsam*. Singularia certamina in privatorum causis utique impia; verum adeo enormem eorum abusum non satis intelligebant rudia sæcula; neque *impium* putabant, quod tunc tot Populorum consensu, conniventibus etiam non paucis Episcopis, ratum erat, imo pietatem ac fiduciam de justo Dei judicio sapiebat: unde pugna inter *Judicia Dei* recensebatur. Attamen videas, Liutprando Regi ea minime probari, ac tantummodo ex vi consuetudinis tolerari; sentiebat quippe, nimium difficile fore ea omnino tollere: quod & nostris temporibus, quamquam fato meliore fruentibus, difficillimum fuit.

ante biennii tempus. Et si dare cuilibet præsumserit, aut ipsa sponsalia (1) irrumpere voluerit, componat sponso ipsius, sicut inter se pœnam firmaverint, qualiter in anterioris Edicti continetur pagina, & insuper in Palatio widrigilt suum componat: & ille, qui eam tollere præsumserit, componat similiter in Palatio Regis widrigilt suum. Si vero sine voluntate patris & fratris eam tollere præsumserit, quæ jam alteri est desponsata, componat sponso ejus duplam metam, sicut Edictum anterius continet, & in Palatio Regis componat widrigilt suum. Pater vero & frater, qui in tali caussa non consenserint, sint absoluti (2). Puella vero ipsa, quæ hoc sua voluntate facere præsumserit, si aliqua ei portio ex parentum successione debetur, amittat ipsam portionem, & nuda & vacua de rebus parentum suorum vadat, & ipsi succedant, qui per legem succedere possunt. Nec possit ei pater aut frater per quodlibet ingenium aliquid dare, & hereditatem relinquere; quia excreverit vitium hoc in gentem nostram (3), propter cupiditatem pecuniæ: & ideo resecare volumus hoc, ut cessent inimicitiæ, & faidam non habeant. Sin autem, quod absit, post sponsalia facta tales inter parentes ipsius excreverint inimicitiæ, qualicumque caussa interveniente, ut homicidium de parentibus eorum perveniat, unde duritiam inter se teneant: si dare aut tollere noluerint, componat pars (4) quæ neglexerit, sicut inter se statutum habuerint, & sint absoluti. Quia non est bonum, ut ibi quispiam debeat dare filiam suam, aut sororem, vel parentem suam, ubi vera inimicitia homicidii esse probatur. II. I. 11.

De frea male tractata. (Cod. Ambr.)

LXVII. Continet autem (5) anterius Edictum de frea sua, qui eam male tractaverit, amittat mundium ipsius; sed non dicit, qualis sit ipsa mala tractatio. Proinde statuere prævidimus, qualis sit ipsa mala tractatio. Mala tractatio est, si eam fame aut siti necaverit, aut vestimentum, aut calciamentum, secundum qualitatem personæ vel pecuniæ, mulieri non dederit; aut si servo, vel aldioni alterius eam uxorem dare præsumserit, aut turpiter battiderit eam; excepto si infans fuerit, pro honesta disciplina ostendenda, aut propter muliebria opera, aut vitium malum emendandum, sicut de propria filia sua. Et si eam ad indecibilem operam coactam minaverit, aut si cum ea adulteratus fuerit, omnia hæc, qui facere præsumserit, male tractatam (6) esse decernimus. Et insuper addimus, ut nec ad liberum hominem eam ad maritum dare præsumat absque ejus voluntate; quia pejus tractata esse non potest, quam si illum virum tollat, quem ipsa non vult. Ideo statuimus, ut propter plagas aut feritas si fecerit, vel de adulterio, componat eidem feminæ, sicut Edictum continet, & mundium ejus amittat. II. 11. 4.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martina cum Donato suo Tutore, quod ipsa erat tua Mundualda, & necasti eam per famem, aut turpiter baptisti, vel plagasti eam. Secundum quosdam hoc sit a . . .

LXVIII. Si quis amodo inventus fuerit cum uxore aliena turpiter conversari, id est, si manum in sinum, aut ad pectus ejus miserit, vel ad alium locum, unde turpe esse potest, cum consensu ipsius mulieris, & probatum fuerit, componat, qui hoc malum perpetraverit, widrigilt suum ad maritum ipsius mulieris. Si autem caussa probata non fuerit, nisi tantummodo quispiam de suspecto (7) alium de uxore sua compellat, habeat licentiam ipse, qui compellat, aut ad pugnam, aut ad sacramentum ipsum hominem quærere, qualiter voluerit. Si vero ipsa mulier in hac illicita caussa consentiens fuerit, ha-

---

(1) In Cod. Cathedr. Mutin. legitur: *aut ipsas spensalias*. Infra: *& insuper in Palatio Regis*.

(2) Cod. Esten. *sint soluti a datura feminæ. Puella vero, quæ sua voluntate hoc facere* &c.

(3) In utroque Cod. Mutin. *quia excrevit vitium hoc in Gente nostra*. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *ut inimicitiam cessante faida non habeant*.

(4) Cod. Esten. *componat pars parti*. Infra alter Cod. *& sint ambo soluti*. In fine uterque Codex: *ubi vera inimicitia, & homicidium esse probatur*.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *Continet enim*. Cod. Esten. *Continet autem*. Infra: *ut amittat mundium ipsius. Et non dicit, qualis* &c. Dicebatur *frea sua* mulier, quam quis sub jure, *mundio*, ac potestate sua habebat. Infra: *aut vestimenta, aut calciamenta ei secundum qualitatem pecuniæ non dederit*. Appellabatur quoque *Mundoalda, mundiata, & mundiana*, si Isidori Glossis fides, ubi legitur, *Freta vel mundiana de parente suo relicta*. Scribe *frea*.

(6) Cod. Esten. *aut si eam adulteravit: omnia qui hæc, vel aliquid facere præsumserit, male tractare esse* &c. Infra Cod. Cathedr. *quia pejor tractatio esse non potest*.

(7) Cod. Cathedr. Mutin. *de suspectu*. Cod. Esten. *de suspectione alium de uxore sua compellaverit*. Infra Cod. Cathed. *nec ei scematio*. Cod. Esten. *nec ei scematio corporis fiat*. Et infra: *aut scematione*. Hoc est, mutilatio aliqua ejus membris non inferatur. Habes hic jam olim invectum Italicum verbum *scemare*, & *scemo*: hoc est, *minuere*, & *imminutum*. Ferrarius vocem hanc ab *eximere* corrupto efformatam putat. Menagius a nescio quo verbo *semisemus* arcessit. Atqui nostrum *scemare* aut a Latino *semis*, sive *semi*, quod dimidium significat, quasi dimidiare, processit; aut a Latino, sive etiam Græco *simus*. Quamquam enim ea vox nasum tantummodo pressum significet, unde *simæ capellæ*, & *Simia* nomen; attamen pro *naso mutilato* accepere subsequentia Sæcula, eamdemque significationem ad alia membra transtulerunt. In Capitulis additis Legi Alamannor. apud Baluz. Tom. I. pag. 85. Capitular. *Si quis auriculam simaverit*. In Concil. Aurelian. III. Anni 538. legitur: *aut semus corpore*.

habeat poteſtatem ejus maritus in eam vindictam dare, ſive in diſciplina, ſive in venditione ubi voluerit: verumtamen non occidatur, nec ei ſcematio corporis fiat. Si quidem forſitan talis fuerit ipſe liber homo, ut non habeat unde compoſitionem facere poſſit (1), tunc Publicus debet eum dare in manus mariti ſui, & ipſe in eum faciat vindictam in diſciplina, vel venditione; nam non in occiſione, aut in ſcematione corporis. Si autem aldius vel ſervus alienus hoc malum in libera muliere facere præſumſerit, tunc patronus ejus componat ad maritum ipſius mulieris ſolidos LX. & ipſam perſonam det ei in manus ejus (2). Si vero ſervus, aut aldius per voluntatem domini ſui hoc malum fecerit, quod ſupraſcriptum eſt, & probatum fuerit, quod ipſe dominus ejus conſenſiſſet, componat, ſicut ſupra legitur, widrigilt ſuum, ſic tamen ut ipſe ſervus in ipſa compoſitione tradatur. Et ſi probata cauſſa non fuerit, de domini ejus voluntate, tunc ipſe dominus ſervi vel aldionis purificet ſe per ſacramentum, cum legitimis ſacramentalibus ſuis, ut (3) in ipſo malo conſentiens non fuiſſet, & ſit abſolutus; & tamen (4) fiat, ſicut ſupra ſtatuimus de ſervo vel aldione. II. 55. 16.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod ipſe te invenit turpiter converſare cum Alda ſua uxore. Petre te appellat Martinus, quod habet ſuſpectionem, quod tu converſaſti turpiter cum Alda ſua uxore. Cum eo adardire (5) *volo. Vadiate pugnam. Petre te appellat Martinus, quod Donatus tuus ſervus per tuam voluntatem converſavit turpiter cum Alda ſua uxore. Aut non fecit; vel fecit, ſed non cum mea voluntate.*

LXIX. Si quis miſer & inſipiens (6) homo præſumſerit ſponſare mulierem, habentem virum ſuum, ſive vir ipſe ægrotus fuerit ſive ſanus, ſicut & modo nobis talis cauſſa annuntiata eſt, & probatum eſt, componat ipſe, qui hoc fecerit, widrigilt ſuum ad maritum ejus; & ipſa ſuſcipiat in ſe talem condemnationem, qualem ſupra diximus de illa muliere, quæ ſe turpiter tractari permittit (7). II. 8. 7.

LXX. Si quis furore accepto battiderit hominem liberum vel mulierem liberam, aut puellam, quæ in ſcandalum, ubi viri litigant, venit; & per ipſas feritas ponderoſi (8) aut ponderoſæ effecti fuerint, ſicut & modo factum audivimus; componat medietatem pretii ipſius maſculi, tamquam ſi eum occidiſſet; & de femina ſimili modo medietatem pretii, tamquam ſi fratrem ejus occidiſſet: excepto ſi plagas aut feritas fecerit, componat ſicut anterius Edictum continet. I. 16. 4.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod ipſe currebat in ſcandalum, aut Martina ſua mundoalda ſimpliciter; & tu feciſti ſibi plagas, aut feritas. Et ille per illas plagas vel feritas fuit ponderoſus vel ponderoſa. Approbet ſecundum quoſdam. Si non: idoneet ſe reus, vel componat medietatem pretii quantum appretiabitur maſculus.

LXXI. Si quis aldium, aut aldiam, ſervum, aut ancillam battiderit, & per ipſam battituram ponderoſi (9) facti ſunt, medietatem pretii domino ejus componat, vel patrono eorum, tamquam ſi eum occidiſſet; exceptis plagis & feritis, componat ſicut anterius Edictum continet. I. 8. 31.

LXXII. Si quis doloſe aut per (10) ſuper-

(1) Cod. Eſten. *facere poſſit, remanentibus ſaltim XX. ſolidis, aut plus, tunc Publicus debeat* (ſequitur Cod. Cathedr. Mutin.) *eum comprehendere in manus mariti ejus, ut faciat ſibi exinde quod voluerit in diſciplinæ vindictam, aut in venditione, nam non in occiſione, aut in ſcematione.* Tum hæc adduntur: *Si vero fecerit, ut contemtor Legis vadat in præſentia Regis. Nam ſi ſubtus XX. ſolidos remanſerint, non abſolute dabitur, ſed ſerviat ad terminum. Si vero aldius* &c.

(2) In Cod. Eſten. hæc leguntur: *det in manum mariti ejus, & ipſe in ea faciat vindictam in diſciplina, & venditione, nam non in occiſione, aut ſematione. Si vero ſervus, aut aldius alienus* &c.

(3) Cod. Eſten. *quod in ipſo malo conſentiens* &c.

(4) Cod. Eſten. *Et tantum fiat, ſicut ſupra præmiſimus, vel ſtatuimus de ſervo, vel aldione.*

(5) Hoc eſt, pugnam cum eo experiri. Hinc nata videtur Italica vox *Ardire*.

(6) Codices Mutinen. *aut inſipiens*. Infra: *& probatum fuerit.*

(7) Cod. Cathedr. Mutin. *talem diſciplinam aut condemnationem* (ſequitur Cod. Eſten.) *qualiter hic ſupra diximus de illa muliere, quæ ſe turpiter adtrectare permiſit*. Alter Cod. *adtractari permittit.*

(8) Vide ſequentem notam. In fine Cod. Cathedr. Mutin. hæc ita effert una cum additamento: *componat, ſicut in anteriore Edicto legitur. Et de Aldiis, vel Aldianis, Servis, vel Ancillis, ſi talem cauſam fecerit, ſimili modo medietatem pretii ipſorum componat, excepto plagas, aut feritas, ut ſupra.*

(9) Cod. Eſten. *ponderoſi vel ponderoſæ facta fuerint; medietatem pretii domino, vel patrono eorum componat*; nempe *domino* Servi, & *patrono* Aldionis. Hæc enim vocum diverſitas diſparem eorum conditionem indicabat. Hic autem *ponderoſi* (*ſponderoſi aut ſponderoſæ* habet Codex Ambroſ.) vox adhibita eſt, ut deſignetur qui ex ictibus baculi ineptus ad gradiendum factus fuerit, & lecto teneri coactus. Occurrit quoque in Legibus Wiſigoth. Lib. VI. Tit. 4. num. 3. *cui ponderoſitas facta fuerit*. Sic apud Virgilium Lib. 3. Georgic. *morbo gravis*. Et apud Livium Lib. VI. *gravis vulneribus*. Tullius quoque Lib. IV. de Fin. inquit: *gravitas membrorum, & cruciatus dolorum*. Neque enim hic *ponderoſum* pro eo qui *hernia laborat*, capiendum, ut ſentire videtur Du-Cangius in Gloſſario Latino.

(10) Uterque Cod. Mutin. *Si quis malitioſe, & per ſuperbiam, ſicut & modo factum eſſe cognovimus*. Infra: *& ipſam perſonam ejus, qui* &c.

perbiam, ſicut & modo factum eſſe cognoſcimus, mulierem aut puellam liberam ſedentem ad neceſſitatem corporis ſui, vel in alio loco, ubi ipſa femina pro ſua neceſſitate nuda eſſe videatur, pungere aut percutere præſumſerit, componat ad Mundualdum ejus ſolidos LXXX. Si aldius, aut ſervus fuerit, qui hoc facere præſumſerit, componat dominus ejus ſolidos LX. & ipſam perſonam, qui hoc malum fecerit, tradere debet in manus Mundualdi ejuſdem feminæ. I. 16. 5.

LXXIII. Si aldius cujuſque aldiam alterius tulerit ad uxorem, & filios ex ea procreaverit, & mundium (1) ex ea non fecerit, ſint filii ejus aldiones cujus & mater fuerit. Nam ſi poſtquam ex ea mundium fecerit, filii nati fuerint, ſicut in anteriori Edicto continetur, patrem ſequantur, & talem legem cum patrono ſuo habeant, qualem & pater eorum habuerit. II. 12. 7.

LXXIV. Si Romanus homo mulierem Longobardorum tulerit, & mundium ex ea fecerit, & poſt ejus deceſſum ad alium maritum ambulaverit, ſine voluntate heredum prioris mariti, faida & anagrip non requiratur. Quia poſtquam marito Romano ſe copulaverit, & ipſe ex ea mundium fecerit, Romana effecta eſt, & filii, qui de eo matrimonio naſcuntur, ſecundum legem patris Romani ſunt, & lege patris vivunt (2): & ideo faidam & anagrip minime componere debet, qui eam poſtea tulit, ſicut nec de alia Romana. II. 7. 1.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus (3) cum Donato ſuo tutore, quod tu tenes ſibi malo ordine terram in tali loco. Mea propria eſt per cartam venditionis, quam tu mihi feciſti cum marito tuo, qui eſt mortuus. Ecce carta. Ipſa cartula non mihi nocet, quia eram Langobardam. Non potui facere ſine parentibus. Maritus tuus fuit Romanus, & fecit mundium de te. Aut probet quod maritus fecit mundium, aut ſiat vacua.

De fidejuſſore, qualiter debeat dare creditori ſuo. (Cod. Ambr.)

LXXV. In anteriori Edicti noſtri Capitulo affiximus, ut ſi ad wadiam ſuam ſolvendam quiſpiam liber homo tres fidejuſſores habuerit liberos homines, & ipſe qui wadiam ſuſcepit reddere neglexerit, ſic componat, ſicut ille, qui non habuerit fidejuſſores paratos. Modo vero dum pravos homines cognoviſſemus tales fidejuſſores velle ſtatuere qui nihil habeant (4), niſi ſolummodo perſonam ſuam, ut per eos juſtitiam ſuam creditor ipſe minime invenire poſſit: (5) ſtatuimus, ut tales debeant eſſe fidejuſſores ipſi, ut ſi amplius non habuerint, quomodo eos pignorare poſſit, quam ipſa obligatio ſit, vel tantum habeant, quantum, ut diximus, ipſa obligatio eſt, unde fidejuſſores intervenire debent. Nam ſi minus habuerint, non ſit culpabilis ille, qui eos recipere noluerit, nec ipſe, qui dare debet, excuſare ſe poſſit a culpa, dicendo quod fidejuſſores paratos habuiſſet. Quia impoſſibile eſt, ut homo talem fidejuſſorem accipiat, qui non habeat vel amplius, vel tantum, quantum ipſum debitum fuerit, quod tollere loco pignoris poſſit. Et ſi de præſenti habuerit, unde det tales fidejuſſores, qui recipiendi ſunt, ecce bene. Si autem non habuerit ipſa hora, ſit ſpatium de ipſa wadia per tres dies ſine culpa: & poſtea dare debeat tales fidejuſſores, qui habeant unde perſolvant, quod debitor dare debet. Si vero amplius dilataverit ad fidejuſſores dandos, componat ſicut antea ſtatuimus. II. 21. 27.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod ipſe dedit tibi wadia decem ſolid. VI. Kal. Auguſti. Vult ſuſcipere per fidejuſſores.

De his feminis, quæ adultæ ſint & ſibi intra ætatem copulaverint maritum.
(Cod. Ambr.)

LXXVI. Adveniente (6) vaniſſima & ſuperſtitioſa vel cupida ſuaſione ex perverſione, apparuit modo in his temporibus, quæ illicita nobis vel cunctis noſtris Judicibus conjunctio eſſe comparuit: quoniam adultæ & maturæ ætatis feminæ copulabant ſibi pueros parvulos, & infra ætatem legitimam, & dicebant quod viri legitimi eſſe deberent, (7) dum adhuc ipſi ſecum minime commiſceri valerent. Nunc itaque ſtatuere prævidimus, ut nulla amodo femina hoc facere præſumat, niſi pater, aut avus pueri cum legi-

(1) Non enim maritus conjugis aldiæ tutelam, ſive mundium acquirebat, niſi pretio dato ejus patrono, ut ejus mundium dimitteret. Vide ſupra Legem CCXVII. Rotharis.

(2) In utroque Cod. Mutin. *Romani ſint, & lege patris ſui vivant, & ideo* &c. *Faida* eſt inimicitia, quam pretio dato redimere cogebatur, qui læſerat; *Anagrip*, ſeu *anagriph* præſumtionis & inſultus culpa.

(3) Lege *Martina.* (Nota Coll.)

(4) Cod. Eſten. *cognoviſſemus, qui talis fidejuſſores vellent ſtatuere, qui nihil haberent, niſi* &c.

(5) Hæc adduntur in Cod. Eſten. *quamvis eſſent concives, vel a conliberto conlaudati, tamen ſtatuimus, ut tales debeant eſſe fidejuſſores ipſi, id eſt conciver, vel illi, quos conlibertus commendat, vel alii, ſi acceptor vult, ut ſi amplius non habuerint, quomodo eos pignorare poſſit aliquis, quam* &c. In fine idem Cod. hæc habet: *ſicut antea ſtatuimus uſque ad ſoldos L.* In Ms. Codice Cathedr. Mutin. non leguntur tot verba quot in Eſtenſi.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *Interveniente*. Infra uterque Cod. habet: *& perverſione*. Inferius: *& jam maturæ ætatis*.

(7) Uterque Cod. Mutin. *& dicebant, quod vir ejus legitimus eſſe deberet*, (tum Cod. Eſten.) *dum adhuc ſecum minime miſcere poteſt*. Infra: *poſt mortem patris aut avi infra ætatem*.

legitimis parentibus puellæ hoc facere prævidérit. Nam ſi puer poſt mortem patris aut avi intra ætatem remanſerit, & ei ſe qualiſcumque femina, antequam ipſe puer XIV. annum compleat (1), copulare præſumſerit, dicendo quod legitimus ejus maritus eſſe debeat, irrita ſit ipſa conjunctio, & ſeparentur ab invicem. Femina vero ipſa revertatur vacua cum opprobrio ſuo, & non habeat poteſtatem alio viro ſe copulare, dum ipſe puer in ætatem ſupradictam pervenerit. (2) Si quidem impleta ætate puer ipſe ſibi eam ad uxorem habere voluerit, habeat licentiam; & ſi eam noluerit, tollat uxorem aliam, qualem voluerit, & potuerit. Illa vero ſi ad alium maritum ambulaverit, & ipſe puerulus eam habere noluerit, non ei poſſit vir ſuus, qui eam tulerit, pleniter methium (3) dare, ſicut ad aliam puellam, ſed tantummodo medium, ſicut ad viduam mulierem. Qui vero puerum ipſum ſuaſerit, ſive parens ejus ſit, ſive extraneus homo, componat ſolidos C. medium Regi, & medium ad ipſum puerum. II. 8. 8.

De muliere, cui a viro ſuo mala licentia data fuerit. (Cod. Ambr.)

LXXVII. Si quis dixerit conjugi (4), malam licentiam dando; *vade & concumbe cum tali homine;* aut ſi dixit alicui homini; *veni & fac cum muliere mea carnis commixtionem;* & tale malum factum fuerit, & cauſſa probata fuerit, quod per ipſum maritum factum ſit, ita ſtatuimus, ut illa mulier, quæ hoc malum fecerit & conſenſerit, moriatur, ſecundum anterius Edictum: quia nec talem cauſſam facere, nec celare debuit. Quia ſi vir ejus cum ancilla ſua, aut cum altera muliere adulterium feciſſet, mulier ipſa ad Palatium, (5) aut ad Judicem habuit proclamare; ideo hoc tacere nequaquam debuit, quando ei primum fuerat dictum. Propterea, ut diximus, moriatur ſecundum anterioris Edicti paginam. Ille autem vir ejus, qui ei tam malam licentiam dedit, aut alteri homini dixerit, aut auctoritatem tribuit in mulierem ſuam, ad tale malum perpetrandum, componat ad parentes ipſius mulieris ſuæ, tanquam ſi in ſcandalum ipſa mulier occiſa fuiſſet: quia ipſa ex peccatis in ſcandalum concurrere (6) viſa eſt, quando ad hoc malum perpetrandum acceſſit, quod in majus ſcandalum currere non potuit, quando ſe ad mortem traxit. Ideo, ut ſupra diximus, componat vir ejus, ſicut ſupra ſtatuimus, & res ejuſdem mulieris, ſi filios habuerit, ipſi ſuccedant (7); & ſi filios non habuerit, revertantur ad parentes ipſius mulieris: eo quod credimus, quod tale malum ideo quæſivit miſer homo facere, ut ipſam mulierem perdat, & res ejus habeat. Ille autem homo, qui cum ipſa muliere aliena adulterium commiſerit, quamquam cum viri ejus conſilio feciſſet, tradatur (8) in manus parentum ipſius mulieris, & non in manus ipſius viri, qui tale malum conſenſit, aut conſilium illicitum tribuit. Idem de cauſſa iſta, quam ſupra præmiſi (9), ſi conſilium & licentia data fuerit ad mulierem, & ipſa non conſenſerit, & manifeſtaverit ipſam cauſſam, & ipſa mala opera non fuerint facta; tunc ipſe vir ejus, qui ei talem licentiam & conſilium dederit, componat ſicut in anteriori Edicto affiximus, quomodo qui alii malum conſilium dederit, id eſt ſolidos L. Quia adhuc major malitia eſt, quando homo ad mulierem ſuam illicitum conſilium tribuit, quam ſi ad alium liberum hominem malum conſilium dediſſet. I. 32. 6.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, quod tu dediſti licentiam ad Mariam ſuam filiam, & tuam uxorem, quod ipſa adulteraret, & ſe adulteravit. Petre te appellat Johannes, quod tu tenes ei malo ordine id eſt petiam de terra, quæ fuit Johannæ ſuæ conſobrinæ, & tuæ uxori, cui dediſti licentiam, ut cum alio homine miſceret. Petre te appellat Martinus, quod ipſe habeat certam ſuſpectionem,*

quod

(1) Ita etiam in Eſten. Cod. At in antiquiſſimo Cathedr. Mutin, legitur: *antequam puer tertio decimo compleverit anno*. De legitima puerorum ætate ad matrimonium fuerunt, & adhuc vigent, nonnullæ concertationes inter Theologos & Juriſperitos. Non abjicienda ſane hæc lectio, quamquam editi Libri ad communem ſententiam accedant.

(2) Ambo Cod. Mutin. *dum ipſe puerulus ad ætatem ſupradictam pervenerit*. Infra: *tollat ſibi uxorem aliam*. Et inferius: *ſi ad alium maritum ambulare voluerit*.

(3) Cod. Eſten. *meſium dare*. Sed ſcribendum *meſium*, quod idem fuit ac *methium*, ſive *meta*; donatio videlicet a marito nuptiarum cauſa conjugi facta. Hinc autem habes, viduas a puellis diverſo largitionis modulo a viris donatas.

(4) Uterque Cod. Mutin. addit *ſuæ*. Infra Cod. Eſten. *per ipſum maritum ejus factum ſit*.

(5) Ita & in Cod. Eſten. at in Cod. Cathedr. Mutin. ita legitur: *adulteraſſet; mulier ipſa ad placitum, aut ad Judicem debuit proclamare* &c. *quando ei prius dictum fuerat*. Infra: *talem malam licentiam dedit, aut alteri homini dixit*.

(6) Uterque Cod. Mutin. *quia & ipſa ex peccatis in ſcandalum currere viſa eſt*.

(7) In ambobus Codicibus Mutinen. *ipſi habeant*; alioqui ſcribendum foret, *in res* &c. *ſuccedant*.

(8) Cod. Eſten. *quamquam cum viri ejus conſilio, fiat traditus in manus de parentibus ipſius mulieris; nam non in manum viri ſui, qui* &c. Codex vero Cathedr. Mutin. *quamquam cum viri ejus conſilio fiat, tradatur in manus parentibus ipſius mulieris, nam non in manu mariti ſui*. Idem Cod. ſupra: *componat ad parentibus ipſius*. Hæc autem in eum etiam finem adnotavi, ut Lector origines Italicæ noſtræ Linguæ ex his quiſquiliis intelligat.

(9) Cod. Eſten. *Item de cauſa iſta, quam ſupra præmiſimus*.

quod tu adulteraſti Mariam ſuam uxorem. Ego adulteravi per tuam licentiam; aut probet, aut fiat traditus in ſua manu.

LXXVIII. Si quis res ſuas commendaverit in cujuſcumque caſa, de conliberto (1) ſuo, libero homine, & contigerit, ut adveniens fur ipſas res furatus fuerit, & ipſe in cujus caſa res ipſæ fuerunt, reddiderit, aut ſi non reddiderit, reddere tamen debet: nos ita ſtatuimus, & diffinimus, ut qui res alienas commendatas ſuſceperit, & eas perdiderit, reſtituat ei res ipſas, cujus fuerint, & poſtea furtum ipſum, ſi inventum fuerit, ei componat ipſe fur, de cujus (2) caſa ipſas res rapuerit, aut furatus fuerit. Quod ideo ſic proſpeximus, quoniam ſi ille componit furtum ipſi, cujus res fuerint, poſtea ille cujus caſam ruperit, quæreret ei rupturam caſæ ſuæ, & non poſſumus in una cauſſa duas imponere calumnias. (3) Ideoque ſic nobis juſtum viſum eſt, ut ille, qui ſuas res commendavit, recipiat eas ab ipſo, de cujus caſa perierint: & ipſe, de cujus caſa exivit ipſum furtum, quærat ab ipſo fure, & tollat compoſitionem (4) ſicut lex eſt. Et ipſe fur, quamvis malefactor ſit, non habeat de una cauſſa duas calumnias (5). II. 27. 1.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod ipſe depoſuit tibi tanta ſua mobilia, quæ valebant ſolidos XX. Petre te appellat Martinus, quod ipſe habet certam ſuſpectionem, quod tu tuliſti ſibi ad furtum tanta mobilia, quæ valebant ſolidos XX.

De ancilla alterius quaſi Servo aut Aldioni ſuo copulata. (Cod. Ambr.)

LXXIX. Si quis fraudulenter ancillam alienam tulerit, & dixerit, quod eam ſervus aut aldius ipſius tuliſſet ad uxorem, & poſtea veritas clarefacta fuerit, quod non eam ipſe ſervus, aut aldius tuliſſet, tunc primum omnium reddat ipſum mancipium, cujus fuerit, & ſit ejus ancilla, cujus antea fuit: & ille, qui hanc fraudem facere præſumſerit, det inſuper aliam talem ancillam aut aldiam (6) eidem homini, cui fraudem fecerit, & reddat opera de ipſa ancilla, quam fraudulenter tulit, quamdiu eam apud ſe habuerit. II. 12. 8.

LXXX. Si quis liber homo in caſam alterius introierit ad reſidendum, & ei cenſum reddendum (7), & poſtea aliquid emerit de illis rebus, quas ſecum adduxerit, quando in ipſam caſam introivit: aut forſitan habuerit res de muliere ſua; ſi exinde emerit, & ſic probatum (8) fuerit, tunc ipſum negotium dimittat in ipſa caſa, & recipiat pretium ſuum. Et ipſa probatio in hoc ordine debeat fieri, ut quando de rebus mulieris ſuæ aliquid comparaverit (9), adducat homines qui ſciant, quod ipſum pretium de rebus mulieris ſuæ ſit, ut cauſſa ipſa non veniat ad perjurium; ſed quando voluerit juret, quod de rebus mulieris ſuæ comparatio ipſa facta fuiſſet. Et illi teſtes firmiter ſciant, & jurent: *Quia interfuimus, quando ipſa comparatio de rebus mulieris facta eſt.* Et ſic poſtea recipiat pretium ſuum, & ipſum negotium remaneat in ipſa caſa. Nam ſi de illo labore comparaverit, quod poſtea laboravit (10), aut fecit, poſtquam in ipſa caſa ad cenſum reddendum introierit, in ipſo ceſpite dimittat, ubi laboravit. Hoc autem ideo affiximus, quia tantummodo cauſſa ipſa in hoc modo ſemper & anteceſſorum noſtrorum tempore, & noſtro, per cadarfredam ſic judicata eſt: nam in hoc Edicto adſcriptum non fuit. II. 23. 1.

LXXXI. Si homines in uno vico habitan-

(1) Supra ad Legem XXXVII. ejuſdem Liutprandi aliquid adnotavi de voce *Conlibertus*. Hinc certe erui poſſe videtur, re vera non de Libertis hic agi: non enim addidiſſet *libero homine*; ſed quidem de amicis, aut familiaribus ac notis. Nos appellaremus *Conoſcenti*. Infra Cod. Eſten. *reddiderit, ecce bene: aut ſi non reddiderit, reddere tamen debet. Quia & nos ita* &c.

(2) Idem Cod. *componat ipſe fur, ſicut lex eſt, ei, de cujus caſa ipſas res rapuerit, aut furatus fuerit. Quia hoc ideo proſpeximus.* Infra: *cujus caſam rupit.*

(3) Cod. Eſten. *in unam caſam duas calumnias facere ponere.* Editio Boheriana habet: *in una cauſa duas imputare calumnias.* Et quidem recte: infra enim eadem lectio repetita occurrit, & in ipſis Mss. Leges tamen Juſtiniani, quibus nunc utimur, æquiora hac de re præcipiunt.

(4) Cod. Eſten. *de cujus caſa ipſe fur exivit, quærat ab ipſo fure compoſitionem, & tollat ſicut lex eſt.*

(5) Hæc adduntur in Eſtenſi Cod. *tamen non habeat ex una cauſa duas calumnias, niſi aliquid futurum a noſtris Succeſſoribus præcipiatur imponi.*

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *aut aldionem.* In fine Cod. Eſten. addit hanc Gloſſam: *Intellectum hujus Legis: Datur in duplum omne, quod auferantur fraude.*

(7) Cod. Cathedr. Mutin. *in caſam alterius introierit ad reſidendum, ei cenſum reddendo.* Hoc eſt, per precariam, ſive libellum, domum, aut prædium alicujus ſibi conquiſierit, ſive potius ad utendum eam domum, aut ad colendum eum agrum conduxerit. Infra *negotium* pro *re* adhibitum videas. Eodem ſenſu apud nos hæc ipſa vox perdurat.

(8) Uterque Cod. Mutin. *res de muliere ſua, & ſic exinde emerit, & probatum* &c.

(9) Cod. Eſten. *aliquid comparuit.* Infra: *ſed quando voluerit, quod de rebus* &c.

(10) Verbum *laborare* indicat hic agri alicujus culturam, uti & *ceſpes* infra memoratus, quo nomine prædium ruſticum ſignificabatur. In fine Cod. Cathedr. Mutin. habet, *per cabuvarfida.* Eſtenſis vero Cod. *per cardafedam.* Ambroſ. *per quavvarfeda ſic judicata.* Hoc eſt, non ex Lege, ſed per conſuetudinem & uſum. Vide ſupra Legem XXIII. ejuſdem Liutprandi. In fine Cod. Eſten. *Nam in Edicto* (hoc eſt, Rotharis) *ſcriptum non fuit.*

tantes aliquam intentionem (1) inter ſe habuerint de terra, vinea, prato, aut ſilva, vel de alia re; & collegerit ſe una pars cum virtute, & dixerit: *Eamus & expellamus eos de ipſo loco per virtutem foras*; & ambulaverint, & ſcandalum ibi commiſſum fuerit, & plagæ vel feritæ factæ, aut homo occiſus fuerit; ita decernimus, ut plagas aut feritas, & hominem mortuum, ſecundum anterius Edictum, quod glorioſiſſimus Rex Rotharius, vel nos inſtituimus, componat. Sed pro illicita præſumtione de ipſa collectione componat ſolidos xx. ad illam partem, quæ in campo aut in vinea, vel prato, aut in ſilva ſuum laborem faciebat. Quod autem ideo ſtatuimus, ut nullus præſumat malas cauſſas in quolibetcunque loco excitare aut facere, & non potuimus cauſſam iſtam aſſimilare ad araſcild, nec ad conſilium ruſticanorum, vel ad ſeditionem: & plus nobis congruum paruit eſſe de conſilio malo, id eſt de conſilio mortis. Quia quando ſe colligunt, & ſuper alios vadunt pro peccatis, ad id vadunt, ut faciant malum: aut ſi caſus evenerit, ut hominem occidant, & plagas aut feritas faciant. Ideo ut diximus, aſſimilavimus cauſſam iſtam ad conſilium mortis, quod eſt, ſicut ſupra diximus, ſolidorum xx. I. 17. 4.

Formulæ veteres.

Petre te appellat Martinus, quod ipſe habitabat tecum in uno vico. Habebat intentionem tecum de uno prato, & adunaſti te cum virtute, & expuliſti eum cum virtute foras de ipſo prato.

LXXXII. Annuntiatum eſt nobis, quod aliquis perverſus homo, dum ſe quædam femina in fluvio lavaret, pannos ejus, quos ibi habuerit, totos tuliſſet, & ipſa remanſiſſet (2) nuda: & qui ibant, & tranſibant per locum illum, pro peccatis videbant turpitudinem ejus: ipſa autem in ipſo fluvio ſemper ſtare non poterat, reverti autem ad caſam ſuam nuda erubeſcebat. Provide ſtatuimus, quod qui talem illicitam præſumtionem fecerit; componat eidem feminæ, cui talem turpitudinem illicitam fecerit, ipſe widrigilt ſuum. Ideoque hoc dicimus, quia ſi inveniſſet eam frater, aut vir, aut propinquus parens eidem feminæ, ſcandalum committeret, & qui ſuperare potuiſſet, unus alterum interficeret. Propterea melius eſt, ut vivus componat widrigilt ſuum, quam de mortuo creſcat faida inter parentes, & compoſitio major non requiratur. (3) I. 16. 6.

Formulæ veteres.

Petre te appellat Martinus, quod Maria ſua mundoalda lavabat ſe in fluvio, & tuliſti ſibi totos pannos ſuos, quos ibi habebat.

LXXXIII. Item annuntiatum eſt nobis, quod quidam (4) habebat puteum in curte ſua, & ſecundum conſuetudinem furcam & tollenum ad hauriendam aquam. Veniens autem homo, ſtetit ſub ipſo tolleno, & cum veniſſet quidam ad hauriendam aquam de ipſo puteo, & incaute ipſum tollenum dimiſiſſet, venit ſuper eum, qui ſub ipſo ſtabat tolleno, & mortuus eſt. Dum autem requiſitio de morte ejus (5) fieret, quis eum deberet componere, & nobis relatum fuiſſet, ita nobis, & noſtris judicibus rectum eſſe comparuit (6), ut ipſe homo, qui ibi mortuus fuerit, qui non fuit animal, ſed ſenſum rationalem habuit, ſicut homo debet habere, debuit proſpicere, in quo loco ſe poneret ad ſtandum; aut quale pondus ſuper ſe habebat. Ideo computet (7) ſibi duas partes pretii de compoſitione, tertiam quantum ipſe ſecundum Edicti tenorem appretiatus fuerit, componat ipſe, qui ipſam aquam hauriebat incaute, & det eum filiis aut propinquis parentibus, vel eis qui he-

(1) Idem ac *contentionem*. Infra Cod. Eſten. *una pars forma non per obligationem, aut per ſacramentum, ſive per dexteram, cum virtute, & dixerint* &c. Infra: *ſolidos XX. ſicut de conſilio mortis, ad illam partem*. Infra: *Hoc autem ideo ſtatuimus*. Et inferius Cod. Cathedr. Mutin. *aſſimilare neque ad arſchild*. Cod. Eſtenſis: *neque ad raſcild, neque ad conſilium ruſticanorum, neque ad ruſticanorum ſeditionem* &c. *Araſchild*, ſive *Hereſchild*, ut Du-Cangius cenſet, dicebatur conventus legitimus hominum ad militiam, vel ad aliud opus Reipublicæ utile aut neceſſarium: *Cavalcatam* Papias interpretatur. Infra Cod. Eſten. *& ſuper alios vadunt pro peccatis, ad ipſum vadunt, ut malum faciant. Et ſi caſus* &c.

(2) Uterque Cod. Mutin. *pannos ejus, quos ibi habuit, totos tuliſſet, & ipſa remanſerit nuda*. Infra: *Proinde ſtatuimus, ut qui* &c. Infra Cod. Eſten. & Ambroſ. hæc habent: *aut propinqui parentes ejuſdem feminæ ſcandalum cum eo ſtatim committerent*. Cod. Cathedr. Mutin. *ſcandalum cum eo committere habuiſſet, & qui ſuperaret, unus alterum interficere potuiſſet*. Cod. vero Eſten. *& qui ſuperare potuiſſent, unus alterum interficere haberet*.

(3) Cod. Cathedr. Mutin. *quam de mortuo creſcat faida inter parentes, & compoſitio major*. Ita quoque in Eſtenſi verba poſtrema.

(4) Uterque Cod. Mutin. *quidam homo habebat*. Infra: *furcam & tolenum*. Ita quoque Mss. Mutinenſes. *Tolleno, tollenonis*, appellata eſt ab antiquis Latinis ejuſmodi machina, quæ adhuc in uſu frequenti eſt apud Italos, aliaſque gentes. Immutata aliquantulum voce Tuſci nunc appellant *Altaleno*. A *tollendo* aquam trabs tranſverſa ac mobilis impoſita ſuper trabem rectam nomen accepit. Infra: *veniens autem alter homo*.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *ejuſdem mortui fieret*. Cod. Eſten. *facta fuerit*.

(6) In ambobus Codicib. Mutinen. *rectum paruit eſſe* &c. *quia non fuit animal irrationale, ſed ſenſum rationabilem* &c.

(7) Legitur in utroque Ms. Mutin. *ſuper ſe videbat. Ideo reputet ſibi duas partes pretii in compoſitione ſua. Et tertiam partem* &c. Infra: *aut propinquis parentibus, qui ei heredes exiſtunt*.

redes extiterint ; & ſit cauſſa finita abſque omni faida & dolo , eo quod nolendo factum eſt. Ille autem, cujus puteus eſt, nullam habeat calumniam . Quia ſi ei calumniam ingerimus, nullos poſtea permitteret (1) de puteo ſuo aquam haurire : quia omnes homines puteum habere non poſſunt, reliqui pauperes ſiti morerentur , etiam itinerantes neceſſitatem paterentur. I. 9. 24.

LXXXIV. Item relatum eſt nobis , cum quidam (2) homo præſtitiſſet jumentum ſuum alteri homini ad vecturam , & pullus indomitus ſecutus fuerit matrem ſuam : dum autem per viam ambularet (3) , contigit, ut infantes in quodam vico ſtantes ipſe pullus calce percuſſiſſet , & unus ex eis mortuus eſt . Dum autem parentes requirerent mortem infantuli , & nobis retuliſſent, ita proſpeximus cum noſtris judicibus , ut duas partes pretii, quantum ipſe valuerit infans, componat ille , cujus pullus fuerit : & tertiam partem componat ille , cui jumentum (4) præſtitum fuerit . Nam nos ſcimus , quod in anteriori Edicto legitur : Si caballus cum calce damnum fecerit , dominus ejus reſtituat ipſum damnum ; ſed quod iſte præſtitus fuerit , & ipſe qui eum ſuſceperit in præſtito, rationalis homo fuit: & potuit dicere , ſi neglectum non habuiſſet, ad ipſos infantes , ut ſe cuſtodirent, ut hoc malum non proveniret : ideo pro ipſa negligentia eis juſtum diximus, ut tertiam partem pretii componat. I. 21. 6.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus , quod tu habebas ad conductaram jumentum Donati, & pullulum indomitum fuit ſecutum matrem ſuam , & ipſe pullulus occidit cum calce unum ſuum filium, qui ſtabat in loco tali . Petre te appellat Martinus , quod unus tuus caballus occidit unum ſuum filium cum calce .

LXXXV. Hæc autem rei veritas pervenit ad nos, quod quidam homo diabolo inſtigante dixiſſet ad ſervum alienum ; *Veni & occide dominum tuum, & ego habeo facere (5) bonitatem, quam volueris :* ille autem perſuaſus ab ipſo intravit in cauſſam ipſam malam , & idem qui eum ſuaſit in tanta malitia perductus eſt , ut & præſentialiter diceret eidem puero : *Feri ipſum dominum tuum ;* & ipſe ei pro peccatis feritam fecit . Et iterum dixit : *Feri eum adhuc, nam ſi non feceris , ego te ferire habebo ;* ipſe autem puer converſus fecit eidem domino alteram feritam, & mortuus eſt. Dum autem requiſitio de morte ipſius, & de compoſitione fieret , volebat aliquis (6) dicere, quod tantum deberet componere is, qui puero perſuaſit , & in ſua præſentia hominem ferire juſſit , quantum anterius Edictum continet de conſilio mortis , Sed nobis , noſtriſque judicibus hoc nullo modo placuit , quoniam conſilium mortis in occulto ſit concinnatum : & aliquotiens perficitur , aliquotiens non . Nam hoc homicidium præſentialiter factum eſt. (7) Et nos non dicimus hoc eſſe conſilium , quando homo alteri homini verbo tenus , & præſentialiter oſtendendo dicit : *Veni & feri hominem iſtum.* Ideoque qui tale malum commiſit , & ſic probatum fuerit, non componat conſilium mortis , ſed componat ſicut in noſtro (8) Edicto affiximus , hoc eſt , ut perdat omnem ſuam ſubſtantiam, & medium accipiant heredes defuncti, & medium Curtis Regia, excepta illa compoſitione antiqua , quam heredes ipſius , qui mortuus eſt , in antea tollant , ſicut in Edicto noſtro tempore , ut ſupra diximus , eſt affixum. I. 9. 25.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu dixiſti ad Adelgiſum, qui fuit ſervus de ſuo

---

(1) In ambobus Cod. Mutin. ſcriptum legitur : *nullus poſtea permittet de puteo tuo aquam levari, & quia* &c. In fine : *ſeu etiam iterantes aquæ neceſſitatem ſæpe paterentur*. Tum in Cod. Eſten. Gloſſa hæc additur : *Quia ſtans nec cæcus, nec puer intelligendus eſt.*

(2) Codices Mutinen. *quod quidam* . Infra Cod. Eſten. *& pullulus ſecutus fuiſſet* ; Cod. vero Cathedr. Mutin. *& pollenus indomitus ſecutus fuiſſet ipſam matrem*. Ab his vocibus tamdem emerſit Italica vox *Puledro*.

(3) Cod. Eſten. *ambularet ille , qui eum ad conducendum acceperat , contigit , ut* &c. At Cod. Cathedr. Mutin. *Cum autem per viam ambularet ille, qui eam ad ſuvectum ſuum acceperat , contigit, ut* &c. Infra Cod. Eſten. *ipſe pullulus de calce*. Cod. Cathedr. Mutin. *ipſe pollenus de calce percuſſit unum ex ipſis , & mortuus eſt* . Tum uterque Cod. *Dum autem parentes ejus requirerent mortem ejuſdem infantuli*.

(4) Cod. Cathedr. Mutin. *cui ipſe jumentus præſtitus fuerit*. Infra idem Cod. *Sed quia iſte cavallus præſtitus fuit, & ipſe qui eum ſuſcepit in præſtitum , rationabilis* &c. Eadem fere habet Cod. Eſten. qui in fine hæc affert : *Ideo propter iſtam negligentiam dicimus , ut tertiam partem pretii componat*.

(5) In utroque Cod. Mutin. legitur : *& ego tibi facio bonitatem , quam volueris* (hoc eſt , *ed io ti farò quel bene, che vorrai*, ſive te remunerabor) : *Ille autem puer* (ſequitur Cod. Eſten.) *converſus & ſuaſus ab ipſo, intravit in ipſam cauſam mali*. Infra iidem Cod. *feri eum adhuc : nam ſi eum non ferieris , ego ferire habeo te*.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *volebant aliquanti dicere, quod tantum deberet componere ipſe , qui puero ipſo ſuaſit, & in ſui præſentia ferire dixit , quantum anterior continet Edictus* &c.

(7) Cod. Eſten. *Nam ſic homicidium fecit , cum præſentaliter hoc factum eſt* ; (ſequitur Cod. Cathedr.) *& nos non dicimus , hoc eſſe conſilium mortis , quando homo alteri homini* &c. *& præſentaliter oſtendit & dicit*.

(8) Uterque Cod. Mutin. *ſicut nos noſtro* . Infra Cod. Cathedr. Mutin. *& medietatem exinde accipiant* &c. *excepto tollant antiquam compoſitionem heredes ipſius , qui occiſus eſt in antea* . Cod. Eſten. *excepto illam compoſitionem antiquam heredes ipſius , qui occiſus eſt , in antea tollant* .

ſuo patre, quod eum occideret, & in tua præſentia feciſti occidere. Petre te appellat Martinus, quod tu feciſti in tua præſentia occidere Donatum ſuum patrem.

LXXXVI. Si aldius cujuſcumque aldiam alienam tulerit in uxorem, aut ſervus ancillam, & antequam de ipſo conjugio aliquam convenientiam (1) domini eorum inter ſe faciant, contigerit, ut quiſpiam miſer homo cum ipſa muliere aldia aut ancilla, quæ eſt uxor alterius, fornicatus fuerit, ita prævidimus, ut eidem, cujus uxorem adulteraverit, de ipſa culpa debeat ſubjacere ille, qui hoc malum perpetraverit. Nam dominus ejuſdem mulieris tantum mundium de ea ſuſcipiat, ſi aldia fuerit, ſicut lex eſt: & ſi fuerit ancilla, accipiat exinde pretium, aut vicariam, ſicut convenerit. Hoc autem ideo proſpeximus de uxore ſervi vel aldionis, quia ſi de libero homine quiſpiam miſer homo mulierem adulteraverit, ad maritum ejus componat, etiamſi non habeat eam mundiatam (2): nam non ad parentes. II. 12. 9.

LXXXVII. Si quis liber homo habuerit ſervum vel ancillam, aldium vel aldiam, conjugatos, & inſtigante inimico humani generis cum ipſa ancilla, quæ ſervum ejus in maritum habuit (3), aut cum aldia, quæ cum aldione ejus copulata eſt, adulterium perpetraverit: ita ſtatuimus, ut perdat ipſum ſervum aut aldionem, cujus uxorem adulteraverit, & ipſam mulierem, & ſimul vadant (4) liberi & abſoluti fulfreales, tanquam ſi thingati fuiſſent, ubi voluerint: quia non eſt placitum Deo, ut aliquis homo cum uxore aliena debeat fornicari. Tamen de ipſa libertate ita dicimus, quod non poſſunt ſic ſine vera abſolutione liberi eſſe, (5) niſi, ſicut Edictum continet, aut per thinx, aut circa altare, ſicut

nos inſtituimus. Ideoque veniant ad palatium ad nos, & qui pro tempore Princeps iſtius terræ fuerit, ipſe eos abſolvat, & faciat eis præceptum ſuum, & ſint poſtea certiſſimi vere liberi & abſoluti. I. 32. 5.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu es ſuus ſervus, & malo ordine ſubtrahis te de ſuo ſervitio. Liber ſum per præceptum Imperatoris. Quid pertinuiſti ad Imperatorem? Ego habebam unam tuam ancillam ad conjugium, & eram tuus ſervus, & tu adulteraſti eam.

De collectione mulierum quæ manu forti ſe collexerunt. (Cod. Ambr.)

LXXXVIII. Relatum eſt nobis, quod aliqui perfidi homines, & in malitia aſtuti, dum per ſe non præſumſiſſent manu forti aut violento ordine intrare in vicum, aut in caſas alienas, timentes illas compoſitiones, quæ in Edicto anteriori compoſitæ ſunt, (6) fecerunt colligere mulieres ſuas, quaſcumque habuerunt, ſive liberas vel ancillas, & miſerunt ſuper homines, qui minorem habebant virtutem: & mulieres apprehendentes homines de ipſo loco & plagas aut feritas fecerunt (7) & aliqua mala violento ordine, plus crudeliter quam viri, exercuerunt. Dum autem hoc ad nos perveniſſet, & homines ipſi pro ſua violentia, qui minus poterant, interpellabant; ita proſpeximus, in hoc Edicto eodem modo affigere, ut ſi amodo mulieres hoc facere in qualicumque loco præſumſerint, primum omnium decernimus, ſi aliquam injuriam, aut opprobrium, vel plagas aut feritas, aut mortem ibi acceperint, nihil ad ipſas mulieres, vel ad viros, aut ad mundualdos earum, componant illi, qui ſe defendendo aliquam eis fecerunt læſionem (8), aut interemtionem.

(1) Hoc eſt, conventionem, ſive chartam fecerint, per quam illius aldiæ, aut ancillæ *mundium*, aut *dominium* dimiſerint. Infra Cod. Eſten. *inter ſe faciant, contigerit, ut quiſpiam miſer homo convenientia domini cum ipſa aldia* &c. Sed hic immerito repetita cenſeo verba illa; *convenientia domini*. Infra idem Cod. *ita prævidimus, ut de ipſa culpa debeat ſubjacere ille qui hoc malum perpetravit, ei cujus uxorem adulteravit*. Infra: *vicariam*, hoc eſt, vice ejus alteram ſimilem, ſicut inter dominos convenerit.

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *adulterat, ad maritum ejus componat, quantum etiam non habet eam mundium:* (ſequitur Cod. Ambroſ.) *nam non ad parentes mulieris*.

(3) Cod. Eſten. *ſervum ejus maritum habet*. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *Inſtituimus, ut perdat dominus ejus ipſum* &c.

(4) Cod. Eſten. *& ipſam mulierem inſimul, ut vadant liberi & abſoluti fulfreales, tamquam ſi thingati* (hoc eſt, plene manumiſſi) *fuiſſent*. Infra: *quia non eſt placitum Deo, ut quislibet homo* (ſive ut habet Cod. Cathedr.) *ut quis liber homo cum uxore* &c.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. & Ambroſ. *veri liberi eſſe, niſi ſicut Edictum continet* (ſequitur Cod. Eſten.) *aut per garathinx, aut circa altare Dei*. Hoc eſt, niſi præcedat vera manumiſſionis abſolutæ & integræ forma. In fine: *ad Palatium ad nos, aut qui pro tempore Princeps terræ iſtius fuerit; ut eos abſolvant, & faciant eis præceptum ſuum*, hoc eſt, publicam chartam manumiſſionis coram Rege factæ teſtem.

(6) In ambobus Codicib. Mutinen. *timentes illam compoſitionem, quæ in antiquo Edicto poſita eſt*. Inferius: *& miſerunt eas*.

(7) Cod Eſten. *& ipſæ apprehenderunt de ipſo loco homines, & plagas fecerunt, & reliqua mala* &c. *exercuerunt*. Infra ambo Codices: *Primum omnium ita decrevimus, ut ſi aliquam injuriam* &c.

(8) Cod. Cathedr. Mutin. *aliquas eis fecerint læſiones, aut feritas, aut* &c. Infra *Publicus* eſt Miniſter Regis, ſive Sculdahis, ſive Decanus; aut Saltarius. Infra Cod. Eſten. *& faciat eas decalvari*, hoc eſt, radere uſque ad cutem, *& fruſtari per vicos & vicinas ipſius loci*. Cod. Cathedr. Mutinen. *& fruſtari per ipſos vicinantes ipſius loci, ut de cetero mulieres*

nem. Insuper & Publicus, qui est in loco, ubi factum fuerit, comprehendat ipsas mulieres, & faciat eas decalvare, & fustare per vicos vicinantes ipsius loci, ut ceteræ mulieres talem malitiam facere non præsumant. Et si in ipsa casa feritas aut plagas ipsæ mulieres cuicunque homini fecerint, mariti (1) componant ipsas plagas aut feritas, quas ipsæ fecerint secundum tenorem Edicti. Hoc autem ideo prospeximus, tam de disciplina, quam de compositione, quia non possumus mulierum collectionem ad arascild assimilare, neque ad seditionem rusticanorum: quia viri istam caussam faciunt, non autem mulieres: & ideo de ipsis mulieribus fiat, sicut supra statuimus. (2) Si quidem simpliciter in scandalum qualiscumque mulier cucurrerit, & mortem, aut feritas, vel plagas ibi acceperit, sic fiat justitia, sicut decessor noster Rotharius Rex instituit vel judicavit. I. 17. 5. *6*.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti adunare tuas feminas liberas, & ancillas, quas potuisti habere, & misisti eas super se in vicum talem, & occiderunt sibi unum suum servum. Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti Mariam suam mundoaldam. Non occidi, quod per legem emendare debeam. Petre te appellat Martinus, quod sua mundoalda currebat simpliciter in scandalum, & tu eam occidisti.

Incipit (3) *de Anno Vigesimo Tertio.*
(Cod. Ambr.)

LXXXIX. Si quis liber homo sciens aldium aut aldiam, servum aut ancillam suam in casa cujuscumque esse aut copulatos aut aliter, & non eum requisierit, aut per judicem, aut per Publicum, & non eum retulerit (4), & dimiserit eum apud alium hominem diutius permanere, non requirat operas eorum, quia sciens neglexit requirere servum aut aldium, ancillam aut aldiam suam. Nam si requisierit dominus illorum, & ille qui eos habuerit, neglexerit reddere, aut antesteterit, reddat operas eorum, sicut lex est. I. 25. 58.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu habuisti Marculphum suum servum, vel aliquem ex aldiis XX. noctes in casa tua, & perdiderit tantas operas, quæ valuerunt X. solidos. Si dixerit appellatus: Non tibi respondeam, quia tu scivisti, quod ipse erat in casa mea, & habuisti negligentiam requirendi, ita probetur. Sin vero, juret actor, quod non habuit negligentiam, vel taceat. Si vero appellatus negaverit, exdicat se. Si dixerit appellator: Requisivi tibi, sed habuisti negligentiam reddere, approbet. Sin vero, idoneet se appellatus, vel emendet operas.

XC. Si cujuscunque servus aut ancilla, aldius vel aldia, in ecclesia Dei confugium fecerit, & dominus vel patronus eorum, aut per Missum suum (5), aut per se, exinde violenter traxerit, componat widrigilt suum, in suprascripta Basilica (*6*). Et si servus vel aldius sine voluntate domini sui hoc malum fecerit, det ipsum servum vel aldionem pro ipso malo, in manu custodis ipsius Basilicæ, & ipse dominus vel patronus satisfaciat, quod per ipsius voluntatem hoc factum non fuisset, & ipse widrigilt non componat. II. 39. 1.

XCI. Si quis timoris Dei immemor, pro cupiditate terrena, vel propter qualemcumque rem, sciens perjuraverit, & postea sic inventum aut probatum fuerit, quod perjurasset, tunc amittat ipsam rem, unde perjura-

---

res &c. Ambrosianus: *& frustari per vicos vicinantes ipsis locis*. A Latino *fustis*, significante bacillum, sive baculum tenuem, descendit Italica vox *frustare*, quod *fustigare* leguleji appellant; antiqui vero Latini, *fustibus cædere*. Isidorus Lib. V. cap. 27. *Fustes sunt, quibus pro criminibus juvenes feriuntur*.

(1) Mss. Mutinen. *in ipsa causa feritas aut plagas fecerint ipsæ mulieres cuicumque homini, mariti, id est mares earum componant* &c. Infra pro *arascild* Cod. Cathedr. Mutin. habet, *ad arischild*. Vide supra notas ad Legem LXXXI.

(2) Quæ sequuntur, Legem a superiori distinctam in editis constituunt. Verum, ut in Esten. Cod. habetur, hæc sunt præcedentibus conjungenda. Est autem in editis Lex VI. Lib. I. Tit. XVII. Infra Cod. Esten. *sic ei fiat justitia, sicut decessor noster Rothar Rex instituit, & judicavit*.

(3) Ambros. Cod. in quo legitur hæc epigraphe, docet, novum Librum hinc institui, & subsequentes Leges additas fuisse Anno XXIII. Liutprandi Regis, hoc est Anno Christi 733.

(4) Cod. Esten. *& non eum recollegerit*. Infra uterque Cod. *quia sciendo neglexit requirere servum, aut ancillam, aldium, vel aldiam suam*. Alter ex Codicibus: *aut aldianam suam*.

(5) In ambobus Mss. Mutinen. *aut per se, aut per Missos suos*.

(6) Alia hic adduntur in Codice Estensi, ac in ipso Legis textu, quæ tamen Glossas credere liceat. Sunt autem hæc: *sicut in proprietate alicujus: si dominus, vel patronus, tantum Widrigilt. Si vero per suum Missum liberum aut alienum servum: dominus Widrigilt, Missus vero XL. solidos. Si vero per suum servum, vel aldium; dominus Widrigilt tantum. Si vero de Ecclesia, de Episcopatu, vel Abbatia: dominus si per se fecit, vel patronus, DC. solidos componat. Si vero per Missum, servum, vel aldium: dominus vel patronus DC. solidos componat. Si vero per Missum liberum: liber componat DC. solidos*. Tum edita sequuntur, hoc est: *Si vero servus aut aldius domini sine voluntate domini sui hoc malum fecerit*. Subsequuntur addita in Cod. Esten. *Id est si eos de propria Ecclesia Langobardi per vim traxerit, dominus utrorumque det ipsum servum vel aldium pro ipso malo in manu de Custode Ecclesiæ ipsius &c.*

juravit, & habeat eam ipse, cui contra rationem perjuravit (1). Insuper, quia in se ipso, & quod plus est, in Deo peccavit, & negavit fidem suam, & perjuravit in Domino Deo suo, & sibimetipsi non pepercit, componat medium widrigilt suum ei, cui ipse perjuravit. II. 58. 1.

De successione neptæ, quæ in capillo moritur, quales ei succedere debeant.

(Cod. Ambr.)

XCII. Recolimus enim qualiter jam antea statuimus, ut si quis decedens reliquerit filiam unam aut plures, & sororem unam aut plures in capillo, ut pariter atque æqualiter sorores & filiæ eidem succedere debeant. Et si soror in capillo decesserit, soror quæ remanserit, similiter sorori succedat. Modo vero quia intentio exorta est inter fratres & sorores de nepte earum, quæ in capillo mortua fuerit, altercationem ponentes ei, quis succedere debeat, statuimus, ut barbanus (2) ejus, in cujus mundio fuerit, ipse ei succedat in ejus portionem. Nam amitæ ejus de ipsius portione nihil percipiant, nisi tantum habeant, quantum si viva fuisset ipsa neptis earum. II. 14. 26.

XCIII. Si quis invenerit liberam puellam aut mulierem per campum suum seminatum ambulantem, & viam indicantem (3), pignoret eam, & parentes, aut Mundualdus componat pro ipsa puella solid. VI. sicut lex est. Nam si ipsam comprehendere præsumserit, & ad casam suam ligatam, aut submanicatam adduxerit, componat solid. C. medium Regi, & medium cujus caussa est: sic tamen ut illa compositio de VI. solid. in illa compositione computetur. Quod si pulsatus fuerit ille, in cujus mundio est mulier aut puella, qui asto animo & iniquo feminam ipsam ambulare per laborem alterius fecisset, ut ei componeret, tunc præbeat sacramentum, quod non cupiditatem habendo de compositione ista, asto animo per laborem ipsius ipsam feminam ambulare non fecisset, nec damnum asto animo faciendo. Et si juraverit, tunc ipse qui eam comprehendere præsumserit, componat solid. C. & si jurare non potuerit, parentes aut Mundualdus ipsius feminæ, ut supra dictum est, componant solid. VI. pro via indicata, & ille qui eam comprehenderit, sit absolutus a culpa. I. 16. 7.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod ipse invenit unam tuam mundoaldam ambulantem per campum suum seminatum & facientem damnum. Petre te appellat Martinus, quod tu invenisti Mariam suam mundoaldam ambulantem per campum tuum seminatum & indicantem viam. Et tu minasti eam ad casam tuam ligatam. Non. Vel feci. Et tu fecisti eam ire astu animi per laborem meum. Juret, ut lex est, vel perdat compositionem.

XCIV. Si cujuscunque servus aut aldius, ancilla aut aldia, in furto comprehensi fuerint, & dominus eorum neglexerit eos liberare, & usque ad dies XXX. eos dimiserit, sint fegangi (4): & habeat eos in transactum, cui furtum fecerint, & componat postea ipsum furtum, sicut lex est, & Edictum continet. I. 25. 59.

XCV. Si quis sua auctoritate terram alienam sine publico jussu guiffaverit (5), dicendo quod sua debeat esse, & postea non potuerit probare, quod sua sit, componat solidos VI. quomodo qui palum in terra aliena figit. I. 27. 8.

XCVI. Item de infantibus qui intra ætatem sunt, & necessitatem majorem habent, & fame moriuntur, comparuit nobis, ut dum (6) tempus famis fuerit, licentiam habeant cum Misso Principis, aut cum Judice suo, de terra, aut de rebus suis vendere, qualiter vivere possint: in tantum ut se de fame liberare possint, & ut non morian-

(1) Cod. Esten. *cui contra rationem juravit. Et insuper quia in se ipse, & quod plus est* &c. Infra: *componat medietatem Widrigilt sui, cui perjuravit, & manum perdat.*

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *ut barba*: quod vocabulum in populo nostro adhuc usitatissimum. Et infra: *Nam Amitanes ipsius.*

(3) Ita & Cod. Esten. & Ambros addunt: *& viam indicantem.* Quæ sequuntur, duo hæc verba addenda esse innuunt. Infra: *& parentes ejus, aut Mundualdus ejus componant soldos XX.* Infra: *submanicatam*, hoc est, thecis ferreis, aut fune, aut aliis vinculis ejus manus vinxerit. Infra: *componat soldos X. medietatem Regi, & medietatem cujus causa est.* Infra: *de soldis XX. in ipsa compositione computetur. Et si* &c. Inferius ambo Codices: *componat soldos decem ut supra. Et si jurare non præsumserit* &c. *componat pro via indicata soldos XX.* In eodem Codice non *asto animo*, sed *astu animi* habetur. Rursus *viam indicantem* significare arbitror, quod nos dicimus *fare un sentiero*, quasi aliis ostendat, ibi viam esse.

(4) *Fegangi*: quam vocem & supra vidimus; significatque, eos esse reos furti manifesti, ut Glossæ explicant. Sequitur Esten. Codex: *Et habeat eos sibi dominus acto, cui furtum fecit, & post ipsum furtum componat, sicut lex est, & Edictum continet.* Subinde vero in eodem Cod. Glossa hæc additur: *excepto si furtum fecit, unde mortis incurrat periculum. Nam pro culpa aut oculum, aut nasum perdat, aut moriatur.* Quibus verbis Glossator alludit ad pœnam furibus indictam a Carolo M. infra Lege XLIV.

(5) Cod. Esten. *Wifaverit*. Occurrit hæc vox etiam in Legibus Bajoariis ac Geticis, & in antiquis Venetorum Statutis, significatque imponere signum aliquod in agro, aut domo ad suum ostendendum ibi dominium. Infra in Leg. XXXIV. Ludovici Pii: *per publicam auctoritatem domus, vel casæ eorum Wifentur.* Cod. Esten. ad postrema verba, *in terra aliena figit*, hæc addit, *& insuper LX. solidos.*

(6) Uterque Cod. Mutin. *dum tempus famis fuerit, ut licentiam habeant.* Infra Cod. Esten. *equidem & ipse Judex de ipso loco debeat providere, si certe pro ipsa* &c.

riantur. Et ipſe Judex de ipſo loco debeat providere, ſi certe ipſa neceſſitate famis ſit, & ſic in ejus præſentia fiat, ut dominum habeat propitium: & ſi aliter fecerit, Deum habeat judicem. Et in carta indicet (1), qualiter pro famis neceſſitate ipſa venditio facta eſt; & qui actum commiſſum habuerit, non præſumat de ipſis infantibus emere. Et dum tempus famis exierit, tunc ipſi infantes ſecundum anterius Edictum diſtribuant res, aut ſubſtantiam ſuam, nam non aliter; quia iſtam licentiam pro ſola famis neceſſitate dedimus, nam non, quod abſit, anterius Edictum corrumpendum eſt. II. 29. 7.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes ſibi malo ordine terram in tali loco. Ipſa terra mea propria eſt. Quid tibi pertinet? Ecce carta, quam mihi feciſti. Si cartula manifeſtat neceſſitatem famis, & omnia, ſicut lex eſt, dicit, aut dicat falſam, aut det pœnam de carta. Si carta manifeſtat, quod Miſſus vel Tutor comparaſſet vel de infante, fiat taliata.

XCVII. Si quis foſſatum (2) in via fecerit, & ipſum locum ſuum probare non potuerit, componat ſolid. VI. & ipſum foſſatum reſtauret. Et ſi ipſum foſſatum cavando damnum in vite aut in arbore fecerit, componat ſicut anterius Edictum continet. I. 27. 9.

XCVIII. Si quis porcos in ſilva aliena defenſata miſerit, ſicut anterius Edictum continet, uſque ad X. porcos, & occiderit porcum unum, ſic ſit, ſicut in anteriori Edicto continetur. Si quidem tantum decem invenerit, & plus occiderit, quam Edictum habet, componat eum (3) in octogilt, ſicut qui res alienas malo ordine tollit. Nam ſi ille homo, qui porcos habet, amplius miſerit aſto animo ſuos aut alienos in defenſata ſilva, quam quod Edictum habet, & ille, cujus ſilva eſt, occiderit ex ipſis plus quam Edictum continet, non requiratur. Et ſi ille qui porcos miſit, jurare præſumſerit, quod aſto animo non miſiſſet, ſine voluntate ipſius domini reddat ille, qui occiderit, ipſos porcos ferquidos. Et ſi de paſtore ſuo ſimiliter juraverit, ſimiliter reddat: nam ſi de paſtore ſuo aſto animo jurare non potuerit, medium reddat, & medium reputet ſibi, quod ſervum habuit indiſciplinatum. I. 23. 7.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu inveniſti ſuos porcos in tua ſilva, & occidiſti III. qui valebant ſoldum unum.

XCIX. Si quicumque homo, qui eſt pauper aut naufragus, qui vendidit aut diſſipavit ſubſtantiam ſuam, & non habet unde compoſitionem faciat; fecerit furtum, aut adulterium, ſcandalum, aut plagas alii homini intulerit, & fuerit ipſa compoſitio XX. ſolid. aut ſupra (4), dare debeat eum Publicus in manu ejus, cui talem fecerit culpam, vel illicitas illas cauſſas egit, & ipſe eum habeat pro ſervo. Si autem minor XX. ſolid. fuerit iſta compoſitio, ſicut ſolet fieri, uſque ad VI. aut ad XII. ſolidos, tunc debeat eum Publicus dare in manu ejus, cui talem culpam fecerit pro ſervo: in eo ordine, ut ſerviat ei tot annis, ut ipſam culpam redimere poſſit, & vadat poſtea ubi voluerit. I. 25. 60.

C. Si Longobardus, uxorem habens, filios aut filias procreaverit, & poſtea inſpiratione Dei compulſus Clericus effectus fuerit (5), tunc filii aut filiæ, qui ante ejus converſionem nati fuerint, ipſa lege vivant, qua lege ille vivebat, quando eos genuit, & cauſſam ſuam per legem ipſam finire debeat. II. 5. 1.

CI. Hoc (6) nobis rectum comparuit eſſe de his ſervis, qui in furto comprehenduntur, ut in anteriori Edicto continetur, ut occidantur, aut redimat (7) eos dominus eo-

---

(1) Cod. Eſten. *& in chartula indicet* &c. Et in fine: *anterius Edictum corrumpendo*. Cod. vero Cathedr. Mutin. *in anteriorem Edictum corrumpendum*.

(2) Vide ſupra alteram Legem Liutprandi Lib. V. Cap. XVII. Neſcio quare Cod. Eſten. habet hic, *componat ſoldos LXIII.* Infra ibi legitur: *Et damnum ſi in vitibus, aut in arboribus per ipſum foſſatum cavandum factum fuerit, componatur* &c.

(3) Cod. Cathed. Mutin. *componat eos*. Infra uterque Cod. *Nam ſi ille homo, qui ipſos porcos habet, amplius miſerit* &c. In fine Cod. Eſten. *Nam ſi de paſtore non præſumſerit de aſtu jurare, medietas reddatur, & medietatem reputet*.

(4) Cod. Eſten. *& fuerit ipſa compoſitio valens ſoldos XX. ut ſupra, dare eum debet Publicus* &c. Infra: *ſicut ſolet fieri uſque ad XX. aut ad XII. ſoldos, tunc debet eum* &c. In fine poſt ea verba, *ubi voluerit*, Cod. Eſten. hæc adjicit: *quo voluerit abſolutus*. Tunc hæc adduntur: *Excepto eo, qui eſt in hoſte. Pro debito quoque præcipimus, ut tradatur ſecundum aſinos*. Ita perſpicue in Ms. quæ neſcio num corrupta ſint, an joci cauſa ab aliquo interprete addita.

(5) Addit Cod. Eſten. *ea uxore mortua: tunc* &c. Hoc autem ideo conſtitutum eſt, quia Clerici omnes ſecundum Legem Romanam vivebant. Si ergo Langobardus militiæ eccleſiaſticæ ſe addicebat, pergebant ejus filii vivere Lege Langobardorum.

(6) A Codice Eſtenſi, cujus ordinem ſequutus ſum hactenus, & ſequar, Lex iſta, uti & ſubſequens, abſunt. Quare eas ad calcem reieci. Attamen hæc legitur in Cod. Cathedr. Mutin. ibique ab his verbis incipit: *Hoc enim rectum nobis paruit eſſe*.

(7) Rectius hæc in Cod. Cathedr. Mutin. *unde in anteriore Edicto legitur, ut aut occidantur, aut redimeret eos* &c.

eorum ſolidis XL. ut ſi amodo cujuſcumque ſervus comprehenſus fuerit, eo tenore ut mori debeat, redimat eum dominus ſuus cum ſolidis XL. ſicut dictum eſt. Et ſi minime eum redimere voluerit, ipſe dominus occidat. Et ſi dominus ejus eum occidere noluerit, occidat eum ille, qui eum comprehenſum tenet. Et ſi nec ille voluerit, tunc occidat (1) Curtis noſtra, & quomodo juſſio noſtra fuerit, de eo debeat ordinare. Ipſe vero dominus ejus componat ipſum furtum, ſicut Edictum continet, ei cui ipſum factum fuerit furtum. I. 25. 52.

CII. (2) Si quis a convenientia per cartam a ſe factam ſe ſubtraxerit, heres ejus pœna compoſitionis tenetur adſtrictus præcepto per quamdam inſtitutionem (3), vel quæ eſt. Hoc (4) loco admonendi ſumus, quod maleficiorum litigium, niſi lis conteſtata fuerit, adverſus heredes non tranſeat. Si vero contractu litigaverit, ſive lis conteſtata fuerit, ſive non, heredi & in heredem competit. II. 21. 23.

EXPLICIT EDICTUM, QUOD CONSTITUIT GLORIOSISSIMUS LIUPRANDUS REX, INCIPIUNT LEGES, QUAS ADDIDIT SANCTISSIMUS VIR RATCHIS REX.
Ita ex Ambroſ. Cod.

RACHIS LEGES.

RACHIS REX INCIPIT.

PROLOGUS.

CHriſti (5) Jeſu Domini noſtri & Salvatoris aſſidue nos convenit præcepta complere, cujus providentia ad regiminis culmen pervenimus, & ipſius auxiliante miſericordia, quæ Genti nobis commiſſæ conveniunt, id eſt Genti Catholicæ, & dilectæ Deo Langobardorum, ſtatuendo prævidimus. Quoniam glorioſiſſimus ac præceſſor Rotharis Rex, Langobardorum Gentis Princeps, ſibi Deo inſpirante Leges inſeruit, atque innovavit, ut omnes intentiones ac diſſenſiones malorum regali ſtudio reſecaret. Et quidem ſtatuit, ut cuncti ſucceſſores ejus, quando ſibi Deo inſpirante aſpera & dura cognoſcerent, ad molliciem & pietatis gratiam adducerent. Deinde ſucceſſor ejus Grimoaldus Excellentiſſimus Rex, dum ſtudioſe ac vigilanter ſingulorum conſideraret neceſſitatem, ea quæ illi melius complacuere, ad cultum ſalutis emendavit, & correxit, & plura etiam neceſſaria augendo (6) in unum adjunxit. Poſt hunc vero glorioſiſſimus & orthodoxæ fidei cultor, atque hujus Gentis Gubernator, & noſter per miſericordiam Dei omnipotentis nutritor Liutprandus eximius & præexcelſus ac ſacratiſſimus Princeps, perſiſtens in Dei operibus cotidianis vigiliis, omni (7) pudicitia & ſobrietate ornatus, ſicut a Deo promeruit, per ipſius inſpirationem omnia decenter expoſuit, & in Edicti pagina cum ſuis Langobardis Judicibus confirmavit. Idcirco per Redemtoris noſtri providentiam Ego divino auxilio Rachis Rex præexcellentiſſimus & eximius Princeps Anno Regni mei ſecundo (8), II. die Kalendarum Martiarum, Indictione XIV. dum cum Gentis noſtræ, id eſt Langobardorum Judicibus, tam de Neuſtriæ, quam de Auſtriæ, vel de Tuſciæ finibus, univerſa, quæ ab anteceſſoribus noſtris ſtatuta ſunt, ſollicite conſideraſſem, quædam ibi juſta, & quædam purganda invenimus (9). Quia dum pravi homines ea, quæ

(1) Corrigenda hæc ope Codicis Cathedr. Mutin. *tunc accipiat eum Curtis noſtra*.

(2) In neutro Codice Mutin. exhibetur Lex iſta, alioqui edita & a Boherio. Ei autem locus, ut puto, ſupra dandus fuit poſt Cap. LIV. Lib. VI. Legum Liutprandi.

(3) Hic multæ tenebræ, quæ & in editione Boherii occurrunt. Ego tempus non teram, ut conjecturis locum reſtituere tentem.

(4) Ita me Deus amet, verba hæc ad finem uſque Legis, non Lex, ſed Gloſſema dicenda ſunt; & fortaſſe tota ipſa Lex nihil aliud eſt, quam Gloſſa vetus addita ſupra memoratæ Legi LIV. & pro textu incaute excepta.

(5) Præfationis hujus partem doctiſſimus vir Carolus Sigonius publici juris fecit Lib. 3. de Regn. Ital. ad Annum 746. Ego integram profero ex Codice Eſtenſi.

(6) Sigonius hæc ita legit: *ad cultum ſalutis augendo, minuendoque adduxit*.

(7) Corrupte apud Sigonium, *omnipotentia* Et infra, *omnia dicentem*, pro quo recte Codex noſter habet, *omnia decenter*.

(8) Sigonius poſt hæc addit, *die Kalendarum Martiarum*, *Indictione Quartadecima*; Textus vero noſter, *II. die Kalendarum Indict. IX.* Ego *Indictionem XIV.* in textu reſtituendam retinendamque cenſui; neque enim Rachi regnante excurrit ulla Indictio IX. ſed quidem XIV. Amanuenſis facile pro XIV. ſcripſit IX. Anno ergo Chriſti 746. promulgatæ ſunt hæ Leges a Rachiſio. Ac propterea initium ejus Regni referendum eſt ad Annum 744. poſt Kalendas Martias, Sigeberto tamen illud conſignante ad Annum 742. Fortaſſis etiam retinenda lectio Sigonii in die *Kalendarum Martiarum*, non autem *Secundo die Kal. Mart.* ut habet Cod. Eſtenſis.

(9) Sigonius legit, *cognovimus*. Reliqua pars Præfationis omiſſa a Sigonio ex Codice Eſten. nunc proferetur.

quæ ab inde pertinent, non conſiderant, magis hujus ſæculi lucrum, quam animarum ſuarum remedium intendunt, & per humanam aſtutiam debiles vel egenos opprimere non deſiſtunt. Quoniam peccatis facientibus multos homines negligentes & humana cupiditate compulſos in perjurium cadere cognovimus, eo quod glorioſus Rotharis Rex in Edicti pagina ſtatuerat, inter creditorem & debitorem, ſeu fidejuſſorem contentione orta, quod in eo tenore vadia dediſſet, & debitor ſtatutæ cauſſæ tenorem negaret, licentiam ei eſſe, aut per ſacramentum, aut per arma ſacrata ipſum tenorem negare. Sed nobis, & noſtris Judicibus, atque Langobardis adſtantibus juſtum comparuit, ut perjurium fieret reſecatum. Nunc ergo ſancimus,

„ *Diſplicet hic parvis Rex leges nectere Rachis.*

CAP. I.

SI quis amodo in præſentia Regis, vel Judicis, ſeu liberorum hominum, qualicumque modo wadiam dederit, & poſtea negare voluerit ille qui wadiam dedit, quod in tali tenore wadiam non dediſſet, ſicut ille quærit, qui wadiam ſuſcepit, ſi fuerit inter liberos homines (1), quorum fides admittitur, non habeat licentiam jurare, quod in tali tenore wadiam non dediſſet; niſi qualiter Judex qui judicavit, rem memoraverit, vel homines qui interfuerint, quando wadiam ipſam dederit, teſtificati fuerint, ita compleatur, & in eorum teſtimonio credatur. Quia ſi ſententia, quam ante liberos homines tres aliquis fecerit, ſtare debet; quanto magis ea cauſſa, quæ per wadiam firmatur, & homines liberi interſunt, nihilominus negare convenit? Si vero tales homines non interfuerint, quorum fides admittitur, quando ipſa wadia data fuerit, tunc exinde procedat judicium, ſicut ab ipſo Rothare Rege conſtitutum eſt. II. 21. 28.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, quod tu dediſti ſibi vadia de dare ſibi unum ſolidum III. Kalend. Auguſti. Non dedi ipſa vadia. Tunc ipſe, qui appellat, probet. Si non potuerit, ipſe, qui appellatus eſt, juret, quod in tali tenore vadia non dedit.*

II. Reminiſcimur enim, quia (2) anterius Edictum continere dinoſcitur de liberis feminis quæ ſervis copulantur, ut quandocumque inventæ fuerint, in ſervitium reducantur. Sed quia Grimoaldus Rex ſtatuit, de his qui per XXX. annos in libertate vixerunt, ut in ſervitium non replicarentur: tamen quia Curtis Regis poſſeſſionem impedit, niſi per LX. annorum curricula, ſicut domnus Liutprandus Rex inſtituit. Ideo diffinimus, ſi quæ feminæ amodo inventæ fuerint, quæ ſibi ſervos copulaverint, & per LX. annos in libertate permanſerint, ipſæ & filii & filiæ earum (3), atque qui de ipſis procreati fuerint inventi, nullus eos in ſervitio replicare præſumat; ſed in libertate ſua permaneant, ſicut per LX. annos permanſerunt. Si autem amodo præſumſerit cujuſcunque ſervus Arimannam (4) ducere uxorem, ſic exinde detur judicium, ſicut in

(1) Cod. Eſten. *ſi fuerit inter homines liberi*. Infra: *Sed qualiter Judex* &c. Infra: *Quia ſi ſtantia*. Ita quoque habetur in eodem Cod. Eſtenſi. Du-Cangius mendum cenſet, atque hic legendum, *ſententia*. Ego nihil immutare auſim, conſentientibus in hanc lectionem tum Editis, tum Mss. Adde vocem *ſententiam* parum conſonare huic loco. *Stantiam* ergo Langobardi dixere quod nunc Italice appellamus *accordo*, hoc eſt, conventionem ſive pactionem (*convenientiam* quoque dixerunt) coram tribus liberis teſtibus, Notario nullo adſtante, initam. Vox derivata a *ſtat*, quod ſignificat, decretum eſt, deliberatum eſt: unde infra non una Lex incipit ex his verbis, *Statit nobis*, hoc eſt, placuit, ſive placet nobis, decernimus, aut decrevimus. Infra idem Cod. Eſten. *quanto magis cauſam, quam per vadiam firmavit, & homines liberi interfuerunt, nihilo minus negare convenit?*

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *quia anterior Edictus continere dinoſcitur de libertis feminis, quæ ſe ſervis copulaverunt, ut quandocumque inventæ eſſent, in ſervitium reducerentur*. Cod. Eſten. eadem habet, niſi quod legit, *in ſervitio replicarentur*. Si reducendæ aut replicandæ erant hæ feminæ *in ſervitio*, ergo non liberæ natæ, ſed libertæ erant. Sequitur Cod. Cathedr. *Sed quia Grimuald Rex ſtatuit de his, quæ per XXX. annos viverent libertatæ, ut in ſervitio non republicarentur* (*replicarentur* utique legendum, atque ita habet Cod. Ambroſ.) *tamen quia Curtis Regia poſſeſſionem impedit, niſi per LX. annorum curricula, ſicut Dominus Liutprand Rex ſtatuit: ideo diffinimus* &c. In Cod. Eſten. hæc ita leguntur: *Et quia Grimoaldus Rex ſtatuit de his, qui per XXX. annos in libertate vixerint, in ſervitio ut non replicentur. Tamen quia Curtem Regis poſſeſſio non impedit, niſi per LX. annorum* &c. In editione Boheriana fere eadem occurrunt. In Ambroſ. Cod. *inſtituit de his, quæ per XXX. annos in libertate juſſæ ſunt, ut in ſervitio non replicarentur: tamen quia Curtis Regia hanc poſſeſſionem impetit, niſi per X. annorum curricula, ſicut Domnus Liutprandus* &c.

(3) Cod. Eſten. *Si qua femina amodo inventa fuerit, quæ ſibi ſervum copulaverit, & facta compellatione parentibus ad vindictam tradita fuerit, & poſtea parentes intra anni ſpatium in eam vindictam dare neglexerint, & poſtea per LX. annorum curricula in libertate permanſerit, & ipſa, & filii, filiæve eorum* &c. Vide ſupra Legem CCXXII. Rotharis: *Si Servus liberam puellam in conjugio acceperit* &c. Vide etiam Legem VI. Lib. IV. Liutprandi: *Si mulier libera* &c.

(4) Hoc eſt, mulierem ingenuam, aut ſaltem liberam. Atque hinc diſce, *Arimannum* ſive

in anteriori Edicto legitur. II. 35. 10.

III. Si quis Longobardus qualemcumque hominem aldium aut servum suum facere voluerit (1), & ipse ad Palatium venerit ad proclamandum, & jussione Regis accepta eidem portaverit, ut aut ipse judicet, aut veniat in præsentiam Regis & Judicis, cum ipso homine, ad judicium habendum. Et si ipse neglexerit, & furore accepto (2) eum battiderit, aut quod absit, eum occiderit; sicut nunc factum ex peccatis cognovimus, componat widrigilt suum in palatio: & si ipse homo vivus fuerit, si servus aut aldius sit, perdat eum cum rebus suis, & in libertate permaneat, ipse & filii ejus. Si vero fuerit liber, & widrigilt suum componat (3). Et si eum battiderit, componat sicut ad alium liberum hominem: nam si ipsum occiderit, pro hoc Capitulo sicut supra legem componat mortem ipsius, & simul widrigilt suum Regi pro præsumtione. Si vero aldius fuerit aut servus, perdat filios ejus & res ipsius, & componat in Palatio Regis widrigilt. I. *9. 26.*

IV. Omnibus enim pene notum est, quod usque nunc per pravas cupiditates deducebantur homines ad sacramentum de cartis venditionis, quæ factæ fuerant, & compellabantur a venditoribus, quod pretium completum non haberent datum, qui ipsas cartas habebant, & res possidebant: & ipsi emtores deducebantur ad sacramentum (4), qeod pretium completum haberent: quod nobis & nostris Judicibus illicitum esse comparuit. Et qui pro opinione sua jurare nolebant, dabant pro sacramento suo aliquid, & habebant damnietatem sine caussa. Et naufragi homines propterea ipsam compellationem faciebant, ut aliquid pro ipso sacramento tollere possent. Ideo decernimus, ut si quis cartam venditionis de aliqua re fecerit alicui, & a scriba publico scripta, vel a testibus idoneis roborata fuerit, & tam ipse venditor, quam testes in ipsa carta se subscripserint, aut manum posuerint, & manifestaverint in ipsa carta, quod pretium inter eos statutum suscepisset; si pulsatus fuerit postea emtor, quod pretium ipsum non complevisset, sacramentum exinde non procedat; nisi forte ei emtor per wadiam se obligaverit, tunc ipse venditor pignoret fidejussorem suum (5). II. 55. 17.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod ipse vendit tibi unam suam casam, & conventasti sibi dare C. solidos, & non dedisti nisi quinquaginta. Non tibi respondeo, quia ecce carta, quæ manifestat de adimpleto pretio. Si carta non manifestat, quod venditor subscripsisset, aut testes: juret venditor, qui habet, pretii partem completam non esse.

V. Si quis Judex, aut quicumque homo, missum suum præsumserit dirigere Romam, Ravennam, Spoletum, Beneventum, in Franciam, (*6*) Bajoariam, vel Alamanniam, sine Regis jussione, animæ suæ incur-

sive *Herimannum* significasse ingenuum hominem, atque a nativitate liberum: quod olim nobilitatem quamdam importabat, quum servi erant in usu. Vide Ughellum in Episcop. Veronens. ubi sunt, quæ hanc eamdem significationem confirmant.

(1) Hoc est, contenderit, quempiam hominem suum servum, aut aldium esse. Infra Cod. Esten. *accepta, sive literis, ei deportaverit*. Cod. vero Cathed. Mutin. *accepta proclamaverit, aut ei portaverit, ut ipse judicet*: hoc est, ut sine litigii forma de æquo & bono ipse contentioni suæ finem imponat, ac justa faciat. Infra Cod. Esten. *aut veniat in præsentia Regis, vel Judicum cum ipso ad judicium habendo*.

(2) Rectius in Cod. Cathedr. Mutin. *& furore arreptus*. Sequitur Cod. Esten. nonnulla addens: *eum batiderit, componat Widrigilt suum (si liber, vel etiam servus est pulsatus, vel aldius) in Palatio; aut, quod absit, occiderit, sicut nunc factum ex peccato cognovimus (ex peccatis esse cognovimus*, habet Codex Cathedralis) *perdat omnem substantiam suam, si liber interfectus est. Si vero servum, vel aldium occiderit, componat Widrigilt suum* &c.

(3) Cod. Esten. & Ambros. *Et si fuerit liber, Widrigilt suam componat Regi. Et si eum* &c. Et infra uterque Cod. *per hoc Capitulum, sicut supra legitur, componat mortem ipsius* &c. In fine uterque Cod. *& res ipsius, & componat Widrigilt suum in Palatio Regis*.

(4) Cod. Esten. *deducebant sacramentum*. Infra: *ut aliquid eis pro ipso sacramento* &c. Infra: *quamque & testes in ipsa charta subscripserint, aut manus posuerint* &c. Ex qua loquendi formula duplicem ritum habes olim quoque firmantium chartas, Nempe alii suum nomen in calce inscribebant; id erat proprie subscribere. Alii vero, quod scribere nescirent, delineata cruce, aut alio signo, manu, hoc est, calamo facto, *manum ponere* dicebantur. Hinc in iisdem subscriptionibus interdum occurrit *manus Ingulfi, manus Segizonis* &c.

(5) Cod. Esten. *nisi forte si ei per Wadiam aliquem inobligavit, ipse venditor comprehendat fidejussorem suum*.

(6) Cod. Esten. *vel ad Franciam, Bajoeriam. Alammaniam, Græciam, & Navariam*. In editione quoque Boheriana legitur *Navariam*, & *Navarram*. Sed procul dubio legendum, *aut in Avariam*, nempe in Hungariam, sive ut veteres loquebantur, in Pannoniam; eam quippe Provinciam tunc *Avares* sive Hunni occupabant. Nil rei erat Langobardis cum Navarræ populo nimium dissito: imo ne tunc quidem forte natum erat *Navarræ* nomen. At *Avares*, sive Hunni, non unam cladem intulerunt Italiæ. Hinc politicæ caussæ, quare Langobardis interdiceretur aditus, Rege inscio, ad suspectas nationes conterminas. Sed cur hac eadem Lege involvitur *Spoletum*, ac *Beneventum*? Nonne & in eas quoque regiones Langobardis Principibus subiectas protendebatur Regis Langobardi potentia? Cod. Cathedr. Mutin. habet *Alemanniam, Retias, aut in Avariam*. Rhætia profecto ad Italiæ fines posita est. Atque ita scribendum potius, & præsertim quod Estensis Cod. habet *Gretiam*, non *Græciam*, ut ego supra correctione adhibita scripsi. In Cod. Ambros. legitur *Alamanniam, Riciam, aut Mavaritiam*. In fine idem Cod. Esten. *& res ejus in fisco socientur*.

currat periculum, & res ejus infiscentur. III. 29. 1.

VI. Cognovimus enim, quod per singulas Civitates mali homines Zanas (1), id est adunationes, contra Judicem suum agentes faciunt (2). Sed ita statuimus, ut si amodo quicumque homo adunationem cum IV. vel V. aut amplius hominibus fecerit, dicendo, quod voluntatem judicis sui non faciat, & quod ille recte dixerit (3), aut ad ejus judicium non vadat, confidens in alicujus patrocinio: & si alios circa se aggregare voluerit, ut ipsi similiter faciant, componat sicut anterius Edictum, de seditione contra judicem levata, continere videtur (4). Si vero de caussa Regis aliquid dicere voluerit, sit ei licentia veniendi ad Palatium; & si, supra quam dixerit veritatem, approbaverit, sit condemnatus (5), & suscipiat sententiam secundum qualitatem caussæ, sicut anterius Edictum continet. Et si veritatem approbare non potuerit, fiat ei datus in manibus cum rebus suis, & faciat de eo quod voluerit. Violentiam quidem si sustinuerit aliquis a Judice suo, aut ab alio homine, & Judex neglexerit judicare, aut forsitan attenderit ad Gasindium, aut ad parentes, aut ad amicum suum, vel ad præmium, & legem non judicaverit; tunc veniat ad Palatium, & reclamet suam violentiam, & si probatum fuerit, non computetur in adunatione ei, qui proclamaverit, sed ipse judex componat widrigilt suum, medium Regi, & medium cui justitiam denegavit, & honorem suum amittat. Arimanus (6) ille quidem si mentitus fuerit, & dolose hoc egerit, si ante venerit ad Palatium, quam ad Judicis sui vadat judicium, si habuerit unde componere possit, componat solidos L. medium Regi, & medium Judici suo: Et si talis homo fuerit, qui non habeat unde componere possit, accipiat disciplinam, ut emendatus fiat, & ut alii facere hoc non præsumant. I. 18. 2.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte publica, quod tu fecisti, vel Donatus fecit adunationem cum quatuor hominibus contra tuum Comitem dicendo; quod voluntatem ejus non faceres, vel faceret, quam tibi vel sibi recte dicebat. Et tu fuisti cum ipso, vel fuisti in capite. Petre Comes te appellat Martinus tuus Erimannus, quod ipse reclamavit se ad te, quod tu faceres sibi justitiam de Donato, qui habebat occisum suum patrem, & tu attendisti ad præmium, & non fecisti sibi justitiam.

VII. Si quis (7) caussam alterius agere, aut caussare præsumserit, in præsentia Regis, aut Judicis (excepto si Rex, aut Judex ei licentiam dederit) de viduis, aut de orphanis, aut de tali homine, qui caussam suam agere non potest, componat widrigilt suum, medium Regi, & medium contra quem caussavit. Et si forsitan aliquis per simplicitatem suam caussam agere nescit, veniat ad placitum (8). Et si Rex, aut Judex prævíderit, quod veritas sit, tunc debeat dare ei hominem, qui caussam ipsius agat. Nam si judex contra hoc consenserit, exceptis in his Capitulis, & non emendavit, & ipse similiter componat widrigilt suum in Palatio Regis (9). Si enim quicumque liber homo in servitio de Gasindio Re-

(1) Editio Boherian. *ronas*, sive *banna* habet. Verum in Cod. Esten. legitur *zavvas & adunationes*, & in Cod. Cathedr. Mutin. *zavas & adunationes*. Num a *zava*, quod olim armaturæ genus fuit, sive lorica, sive galea? Quasi dic. t: *fanno degli armamenti, e delle raunanze d' uomini*. In Ambros. Cod. legitur, *homines anas*; supra vero eadem manu adnotatum est: *id est rixas*.

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *suum agendo faciant*. Cod. Esten. *contra Judicem suum faciebant. Ideo statuimus, ut si amodo quicumque homo privatus a dignitate adunationem* &c.

(3) Cod. Cathedr. Mutin. *Judici suo non faciant, quæ ille recte eis dixerit*. Infra: *non vadant*. Et inferius: *adgregaverit, aut adgregare voluerit*.

(4) Addit Cod. Esten. *si hac non per obligationem faciat, non per sacramentum, neque per dexteram. Si vero de Casa Regis* (hoc est, ut conjicio, de Ministris Regis, sive familiaribus Regis) *quæ est posita in initio nostri Antecessoris, aliquod dicere voluerit* &c.

(5) Cod. Esten. *approbaverit, sit condemnatus ille, cui approbaverit, & suscipiat* &c. Ita quoque in Cod. Cathedr. Mutin. Infra: *attenderit ad Gasindium*, hoc est, a familiarium suorum precibus seduci se patietur.

(6) Cod. Cathedr. Mutin. *Arimannus quidem ille, si mentierit, aut dolose hoc dixerit; & si antea venerit* &c. Paria habet Cod. Esten. ibique pro *Arimanus* legitur *Erimannus*. De *Hermannis* vide, quæ congessit doctissimus Du-Cangius in Glossar. Latino, & ego nuper innui ad Legem II. ipsius Rachisii.

(7) Interdicit Rachis, ne quis pro altero litigandum sibi suscipiat in foro, nisi Legis aut Judicis facultas ad hoc concessa præcedat. Invaluerant enim, ut puto, emtores litium, ac rerum litigiosarum, quos etiam aliorum Principum, ac populorum Leges exsecrantur. Infra Cod. Esten. *Et medietatem illi contra quem causaverit*.

(8) Uterque Cod. Mutin. *veniat ad Palatium*. Infra: *Nam si Judex hoc consenserit, exceptis his Capitulis, & non emendaverit, ipse similiter* &c.

(9) In Cod. Cathedr. Mutinen. hinc altera Lex a priori diversa exordium sumit. Cod. Esten. habet: *Si autem qualiscumque liber*. Infra: *in servitio de Gasindio Regis*. Familiares Regum ac potentum *Gasindii* appellabantur. *Fideles* autem Regis ejus *Vassalli*. Verum hic *in obsequio*, potius, quam *in servitio*, scribendum fuit; liberis enim hominibus *servitium* recte non tribuebatur, sed quidem *obsequium*, ut infra quoque legitur. Idem Cod. Esten. infra habet: *& Judex, sub cujus judicii ditione fue-*

Regis, aut de ejus fidelibus introierit, & si Judex, de sub quo fuerit, dolose eum opprimere curaverit, pro eo quod ipse in servitio alterius introivit, & per ipsum dolum illicite contra ipsum judicaverit, aut forsitan ab ipso Judice suo justitiam suam invenire non potuerit, tunc componat Judex, sicut supra lex est. Et ille, in cujus obsequio est, habeat licentiam caussam agere, & usque ad legem perducere; sic tamen, ut antea vadat ad judicium de Judice suo, ut ab ipso suscipiat justitiam suam. II. 52. 1.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, quod tu fecisti unam plagam in capite ad Marculphum. Da vadia de Widrigildo, quia tu agis caussam alterius. Aut probet quod sibi sit data actio, ut componat Widrigild. Si autem dixerit: iste est simplex, aut orphanus, aut vidua. Et Comes dedit mihi licentiam; aut probet, aut emendet Widrigild. Petre Comes te appellat Martinus, quod Donatus egit alterius caussam contra se in tua præsentia, & non emendasti, & tamen consensisti pro eo agere, & non erat vidua, nec orphanus ipse, de cujus caussa agebat, nec tale, qui bene non possit caussam suam. Petre Comes te appellat Martinus, quod postquamquod ipse intravit in gasindio Regis, judicasti ei illicite.

VIII. (1) Si quis inquirit secretum Regis, ut ad damnum ejus palam faciat id in extraneis provinciis, volumus ut tam inquisitor, quam propalator animæ suæ incurrat periculum, & res eorum Fisco socientur.

IX. Relatum est nobis quod sunt aliqui pravi homines, qui submittunt in Palatium ad nostrum secretum discendum, ut per deliciosos (2), aut per ostiarios, vel per alios homines captiose, aut absconse investigare possint quicquid nos agimus. Et ipsi, qui rogantur, qui cognoscere possunt (3), eis mandant, aut annunciant nostra secreta, & adhuc in extraneas provincias mandatum faciunt. Sed apparuit nobis, ut ille, qui talem caussam perpetrare præsumserit, non est in fide sua rectus, sed in mala suspicione manere videtur. Unde decernimus, ut qui in tali caussa amodo detentus fuerit, tam qui submittit, quam qui submittitur, animæ suæ incurrat periculum, & res ejus infiscentur, quia sicut dicit Scriptura: *Secretum Regis abscondere bonum est. Opera autem Dei honorificum revelare est.*

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte publica, quod tu fuisti submissus in Palatio Regis ad discendum secretum Regis, & fecisti mandatum in extraneam provinciam.

EXPLICIUNT LEGES RATCHIS.

INCIPIUNT LEGES DOMNI ASTULFI REGIS.

AISTULPHI LEGES.

AISTULPHUS REX INCIPIT.

PROLOGUS.

QUoniam (4) prophetica nos vaticinatio admonet dicens: *Juste judicate, filii hominum;* & alibi: *Justitiam dicite, qui habitatis terram, quia justus Dominus justitiam diligit;* illa nos sedule convenit scire, ut gentes nobis commissæ in judicio non graventur, & omnipotenti Deo, cujus opitulatione regnamus, in omnibus placere

fuerit, dolose eum opprimere quæsierit, pro eo quod in alterius obsequium introivit. Viden *obsequium*, & non *servitium*? Ita & Infra. Sequitur: *& legem per ipsum dolum non judicaverit, aut forsitan ad ipsum Judicem suum justitiam* &c. *sicut supra legitur*. Infra: *caussam ejus agere, & usque ad legem* (hoc est, usque ad sententiam) *perducere*.

(1) Legem hanc do ex Cod. Estensi; neque enim eam hactenus editam inter Langobardicas vidi. Attamen, ut verum fatear, non Lex, sed subsequentis Legis compendium, ac titulus esse mihi videtur.

(2) Non Regibus solum, sed & Romanis Pontificibus fuere *deliciosi* sui, ut constat ex Nicolai I. Epist. 17. & ex variis Joannis VIII. Epistolis. Cum vero idem Nicolaus Episcopos *deliciosos nostros* appellet, consequens est, hoc nomine fuisse donatos, qui Principibus valde cari, atque ad eorum famulatum adsciti, aditum haberent in intima quæque consilia, aut saltem cubicula Principum. Nos *Confidenti* appellamus.

(3) Cod. Ambros. *quotquot cognoscere*. Cod. Cathedr. Mutin. *quidquid cognoscere possunt, eis mandant*, (sequitur Cod. Estensis) *aut nuntiant secretum, ut in extraneas partes mandatum fiat. Sed apparet nobis* &c. Infra Cod. Cathed. *qui talem causam penetrare* &c. Hic *causa* pro *re*; unde *cosa* Italicum, uti infra repetam.

(4) Particulam hujus Præfationis evulgavit Sigonius noster Lib. III. de Regn. Italiæ ad Annum 754. Ego nunc integram exhibeo ex Cod. Estensi; & primum, quantum arbitror, nisi me præcessit Heroldus.

cere valeamus, Deceſſorum noſtrorum ſequentes exempla, qui Redemtori omnium ſeculorum pleno pectore placere deſiderando, pro ſibi commiſſæ gentis gubernatione, ut recto moderamine regerentur, impoſuerunt leges. Idcirco Ego Dei omnipotentis auxilio Aſtulfus præcelſus Catholicæ Gentis Langobardorum Rex, præceſſorum noſtrorum omnia inſtituta perpendentes (1), quoniam noſtros Judices ad danda judicia involvebant, Anno primo (2) feliciſſimi Regni noſtri, in Dei nomine, die Kalendarum Martiarum, Indictione VII. convocatis ex diverſis partibus Regni noſtri Judicibus, communi conſilio in Edicti paginam affigi ſtatuimus, quæ Excellentiæ noſtræ juſta & Deo grata comparuerunt, quatenus & juſtitia maneat, & noſtrorum Judicum judicio omnis obſcuritas illuminetur.

„*Jus gerit Aiſtulphus reſidens in margine cuſus.*

C a p. I.

Recolimus in anterioris Edicti pagina eſſe inſertum, ut ſi frater deceſſerit abſque filiis & filiabus, & ſorores reliquerit, ipſæ heredes ei ſuccedere debent (3). Nam amitæ eorum nepotum ſucceſſionem nullo modo capere poterant, quia nihil de eiſdem amitis in ipſo continetur Edicto; niſi aut ſorores, aut parentes propinqui ſuccedere debent. Et dum remanebant in capillo inordinate, & in caſa patientes neceſſitatem, ſervis ſe copulabant. Ideo nos Deo inſpirante ſtatuere prævidimus, ut ſi quis Longobardus moriens ſororem unam, aut plures in capillo in caſa reliquerit, & filium unum aut plures, filii ipſius debeant perpenſare, qualiter amitæ (4) abſque neceſſitate vivere poſſint, ſecundum qualitatem ſubſtantiæ ſuæ, ut amitæ eorum indigentiam non patiantur, neque de victu, neque de veſtimento, ſed nec de ipſo obſequio ſuo. Et ſi in ſacro Monaſterio ſub ſtatuta Regula vivere voluerint, ab ipſis ſuis nepotibus ordinentur, ut illis proviſum fuerit, aut convenerit. Si autem prædicti nepotes deceſſerint inteſtati abſque filiis & filiabus, & ſorores (5) reliquerint, amitæ eorum, quæ in caſa in capillo remanſerint, cum ipſis nepotibus ſuis, in rebus nepotum & fratrum ſuccedant æqualiter, quantæcunque fuerint. II. 14. 27.

II. In anterioris (6) Edicti Capitulo continetur, ut ſi quis Longobardus pertinentem ſuum in quarta manu tradiderit, & a ſe amund fecerit, aut circa altare ducendum Sacerdoti tradiderit, ſolutus ab omni conditione ſervitutis permaneat. Sed quoniam perverſi homines benefactores ſuos accepta libertate poſtponebant, & ipſi eos poſtmodum retinere nequaquam volebant, multi homines timentes, ne ſui liberti eos poſtponerent, libertatem eis facere obmittebant. Propterea ſtatuimus, ut ſi quis Longobardus pertinentes ſuos thingare voluerit in quarta manu, & cartulas ei fecerit, & ſibi reſervaverit ſervitium ejus (7), dum advixerit, & decreverit, ut poſt obitum ejus liberi ſint, ſtabile debeat permanere, ſecundum textum cartæ, quam ei fecit. Quia injuſtum nobis apparuit, ut homo benefactorem ſuum, vivente eo, dimittere debeat. Nam qui in Eccleſia liberum dimiſerit per manum Sacerdotis, ſic permaneat ejus libertas, ſicut continetur in anteriori Edicto. II. 35. 9.

III. Cognovimus multotiens perfidos homines contra voluntatem defunctorum paren-

(1) Sigonius hæc ita legebat: *perpendens, quædam ibi reperimus non adnexa, de quibus maximus error noſtrorum Judices addenda judicia volebant. Ideo Anno feliciſſimi Regni noſtri in Dei nomine Quinto* &c. Clariorem textum ſuppeditaſſe Eſten. Cod. mihi videtur.

(2) Jam vidiſti a Sigonio ſcriptum, *Anno Quinto*. Atque ita ſane legendum. *Septima* enim *Indictio*, qua promulgatæ hujuſmodi Leges ab Aiſtulpho fuere, Annum Chriſti 754. indicat; is autem Annus primus ejuſdem Regis eſſe non potuit, ut hiſtorica monumenta evincunt. Imo exſtant ejuſdem Regis Diplomata (& nonnulla, ſi Deus dabit, & ego proferam) ex quibus intelligimus eum Regem fuiſſe creatum Anno 750. quo certe non decurrebat Indictio VII.

(3) Cod. Cathedr. Mutin. *ipſæ heredes ſuccederent. Nam Amitanes ſuorum nepotum* &c. Infra: *aut parentes propinqui ſuccedebant. Et dum remanebant in caſa in capillis, inordinate patientes neceſſitates* &c.

(4) Idem Cod. *qualiter Amitanes eorum*. Infra uterque Cod. *ſed nec de obſequio ſuo*, hoc eſt, de famulis, aut famulabus, ſiquidem ejus ſint conditionis, ut debeant, ſicuti nunc dicimus, *farſi ſervire*. Inferius Cod. Eſten. *ab ipſis nepotibus ſuis ordinentur, ut illis proviſum fuerit*.

(5) In utroque Mutin. Cod. legitur: *Si autem prædicti nepotes deceſſerint abſque filiis & filiabus, aut inteſtati, & ſorores ex parte patris reliquerint*. Cod. Cathedr. Mutin. *& ſorores reliquerint, Amitanes eorum* &c.

(6) Uterque Cod. Mutin. *Anterioris Edicti leguntur Capitula*. Jam ſupra monui, vocabulo *pertinentes* ſignificari eos, qui juri ac dominio alicujus obnoxii ſunt, quales fuere *ſervi*, ac *aldii*. Hic proprie de *ſervis* agitur, quos quis abſoluta manumiſſione plene liberos fecerit. Infra Cod. Eſten. *& a ſe amunt fecerit*, (tum Cod. Cathedr. Mutin.) *aut circa altarium* &c. Inferius: *nequaquam valebant*.

(7) Cod. Eſten. *in quartam manum dandos, & chartulam illis fecerit, & ſibi reſervaverit ſervitium ipſorum* &c. Vide Legem CCXXV. Rotharis, ubi Manumiſſorum variæ ſpecies traduntur, atque ibi explicatur manumittere (hoc loco idem ſignificat *thingare*) *in quarta manu*. Hinc autem vides licuiſſe manumittere ſervum, cui tamen libertatis uſus niſi poſt manumittentis mortem non incipiebat decurrere. Infra: *quam eis fecit, quia*.

rentum suorum agere, dum ipsi pro animabus suis per loca venerabilia res suas distribuebant, & pertinentibus suis simpliciter libertatem cum rebus quibuslibet donabant; & cum ipsis hominibus per suam astutiam agebant, & eos a suis cespitibus (1) removentes in suum servitium replicabant, qui postmodum libertatem simul & res amittebant. Ideo prævidimus hanc resecare malitiam, ut voluntas & ordinatio defuncti adimpleatur. Et ita sancimus, ut si quis Longobardus per cartam in sanitate, aut in ægritudine res suas ordinaverit, & dixerit eas habere loca venerabilia, & familias, per quas res ipsæ excolantur, liberas esse dixerit, ut in ipsis religiosis locis reditum faciant, secundum ipsius statutum, reddant omni tempore, juxta domini sui præceptionem, ipsi & filii eorum, & sint liberi de suis personis, sicut dominus eorum instituerit; & ab ejus heredibus non replicentur, nec a suis cespitibus removeantur, sed ab ipsis locis venerabilibus defensentur: excepto si sua voluntate voluerint exire, licentiam habeant in sua libertate exire, & vivere ubi voluerint. Nam si ad finem mortis properaverit, ita ut nec thingare hominem suum possit, nec in manu Sacerdotis (2) tradere, circa altare liberum dimittendum, propter subitaneam mortem; & instituerit, ut post obitum ejus per manum Sacerdotis qualem designavit, circa sacrum altare duci debeat; caussa miserationis decrevimus, ut sicut dominus eorum præceperit, ita impleatur, & Sacerdos, quem designaverit, circa altare eum absque cujuscunque contradictione absolvat, & liberi permaneant; quia maxima merces nobis esse videtur, ut de servitio servi ad libertatem deducantur, eo quod Redemtor noster servus fieri dignatus est, ut nobis libertatem donaret. Si vero aliquid eis in ipso exitu donaverit, aut donari præceperit, stabilis eis ipsa donatio permaneat; quia Pauli Apostoli auctoritas maxime ad domesticos fidei beneficium præbere jubet. Et pro launechild (3) imputetur ei servitium, quia servus non habet unde launechild ei faciat. II. 18. 3.

FORMULÆ VETERES.

P*Etre te appellat Martinus, quod tu es servus suus, & malo ordine subtrahis te de suo servitio. Liberum sum. Ecce charta libertatis, quam pater tuus mihi dedit. Aut dicat falsa, aut taceat. Petre te appellat Martinus, quod pars Monasterii Sancti Petri, unde tu es Advocatus, tenet sibi terram malo ordine in tali loco. Ipsa terra propria est de Monasterio per chartam, quam pater tuus fecit. Petre te appellat Martinus, quod tu es suus servus, & malo ordine subtrahis te de suo servitio. Liberum sum per chartam, quam mihi fecit Petrus Presbyter. Quid pertinuisti ad Presbyterum? Pater tuus liberum non potuit me dimittere propter subitaneam mortem, & commendavit, quod Presbyter Petrus dimitteret me liberum. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco. Dominus meus, quando venit ad mortem, donavit mihi ipsam terram.*

IV. A nostris decessoribus jam antea institutum est, ut Longobardus potestatem habeat filium suum sibi bene servientem, meliorare de rebus suis: de filiabus autem non continebatur. Ideo statuimus, ut si duas filias habuerit, & filium non reliquerit, potestas ei sit, unam filiam suam, qualem voluerit, meliorare, in tertiam partem rerum suarum. Et si tres fuerint, quartam partem. Et si amplius fuerint, per hanc rationem computetur. II. 20. 4.

FORMULÆ VETERES.

M*Artine cum Donato tuo tutore, Johanna cum Donato suo tutore te appellat, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco.*

V. Si quis Longobardus decedens voluerit uxori suæ usumfructum de rebus suis judicare, & filios & filias ex ea reliquerit, non amplius ei per usumfructum (4) judicare possit, quam medium de sua substantia, super illud, quod ei in morgengab, & in meta secundum legem datum fuerit. Et si filios aut filias ex alia uxore reliquerit, unum aut duos, possit uxori suæ tertiam partem ad usumfructum relinquere. Et si fuerint tres, quartam portionem. Si fuerint plures, per hunc numerum computetur. Morgengab & metam, quæ ei data est, legibus habeat in antea. Siquidem nupserit, postea autem mortua (5) fuerit, usufructus in integrum ad heredes revertatur: De meta vero & morgengab fiat secundum anterius Edictum. II. 4. 4.

(1) Hoc est, a prædiis ruralibus, quæ per servos illos libertate, sed non integre, donatos, excolebantur.

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *neque in manum Sacerdotem tradiderit circa Altarium liberos dimittendum*. Infra Cod. Esten. *& liber permaneat*.

(3) Idem Cod. *& pro launigild ei imputetur servitium suum, eo quod servus non habeat, unde aliud launigild ei faciat*.

(4) Codex Cathedr. Mutin. *pro usufructu*. Codex Esten. *de usufructu*. Infra uterque Cod. *secundum legem datum fuerit*. Inferius Cod. Esten. *computetur. Morgincap & Metam, quæ ei legibus data est, habeat in antea*. Atque hinc etiam intelligis *Metam*, & *Morgincap*, diversas donationes, a marito uxori factas, fuisse.

(5) In utroque Cod. Mutin. *Si quidem nupserit postea, aut mortua fuerit*. In fine: *fiat in antea secundum anterius Edictum*.

FORMULÆ VETERES.

Martina cum Donato tuo tutore Petrus te appellat, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea est per usumfructum; & ecce chartula, quam mihi maritus meus fecit. Si charta manifestat, sicut ista Lex dicit, aut dicat falsam, aut teneat. Martine te appellat Petrus, quod tu tenes sibi terram malo ordine in tali loco. Mea propria est per successionem Johannæ meæ mulieris. Non debes tu eam succedere in ipsa terra, quia fuit suus ususfructus, & Lex commendat, quod revertatur ad me.

VI. Pervenit ad nos, quod dum quidam (1) ad suscipiendam sponsam cujusdam sponsi cum paranymphis, aut trotingis (2) ambularent, perversi homines aquam sordidam & stercoratam super ipsam jactassent. Sed quia cognovimus malum hoc per singula loca fieri, prævidimus, ne pro hanc caussam scandala & homicidia surgant: ut si quiscunque liber homo liberæ mulieri (3) talem rem facere præsumserit, componat solid. DCCCC. medium Regi, & medium Mundualdo ejus. Nam si homines pertinentes sine voluntate domini sui hoc fecerint, & dominus per sacramentum se purificaverit (4), quod per ejus consensum non fuisset factum, servi ipsi tradantur in manus Mundualdi ejus, & ipse faciat de eis quod ei placuerit, & amplius patronus calumniam non habeat. Quod si jurare non poterit, componat ut supra dictum est, solidos DCCCC. I. 16. 8.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod Maria sua Mundoalda ibat, ut esset paranympha cum joculatoribus de sponsa Paula. Et tu, vel servi tui projecisti aquam sordidam & stercora super ipsam. De torto. Approbet appellator, si potuerit. Sin, exdicat se appellator, aut emendet, sicut Lex est.

VII. Si quis Longobardus cum Pontificibus, Abbatibus, vel Custodibus Ecclesiarum, seu Xenodochiorum Præpositis, de quibuscunque rebus convenientiam fecerit, & pœnam inter se pars parti obligaverit, & heredes & successores suos obligaverit, & idonei homines interfuerunt, non possit postea ab eorum successoribus removeri (5), sicut nec removetur ab eodem Longobardo; excepto si pœnam obligatam componere voluerint. Si vero commutationem fecerint de casis, terris, vel familiis, & interfuerit Missus Regis, vel Pontificis, seu Judicis, aut tales homines tres, quorum fides admittatur, & res ejus meliorata apparuerit (6), tunc quando ipsa commutatio facta fuerit, quam pars religiosi loci suscepit, nullo tempore postea ab eorum successoribus removeatur; sed semper commutatio ipsa firma permaneat, & si removere voluerit, pœnam inter se obligatam componat. III. 10. 1.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes terram malo ordine in tali loco ad partem Episcopii Sancti Syri, unde ipse est Advocatus. Ipsa terra mihi concessa est per libellum. Falsus est ipse libellus. Si dixerit. Si dixerit Advocatus; tu subtraxisti te adimplere, sicut Lex in libello; aut probet, aut det pœnam. Si dixerit: mea propria est per commutationem; tunc Advocatus probet, quod Ecclesia accepit pejoratam rem, aut dicat chartam falsam.

VIII.

(1) Cod. Cathedr. Mutin. *quod dum quidam homines*. Cod. Esten. *quod quidam homines*.

(2) Cod. Esten. *cum paranympha, & thoringis*. Cod. Cathedr. Mutin. *cum paranympha, & troctingis*. Glossario Papiæ, & Nicolao Boherio acquiescendum videtur, qui *trotingos* explicant *joculatores, qui saltare noverunt* (hos enim nuptialis pompa plerumque adsciscebat), non autem *patinarum liguritores*, ut Bovillus censet, neque enim hi pars apparatus, ac processus nuptialis. Vide subjectas formulas veteres, ubi *Joculatores* totidem verbis memorantur. Attamen, ut verum fatear, me adhuc suspicio tenet, hic non alios designari, quam sponsæ sive nuptæ ductores viros. In Lege Salica Tit. XIV. Cap. X. habetur: *Si quis puellam, quæ Druchte ducitur ad maritum, in via adsallierit*. Pithœus, Bignonius, Du-Cangius, ac novissime Cl. V. Joannes Georgius Eccardus in Not. ad Legem Salicam *Druchtem* interpretantur *sponsam, sponsatam, pactam, promissam*. In Cod. Estensi, ubi & Salicæ Leges habentur, lego: *Si quis puellam, quæ Tructe ducitur*. Ibi Glossa vetus: *Tructe, id est, per Nuptiatores*. Explicationi huic favet ipsius Eccardi editio, ubi legitur: *Si quis puellam sponsatam, druthe ducente ad maritum* &c. ubi *druthe* diversum videtur a sponsa. A *druthe* autem, sive *Tructe, Troctingus*, quod unum significare potuit, nempe comitem sponsæ, sive Paranymphum. *Paranympha*, ut notum est, matrona erat, quæ sponsam comitabatur, atque ad maritalem thorum deducebat.

(3) Uterque Mutin. Cod. *scandala, vel homicidia surgant, ut si quis* (*quiscumque* habet Esten. & Ambros.) *liber homo talem rem facere tentaverit, componat solidos DCCCC. medietatem Regi, & medietatem Mundualdo ejus*.

(4) In ambobus Codicib. Mutinen. legitur: *& dominus eorum per sacramentum se purificare ausus fuerit, quod cum ejus voluntate, & consilio, vel consensu factum non fuisset: servi ipsius tradantur in manum ad Mundualdo ejus*. Infra: *calumniam non habeat*. Cod. Esten. *non patiatur. Et si jurare non præsumserit*.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *non possint postea eorum successores removeri*. Post *removeri* addit Cod. Esten. (Glossam fortasse) *nisi sit contra Legem Romanorum*: quam videlicet sequebantur ecclesiastici viri. In margine vero apposita est Glossa hæc: *Non alienentur res Ecclesiæ, nisi secundum Legem Romanam*.

(6) Uterque Cod. Mutin. *& res meliorata eis paruerit*. Infra: *quod pars loci religiosi suscepit*.

VIII. Relatum est nobis, quod usque nunc fuisset talis consuetudo, ut Monasteria, vel Xenodochia, seu Loca venerabilia, quæ in defensione sacri nostri Palatii esse noscuntur, compositionem duplicem exigebant ab hominibus, qui ad ipsa venerabilia loca (1) componere debebant, sicut Curtis Regia exigere videtur. Nunc autem statuimus, ut Monasteria, Basilicæ, vel Xenodochia, quæ sub Palatii defensione esse videntur, compositionem exigere si debuerint, non exigant duplum, sicut de caussa Regis (2): sed sicut alia venerabilia loca, quæ ad Palatium non pertinent. I. 2. 9.

IX. Si quis Longobardus qualemcumque rem possederit per xxx. annos, & Custodes locorum venerabilium de ipsis rebus eum molestaverint, & ipse possessionem suam per xxx. annos consignaverit, & ejus claruerit possessio, possideat & inantea. Similiter & venerabilia loca faciant, de rebus, quas ipsa possident, (3) si a Longobardis fuerint pulsata. Quia anterius Edictum continet de quinque annorum possessione; ut qui possederit per quinque annos, quietus, in facie ejus, qui pulsaverit, ipse secundum legem defendat se. Et loca venerabilia inter se de rebus quibuslibet per xl. annorum possessionem excludantur: ideo justum diximus, ut qui per xxx. annos possederit, possideat & inantea. II. 35. 11.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes terram malo ordine in tali loco ad partem Monasterii Sancti Petri, unde ipse est Advocatus, possessam ab eo per XXX. annos. Petre te appellat Martinus, quod pars Monasterii Sancti Petri, unde tu es Advocatus, tenet sibi malo ordine terram in tali loco. Petre te appellat Martinus, quod pars Monasterii Sancti Petri, unde tu es Advocatus, tenet terram malo ordine ad partem Monasterii Sancti Pauli, unde ipse est Advocatus.

X. Si quis Longobardus caussam habuerit cum locis venerabilibus, quæ ad defensionem (4) Palatii esse noscuntur, si fuerit caussa, unde sacramentum debeat procedere, si Judex Abbatem, Custodem, vel Præpositum pulsaverit, ipse ei satisfaciat. Si autem Abbas, Custos, Præpositus, Judicem pulsaverit, & sacramentum fieri debuerit, ipse Judex iterum sacramentum deducat. Si vero alter Longobardus habuerit caussam cum Abbatibus, unde simile sacramentum deductum fieri debeat, anteponatur Abbas ipse solus, (5) nam non alius: sed de aliis, quales eligere vult, quanticumque secundum legem jurare debent, ut sacramentum deducat: ita tamen ut ipse Abbas talis sit, qui per regulam juxta præceptum Domini vivat, & subjectos Monachos habeat usque L. vel amplius, qui cum eo regulariter vivant. II. 55. 18.

XI. Si quis (6) cum aliis Custodibus, vel Præpositis, de locis venerabilibus caussam habuerit, ipsi Custodes vel Præpositi sacramentum deducant. II. 55. 18.

XII. Si quis in Curte Regis (7) caussam habuerit, & evenerit, ut prius Curtis Regis sacramentum deducere debeat, si minor caussa de xx. sol. fuerit, per sacramentum obscarionum cum actoribus finiatur (8). Si vero major caussa fuerit, actor de loco cum actoribus, secundum qualitatem caussæ, per sacramentum persolvat. II. 55. 19.

(1) Cod. Esten. *duplam exigebant ab omnibus, qui in prædictis venerabilibus locis* &c.

(2) Cod. Esten. hæc ita exhibet: *non sic compositionem exigere debeant, sicut de causa Regis, duplum; sed sicut alia Loca venerabilia exigant*. Cod. Cathedr. *nisi sicut alia Loca venerabilia exigunt*.

(3) Addit Cod. Esten. *Si decennium inter præsentes, immobilia: vigesimum inter absentes possederint; si triennium mobilia: si a Langobardis fuerint pulsata. Et quia* &c. Infra: *defendat se, licet Loca venerabilia*.

(4) Cod. Esten. *quæ sub defensione*. Infra: *ipsi ei satisfaciant. Si autem Abbas, Custos, aut Præpositus* (sequitur Cod. Cathedr. Mutin.) *Judici pulsaverit, & sacramentum datum fieri debuerit*, (*dare debuerit*, habet Cod. Esten.) *ipse Judex ei iterum* &c.

(5) Tum ambo Codic. Mutinen. in hæc verba sequuntur: *Nam alii, quales elegerit, quanti secundum Legem jurare debuerint, sacramentum deducant*. Infra iidem Codices: *qui per Regulam secundum Deum vivat, & sibi subjectos Monachos usque LX. & amplius habeat, qui cum eo regulariter vivant*. Atque hinc etiam intelligas, cur Cœnobiis, quæ præ ceteris Monachorum copia abundant, ampliora, ac potiora concessa fuerint Privilegia.

(6) In Cod. Esten. continuatur Lex ista cum præcedente. Et sane cum ea conjungenda videtur. Ibidem legitur: *Siquidem cum alio Custode, vel Præposito* &c. *ipse Præpositus vel Custos sacramentum deducat*. Hoc est, qui sub defensione sacri Palatii non sint.

(7) Uterque Cod. Mutin. *Si quis cum Curte causam babuerit, & venerit*.

(8) Uterque Mutin. Cod. alio ordine procedit. Nempe ibi legitur: *Si major causa fuerit, per sacramentum ab Scharione cum actoribus* (*pro actoribus*, habet Cod. Cathedr. Mutin.) *finiatur. Si vero minor fuerit causa, id est infra XX. solidos, actor* &c. *Scariones* Du-Cangius in Glossario *Judicum Ministros* interpretatur, aut *Judices Minores*. Tum *Obscariones* carcerum custodes ex Glossis conjicit esse. Verum ex fide Codicum Mutinen. illa vox *Obscarionem* expungenda, & legendum *ab Scarione*. Scariones autem non dumtaxat Judicum, sed Episcoporum ac Abbatum fuere. *Per Scariones Monasterii* habetur in Chronico S. Vincentii ad Vulturnum, uti & apud Erchempertum. Hic autem agitur de *Scarione* Locorum venerabilium, atque ita explicandus infra *Actor de loco*, id est de loco venerabili, ut in duabus præcedentibus Legibus. Ego *Scarionis* voce hic designari puto militares viros a *Scara*, quæ militaris turma est, sive ii essent Advocati Ecclesiarum, aut earum Vassi, aut alio quopiam modo ad illas tuendas adhibiti: *Actores* vero Causidicos, sive causarum patronos, hic indicari censeo. In fine: *causa sacramentum persolvat*.

XIII. Et hoc diffinimus, ut poſtquam juſſio Regis fuerit in exercitu ambulandi, & conſtituto poſito ad monitionem (1) faciendam, nullus præſumat fidejuſſorem aut debitorem pro quacumque cauſſa pignorare. Et ſi de una judiciaria fuerit, (2) ad dies duodecim, antequam eat ad exercitum, ſit quietus, etiam duodecim dies poſtquam de exercitu fuerit reverſus. Si autem de aliis Judiciariis fuerit, ſpatium ſit (3) ad dies XXIV. Nam ſi quis quem inter iſta ſpatia pignoraverit, componat ipſa pignora, ſicut qui contra rationem pignus abſtulit. I. 14. 8.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu pignoraſti eum in tanta ſua mebilia, quæ valebant ſolid. LX. infra XII. dies, poſtquam fuit reverſus de hoſte.

XIV. Si quiſcumque homo pro bonitate ſua introierit in ſervitium Judicis, aut alterius hominis (4), & deſervierit ei, vel filiis, vel nepotibus ejus, & claruerit veritas, quod parentes ejus omnes liberi fuiſſent, & poſtea in ſervitium (5) detinere voluerit, dicendo, quod per XXX. annos ei, vel parentibus ejus ſerviſſet, non poſſit eum per ipſam poſſeſſionem tenere. Quia impoſſibile eſt & contra Dei præceptum, dum omnes ejus parentes liberi ſunt, ut ipſe ſolus, qui voluntarie ſervivit, in ſervitium detineatur, pro ſola poſſeſſione. Nam ſi pro furto, aut alia malitia, ſicut Edictum continet, ad ſerviendum in manus datus fuerit, & probatum fuerit, deſerviat & inantea. Si vero ejus parentes ſervi fuerunt, (6) & ipſe ſolus ad libertatem tendere voluerit, ſi ipſe libertatem ſuam idoneare per cartam (7), aut per homines liberos, vel per poſſeſſionem juſtam non potuerit, deſerviat & inantea. II. 35. 12.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu es ſuus ſervus, & malo ordine ſubtrahis te de ſuo ſervitio. Liber ſum naſcendo, & quid tibi pertinet ad requirendum? Ipſe ſervivit mihi per XXX. annos. Hoc non poteſt dicere. Sed ſi dixerit per malitiam fuit traditus mihi ad ſerviendum, aut probet, aut taceat.

CAROLI MAGNI
LEGES.

Carolus Magnus cum Pontifice Romano, & Synodali Concilio.

ANno feliciter undecimo regnante Domno noſtro Karolo glorioſiſſimo Rege, in menſe Maji (8), factum eſt Capitulare, qualiter in uno congregati Synodali Concilio Epiſcopis, Abbatibus, Viriſque illuſtribus (9), una cum piiſſimo Domno noſtro Karolo, ſecundum voluntatem Dei, pro cauſſis opportunis conſenſerunt decretum. III. 1. 1.

Quæ

---

(1) In utroque Mutin. Cod. legitur: *& conſtitutum poſitum ad motionem faciendam.*
(2) Cod. Eſten. *Judiciaria fuerit, ad dies XII. antequam exeant ad exercitum, ſit quietus. Et XII. poſtea* &c. Similia præfert Cod. Cathedr. Mutin. ubi hæc leguntur: *in exercitu, ſit quietus duodecim dies antea, & duodecim poſteaquam de exercitu regreſſus fuerit.*
(3) In utroque Cod. Mutin. *Similiter ſit ſpatium.*
(4) Ita hæc habentur in Cod. Mutin. *in ſervitio de Judice, aut de alio homine, & ſervierit ei, vel ad filios, vel ad nepotes ejus.* Adnotata ſint hæc ad origines Italicæ Linguæ melius noſcendas.
(5) Cod. Eſten. *ejus hominis liberi, & poſtea eum in ſervitio* &c. Infra: *per XXX. annos ad parentes ejus, vel ei ſerviſſet*, (ſequitur Cod. Cathedr. Mutin.) *non poſſit eum per iſtam poſſeſſionem tenere.*
(6) In utroque Cod. Mutin. *parentes pertinentes fuerint.* Idem ſignificabat vox *pertinentes* ac *Servi*. Vide ſupra Cap. VIII. Aiſtulphi ipſius, atque alias eiuſmodi Leges.
(7) Cod. Eſten. *idoneare ſine appellatione per chartam* &c. In fine uterque Codex: *vel per poſſeſſionem juxta legem non potuerit oſtendere* &c.
(8) Cod. Eſten. *Domno noſtro Karolo glorioſiſſimo Rege in menſe Martio.* Cod. Cath. Mutin. *Anno feliciter Decimo Regni Domni noſtri Caroli,*
(9) Cod. Cathedr. Mutin. & Baluzius Tom. I. Capitular. pag. 195. habent: *congregatis in unum* &c. *viriſque inluſtribus Comitibus* &c. Eſtenſis vero Codex: *qualiter congregati in unum ſynodali Concilio Epiſcopi, Abbates, Virique illuſtres una cum* &c. Si huic Codici acquieſcendum foret, Concilium hic memoratum habitum fuiſſet Romæ; ibi enim hic titulus legitur: *Carolus Magnus cum Pontifice Romano, & Synodali Concilio.* Verum Carolus M. neque Anno XI. Regni Francici,. neque XI. Regni Langobardici Romæ fuit menſe Martio; ac propterea credendum, habitum fuiſſe Concilium iſtud in Francia Anno 779. hoc eſt, Anno XI. Regni Francici, ac deinde illius decreta Langobardicarum Legum corpori addita ex ipſius Caroli præcepto. Eidem vero interfuiſſe Italicos quoque Epiſcopos, & Proceres, a vero non abhorret. Labbeus putat habitum in *Villa Duria*; Sirmondus *Heriſtalli* ſuſpicatur.

Quæ gens multa petit Carolus sua jussa peregit.
Rex bonus orbis honor.

CAP. I.

DE Metropolitanis Episcopis ut eorum suffraganei Episcopi (1) secundum Canones subjecti sint, & ea quæ erga illorum ministerium emendanda cognoscunt, libenti animo emendent atque corrigant. III. 1. 1.

II. De Episcopatibus, ubi præsentes (2) Episcopi ordinati non sint, sine tarditate ordinentur. III. 1. 2.

III. De Monasteriis, quæ regularia (3) fuerint, ut secundum regulam vivant; nec non & Monasteria puellarum, ordinem sanctum custodiant, & unaquæque Abbatissa in Monasterio suo sine intermissione resideat. III. 1. 3.

IV. Ut Episcopi de Presbyteris & Clericis (4) infra illorum parochiam, & de suo ministerio potestatem habeant, secundum Canones facere. III. 1. 4.

V. Ut Episcopi de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant; seu & (5) de viduis infra suam parochiam potestatem habeant corrigendi. (6) Et si de ipsis incestuosis aliquis post judicium Episcopi in ipso incestu se iterum commiscuerit, si prædium, id est allodium, habuerit, ipsum in fiscum Regis recipiatur. II. 8. 9.

VI. Ut nulli Episcopo (7) liceat alterius Clericum recipere aut ordinare in aliquo gradu (8), sine dimissoria Episcopi sui, de cujus Parochia est. III. 2. 1.

VII. De decimis (9), ut unusquisque homo suam decimam donet, atque per jussionem Episcopi sui dispensetur. III. 3. 1.

VIII. Ut homicidæ & rei ceteri, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam Dei confugiunt, non excutiantur (10), neque eis ibidem victus detur. II. 39. 2.

IX. Ut latrones illos de infra immunitatem Judices & Advocati ad Comitum placita, quando eis annunciatum fuerit, præsentent (11). Et si dixerint, quod ipsos latrones præsentare non potuissent, jurare debent, quod illos præsentare non potuissent, postquam eis denunciatum fuerit, nec pro ulla justitia dilatanda illis latronibus fugere consenserint, nec pro caussa dilationis de illorum potestate, vel de suorum ministerio, latrones jactassent. Et hoc jurent, ut per suorum voluntatem, si potuerint, ipsos latrones præsentare debeant ad justitiam faciendam. Et qui hoc non fecerint, beneficium & honorem perdant. Similiter & si Bassi nostri hoc non adimpleverint, beneficium & honorem perdant. Et qui beneficium nostrum non habuerit, bannum nostrum solvat. II. 39. 3.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte publica, quod Comes tuus mandavit tibi, quod tu præsentares ad suum placitum unum latronem de infra emunitatem Sancti Syri, unde tu es Advocatus, & non præsentasti.

X. De eo qui perjurium fecerit se sciente, nullam redemtionem habeat, nisi manum perdat (12). II. 58. 2.

(1) In Cod. Esten. legitur: *Ut eorum suffraganei Episcopi eis secundum* &c. Cod. Cathedr. Mutin. *Episcopi eis secundum Canones subplettendi sunt.*

(2) In Esten. Cod. scriptum videtur, *ubi præsenter*. Cod. Cathedr. Mutin. habet: *De Episcopatis, ubi ad præsens Episcopi* &c.

(3) Cod. Cathedr. Mutin. *qui regulares fuerunt*. Alii quoque Codices, Baluzio fatente, eam lectionem præferunt. Hoc est, quæ Monasticæ Regulæ se se addixerant.

(4) Cod. Esten. *de Presbyteris & Diaconibus infra* &c. Cod. Sangallensis a Baluzio laudatus ita legit, sed sim..l addit, *& Clericis*.

(5) Cod. Esten. *seu etiam de viduis infra suam Parochiam* (hoc est, Diœcesim) *potestatem habeant ad corrigendum*. Ita quoque legitur in Cod. Cathedr. Mutin.

(6) Quæ usque ad finem Capituli sequuntur miror cur exciderint, aut neglecta fuerint, Clariss. Baluzio. At eadem leguntur in Codice quoque Estensi, ubi hæc diversa habentur: *se iterum miserit, si prædium habuerit, ipsum Fisco Regis recipiatur*. Ita & in Ambros. Cod.

(7) Vox *Episcopo* non legitur in Cod. Esten. uti neque apud Baluz. pag. 195. Tom. I. Subintelligenda tamen videtur.

(8) Consonat Cod. Esten. At Cod. Cathedr. Mutin. hæc addit: *Nisi de suis hominibus Clericum habuerit, nullatenus ad ordinandum ducere præsumat, nisi ad illum Episcopum, de cujus Parochia est, aut in cujus Parochia in potestate habere debet.*

(9) Hæc ita leguntur in Cod. Esten. *Ut unusquisque homo suam decimam donet*, hoc est, det, quod nunc *donner* dicunt Franci. Cod. vero Cathedr. Mutin. *Unusquisque homo suam decimam ad Ecclesiam donet, & per jussionem, consilium Episcopi, in cujus Parochia fuerint, dispensentur.*

(10) Cod. Esten. *si ad Ecclesiam confugerint, non excutiantur*. *Non excusentur*, habet Cod. Cathedr. Mutin. sed retinenda prior lectio.

(11) In Cod. Esten. hæc adduntur: *Si vero latrones, foris furtum committentes, fugerint infra emunitatem, futura judicentur sententia. Et si dixerint* &c. Infra idem Cod. *nec pro ulla justitia dilatanda illos latrones fugere consensissent, nec pro causa dilatationis de illorum potestate, vel de suo ministerio ipsum latronem* &c. Infra: *Similiter si Vassi nostri sunt, si hoc non* &c. In fine: *& qui beneficium non habuerit.*

(12) Post verba, *nisi manum perdat*, quæ postrema sunt in eodem Cod. Esten. Baluzius Tom. I. pag. 197. Capitular. nonnulla addit, quæ & in Cod. Cathedr. Mutin. leguntur. Itaque audiatur Codex noster, cujus verba sunt: *nulla redemptio fiat, nisi manum perdat. Quod si accusator contendere voluerit de ipso perjurio, stent*

XI. De trufte (1) facienda, ut nemo præfumat ad nos venienti manfionem vetare, & quæ neceffaria funt, ficut vicino fuo, ei vendat. III. 4. 2.

XII. De Cerariis (2), & Tabulariis, & Chartulariis, ficut a longo tempore fuit confuetudo, ita obfervetur. III. 5. 1.

XIII. De facramentis per gildoniam (3) ad invicem conjurandis, ut nemo facere præfumat: alio vero modo de illorum alimoniis, aut de incendio, aut de naufragio, quamvis convenientiam faciant, nemo in hoc jurare præfumat. I. 17. 7.

XIV. De (4) iterantibus, qui ad Palatium, aut alicubi pergunt, ut eos cum collecta manu nemo aufus fit affalire. Et nemo herbam alterius tempore defenfionis tollere præfumat, nifi vel in hoftem pergendo, aut Miffus nofter fit. Qui aliter facere præfumferit, emendet. III. 4. 3.

XV. De teloneis (5), quæ jam ante forbannita fuere, ut nemo tollat; nifi ubi antiquo tempore confuetudo fuerit. III. 1. 5.

XVI. Ut nemo præfumat hominem aliquem vendere, aut comparare, nifi in præfentia Comitum aut Mifforum noftrorum. (6) II. 30. 1.

XVII. De Bruneis (7), ut nullus extra Regnum noftrum vendere præfumat. III. 17. 1.

XVIII. Si Comes in fuo minifterio juftitiam non fecerit, tunc Miffus nofter de hac cauffa fonare (8) faciat, ufque dum juftitiæ ibidem factæ fuerint. Et fi Vaffus nofter juftitiam non fecerit, tunc Comes, & Miffus nofter in ipfa cauffa (9) fedeant, & de fuo vivant, quoufque juftitiam faciant. II. 52. 2.

XIX. Si quis pro faida (10) pretium recipere noluerit, ad nos fit transfmiffus, & nos eum dirigamus, ubi damnum minime (11) facere poffit. Simili modo etiam qui pro faida pretium folvere noluerit, nec juftitiam inde facere, tunc ad nos fit tranfmiffus, & in tali loco eum mittere volumus, ut majus damnum non crefcat. I. 37. 1.

XX. De armis infra (12) patriam non portandis, id eft fcutis, & lanceis, & loricis. Si faidofus (13) quis fuerit, difcutiatur; & tunc quis e duobus contrarius fuerit,

---

ftent ad crucem. Et fi jurator vicerit, legem fuam accufator emendat. Tum adinftar diverfæ Legis hæc alia illic fubduntur, quæ Baluzius conjuncta legit: *Hoc vero de minoribus caufis obfervandum eft. De majoribus vero rebus, aut de ftatu ingenuitatis, fecundum legem cuftodiant.* Experimentum *crucis* in eo fitum erat, ut contendentes ante crucem ftarent manibus elevatis. Prior ille, cujus brachia laffa cedebant, victus credebatur. Vide Ughellum in Ital. Sacr. Tom. V. pag. 611. in Catalog. Epifcopor. Veronenf.

(1) Nicolaus Boherius, ac alii, *fervitium regale* interpretantur. Du-Cangius *truftem facere* nihil aliud effe putat, quam Regi *fidem*, feu hominium præftare. Vide ejus Gloffar. Latinum. Cod. Eften. addit: *ad nos venienti hiberno tempore*. Nempe tunc durum extra tecta ducere noctem.

(2) Non *de Notariis* hic agitur, ut cenfet Lindenbrogius: fed quidem de *Servis*, aut potius *Liberis*, qui cenfum *ceræ* Ecclefiæ alicui reddebant; & de iis, qui per *chartam ingenuitatis*, & per publicas *Tabulas* libertate fuerint donati, fed cum onere reddendi cenfum Locis facris. Propterea apud Baluzium huic Legi titulus præponitur, *de tributariis Ecclefiarum*. In Codice Eftenfi non legitur *confuetudo*. In Cod. vero Cathedr. Mutin. habetur: *ficut a longinquo tempore fuit, fic obfervent*.

(3) Baluz. in Capitular. Tom. I. pag. 198. *pro gildonia*. Ita quoque in Cod. Eften. *pro gildonia ad invicem conjurantium*. In Cod. Cathedr. Mutin. *per geldonia invicem conjurantibus*. Nihil aliud eft *Geldonia* nifi adunatio & focietas illicita hominum. Hincmarus Remenfis in Capitul. ad Presbyteros Cap. 16. *De Collectis, quas Geldonias, vel Confratrias vulgo vocant*. In Ambrof. Cod. legitur, *per Gildonem*; fupra vero adnotatur, *id eft advocationem*. Ita pro *adunatione*. Infra uterque Cod. Mutin. *de illorum eleemofynis, aut de incendio* &c. Idem fignificat atque *alimoniis*.

(4) Hoc eft, itinerantibus. Cod. Eften. *aut aliquo pergunt, ut eos cum collecta nemo aufus fit affalire*.

(5) Codices Mutinen. præferunt: *De toloneis, quæ jam antea forbannita fuerint*, hoc eft, publico decreto conftituta. *Formannita* habent alii. Infra in Cod. Eftenfi: *confuetudo fuit*.

(6) Locupletiorem Legem exhibet Cod. Eften. qui tamen conjunxiffe videtur cum ifta Legem infra pofitam LXXII. Ergo ibi additur: *aut Archidiaconi, vel Centenarii, aut Vicedomini, aut Judicis, aut ante bene nota teftimonia. Et foras Marcham* (hoc eft, extra fines Provinciæ fuæ ac Regni noftri) *nemo mancipium vendat*. Cod. Ambr. poft *Mifforum noftrorum* addit: *& ut nemo audeat in furtum mancipia emere* &c. quæ infra occurrent in Lege LXXIII.

(7) Id eft, de *loricis*. In Cod. Cathed. Mutin. legitur: *De brunis* (ita quoque appellabantur) *ut nullus foras Regno noftro* &c.

(8) *Sonniare*, five *faniare*, eft Du-Cangio erudite explicante, procurare aliquid, curam habere &c. unde Gallica Lingua deduxit *foin* & *foigner*. Non recte, ut mihi videtur, fcriptum eft apud Baluzium pag. 198. Tom. I. *in fua cafa foniare faciat*. Error fluxit ex fubfequente *cafa*.

(9) Cod. Cathedr. Mutin. *ad ipfius cafam fedeant*. Eadem leguntur in Editione Baluziana. Codex vero Eften. habet: *in ipfa cafa fedeant*.

(10) Cod. Eften. *Si quis pro fadia*. Cod. Cathedr. Mutin. *Si quis pro faita*: quod idem eft. Senfus eft, fi quis læfus inimicitiam privatam (hoc enim *Faida* fignificat) cum aliquo habens, eam componere noluerit, pretio ab inimico recepto &c. Uterque Codex Mutin. *tunc ad nos fit tranfmiffus*.

11) Cod. Cathedr. Mutinen. *ubi damnum nemini facere poffit*. Et in fine Cod. Eften. *ut pro eo majus damnum non crefcat*. Cod. Cathedr. *ut per eum majus* &c.

12) Uterque Cod. Mutin. *De armis infra Patriam*. Ita quoque apud Baluz. Tom. I. pag. 424. Idem *infra* ac *intra* fignificabat olim. Sed mirum videatur, quod Francis & Langobardis, viris utique bellicofis ac nobilibus, arma palam deferre interdictum fuerit. Quare vide, quæ infra adnotavi ad Legem XLII. Pippini.

(13) Hoc eft, fi quis inimicitiam cum altero foveat. Hinc nova Lex, ni fallor, exordium fu-

rit, pacatus fiat, & diſtringatur ad pacem, etiamſi noluerit. Et ſi aliter ſe pacificare noluerit, adducatur ad noſtram præſentiam: & ſi aliquis poſt pacificationem alterum occiderit, componat illum (1), & manum illam, quam perjuravit, perdat, & inſuper bannum dominicum perſolvat. I. 37. 2.

XXI. De perjuriis ut caveantur, & non admittantur teſtes ad juramentum, antequam diſcutiantur. Et ſi aliter diſcuti non poſſunt, ſeparentur ab invicem, & ſingulariter inquirantur. Et non ſoli accuſatori liceat teſtes eligere, abſente ſuo cauſſatore. Et omnino nullus niſi jejunus ad juramentum, vel (2) ad teſtimonium admittatur. Et ille, qui ad teſtimonium adductus fuerit, ſi refutatur, dicat ille, qui eum refutat, & probet, quare eum recipere nolit. Et ut de ipſo pago, non de altero, teſtes eligantur; niſi forte extra Comitatum longius ſit cauſſa quærenda (3). Et ſi quis convictus fuerit de perjurio, manum perdat, aut redimat. II. 51. 2.

XXII. De (4) Advocatis, & Vicedominis, Vicariis, & Centenariis pravis, ut tollantur; & tales eligantur, qui ſciant, & volunt juſtitiæ cauſſam diſcernere & determinare. Et ſi Comes pravus inventus fuerit, nobis nuntietur: (5) & Judices, Advocati, Præpoſiti, Centenarii, Scabini, quales meliores inveniri poſſunt, & Deum timentes, conſtituantur ad ſua miniſteria exercenda. II. 47. 1.

FORMULÆ VETERES.

Domne Comes hoc dicit Raynaldus Epiſcopus, quod vult eligere Donatum, ut ſit (6) ſuus Advocatus; & de Epiſcopatu; quod habeat de hac hora in antea licentiam, & poteſtatem de rebus Eccleſiæ appellationes faciendi & recipiendi, & res Eccleſiæ per pugnam requirendi & excutiendi, & quod fecerit per ſe vel cum Epiſcopo de rebus Eccleſiæ, permaneat ſtabile. Dicis ita Epiſcopo? dico Domne Comes. Præcipite fieri notitiam.

XXIII. De heribanno (7) volumus, ut Miſſi noſtri heribannum hoc modo exactare fideliter debeant, abſque ullius perſonæ gratia, vel blanditia, ſive terrore, ſecundum noſtram juſſionem. Id eſt, de homine habente ſex Libras in auro & argento, bruneis, ferramento (8), pannis, caballis, bobus, vaccis, aut peculiis; ita ut uxores eorum aut infantes non fiant exſpoliati pro hac re de eorum veſtimentis, ſed recipiatur legitimum heribannum, id eſt Libræ tres (9). Qui vero non habuerint amplius in ſupraſcripto pretio valente, niſi Libras III., ſolidi XXX. ab eo exigantur, id eſt Libra una & dimidia. Qui autem non habuerit amplius niſi Libras II., ſolidi X. Si vero unam Libram, ſolid. V. ita ut iterum ſe valeat præparare ad ſervitium Dei, & in noſtram utilitatem. Et noſtri Miſſi caveant & diligenter inquirant, ne per aliquod malum

---

ſumit; attamen nil immutare placuit, quum in editis pariter atque in Mss. hæc conjuncta procedant. Infra Cod. Eſten. *diſcutiatur tunc is, qui ex duobus contrarius ſit, ut pacificetur, & diſtringatur* &c. Cod. Cathedr. Mutin. *ut pacati fiant, & diſtringantur* &c.

(1) Cod. Eſten. hæc addit: *componat illum, ſi ſe defendendo fecerit. Si vero aliter, omnem ſubſtantiam ſuam amittat; etiam manum, qua perjuravit, perdat, & inſuper bannum dominicum ſolvat*. Cod. Cathedr. Mutin. cum editis concordat. Mirum videatur, quod componere quis cogeretur hominem, quem ſe defendendo occidiſſet, hoc eſt, mulctam pecuniariam ſolvere. Sed hoc Legibus Langobardorum cautum erat, ut videre eſt ſupra in Legibus Rotharis ac Liutprandi.

(2) Cod. Eſten. *vel ad teſtimonium admittatur; & ille, qui ad teſtimonium adducitur, ſi refutatus fuerit, dicat* &c.

(3) In Cod. Eſten. legitur: *ſit cauſa inquirenda. Et ſi quis convictus fuerit de perjurio, perdat manum, ſi ſe ſciente fecerit, aut redimat: Widrigild tribuat, ſi neſciens fecerit*. Vide Baluz. Tom. I. pag. 426. a cujus quoque textu hæc abſunt.

(4) En ut in Ms. Cathedr. Mutin. hæc leguntur: *De Advocatis; id eſt ut pravi Advocati, Vicedomini, Vicarii, & Centenarii tollantur, & tales eligantur, quales ſciant, & velint juſte cauſas* &c. In Cod. quoque Eſten. legitur, *quales ſciant & velint*. *Vicedomini* dicebantur, qui *vices Epiſcoporum* gerebant, ſcilicet eorum *Vicarii*, ſed præcipue Oeconomi; eoſque fuiſſe Eccleſiaſticos viros, ex antiquorum monumentis colligitur. Et quum hic diſtinguantur a *Vicariis*, par eſt credere, inter Vicarios ac Vicedominos diſcrimen interceſſiſſe. *Vicecomites* autem dicebantur, qui vices Comitis agebant: *Vicedomini* vero Epiſcoporum. *Centenarii* fuere Judicum Aſſeſſores, & quædam ſpecies Judicum Minorum.

(5) Quæ ſequuntur uſque ad finem, in neutro Codice Mutinen. uti neque in Ambroſ. adduntur hic, ſed uti Lex diſtincta infra habentur Cap. LV.

(6) Hinc habes, quid olim foret *Advocatorum* munus, perquam celebre in eruditione Sæculorum rudium: & quomodo eos a Principe poſtularent Epiſcopi, cæteræque Eccleſiæ. Videndus in hanc rem Martinus Magerus *de Advocatia Armata*.

(7) *Heribannum* ſive *Heribannus* appellabatur mulcta, quæ ſolvenda erat a contemnentibus ire ad exercitum, quando proclamabatur expeditio. In Cod. Eſten. legitur: *ut Miſſi noſtri hoc anno*. Ita quoque apud Baluzium pag. 427. Tom. I. Capitular. & in Cod. Cathedr. Mutin. ubi pro *Miſſi* habetur *Miniſtri*.

(8) Cod. Eſten. *bruneis, æramento*, (ſequitur Cod. Cathedr.) *pannis integris, cavallis, bobus*, (tum uterque Cod. Mutin.) *vel alio peculio*.

(9) Codic. Mutinenſ. & Ambroſ. *ſed recipiant legitimum Heribannum, id eſt Libras tres*. Nempe pro modo facultatum exigebatur *Heribannum*, ne exſpoliarentur pauperes. Attamen hinc vides, graviſſimam hanc fuiſſe mulctam pauperculis hominibus: quæ tamen dicta nolim, quaſi meliora putem hac ex parte tempora noſtra. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *Qui vero non habuerint amplius, ut ſupraſcriptum pretium valentem*.

lum ingenium ſubtrahant noſtram juſtitiam, alteri tradendo, aut commendando (1). III. *6.* 1.

XXIV. Optimus (2) quiſque in pago, vel in civitate in teſtimonium admittatur, ut is, contra quem teſtimonium dare debet, nullum crimen poſſit indicare. II. 51. 3.

XXV. Ut nemo colonus, nec Fiſcalinus (3) poſſit aliubi foras mixtos traditionem facere. II. 32. *6.*

XXVI. Nemini liceat dimittere ſervum ſuum, propter damnum ab illo cuilibet illatum, ſed juxta qualitatem damni dominus ejus pro illo reſpondeat, vel eum in compoſitionem, aut ad pœnam petitoris (4) afferat. Sin autem ſervus pro perpetrato ſcelere fugerit, ita ut a domino penitus inveniri non poſſit, cum ſacramento dominus ejus excuſare ſtudeat, quod hoc non ſuæ voluntatis, nec conſentiens fuiſſet, quod ſervus ejus tale factum commiſiſſet, & ſit abſolutus. Jubemus (5) quoque, ut propter nullam diſtrictionem, quam nos facere jubemus, pro quibuslibet cauſſis, ſervi non mittantur in diſtrictionem; ſed per Miſſos noſtros vel dominos eorum, aut illorum Advocatos ipſi ſervi diſtringantur, ut ipſi ſicut lex jubet, rationem pro ſervis reddant, utrum culpabiles ſint, an non. Ipſi vero domini diſtringant, & inquirant ſervos ſuos, ſicut ipſos amant. I. 36. 7.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod Donatus tuus ſervus fecit injuriam ad Mariam ſuam mundoaldam. De torto. Si dixerit, liber eſt, aut eſt ſervus: dicat appellator Martino hoc te appellat Martinus, quod tu dimiſiſti eum per ipſum malum. Petre te appellat Martinus quod Donatus tuus ſervus fecit ſibi unam plagam in capſum. Non tibi reſpondeo, quod Petrus vendidit mihi per ipſum malum. Aut probet, aut reſpondeat. Si dixerit, quod ſervus eſt fugitivus, vadat eum quærere.

XXVII. Si quis (*6*) ad mallum legibus mannitus fuerit, & non venerit, ſi eum ſomnis (7) non detinuerit, ſolid. XV. culpabilis judicetur. Si ad ſecundam & tertiam vicem, ſimiliter. Si autem ad quartam venire contemſerit, poſſeſſio ejus in bannum mittatur, donec veniat, & de re, de qua interpellatus fuerit, juſtitiam faciat. Si autem infra annum non venerit, de rebus ejus, quæ in bannum miſſæ ſunt, Rex interrogetur, & quidquid exinde judicaverit, faciat. Prima mannitio ſit ſuper VII. noctes. Secunda ſuper noctes XIV. Tertia ſuper noctes XXI. Quarta ſuper noctes XLII. Similiter de beneficio hominis, ſi forte res proprias non habuerit, mittatur in bannum, uſque dum Rex interrogetur (8). II. 43. 1.

XXVIII. Ut ſacramenta, quæ ad Palatium fuerint arramita (*9*), in Palatio finian-

(1) Cod. Eſten. *aut commendando res ſuas*. Poſt hæc in editione Boheriana alia adnectuntur, nempe: *Ut heribannum aut aliquem collectum pro exercitali cauſa* &c. Sed hæc infra habentur Cap. XCVII.

(2) Eadem fere habet Baluz. Tom. I. pag. 390. At in Cod. Eſten. hæc ita leguntur: *Optimus homo quiſque* &c. *in teſtimonium adſumatur* &c. *nullum crimen poſſit ei injicere*. Tum hæc adduntur in editis deſiderata: *Et teſtis quislibet recipiendus ſit, niſi crimen ei oppoſitum fuerit & peccatum.*

(3) Hoc eſt, qui prædium aliquod *Fiſci*, quod idem eſt ac Regium, colendum ſuſcepit. Infra in Codice quoque Eſtenſi legitur, *foras mixtos*. Ab editione Baluz. abeſt; atque is notat, in aliis Codicibus haberi, *foras micio*, & *foras mitti*. Tum pag. 1184. Tom. II. Gloſſam interlinearem laudat explicantem *foras mixtos*, hoc eſt *extra conſervos*: quaſi colonis iſtis interdictum foret reliquis vendere, præterquam aliis ſervis fiſcalibus. Sed qui coloni, iique ſervi, terras ita in ſuo dominio habebant, ut cuiquam vendere poſſent? Ego infra oſtendam, *Fiſcalinos* minime ſervis accenſendos. Quare hic amplectenda videtur lectio, quam ex Codice Guelferbytano exhibet Clariſs. Eccardus, nempe *foras mitio*, quo Germanico vocabulo ritum *traditionis* more Salico factæ, nempe ramo, baculo, aut alio quopiam e manu projecto ſignificari putat. Ita ille in Not. ad Legem Salicam, pag. 176.

(4) Cod. Eſten. *petitori offerat*. Infra: *ſe excuſare ſtudeat, quod hoc ſuæ voluntatis nec conſcientiæ fuiſſet, quod ſervus ejus tale facinus* &c.

(5) Hæc uſque ad finem deſiderantur hic in Cod. Eſtenſi, & in Ambroſ. Sed infra exhibentur, tamquam Lex plane diverſa poſt Cap. LXX. Ego ab editis diſcedere nolui. Infra in editis: *ut ipſi, ſicut Lex jubet*. Melius in Mss. *Ipſi vero domini*: ita in Cod. Eſten.

(6) Vide Baluz. Tom. I. pag. 762. In Cod. Eſten. legitur: *Si quis Salichus ad mallum legibus mannitus* (hoc eſt, citatus, ut ajunt Leguleji noſtri) *de ingenuitate, aut de hæreditate tantum fuerit, & non* &c. Et ſane ſimilis Lex occurrit inter Salicas Cap. I. Sed hic Langobardi quoque eodem Edicto conſtringuntur.

(7) In Cod. Eſten. & Ambroſ. habentur, *ſi eum ſunnis non detinuerit*. Ita quoque non uno in loco in Lege Salica, & in Capitularibus Regum Francorum. *Sunnis* a Pithœo, Bignonio, ac aliis explicatur *ambaſcia, infirmitas, impedimentum, excuſatio juſta*. Vide Du-Cangium in Gloſſar. Latino.

(8) Tum hæc addit Cod. Eſten. quæ in editis non invenio: *Beneficium quidem contradicatur ei, donec ipſe venerit, & juſtitiam fecerit, aut miſſus aliquando*. Hoc eſt, ut cenſeo, *aut miſſus* ejus aliquando veniat.

(9) Ita quoque in Eſten. Cod. Apud Baluzium Tom. I. pag. 765. *fuerint adrhamita*. Hoc eſt, promiſſa, & ſtatuta ad certam diem, *in Palatio perficiantur*. Alii Codices, *finiantur*. De voce *adrhamire* videndi Cangius in Gloſſar. & Eccardus ad Tit. XL. Legis Salicæ, qui erudite vocis originem explicat. Infra Cod. Eſten. *juſſione dominica, aut indiculo, aut ſigillo, ad Palatium venire cogantur. Similiter de ceteris*. Ita quoque in Cod. Ambroſ. & apud Baluzium. *Indiculum* dicebant veteres Epiſtolam præceptoriam Regis, ejus manu ſubſcriptam.

niantur: & ſi ſacramentales cum ipſo venire noluerint, juſſione dominica, aut ſigillo, vel judicio, ad Palatium venire cogantur. II. 55. 20.

XXIX. Si quis liber ſuper Miſſum dominicam (1) cum collecta & armis venerit, & miſſaticum illi injunctum contradixerit, aut contradicere voluerit, & hoc ei approbatum fuerit, quod ſciens eſſe Miſſum (2) dominicum, ad reſiſtendum veniſſet, de vita componat: & ſi negaverit, cum XII. (3) ſacramentalibus ſuis ſe idoneum faciat; & pro eo quod cum collecta contra Miſſum dominicum armatus venerit ad reſiſtendum, bannum dominicum componat. Simili modo Domnus Imperator de ſuis Vaſſis judicavit. Et ſi ſervus hoc fecerit, diſciplinæ corporali ſubjaceat. I. 13. 3.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, qui eſt Advocatus de parte Publica, quod tu veniſti cum collecta & armis te ſciente ſuper Miſſum Imperatoris, & contradixiſti miſſaticum illi, quod erat ſibi commendatum.

Capitula de Exercitalibus (4).

XXX. Si quis (5) domum alienam cuilibet fregerit, quidquid exinde per virtutem abſtulerit, aut rapuerit, aut furatus fuerit, ſecundum legem & ewam illi, cujus domus fuerit fracta aut exſpoliata, in triplo componat, & inſuper bannum dominicum ſolvat. Si ſervus hoc fecerit, ſententiam ſuperiorem accipiat, & inſuper ſecundum legem ſuam componat. I. 14. 9.

XXXI. Si quis liber homo (6) aliquod damnum cuilibet fecerit, pro quo plenam compoſitionem facere non valeat, ſemetipſum invadiare ſtudeat, uſque dum plenam compoſitionem adimpleat. I. 14. 10.

XXXII. Si quis meſſem aut annonam in hoſte ſuper bannum dominicum rapuerit, aut furatus fuerit, vel paverit, aut cum caballis vaſtaverit, æſtimato damno (7) ſecundum legem in triplo componat. Et ſi liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur: ſervus vero ſecundum legem triplum componat, damnum in loco reſtituat, & pro banno diſciplinæ corporali ſubjaceat. I. 14. 11.

XXXIII. Si quælibet perſona (8) de hoc quoque interpellata fuerit, aut præſentialiter emendet, aut ſacramentum reddat ſolus, quod nec ipſe fecerit, nec vere qui feciſſet ſciat: Accuſator vero prius juret, quod non eum injuſte ſe ſciente interpellaſſet. I. 14. 12.

XXXIV. (9) De his vero perſonis, quæ longe a Palatio quaſi in via remanſerint, exſpectantes Seniorem ſuum, & deprædationes fecerint, Comes, aut Miniſter ejus quicquid contra legem fecerint, abſque ulla excuſatione emendare faciant. Si vero de injuſtitia contendere voluerint, conſtringant, aut velint vel nolint, ut juſtitiam faciant. Si vero quiſquam in ſua ſuperbia adeo contenderit, ut ibidem interfectus ſit, incompoſitus jaceat; & neque Senior, neque propinquus ejus pro hoc ullam faidam portet, aut commotionem faciat; & ſi fecerit, nobis & populo noſtro inimicus annotetur.

XXXV. Quicunque liber homo in hoſte (10) bannitus fuerit & venire contemſerit, plenum heribannum componat, ſecundum legem Francorum, id eſt LX. ſolidos ſolvat; aut (11) ſi non habuerit unde illam ſummam perſolvat, ſemet ipſum per wadium in ſervitio Principis tradat, donec per tem-

(1) Cod. Eſten. *Si quis ſuper miſſum dominicum*, hoc eſt *Miſſum a Rege* directum ad juſtitias faciendas aliave ejus mandata peragenda, *cum collecta*, id eſt adunatione hominum, *& armis venerit, & Miſſaticum illi injunctum* &c.

(2) Appoſite ad elegantiam eorum temporum. In Ms. Eſten. legitur: *quod ſe ſciens contra Miſſum dominicum ad reſiſtendum* &c. *de vita componat, & res ejus ad Publicum deveniant*. Poſtrema verba abſunt ab editis.

(3) Codex Eſten. *cum XII. ſuis juratoribus ſe idoniare ſtudeat*.

(4) Hoc eſt de iis, *qui in exercitu militant*. Quare ſex ſequentes leges ad eos, qui militiam exercuere, ſpectant, quamquam in Editis vix ſit hujus Regiæ intentionis veſtigium, niſi in tertia, & ſexta ſequenti.

(5) Cod. Eſten. *Si quis in expeditione domum alienam cujuslibet fregerit*. Ergo Lex iſta hominibus in expeditione militari poſitis dicta eſt. Infra *per virtutem*, idem eſt ac *per vim*, & *violenter*. Infra *vel furatus fuerit, totum illi ſecundum Legem, cui domus* &c. Infra: *Si vero ſervus fuerit* &c. *& inſuper ſecundum ſuam legem compoſitionem faciat*.

(6) In eodem Eſten. Cod. legitur: *Si quis liber homo in eadem expeditione aliquid tale damnum cuilibet fecerit*. Infra: *ſemetipſum invadiare ei ſtudeat*. Baluz. Tom. I. pag. 766. *in wadio pro ſervo dare ſtudeat*. Ambroſ. Cod. *in wadiam pro ſervo dare ſtudeat*.

(7) Goldaſtus: *uſurpaverit*. Infra Cod. Eſt. *æſtimatum damnum ſecundum legem in triplum componat*. Infra: *Si vero ſervus hoc fecerit, ſecundum legem ſuam ſub tripla compoſitione damnum in loco reſtituat*.

(8) Videtur continuatio præcedentis legis. In Cod. Eſten. legitur: *Quælibet perſona in eadem expeditione de hoc* &c. Infra: *reddat ſola, quod nec ipſa feciſſet, ſcit: Interpellator autem prius juret, quod non eum injuſte ſe ſciente interpellaverit*.

(9) Hanc legem nobis exhibet Cod. Eſten. Eamque inter editas Longobardorum Leges hactenus non inveni, imo neque apud Baluzium eam intueri mihi viſus ſum.

(10) Hoc eſt ad expeditionem bellicam accitus fuerit. Cod. Eſten. habet *in hoſtem*. Iis quippe temporibus *hoſtem* appellare exercitum mos fuit; eamque vocem Italica Lingua retinuit. In Ambroſ. *ſecundum Legem Francorum* non legitur.

(11) Idem Cod. Eſten. & Ambroſ. *Quod ſi non habuerit unde illam ſolvat ſummam, ſe metipſum per vadimonium in ſervitio Principi tribuat, donec per tempora ipſe bannus ab eo fiat perſolutus, & tunc* &c. Infra: *in ſervitium ſe tradidit, in illo ſervitio defunctus fuerit, heredes illius* &c.

tempora ipſum bannum ab eo fiat perſolutum, & tunc iterum ad ſtatum ſuæ libertatis revertatur. Et ſi ille homo, qui propter heribannum in ſervitio ſe tradiderit, & in ſervitio illo defunctus fuerit, heredes ejus hereditatem, quæ ad illos pertinet, non perdant; nec de libertate, nec de ipſo heribanno obnoxii fiant. I. 14. 13.

XXXVI. Ut nullus homo in placitum Centenarii (1), neque ad mortem, neque ad libertatem ſuam amittendam, aut res reddendas, vel mancipia judicetur: Sed ea omnia in præſentia Comitum vel Miſſorum noſtrorum judicentur. II. 52. 3.

XXXVII. Omnis controverſia (2) coram Centenariis diffiniri poteſt, excepta redhibitione rerum immobilium, & mancipiorum; quæ non poteſt diffiniri niſi coram Comite. II. 52. 10.

XXXVIII. Omnia ſacramenta in Eccleſiis, aut ſuper reliquias Sanctorum jurentur. Et quæ in Eccleſia juranda ſunt, cum VI. electis, aut ſibi XII. eſſe debeant (3) quales potuerint legibus invenire: Et ſic juret: *Sic illum Deus adiuvet & Sancti, quorum reliquiæ iſtæ ſunt, ut inde veritatem dicat*. II. 55. 21.

XXXIX. Ut infantes, qui ſine rationabili ætate ſunt, non cogantur jurare, ſicut Gundebada (4) lege viventes faciunt. Et qui ſemel perjuratus fuerit, nec teſtis ſit poſtea, nec ad ſacramentum accedat, nec in ſua cauſſa vel alterius jurator exiſtat, II. 55. 22.

XL. Ut infantulæ ætatis (5) puellæ non velentur, antequam eligere ſciant, quid velint, ſalva canonica auctoritate. III. 1. *6*.

XLI. Ut nec uxor a viro dimiſſa alium accipiat virum, vivente viro (*6*): nec vir aliam accipiat uxorem, vivente priore uxore. II. 13. 4.

XLII. Ut judices jejuni cauſſas audiant & diſcernant. II. 52. 4.

XLIII. Ut Epiſcopi, Abbates & Comites, & quique (7) potentiores, ſi cauſſam inter ſe habuerint, & pacificare noluerint, ad noſtram jubeantur venire præſentiam, neque illorum contentio alicubi judicetur, nec propter hoc pauperum & minus potentum juſtitiæ remaneant (8). Neque ullus Comes Palatii noſtri potentiorum cauſſas, ſine noſtra juſſione, finire præſumat: ſed tantum pauperum & minus potentum, ad juſtitias faciendas ſe ſciat eſſe conſtitutum, II. 45. 1.

XLIV. De latronibus ita præcipimus obſervandum, ut pro (*9*) prima culpa non moriatur, ſed oculum perdat. De ſecunda, naſus ei ſcapelletur. De tertia vero, ſi ſe non emendaverit, moriatur. I. 25. *61*.

XLV. De illis hominibus, qui propter eorum culpas ad mortem fuerint judicati, & poſtea vita eis conceſſa fuerit, ſi ipſi juſtitiam (10) ab aliis, aut alii ab eis quærere voluerint, æquale judicium inter eos terminetur. Primum enim omnium de illis cauſſis, pro quibus judicati fuerint ad mortem, nullam poſtea repetitionem facere poſ-

ſunt

---

(1) Rectius Cod. Eſten. *in placito Centenarii*. Erant ergo Centenarii Judices, ut nunc appellamus, *ad minora*. Infra idem Cod. *Sed in præſentia Comitis, aut Miſſorum noſtrorum judicetur*.

(2) Hæc ita leguntur in Cod. Eſten. *Ut omnis controverſia coram eo* (id eſt Centenario) *finiatur, præter redemtionem terræ, & mancipiorum*.

(3) Rectius in Cod. Eſten. & in Ambroſ. *aut ſi XII. eſſe debent*. Infra: *& illi Santi, quorum Reliquiæ iſtæ ſunt, ut veritatem dicat*. Tum additur: *Hæc ſacramenta ſint de minoribus placitis*: quæ neſcio num pars Legis, an Gloſſa dicenda ſint. Notandum quoque, in formula juramenti edita haberi: *Sic Deus* &c. Atque ita loqui noſtris temporibus in uſu eſt. Verum in editione Baluzii legitur hic & in aliis locis, *Si Deus*. Ita quoque conſtantiſſime exhibet Codex Eſtenſis tum hic, tum in formulis antiquis, uti infra patebit. Idemque haberi in aliis veterum Libris puto; ſed facile interdum antiquæ lectiones emendantur, & ad recentiorum ſermonem trahuntur.

(4) In Ambroſ. *Gundebanda*: id eſt Lege Burgundionum, cui nomen hoc ab eorum Rege acceſſit. Infra idem Codex: *Ut qui ſemel perjuratus &c.* Videtur autem altera Lex ſejungenda a præcedentibus verbis. In fine hæc adduntur a Cod. Eſten. *jurator exiſtat, niſi accipiat pœnitentiam*.

(5) Fuſius hæc deſcripta habentur in Cod. Eſten. *Ut infantulæ puerilis ætatis non velentur, antequam illæ eligere ſciant, quæ velint, ſalva Canonic. auctoritate. Id eſt ante XXV. annos, excepto metu mortis, aut raptus, niſi conſenſu parentis*. Deſiderantur hæc poſtrema in Edition. Baluz. Tom. I. pag. 424. & 725. Verum ibi additur: *& ut pulſentur ſalva Canonica ſententia & auctoritate. Pulſentur*, id eſt examinentur & probentur: ut infra in Lege CXLI. ejuſdem Caroli M. Ad ætatem vero, qua velandæ forent puellæ, quod attinet, nempe *non ante XXV. annum*, habentur Capitularia Regum Francorum pag. 723. & alibi. Hic tamen additur *metus mortis, & raptus*: quod eſt attente animadvertendum.

(6) Cod. Eſten. & Ambroſ. addunt *ſuo*.

(7) Apud Baluz. Lex iſta habetur Tom. I. pag. 497. & 768, Legitur in Cod. Eſten. *& potentiores quique* &c. *& pacificare ſe noluerint* &c. *ne propter hoc pauperum & minus potentium* &c.

(8) In Cod. Eſten. hæc alteram Legem diſtinctam conſtituunt. Infra; *ſed tantum pauperum, & minus potentium ad juſtitias faciendas ſciat ſibi eſſe vacandum*. Ita quoque legitur in edition. Boherii & Baluzii. Goldaſt. addit: *ut in omnibus cauſis pro illis rationem reddere poſſint*, Nov. Coll.

(9) Cod. Eſten. *ut quis pro prima*. Infra: *naſus ipſius capelletur*. Cod. Cathedr. Mutin. hæc ita exhibet; *ut per primam vicem non moriantur, ſed oculum perdant: per ſecundam naſus ipſius latronis abſcindatur*. Similem alteram Legem Caroli infra habes Cap. LXXXV.

(10) Baluzius quoque Legem hanc exhibet Tom. 1. pag. 469. & 763. Verum audiendus Cod. Eſten. ubi hæc ita exhibentur, hoc eſt dilucidius: *ſi ipſi juſtitiam ab aliis quærere voluerint, aut alii ab eis, de aliquibus commiſſis ante judicium mortis, æqualiter inter illos ſententia terminetur. Ut primum omnium* &c.

ſunt (1); quod omnes res ſuæ ſecundum judicium Francorum in publico ſunt revocatæ. Et ſi aliquid poſtmodum, poſtquam eis vita conceſſa eſt, cum juſtitia acquirere potuerint, in ſua libertate teneant, & defendant ſecundum legem: ſed in teſtimonio (2) non ſuſcipiantur, nec inter Scabinos ad legem judicandam locum teneant. Et ſi ſacramentum eis aliquod judicatum fuerit, quod jurare debeant, ſi aliquis ipſum ſacramentum falſum dicere voluerit, cum armis contendat. I. 35. 1.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu feciſti ſibi unam plagam in capite. Non tibi reſpondeo, quia tu fuiſti judicatus poſt ad mortem. Aut probet, aut reſpondeat. Si dixerit: judicatus fui ad mortem, ſed mihi fuit vita conceſſa. Et tu poſt feciſti illud malum. Probet, aut taceat. Petre te appellat Martinus, quod tu occidiſti Donatum ſuum ſervum miniſterialem. Non tibi reſpondeo, quia ego ſum judicatus poſt ad mortem. Probet. Si dixerit, qui appellat; tibi fuit vita conceſſa, & poſt illud malum mihi feciſti, probet. Si dixerit qui appellatus eſt: fuit mihi vita conceſſa; ſed ſi tu dicis, quod ego feciſſem tibi malum ipſum, poſtquam fuit mihi vita conceſſa: de torto. Petre te appellat Martinus, quod ipſe habet certam ſuſpicionem, quod tu fuiſti fur de tanto ſuo mobili, quod valebat ſolid. C. Non tibi reſpondeo, quia pro ipſa mobilia fui judicatus ad mortem. Petre te appellat Martinus, quod tu feciſti injuriam ad Mariam ſuam mundoaldam. De torto. Si voluerit dicere, quod falſum ſit ſacramentum, quod debet jurare, faciat pugnam cum armis.

XLVI. Si alicui homini poſt judicium Scabinorum, fuerit vita conceſſa, & ipſe poſtmodum aliquod malum perpetraverit, & juſtitiam reddere noluerit, dicendo quod mortuus ſit, & ideo juſtitiam reddere non debeat; ſtatutum eſt, ut ſuperius judicium ſuſtineat, quod antea ſuſtinere debuit. Et ſi aliquis adverſus eum aliquod malum fecerit, ſecundum æquitatis ordinem, licentiam habeat ſuam juſtitiam requirendi de cauſſis perpetratis, poſtquam ad mortem judicatus eſt: de præteritis vero maneat, ſicut ſupra judicatum eſt. I. 35. 2.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu occidiſti patrem ſuum. Non tibi reſpondea, quia ego ſum mortuus. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes ſibi malo ordine terram in tali loco: Ipſa terra mea propria eſt. Quid tibi pertinet? Imperator mihi fecit per præceptum. Et quid pertinuit ad Imperatorem? Ego fui judicatus ad mortem, & totæ meæ res venerunt ad Publicum. Potes tu probare, quod tu, poſtquam Imperator tibi dedit, infra hoc tu fuiſti judicatus ad mortem? Et quod pater tuus per XXX. annos poſſeſſam habeatis?

XLVII. Ut Comes qui latronem in forbanno miſerit, vicinis ſuis, & aliis Comitibus notum faciat, eumdem latronem a ſe forbannitum eſſe, ut illi eum non recipiant. I. 25. *63*.

XLVIII. Ut quandocunque teſtes ad rem quamlibet diſcutiendam quærendi aut eligendi ſunt a Miſſo noſtro & (3) Comite, in quorum miniſterio de re qualicunque agendum eſt, tales eligantur, quales meliores inveniri in ipſo pago poſſunt. Et non liceat litigatoribus per præmia falſos teſtes adhibere, ſicut hactenus fieri ſolebat. II. 51. 5.

XLIX. Ut nullus alius de liberis hominibus ad placitum vel ad mallum venire cogatur, exceptis Scabinis, & Vaſſis Comitum, niſi ille qui (4) cauſſam ſuam quærit, aut ſi alter illi quærere debeat, & ille qui reſpondet. II. 42. 1.

L. Ut teſtes ad teſtimonium dicendum præmio non ducantur. Et nullus teſtimonium dicat, aut ſacramentum juret, niſi jejunus. Et ut teſtes, priuſquam jurent, ſeparatim diſcutiantur, (5) quid dicere velint de illa re, unde teſtimonium reddere debent. II. 51. *6*.

LI. Ut nullus quiſlibet Miſſus noſter, neque Comes, neque Judex, aut Scabinus, cujuſlibet juſtitiam dilatare præſumat, ſi ſtatim implere potuerit ſecundum rectitudinem: neque præmia per hoc a quolibet homine per aliquod ingenium accipere præſumat. II. 52. 5.

LII. Ut mercatum nullo loco habeatur, niſi ubi antiquitus fuerit, & legitime debet eſſe. (*6*) III. 18. 1.

LIII. Ut nullus (7) cogatur ad pontem ire

(1) Emendanda hæc ope Codicis Eſten. ubi, *nullus poſſit facere repetitionem*. Infra: *in Publicum ſunt revocatæ, niſi in Eccleſia homicidium fecerit aliquis liber*: quæ verba fortaſſe Gloſſam exhibent in textum invectam.

(2) Cod. Eſten. *Sed in teſtimonium non recipiantur, nec inter Schabinos* &c. Quibus ex verbis deduci poſſe mihi videtur, *Scabinos*, id eſt aſſeſſores Judicis, ſive Comitis, qui Judices minores fuere, olim quoque ex civium, aut pagenſium numero delectos, quod & nunc apud Germanos in more eſt. Infra idem Cod. Eſten. & Ambroſ. *ad legem judicandum locum teneant. Et ſi ſacramentum eis aliquod judicatum* &c. Hæc non ſatis dilucida apud Baluzium. In fine: *cum armis contendant*.

(3) Cod. Eſten. & Ambroſ. *aut Comite*.

(4) Cod. Eſten. *niſi qui cauſam ſuam quærere debet aut reſpondere*.

(5) Cod. Eſten. *Diſcutiantur quid dicere velint de ipſa re*.

(6) In Cod. Eſten. *antiquitus fuit, & legitimum eſſe debet*.

(7) In eodem Cod. *Ut nullus cogatur ad pontem ire ad flumen* &c. *quando ille* &c. *illud flumen tranſire poteſt*.

ire, ad fluvium tranfeundum, propter telonei cauffam, quando ille in alio loco compendiofius illud fluvium tranfire poteft. Similiter in campo plano, ubi nec pons, nec transjectus eft, ibi omnino ut teloneum non exigatur, præcipimus. III. 1. 7.

LIV. Ut Presbyter, qui fanctum Chrifma dederit (1) ad judicium fubvertendum, poftquam de gradu fuo expulfus fuerit, manum amittat. III. 27. 1.

LV. Ut Judices, Advocati, Præpofiti, Centenarii, Scabini, quales meliores inveniri poffunt, & Deum timentes, conftituantur, ad fua minifteria exercenda (2). II. 47. 1.

LVI. Ut nemo propter cupiditatem pecuniæ, aut avaritiam det pretium, ut futuram emtionem (3) fibi præparet, ut duplum vel triplum recipiat: fed tunc tantum, quantum præfentes funt fructus, fibi illos comparet. II. 31. 1.

LVII. Volumus atque jubemus, ut Epifcopi fuum in omnibus juxta vires fuas peragere ftudeant minifterium, in Parochiis eorum: & ut prædicationes & confirmationes (4) ibidem expleant. Et de monafteriis, quæ infra eorum Parochiam funt, vigilanter curent, ut Canonici fecundum Canones, & Regulares (5) fecundum regulam vivant: & ubi aliter quam ordo popofcit invenerint, emendare faciant; & fi emendare nequiverint, nobis nuncietur. III. 1. 8.

LVIII. Ut Comites pleniter juftitiam faciant & diligant, & juxta vires eorum expleant, & juftitiæ fanctæ Dei ecclefiæ vigilanti cura infiftant, & orphanorum, viduarum, pauperum, & omnium qui in eorum minifterio permanent, & de cauffa quacunque ad eos venerit querela, pleniffima & juftiffima deliberatione definire decernant, (6) & ficut rectum & juftum eft, ita agant. Et ut primitus ad placita eorum, orphanorum, viduarum, nec non pauperum cauffæ deliberentur: nec propter aliquam dilationem eorum juftitia a Judicibus dilatetur. II. 52. 6.

LIX. Volumus ut Epifcopi (7) & Comites concordiam & dilectionem inter fe habeant, ad Dei & fanctæ ecclefiæ tractatum peragendum: ut Epifcopus fuo Comiti, ubi ei neceffitas popofcerit, adjutor & exhortator exiftat, qualiter fuum minifterium explere poffit. Similiter & Comites faciant contra fuum Epifcopum, ut in omnibus illis adjutor fit, qualiter intra fuam Parochiam canonicum poffit explere minifterium. II. 53. 1.

LX. Præcipimus (8) Comitibus, & omnibus fidelibus noftris, ut quicunque de rebus ecclefiafticis beneficia habent, pleniter fecundum morem regionis nonas & decimas ad ipfas ecclefias donent, abfque ulla diminutione & dilatione, in quantum melius poffunt, & juxta poffibilitatem eorum, & quando neceffitas (9) exegerit, dent operas ad ipfas ecclefias reftaurandas, & adjutorium faciant. III. 3. 2.

LXI. Ut vos Epifcopi (10), qui in omnibus nonas & decimas accipitis, in veftra providentia fit, quatenus ecclefiæ & capellæ, quæ in veftra Parochia funt, emendentur, & luminaria eis præbeatis, ut in eis Presbyteri vivere poffint. III. 3. 3.

LXII. Ut nemo alterius Clericum fine commendatitiis aut dimifforiis literis recipere præfumat. III. 2. 2.

LXIII. Ut Epifcopi, Abbates, per Xenodochia (11) & Monafteria eorum hofpitale, ubi antiquitus fuerit, faciant: & fummopere curent, ut nullatenus prætermittatur. III. 1. 9.

LXIV. Volumus, ut Advocati in præfentia Comitum eligantur, non habentes malam

(1) Cod. Eften. *Chrifma donaverit*: quod fecundum Gallicam Linguam idem eft. In Concilio Turon. Anni 813. Canon XX. proditur, invaluiffe eam opinionem, ut crederetur, *criminofos Chrifmate unctos, aut potatos, nequaquam ullo examine comprehendi poffe*. Hoc eft, in *judicio*, five *examine* aquæ ferventis, aut frigidæ, crucis, ignis, pugnæ, ac in multis aliis experimentis, quæ Judicia Dei appellabantur olim a tentantibus Deum fuperftitione publica, nunc ab omnibus Chrifti Fidelibus improbata.

(2) Repetita eft hæc Lex fupra Cap. XXII. conjuncta quippe cum Lege illa. Ego ordinem Codicis Eftenfis fequutus iterum dare fum coactus.

(3) In Cod. Eften. *aut propter avaritiam fuam prius det pretium aliquod, & futuram coemtionem fibi præparet*, Infra: *fed tunc tantum, quando fructus eft præfens, illum comparet*.

(4) Cod. Eften. *& ut prædicationem & Confirmationem*.

(5) Hoc eft, Monachi. Erat Canonicis fua Regula; verum proprie de Monachis hæc dicebatur.

(6) In Cod. Eften. *definire decernent*.

(7) In eodem Cod. *Volumus, ut Epifcopi concordiam & dilectionem inter fe habeant ad Dei & fanctæ Ecclefiæ protractum peragendum*. Baluzius Tom. I. pag. 354. habet, *pertractatum peragendum*. Infra: *ubi neceffitas popofcerit*. Infra: *Similiter & Comes faciat contra fuum Epifcopum* &c. *Contra* pro *erga*. In fine legitur: *infra fuam Parochiam*.

(8) Cod. Eften. *Præcipimus etiam Comitibus*. Infra: *de rebus Ecclefiæ beneficia habent*. Cod. Ambrof. *de rebus Ecclefiæ & beneficiis habent*. Infra abfunt ab iifdem Codicibus verba illa, *fecundum morem regionis*.

(9) Cod. Eften. *Et quando neceffitas exigat de opera ad ipfas Ecclefias reftaurandas, adjutorium faciant*. Olim *Opera appellabatur*, quæ nunc *la Fabbrica* dicitur; atque idem *Operæ* nomen in Tufciæ urbibus perdurat, ut infra monebo.

(10) In Cod. Eften. legitur: *Et vobis Epifcopis* &c. *ut in veftra providentia*. In fine: *eis præbeantur, & ut* &c.

(11) Cod. Eften. *per Senodochia*. Nempe olim certabant cum Epifcopi, tum Monachi, ut quifque pauperum, ac peregrinorum Hofpitale pone fua Templa ac Monafteria haberent. In fine Cod. Eften. *nullatenus prætermittant*.

lam famam; ſed tales eligantur, quales lex jubet eligere. II. 47. 2.

LXV. De furto, vel de minoribus (1) cauſſis ſtatuimus, ſi ille, cujus cauſſa fuerit jurata, dicere voluerit, quod ille qui juravit, ſe ſciente perjuraſſet, vel campo vel cruce contendat (2). Et ſi ille qui juravit, victus fuerit, quod ſciens perjuraſſet, ſuprascriptæ ſubjaceat ſententiæ. Et ſi ille qui criminavit alium, perjurium non approbaverit, legem ſuam, cui perjuratum eſſe dixerit, perſolvat. De majoribus vero cauſſis lex, quæ a longo tempore fuit, obſervetur. II. 55. 25.

LXVI. (3) Mentio etenim facta eſt a nonnullis in placitis, quæ habuimus in anno præterito, & dictum eſt ibi, ut palam apparet, quod aut ille qui crimen ingerit, aut ille qui ſe vult defendere, perjurare ſe debeat. Melius viſum eſt, ut in campo (4) cum fuſtibus pariter contendant, quam perjurium perpetrent in abſconſo. II. 55. 23.

LXVII. Volumus etiam atque jubemus, ut Comites & Judices (5) non admittant teſtes, habentes malam famam, teſtimonium perhibere, ſed tales eligantur, qui teſtimonium bonum habeant inter ſuos pagenſes. Et primum per ipſos Judices inquirantur, ſicut ab illis Judices recti (6) inquirere potuerint, ita faciant, non voluntatibus malorum hominum aſſenſum præſtantes. Et ut ipſi Comites, & eorum Judices, qui noverint cauſſam, de qua inter eos agitur, eſſe cooperatam ſine blandimento ipſius qui cauſſam habet, faciant teſtes ad eamdem cauſſam venire, & per eorum inquiſitionem ita fiat diffinita. Et jubemus, ut teſtimonia ab invicem ſeparentur, ut lex habet. Quia ſi ita agatur, multi falſi teſtes poſſunt eſſe ſuperati, ſi ſeparatim interrogati fuerint. II. 51. 7.

LXVIII. Sed & hoc volumus, ut Comites de latronibus plenam juſtitiam faciant per eorum miniſteria, ut fures & (7) malefactores non patiantur quiete reſidere, ſed ſemper eos in quantum valent, infeſtent. I. 25. 64.

LXIX. Ut ante Vicarios (8) nulla criminalis actio diffiniatur, niſi tantum leviores cauſſæ, quæ facile poſſunt judicari. Et nullus in eorum judicio aliquem in ſervitio hominem conquirat; ſed per fidejuſſorem mittantur, uſque ad præſentiam Comitis. Et ad ingenuos homines nulla placita faciant cuſtodire, poſtquam illa tria cuſtodiunt placita, quæ inſtituta ſunt, niſi forte contingat, ut aliquis aliquem accuſet: exceptis illis Scabinis, qui cum Judicibus reſidere debent. II. 52. 7.

LXX. Volumus ut ſicut nos omnibus legem obſervamus, ita (9) omnes Comites noſtri nobis legem obſervare faciant, & plenam juſtitiam in eorum miniſteriis, quidquid ad nos pertinet, facere ſtudeant. II. 52. 8.

LXXI. Ut nemo pedicas (10) in foreſto

(1) Legem hanc Baluzius Tom. 1. pag. 545. Pippino Regi tribuit; Boherius, & Goldaſtus Ludovico Pio. Codex vero Eſtenſis a Carolo M. profectam indicat. Verum hanc titulorum diverſitatem aliorum curæ dimitto; neque enim ſingula monere decrevi. In Ms. Cod. Eſten. legitur: *De furto, vel de majoribus cauſis inſtituimus*. In Ambroſ. *De furto, vel ſcaccho, vel &c.*

(2) Cod. Ambroſ. *componat, aut in campo contendat. Et ſi ille, qui primus juravit*. Hoc eſt, experiatur judicium *pugnæ*, vel *crucis*, cujus exempla non pauca ſuperſunt in libris & tabulis veterum. Infra Cod. Eſten. *ſuprascriptæ ſententiæ ſubjaceat. Et ſi ille, qui crimina impoſuerit.*

(3) In Cod. Eſten. Lex iſta cum præcedenti adjuncta unam conſtituit. Et quidem non immerito, quum hic ratio de ſuperius ſtatutis proferatur. Infra Cod. Eſten. habet: *in Placito, quod habuimus anno præterito, & dictum eſt inibi, quia ubi palam apparet, quod aut ille, qui crimen injecerit, aut ille, qui ſe defendere vult, perjurare ſe debeant, melius eſt, in campo cum fuſtibus pariter contendant, quam perjurium abſconſe perpetrent*. Hæc rectius quam in Editis a Baluzio Tom. I. pag. 354.

(4) Qui poſtremis hiſce ſæculis tantopere ſingularia certamina aut uſurparunt, aut laudarunt, antiquorum præcipue exemplo uſi, utinam ſaltem intellexiſſent, non funeſtiſſimis gladiis aliiſque ejuſmodi armis necem facile inferentibus, ſed baculis plerumque, ſive fuſtibus, & clypeo peractas olim fuiſſe monomachias: unde rariſſima funera conſequebantur. Nos ſtolidos putamus in hac re Majores noſtros; attamen gravius delirarunt ſubſequentia tempora, & proxima noſtris. Rem notam illuſtrare ſupervacaneum foret. Vide etiam Legem XXXI. Lotharii I. infra.

(5) Cod. Eſten. *Comites & eorum Judices*. Quamquam Comes & Judex idem ſonent in aliquot Regum Langobardorum Legibus, attamen ſub Francis Italiæ dominantibus frequentius nomine *Judicis* ii deſignabantur, qui ſub Comite, ſive Urbis Præſide juſtitiam miniſtrabant. Hincmarus de Ord. Palat. Cap. 10. *Tales etiam Comites, & ſub ſe Judices conſtituere debet* &c. Idem in hac ipſa Lege infra repetitur.

(6) Corrigenda hæc ope Codicis Eſten. ubi legitur: *Et ſicut ab illis rectius inquirere potuerint, ita faciant, non voluntatibus malorum hominum aſſenſum præbentes. Et ut ipſi Comites, & eorum Judices, quomodo noverunt cauſam, de qua inter eos agitur, coopertam eſſe, ſine blandimento* &c. Infra: *Quia, ſi ita agitur, multi falſi teſtes poſſunt convinci, ſi ita interrogati fuerint ſeparatim.*

(7) Cod. Eſten. *Et ut malefactores non patiantur* &c.

(8) Eos nempe, qui vices Comitis, aut Judicis agebant in pagis, quorum frequens mentio in aliis eorum temporum Legibus ac Libris. Infra Cod. Eſten. *Et ingenuos homines*: hoc eſt, non cogant *liberos* a nativitate homines Placitis intereſſe. Hi alibi *Arimanni*, ſive *Herimanni* appellantur, uti & *ingenui*. Infra: *poſtquam illa tria cuſtodierint Placita* &c.

(9) In Cod. Eſten. *ita & omnes Comites*.

(10) Hoc eſt: retia ad capiendas aves & feras in ſilvis ad Regem ſpectantibus tendat. *Piedica* occurrit quoque in vulgari Italicorum ſermone. In fine Cod. Eſten. hæc addit: *ſicut Lex eſt; aut CXX. ictus accipiat ſervus.*

Dominico, nec in quolibet Regali loco tendere præſumat. Et ſi ingenuus hoc perpetraverit, bannum dominicum ſolvat: & ſi ſervus eſt, dominus illius emendet, ſicut lex eſt. I. 22. 7.

LXXII. & LXXIII. De mancipiis quæ venduntur, ut in præſentia Epiſcopi vel Comitis ſint vendita, aut Archidiaconi, & Centenarii, aut Vicedomini, aut Vicejudicis (1), vel Vicecomitis, aut ante bannum nota teſtimonia. Et ut foras Marcas nemo mancipia vendet. Et hoc qui fecerit, tantis vicibus bannum ſolvat, quanta mancipia vendiderit. Et ſi non habet pretium, in wadia pro ſervo ſemetipſum Comiti donet, uſque dum ipſum bannum perſolvat. (2) Item, ut nemo audeat in furto mancipia emere, & in aliam regionem occulte ducere: ubi vero repertum fuerit, legali ſententiæ ſubjaceat. II. 30. 2.

LXXIV. Ut nemo furem, camphium de mancipiis, aut de qualibet cauſſa, recipere præſumat, ſicut ſæpius Dominus Imperator commendavit (3). II. 55. 24.

LXXV. Ut mancipia adventitia & fugitiva nullus præſumat recipere (4). I. 25. 65.

LXXVI. De omnibus debitis ſolvendis, ſicut antiquitus fuit conſuetudo, per XII. denarios ſolidi ſolvantur, per totam Salicam Legem: excepto (5) ſi Leudes, id eſt, ſi Saxo aut Friſo Salicum occiderit, per LX. (6) denarios ſol. ſolvatur. Inter Salicos vero ex utraque parte de omnibus debitis, ſicut diximus, per XII. denarios ſolid. ſolvatur, ſive de homicidiis, ſive de omnibus rebus. II. 22. 1.

LXXVII. De mannitione (7) vero, niſi de ingenuitate, aut de hereditate, non ſit opus obſervare; de ceteris vero cauſſis, per diſtrictionem Comitis ad mallum veniant, & juſte examinentur ad juſtitiam faciendam. Comites vero non ſemper pauperes per placita opprimant. II. 43. 2.

LXXVIII. Si quis (8) Longobardus ſtatum humanæ fragilitatis præcogitans, pro ſalute animæ ſuæ de rebus ſuis voluerit judicare, vel cartam donationis cuilibet facere, non ſicut hactenus fieri ſolebat, jus ſibi vendendi, donandi, commutandi, & per aliam cartam eaſdem res alienandi reſervet poteſtatem: ſed abſolute faciat unuſquiſque de rebus ſuis, quod velit (9), & noſcat ſibi ex noſtra auctoritate penitus interdictum eſſe, duas de eadem re facere traditiones (10). Sed poſtquam unam de rebus ſuis traditionem fecerit, aliam de ipſis rebus faciendi nullam habeat poteſtatem (11). Ita tamen ſi uſumfructum voluerit habere,

per

(1) Cod. Eſten. *aut Judicis*. Cod. Cathedr. Mutinen. & Ambroſ. *aut Judicis Comitis ſint vendita*. Infra Cod. Eſten. *Et foras Marcam*. Vide ſupra Cap. XVI.

(2) In Editis conjuncta eſt Lex iſta cum præcedente; at in Cod. Eſten. diſtincta. In Ambroſ. Cod. ita his additis, & aliunde deſumtis, Lex ſe habet: *Ut nemo præſumat aliquem hominem vendere, aut comperare, niſi in præſentia Comitum, aut Miſſorum noſtrorum, & ut nemo audeat* &c. Idem veteres Scholiaſtæ putant eſſe *in furto*, ac *occulte*, quod infra legitur.

(3) Cod. Eſten. *Ut nemo de mancipiis furem camphium, aut de aliis quibuslibet cauſis recipere præſumat, ſicut ſæpius Domnus Imperator commendavit in verbis, non lege*. Quæ poſtrema verba ex Codice noſtro addita, quamquam Gloſſam præſeferant, attamen pars Legis fortaſſe fuerunt. Quantum quidem puto, obſcuræ hujus Legis hic eſt ſenſus. Quoties controverſia eſt de mancipiis, aliiſve cauſis, ob quas pugna ſit tentanda, nemini liceat *campionem* recipere aut ſuſcipere, qui furti ſit arceſſitus. *Camphio* enim & *Camphius* idem eſt atque *Campio*, a Germanica voce *Kampff*. Et in Codicib. Mss. Mutin. pro *Campio* ſæpe legitur *Camphio*.

(4) In Cod. Eſten. *Ut nullus mancipia adventitia fugitiva nullatenus recipere præſumat*.

(5) Cod. Eſten. *excepto Leuden. Si Saxo, aut Frixo Salicum occiderit*. *Leudis*, ſeu *Leudes* eſt vaſſallus nobilis.

(6) In Cod. Eſten. *per XL. denarios ſolidi ſolvantur*. Jam Baluzius animadverterat Tom. II. Capitul. pag. 1052. in Editione Boherii, & Lindenbrogii corrupte haberi, *per LX. denarios*. In eodem Cod. Eſten. alia adduntur, quæ ab Editis abſunt, videlicet: *per XL. denarios ſolidi ſolvantur. Similiter de omnibus controverſiis, quas hi contra Salicum habuerint, unde ei compoſitionem facere debuerint. Infra Salicos* &c. Quæ verba ſatis explicant, quid in hac Lege ſignificent *debita*, hoc eſt, mulcta pecuniaria. In fine idem Codex: *XII. denarii per ſolidum ſolvantur*.

(7) Baluzius Tom. I. pag. 352. habet: *De mannitione*; Codex vero Eſten. *De manire vero, niſi de ingenuitate*. Atque ita recte. *Mannire* eſt vocare in jus. Cl. V. Johannes Georgius Eccardus in Notis ad Legem Salicam contendit, ſcribendum eſſe *manire*, non *mannire*. Cum ipſo facit Cod. Eſtenſis. Videtur autem Legis hujus ſenſus. Excepta controverſia de ingenuitate atque hereditate, privato cuiquam non liceat adverſarium ſuum *mannire*, ſive provocare *ad mallum*, hoc eſt, ad publicum ſolemnemque populi & Judicum conventum: ſed quidem ei fas ſit, cauſam deferre ad Judicem, & ad communia *placita*. Vide infra inter Leges Ludovicii Pii Cap. XIX. & confer cum Lege iſta.

(8) Vide aliam ſimilem Legem infra Cap. CVI.

(9) In Ms. Eſten. additur, neſcio num a Carolo Magno, an ab aliquo vetuſto Gloſſatore: *quod velit, niſi ſervaverit ordinationem ſibi, & uſumfructum de rebus datis loco Deo dicato. Si aliter ſibi placuerit, noſcat* &c. Innumeræ autem chartæ habentur, in quibus rerum Eccleſiæ donatarum uſumfructum ſibi donantes reſervant.

(10) In Mss. Mutinenſibus, & apud Baluzium Tom. I. pag. 347. habetur: *duas de eadem re facere donationes*. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *ſed poſtquam unam de rebus ſuis ordinationem fecerit*.

(11) Aliqua hic adjunguntur in Cod. Eſt.: *exceptis rebus traditis euntis in hoſtem. Ita tamen ut ſi uſumfructum voluerit habere per precariam*. Rurſus conſule infra Cap. CVI. Nempe Eccleſiis non pauci ſua donabant, eaſque rurſus per *precariam* ab ipſis Eccleſiis, quibus tenuis cenſus annuus promittebatur, in emphyteuſim recipiebant. Idque excogitatum, ut ſub protectione Eccleſiarum ſua melius tuerentur, earumque privilegiis fruentes, onera publica, quantum fieri poſſet, evitarent.

per precariam res traditas usque in tempus definitum possidendi, sit concessa facultas. II. 18. 4.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Ecce charta, quam mihi fecit Donatus; & ecce charta, quam mihi fecit Donatus. Ipse qui habet posteriorem chartam, dicat priorem falsam.

LXXIX. Quicunque res suas pro anima sua ad casam Dei (1), aut ad parentes suos, sive ad liberos homines tradiderit, & in hostem, aut in servitium Dei iturus fuerit, aut ad mortem traditus, si in ipso itinere, aut de ipsa infirmitate mortuus fuerit, habeat ipsas res (2), cui traditæ sunt. Et si mortuus non fuerit in ipso itinere, aut de ipsa infirmitate, recipiat res suas, quas tradiderit, si voluerit, & habeat in suo jure, sicut antea habuit.

LXXX. Si quis liber homo, contempta jussione nostra, ceteris in exercitu pergentibus, domi residere præsumserit, plenum heribannum (3), secundum legem Francorum, id est, LX. solid. sciat se debere componere. Similiter & pro contemptu singulorum Capitulorum, quibus per nostram Regalem auctoritatem bannum promulgavimus; id est, qui pacem Ecclesiarum (4) Dei, & viduarum, & orphanorum, & pupillorum, pauperum, ac minus potentum irruperit, aut raptum intra patriam fecerit, aut alienas domos incenderit, vel cum collecta multitudine vim cuilibet intulerit, LX. solid. pœna mulctetur. I. 14. 14.

LXXXI. Si quis contumax adeo aut superbus extiterit, ut dimisso exercitu absque jussu & licentia (5) Regis domum revertatur, & quod nos Teudisca lingua dicimus, heriliz fecerit, ut ipse sit reus Majestatis, vitæ periculum incurrat, & res ejus Fisco nostro socientur. I. 14. 15.

LXXXII. Si quis alium præsumptive sua sponte (6) castraverit, & ei ambos testiculos amputaverit, integrum widrigildum suum juxta conditionem personæ componat. Si virgam absciderit, similiter. Si unum testiculum, medietatem persolvat. Et hæc de oculis, manibus, pedibus, & lingua sancimus, ut si unus eorum abscisus fuerit, medium widrigildum componat: si ambo, integritas perfecta emendatione componatur. I. 7. 18.

LXXXIII. Aldiones vel Aldiæ ea lege vivant in Italia, in servitute dominorum suorum, qua Fiscalini (7) vel Liti vivant in Francia. III. 20. 1.

LXXXIV. De vindicta & judicio suo facto in latronibus, ut (8) testimonio Episcoporum absque peccato Comites facere possunt, ita tamen ut absque invidia, aut alia occasione mala faciant, & nihil aliud interponatur, nisi ad veram justitiam perficiendam, & pacem confirmandam. I. 25. 66.

FORMULÆ VETERES.

Petre Comes te appellat Martinus, quod tu taliasti sibi manum per invidiam, non per justitiam.

(1) Cod. Esten. *ad causam Dei*. At profecto locus emendandus, *ad Casam Dei*, quo nomine usi sunt veteres ad significandas Ecclesias, sive Templa Dei. In usu adhuc est in hisce regionibus *la Cadè*, vox inde profecta & adhibita ad significandas pias ædes, quibus ægrotantes pauperes, aut infantes expositi recipiantur. Vide Baluzium Tom. I. pag. 389. adserentem eamdem Caroli Legem his verbis: *Qui res suas pro anima sua ad Casam Dei* &c. Imo eamdem vide infra Cap. CVI. Cod. Cathedr. Mutin. hic habet: *Quicumque res suas pro anima sua ad Ecclesiam Dei tradere voluerit* &c.

(2) Cod. Esten. *habeat ipse ipsas res*. Infra: *aut de ipsa infirmitate*, excidisse puto *convaluerit*.

(3) Cod. Cathedr. *plenum hairebannum*. Videlicet LX. solidorum mulctam, ut infra explicatur, Regio Fisco persolvat. Vide supra Cap. XXXV.

(4) Cod. Esten. *videlicet, qui pacem Ecclesiam Dei* &c. *ac minus potentium irruperit, aut raptum infra patriam fecerit, aut succenderit alienas domos* &c. *LX. solid. pœna ipse mulctetur*.

(5) Ambo Codices Mutinens. *jussu vel licentia*. Infra: *& quod nos Teudisca lingua* (sequitur Cod. Estensis) *dicimus, Eriliz fecerit, ipse ut reus majestatis* &c. Cod. Ambros. *eritlid*. In fine Cod. Esten. *in Fisco nostro socientur*.

(6) Cod. Esten. *Si quis alium sua sponte præsumptive castraverit*. Cod. vero Cathedr. Mutin. *Si quis alterum præsumtione sua, vel sponte* &c. Infra Cod. Esten. *in integrum widrigild suum* &c. *Et hoc de oculis*. In fine Cod. Cathedr. *integritas pro facti emendatione componatur*.

(7) *De Fiscalinis* supra aliquid innui ad Legem XXV. ejusdem Caroli M. *Lidi* seu *Liti*, ac *Litones*, si Du-Cangio acquiescimus, fuere *Servi glebæ*, hoc est, prædia dominorum suorum incolentes. Ego credere *Libertos colonos* malim, quales & fuerunt *Aldii*, sive *Aldiones*, sed non integra libertate donatos, qui a dominis sive patronis suis incolendum aliquod prædium suscipiebant, & stato eis tributo persoluto, immunes a multis aliis servitutis oneribus vivebant. Vide infra Legem X. Ludovici Pii.

(8) Cod. Esten. *in latronibus testimonio Episcoporum, &c. & nihil aliud ibi interponatur, nisi veram justitiam ad perficiendum, & pacem confirmandam*. In Codice Cathedr. Mutin. hic nonnulla adduntur, quæ infra occurrunt Cap. LXXXVI. videlicet: *Et nihil aliud ibi interponatur, nisi vera justitia ad perficiendum. Et si per odium, aut malum ingenium, nisi pro justitiam faciendum, hominem disfecerit, honorem suum perdat, & Legibus, contra quem injuste fecit, secundum pœnam, quam intulit, emendetur*. Hæc eadem a Baluzio paucis solum mutatis adferuntur Tom. I. pag. 197. ac 861. Tu vide infra.

LXXXV. Si quis latro de uno furto probatus fuerit, perdat oculum (1); & si de duobus furtis probatus fuerit, nasus ei scapelletur; & si de tribus furtis probatus fuerit, moriatur. I. 25. *67*.

LXXXVI. (2) De duobus furtis, unde oculum & nasum perdere debet, constituimus ut dominus servi illius, secundum legem, cui furta facta fuerint, solvere debeat: de tertio vero furto, unde mori debet, mors illius furta illa excludat. Et si Comes sine culpa per invidiam aut occasionem injustam, nisi per justitiam & pacem faciendam, hominem disfecerit, honorem suum perdat, & legibus illi, contra quem injuste fecerit, pœnam quam intulerit, emendet. I. 25. *68*.

LXXXVII. Si quis latronem morte dignum, sibi ad occidendum traditum, servaverit, & vitam indigno concesserit, medium damni propter quod traditus est, componat (3): & si ipse latro rursus in latrocinio comprehensus fuerit, quod prius debuit, capitali sententia persolvat debitum. I. 25. *69*.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu conservasti unum latronem, qui habebat furata tanta mobilia, quæ valebant solid. C. qui tibi erat traditus ad occidendum, & vitam indigno concessisti.

LXXXVIII. Si quis furem vel latronem comprehenderit, & eum indemnem dimiserit, neque illum ad præsentiam Judicis (4) aut Comitis, vel loci Servatoris, qui Missus Comitis est, adduxerit, & de hoc facto, sive de hac (5) nequitia, posthac in præsentia Judicis convictus fuerit, ipsius damni existimatione, pro qua fur vel latro comprehensus est, componere cogatur. I. 25. 70.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu comprehendisti unum latronem, qui habebat furata tanta mobilia, quæ valebat solid. C. & non minasti eum ante Comitem.

LXXXIX. Ubicumque intra Italiam, sive Regis (6) sive Ecclesiasticus, vel cujuslibet alterius servus fugitivus inventus fuerit, a domino suo sine ulla annorum præscriptione vindicetur; ea tamen ratione, si dominus Francus, sive Alamannus, aut alterius cujuslibet nationis sit. Si vero Longobardus, aut Romanus fuerit, ea lege servos suos acquirat vel amittat, quæ inter eos antiquitus est constituta. I. 25. 71.

XC. Ut Judices, sive Missi nostri Fiscalini, de qualibet caussa non exigant fredam (7), prius quam facinus componatur. II. 52. *9*.

XCI. Omnia debita quæ ad partem Regis solvi debent, per XII. denarios solidi solvantur; excepta freda (8), quæ in Lege Salica scripta est, eisdem solid. cum quibus ceteræ compositiones solvi debent, componatur. II. 22. 2.

XCII. Si quis judicatam caussam repetere in mallo præsumserit, ibique a testibus convictus fuerit, aut XV. solid. componat, aut XV. ictus accipiat a Scabinis, qui caussam ipsam prius judicaverint. II. 59. 1.

XCIII. De his qui legem servare contemserunt (9), ut per fidejussorem in præsentia Regis deducantur. III. 21. 1.

XCIV. Qui filium legitimum non habuerit, & alium quemlibet heredem sibi facere voluerit, coram Comite, vel coram Rege & Scabinis (10), vel Misso Dominico, qui tunc ad justitiam faciendam in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat. II. 16. 1.

XCV. Ut decimæ Populi in quatuor partes dividantur. Prima pars Episcopis detur, alia

---

(1) In Cod. Esten. legitur: *oculum unum perdat. Et si de duobus furtis probatus fuerit, oculum perdat, & nasus ei curtetur. Et si de tribus furtis probatus fuerit, moriatur.* Vide supra Legem similem Cap. XLIV.

(2) In Cod. Esten. continuatur Lex ista cum præcedenti his verbis: *Et de his duobus furtis.* Infra: *secundum pœnam, quam intulit, emendet.*

(3) Cod. Mutinenses: *pro latrone ad partem Publicam componat.* Infra Cod. Esten. *quod prius debuerat,* (sequitur Cod. Cathedr.) *capitali sententiæ* (*sententia* habet Esten.) *debitum exolvat.*

(4) Baluzius Tom. I. pag. 348. habet, *Ducis, aut Comitis.* Cod. Esten. *Judicis, Ducis, aut Comitis, vel loci Servatoris.* Tum explicatur, quid olim forent *Loci Servatores*, nempe *Missi Comitis*, sive Vicarii Comitum. De his mentio apud Paulum Diaconum; & frequens in Chartis, quas Deo dante proferam.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *vel nequitia post hoc in præsentia Judicum convictus fuerit, ipsum debitum ad æstimationem* &c. Cod. vero Esten. *post hæc in præsentia Judicum convictus fuerit, ipse damni æstimationem, pro quo fur vel latro comprehensus est, componere ad Publicum cogatur.*

(6) Cod. Esten. *sive Regius.* Infra pro *Alamannus*, in editione Goldasti typographus scripserat *Almanus*.

(7) Nihil aliud *freda*, sive *fredum* fuit, quam *compositio*, hoc est mulcta pecuniaria Fisco debita, qua exsoluta, reus pacem sibi a Fisco, id est a Rege, conquirebat. Sed præter hanc mulctam fuit alia compositio, sive mulcta persolvenda illis, quibus aut injuria, aut damnum illata fuerant.

(8) Cod. Cathedr. Mutin. habet: *excepto frede.* Infra Cod. Esten. *eisdem enim solidis, quibus ceteræ &c. componatur.* Vide supra Cap. LXXVI. ubi eadem repetuntur, quippe diversis annis Franci Reges promulgabant ejusmodi Leges.

(9) In Cod. Esten. *servare contemserint.*

(10) Gold. *vel Scabino.* (Not. Coll.)

alia Clericis, tertia pauperibus, quarta in fabrica ipsius Ecclesiæ (1). III. 3. 4.

XCVI. Ut nullus Presbyter cartam (2) scribat, neque conductor existat, suis senioribus. III. 1. 10.

XCVII. (3) Ut heribannum, aut aliquem conjectum (4), pro exercitali caussa, Comes de liberis hominibus recipere, aut requirere non præsumat; excepto si de Palatio nostro, aut Filii (5) nostri Missi veniant, qui illum heribannum requirant. III. *6*. 2.

XCVIII. Ut illi qui heribannum solvere debent, conjectum (*6*) faciant ad heribannitorem. III. *6*. 3.

XCIX. Volumus primo, ut neque Abbates, neque Presbyteri, neque Diaconi, neque Subdiaconi, neque quislibet de Clero, (7) de personis suis ad publica vel ad sæcularia judicia trahantur, vel distringantur; sed a suis Episcopis judicati justitiam faciant. Si autem de possessionibus sive Ecclesiasticis, sive suis propriis super eos clamor ad Judicem venerit, mittat Judex clamantem cum Misso suo ad Episcopum, ut faciat ei per Advocatum justitiam percipere (8). Si vero aliqua inter eos fuerit orta intentio, quam per se pacificare non velint, aut non possint, tunc per Advocatum Episcopi, qualem jusserit, (*9*) caussa ipsa ante Comitem veniat, vel Judicem, & ibi secundum legem finiatur, anteposito sicut dictum est de persona Clericorum. III. 1. 11.

C. Ut servi, aldiones, libellarii antiqui, vel alii noviter facti, qui non per fraudem, neque per malum ingenium, de publico servitio se subtrahentes, sed per solam necessitatem, & paupertatem, terram ecclesiasticam colunt, vel colendam suscipiunt, non a Comite, vel aliquo Ministro illius, ad ullam angariam, seu servitium publicum vel privatum, cogantur vel compellantur; sed quidquid ab eis juste agendum est, a domino vel patrono suo ordinandum est. Si vero de aliquo crimine accusantur, Episcopus primo compelletur, & ipse per Advocatum suum, secundum quod lex est, juxta conditionem singularium personarum, justitiam faciat. Si vero culpabiles fuerint, sicut in Capitulare Domni Imperatoris scriptum est, ita fiat. Ceteri vero homines liberi, qui vel commendationem, vel beneficium ecclesiasticum habent, sicut reliqui homines justitiam faciant. II. 44. 2.

Salicha K. subaudis nunc Lex (10).

CI. (11) Qui Subdiaconum occiderit, CCC. solid. componat. Qui Diaconum, CCCC. Qui Presbyterum, DC. Qui Episcopum, DCCCC. Qui Monachum, CCCC. De Episcopis & Sacerdotibus occisis, sicut statutum habemus, fiat; & de reliquis quibuslibet caussis. Verumtamen de Presbyteris (12) videtur nobis, ut si liber est natus Presbyter, per triplam compositionem, secundum legem suam sit compositus ab eo, qui hoc perpetraverit. Et si plagatus fuerit, secundum qualitatem vel quantitatem plagarum, vel disciplinæ, per triplam compo-

(1) Idem Cod. *in fabrica Ecclesiæ distribuatur*.

(2) Hoc est, nulli Presbytero Notarium agere liceat, neque Oeconomi munus præstare laicis hominibus; aut quod verius puto, prædia excolenda conducere a Senioribus suis.

(3) Hanc Legem non habet editio Goldasti. Legitur tamen in Boheriana, ac apud Lindenbrogium, & Baluzium. Vide supra Cap. XXIII.

(4) Cod. Estensis, *contectum*. Scribendum profecto *conjectum*; ita enim olim quæ nunc *contributio*, sive *spese del viaggio*, dicitur, appellari consuevit. Vide Legem sequentem, & Du-Cangium in Glossar. Latino. *Collectum* præfert Editio Boherii. Sed præstat lectio, quam innui.

(5) Scilicet Pippini, qui tunc Italiæ Rex erat, eamque vivente patre regebat.

(6) Hoc est, victum conferant, seu *paghino le spese del viaggio* Heribannitori, scilicet Ministro illi, cui colligendi heribanni cura commissa est.

(7) In Cod. Esten. nescio quare additum fuerit: *de Clero, præter Episcopos, Abbates, de personis* &c. Hæc enim cum ipsa Lege pugnant.

(8) Hæc habet Cod. Esten. *ut faciat eum per Advocatum justitiam recipere. Si vero talis aliqua inter eos orta fuerit contentio* &c. *Intentio*, quæ legitur in editis, idem olim significabat atque *contentio*.

(9) Rursus idem Cod. hæc offert: *per Advocatum Episcopi, qualem jusserit Lex, ipsa caussa* &c. In fine: *anteposita, ut dictum est, persona Clericorum*.

(10) In Cod. Esten. interseritur hic titulus alioqui subobscurus. Id autem quare factum fuerit, disces infra Cap. CXLIII. Nempe sequentia, quæ Carolus primum constituerat pro Salicis hominibus, deinde a Langobardis quoque servanda voluit. Ea autem Additamenta Legis Salicæ habentur apud Baluzium Tom. I. pag. 387. In Ambrosiano Cod. præponitur hic titulus: *Quæ in Lege Salicha mittenda sunt. De occisione Clericorum*.

(11) Accipe hæc a Codice Cathedr. Mutin. *Hæc Capitula, quæ Domnus Karolus Imperator instituit. De Homicidiis Clericorum. Qui Subdiaconum occiderit, CCCC. solidos componat. Qui Diaconum, CCCC. solidos componat. Qui Presbyterum, DC. solidos componat. Qui Episcopum, DCCCC. solidos componat. Qui Monachum, CCCC. solidos componat, & culpabilis judicetur*. Vide, quam levi pœna temporali luerentur olim vel ipsorum Episcoporum homicidia. Sed ita ferebant eorum temporum mores. Attamen vide apud Baluzium in Capitular. Tom. I. pag. 251. alteram Legem *de partibus Saxoniæ* constitutam ab eodem Carolo Magno, ubi mortis pœna ejusmodi criminibus indicitur. Sed eam Legem, ut reor, Italia nequaquam accepit.

(12) Hæc non leguntur hoc loco in Cod. Esten. sed infra inter leges Pippini post Cap. XLV. Apud Baluzium habentur cum aliquo additamento pag. 349. Tom. I. In eodem Cod. Esten. infra legitur: *secundum suam legem fiat compositus. Et si plagatus fuerit, secundum qualitatem, & æstimationem plagarum* &c.

positionem secundum legem suam emendetur ab eo, qui hoc perpetraverit. Si autem servus Presbyter natus fuerit, secundum illius nativitatem per triplam compositionem solvatur in plagis & disciplinis. De Diaconibus similiter fiat. I. *9. 27.*

CII. Si quis in immunitate (1) damnum aliquod fecerit, DC. solid. componat. Si autem homo furtum, aut homicidium, vel quodlibet crimen commiserit, & infra immunitatem fugerit, mandet Comes Episcopo, vel Abbati, vel Vicecomiti (2), aut qui locum Episcopi vel Abbatis tenuerit, ut reddat ei reum. Quod si ille Episcopus, sive Abbas, sive Custos contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima contradictione solid. XV. culpabilis judicetur. Si nec ad secundam requisitionem eum reddere voluerit, solid. XXX. culpabilis judicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem consentire voluerit, quidquid reus damni fecerit, totum ille qui infra immunitatem eum retinet, nec reddere vult, solvere cogatur. Et ipse Comes veniens habeat licentiam ipsum hominem infra immunitatem quærendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione (3) Comiti responsum fuerit, quod reus infra immunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus est, sic statim juret sive Episcopus, sive Abbas, sive Custos, quod ipse eum ad justitiam cujuslibet diffaciendam fugere non fecisset; & sit ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipsam immunitatem Comiti collecta manu quislibet resistere tentaverit, Comes hoc factum ad Regem, vel ad Principem deferat, ibique judicetur; ut sicut ille qui in immunitate damnum fecerit, DC. solid. componere debet, ita qui Comiti collecta manu resistere tentaverit, vel præsumserit, DC. solid. culpabilis judicetur. II. *39. 4.*

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti damnum in emunitate Sancti Syri, unde ipse est Advocatus. Petre te appellat Mauringus Comes, quod unus latro fugerat infra emunitatem Sancti Syri, unde tu es Advocatus, & mandavit tibi, ut redderes ei eum; & reddere noluisti. Petre te appellat Martinus, qui est Advocatus de parte Publica, quod tu prolongasti reddere post tertiam contestationem ad Comitem tuum unum latronem, qui fugerat in emunitate Sancti Syri, unde tu es Advocatus, qui fecerit tantum damnum, quod valuit XX. solid. Petre te appellat Martinus Advocatus de parte Publica, quod unus latro fugerat infra emunitatem Sancti Syri, unde tu es Advocatus, & Comes venit, & voluit quærere eum in emunitate, & tu venisti contra eum cum collecta manu.

CIII. Si quis ad Ecclesiam Dei confugium fecerit, intra atrium ipsius Ecclesiæ pacem habeat, nec sit necesse ei Ecclesiam ingredi. Et nullus eum per vim inde abstrahere præsumat, sed liceat ei confiteri, quod fecit, & idem per manus bonorum hominum in discussione (4) in publicum perducatur. II. *39. 5.*

CIV. Si quis in judicio injuste hominem contra alium altercantem per malum ingenium præsumserit adjuvare, atque inde coram Judicibus vel Comitibus increpatus fuerit, & negare non potuerit, XV. solid. culpabilis judicetur. III. *19. 1.*

CV. Si quis de libertate sua interpellatus fuerit, timens ne in servitium (5) cadat, aliquem de propinquis, per quem in servitium casurus esset, occiderit, id est, patrem vel matrem, patruum vel avunculum, vel quamlibet hujusmodi propinquitatis personam, ipse qui hoc perpetraverit moriatur: agnatio ejus & consanguinitas in servitutem cadat. Et si negaverit ipsum occidisse, ad novem vomeres ignitos ad Judicium (*6*) Dei

(1) In utroque Codice Mutin. legitur: *Si quis in emunitate.* Atque ita amarunt loqui veteres, ut locum immunem a sæcularis Judicis *districtione* significarent: cujus vocis prostant exempla non pauca. Inferius Cod. Esten. *foris committens, infra emunitatem fugerit.*

(2) Ambo Codices Mutinens. & Ambros. ac Baluzius Tom. I. pag. 387. rectius habent: *vel Vicedomino, vel si quicumque locum Episcopi, vel Abbatis tenuerit, ut reddat ei reum.* Nimirum *Vicecomes* erat, qui vices Comitis agebat, ac proinde vir sæcularis, & sæcularis justitiæ Minister. At *Vicedomini* vices gerebant Episcoporum.

(3) Cod. Cathedr. Mutin. *Si autem statim in prima contradictione Comiti responsum fuerit, quod reus infra emunitatem.* Infra Cod. Ambr. *ad justitiam cujuslibet differendam.* Infra Cod. Cath. Mutin. *Si autem intra* (*intranti* habet Baluzius) *in ipsa emunitate Comiti collecta manu* &c. Codex vero Esten. *Comes, & collecta manu.*

(4) Cod. Esten. *in discussionem.* Ut huic Legi de immunitate sacrarum ædium loquenti lux aliqua accedat, alteram accipe ejusdem Caroli apud Baluz. Tom. I. pag. 251. ubi qui ad Ecclesiam Dei confugerit, minime expellendus dicitur; *sed pacem habeat, usque dum ad placitum præsentetur, & propter honorem Dei, Sanctorumque Ecclesiæ ipsius reverentiam, concedatur ei vita & omnia membra. Emendet autem causam, in quantum potuerit* &c. A bonis ergo hominibus reus iste Judici sistebatur, ut ejus causa discuteretur; & propter reverentiam loci sacri aut exilio, aut alia leviori pœna mulctabatur.

(5) Ambo Cod. Mutinens. *& timens ne in servitium.* Infra: *se casurum timet, occiderit.* Infra iidem Codices: *patruelem vel avunculum.* Et inferius: *in servitutem cadant.* (Sequitur Cod. Cathedr. Mutin.) *Et si negaverit, se illum occidisse* &c.

(6) Et hoc purgationis sive judicii genus celebre est in veterum scriptis, quo quis nudis

Dei examinandus accedat. I. 10. 3.

CVI. Quicumque (1) res ſuas pro anima ſua ad Caſam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram teſtibus legitimis; & quæ in hoſte factæ ſunt hactenus traditiones, de quibus nulla quæſtio eſt, ſtabiles permaneant. Si vero aliquis alii res ſuas tradiderit, & in hoſte profectus fuerit, & ille cui res traditæ ſunt, interim mortuus fuerit, ipſe qui res ſuas tradiderit, cum reverſus fuerit, adhibitis teſtibus, coram quibus traditio facta eſt, res ſuas recipiat. Si autem ipſe mortuus fuerit, heredes ejus legitimi ipſam rem traditam recipiant. II. 18. 5.

CVII. Si quis per cartam ingenuitatis a domino ſuo legitimam libertatem eſt (2) conſecutus, liber permaneat. Si vero aliquis eum injuſte inſervire tentaverit, ille cartam ingenuitatis oſtendat. Et ſi adverſarius injuſte eum inſervire conatus fuerit, ille qui id tentaverit, multam quæ in ipſa carta ſcripta eſt, ſolvere cogatur. Si autem carta non apparuerit, ſed jam ab illo, qui eum inſervire voluerit, disfacta eſt, widrigilt ejus componat; duas partes illi, quem inſervire voluerit, tertiam Regi. Et ille iterum per præceptum Regis ſuam libertatem conquirat (3). II. 34. 10.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu es ſervus ſuus, & malo ordine ſubtrahis te de ſuo ſervitio. Liber ſum per chartam, quam tu mihi feciſti. Ecce charta. Quæ ſi vocata fuerit falſa, ſit ut pœne dicturus ſum declarare facienda ſcilicet præter rerum amiſſionem, & præter parentes. Si vero viſa charta de ejus ſtatu tacuerit, multa chartulæ ab eo ſolvatur, ut legitur in lege. Si dixerit appellatus: tu habes disfactam ipſam chartam, probet; & disfactor Widrigild ſuum ei componat. Et ſi non potuerit probare ipſe juret per uſum, quod non habet disfactam, & ipſe ſit ſervus. Si dixerit: tu tuliſti mihi ipſam chartam malo ordine, fiat pugna ſecundum uſum. Si dixerit: tu tuliſti mihi ad furtum, aut ſcachum, aut ego depoſui tibi ipſam chartam, fiat pugna ſecundum Capitula Octonis. Si dixerit: ipſa charta fuit apud te: Si eſt ſalva, per te eſt ſalva; ſi eſt abſentata, per te eſt abſentata; probet. Si non potuerit, ipſe juret per uſum. Si charta eſt apud eum abſentata, debent adeſſe tres homines liberi, qui dicant ſe vidiſſe eam chartam; & ipſe, cujus fuit, ſit quartus: Et octo alii liberi; & hoc ſit per uſum. Et hoc jurejurando affirmet. Et ita de omnibus chartis.

CVIII. Si liber homo ſe loco wadiæ (4) in alterius poteſtate commiſerit, ibique contigerit, ut damnum aliquod cuilibet fecerit, ille qui hominem liberum in locum wadiæ ſuſcepit, damnum ſolvat; aut hominem in mallo perductum dimittat, perdens eum, ſimul & debitum, propter quod eum in wadiam ſuſcepit; & qui damnum fecit, dimiſſus juxta qualitatem rei cogatur emendare. Si vero liberam feminam habuerit, uſque dum in pignus aſtiterit, & filios habuerit, liberi permaneant. II. 33. 1.

CIX. Homo regis (5), id eſt Fiſcalinus, vel Eccleſiaſticus, id eſt Lidus (6), interfectus c. ſolid. componatur.

CX. De fugitivis (7) ſervis & ancillis fugacibus, advenis ac peregrinis, ut diſtringan-

dis pedibus ſuper candentes, id eſt ignitos vomeres tranſire cogebatur, ut ſuæ innocentiæ fidem faceret. Vide Martene Tom. III. Lib. III. Cap. 7. Ord. 8. de antiq. Eccleſ. Ritib. In re nota nihil amplius addam. Cod. Cathedr. Mutin. in fine habet: *judicio Dei examinandus accedat.*

(1) Aliam ſimilem Legem vide ſupra Cap. LXXVIII. & ſequenti. Hic aperte Cod. Eſten. habet: *Qui res ſuas pro anima ſua ad Caſam Dei tradere voluerit*, Cod. Cathedr. Mutin. *ad Eccleſiam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat.* Hoc eſt, antequam in exercitum procedat. *Domui* legitur in Cod. Eſten. pro *domi*, ut puto. Infra: *mortuus fuerit, qui res tradidit* &c.

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *legitime libertatem fuerit conſequutus.* Infra uterque Cod. Mutin. *& ille chartam ingenuitatis ſuæ oſtenderit* (ſequitur Cod. Eſten.) *& adverſarium injuſte eum inſervire velle comprobaverit.* Cod. vero Cathedr. *& adverſarium injuſte ſibi ſervire velle comprobaverit.*

(3) Poſt hæc in Cod. Eſten. ſequentia adduntur: *Similiter deſtructor chartulæ res omnes, quas charta continebat, emendet.* Apud Baluzium Tom. I. pag. 389. hæc eadem Lex legitur, ſed lacinia iſta & ibi deſideratur.

(4) Cod. Eſten. *Si liber homo quis ſe loco vadii in alterius poteſtatem* &c. Paria habet Cod. Cathedr. Mutin. Infra Cod. Eſten. *aut hominem in mallum productum.* Cod. vero Cathedr. *in mallum perductum dimittat perdens ſimul debitum.* Cod. Eſten. *perdens cum eo ſimul debitum.* Infra Cod. Eſten. *Si vero liberam feminam, & filios habuerit* (ſequitur Cod. Cathedr.) *uſque dum in pignus extiterit, liberi permaneant.*

(5) Hanc Legem inter editas Langobardicas non reperio. Adfert Baluzius Tom. I. pag. 395. uti deſumtam ex Lege Ripuarienſi, aut ei ſubjunctam. Legit ipſe: *Homo Regius*; hoc eſt, qui prædium Regis, ſive Fiſci incolit, quale hominum genus plerumque ex ſervis fuiſſe creditur. Ego tamen Libertis potius accenſendos eos puto, atque Aldionibus Langobardis. Vide infra Legem X. Ludovici Pii.

(6) Ita quoque in Cod. Eſtenſi. Baluzius vero habet: *vel Lidus.* De *Lidis* ſive *Litis* ſupra ad Legem LXXXIII. Caroli M. notulam appoſui. *Eccleſiaſticus* hic ſignificatur, qui Eccleſiæ prædia colit. Vide infra Legem X. Lodovici Pii.

(7) Hæc tantummodo habet Codex Eſten. *De fugitivis ac peregrinis, ut diſtringantur.* Hoc eſt, per publicos Miniſtros reddere rationem cogantur perſonæ ſuæ, ut vulgo dicitur, ſuique itineris. Jam in deſuetudinem abiere Servi fugitivi. Advenæ ac peregrini adhuc innumeri. Utinam ejuſmodi Lex noſtris quoque temporibus vim retineret!

gantur, ut ſcire poſſimus qui ſint, & unde veniant. I. 25. 72.

CXI. De menſuris, ut ſecundum juſſionem noſtram æquales fiant. III. 22. 1.

CXII. Ut nullus præſumat hominem ad judicium mittere, niſi judicatum fuerit. (1) III. 23. 1.

CXIII. Ut liber homo, qui in Monaſterio regulari comam depoſuerit, & res ſuas ibidem delegaverit, promiſſionem factam ſecundum regulam firmiter teneat. III. 1. 12.

CXIV. (2) Ut nullus ebrius ſuam cauſſam in mallum poſſit conquirere, nec teſtimonium dicere; nec Comes placitum habeat, niſi jejunus. II. 52. 11.

CXV. Ut Miſſis noſtris diſcurrentibus, vel ceteris (3) propter utilitatem noſtram iter agentibus, nullus manſionem contradicere præſumat. III. 4. 4.

CXVI. Ut nullus ad placitum (4) banniatur, niſi qui cauſſam ſuam quærit, aut ſi alter ei quærere debet; exceptis Scabinis ſeptem, qui ad omnia placita (5) eſſe debent. II. 42. 2.

CXVII. Nullus præſumat per vitam Regis vel filiorum ejus jurare. III. 24. 1.

CXVIII. Ut cauſſa, quæ adhuc coram Comite non fuerit finita, (6) & is qui ſe reclamat, propter ſuam ſtultitiam, aut contumaciam, & Comitem inde appellare noluerit, iterum Comiti commendetur. III. 25. 1.

CXIX. Quicunque (7) ſuum beneficium occaſione proprii deſertum habuerit, & infra annum poſtquam Comes vel Miſſus noſter notum factum habuerit, illud emendatum non habuerit, ipſum beneficium amittat. III. 8. 1.

CXX. Ut placita publica vel ſecularia, neque a Comite, nec ab ullo Miniſtro ſuo, vel Judice, nec in Eccleſia (8), nec in terris Eccleſiæ circumjacentibus, vel cohærentibus nullatenus teneantur. (9) II. 52. 12.

CXXI. Audivimus etiam, quod Juniores (10) Comitum, vel aliqui Miniſtri Reipublicæ, ſive etiam nonnulli fortiores Vaſſi Comitum, aliquas reddibitiones, vel collectiones, quidam per paſtum, quidam ſine paſto, quaſi deprecando a populo exigere ſolent. Similiter quod operas, collectiones frugum, arare, ſeminare, runcare, carrucare (11), vel cetera his ſimilia, a populo per

(1) In Cod. Eſten. legitur: *niſi judicatum fiat*. *Judicatum* pro charta judicii vulgare eſt in antiquorum monumentis. In Cod. Cathedr. Mutin. legitur: *hominem in judicium mittere ſine cauſa, niſi judicatum fiat*.

(2) Huic Legi in Cod. Eſten. præfigitur hic titulus: *Ebrius nec actor nec teſtis ſit. Comes jejunus placitet*. Dum autem Carolus præcipit, ut placita ſive judicia a *Comitibus* habeantur *jejunis*, egregie nos docet, quanto in honore tunc forent largiores vini hauſtus, & calices ſæpe recurrentes. Sed Plato in ſua Republica ſeverior, & Carthaginenſes, toto officii tempore vini uſum interdixere Magiſtratibus ſuis. Habet idem Cod. *ſuam cauſam in mallo*, hoc eſt, in publico judicio.

(3) In Cod. Eſten. *vel ceteris hominibus*. Infra idem Cod. addit; *contradicere præſumat hyberno tempore*. Eadem verba addita vidimus ſupra Cap. XI. *de truſte facienda*.

(4) Cod. Eſten. addit: *ad placitum quotidianum banniatur*, hoc eſt, advocetur.

(5) Ut habet Cod. Eſten. *ad omne placitum eſſe debent*. Nimirum Comites, quorum erat placitis, ac judiciis præeſſe, plerumque ne de nomine quidem Leges noverant, quamquam ex ejuſdem Caroli edicto Legem callere juberentur. Igitur Aſſeſſores Legum peritos eis conjunctos providentia Regum voluit, quorum voto atque conſilio ſententiam rectam ferre poſſent. Hi fuere *Scabini*, qui & *Judices* interdum appellantur.

(6) In Cod. Eſten. legitur: *coram Comite non fuit, & is, qui ſe reclamat, propter ſuam ſtultitiam, aut propter contumaciam Comitem* &c.

(7) Cod. Eſten. *Quicumque habuerit beneficium occaſione proprii deſertum*: hoc eſt, eo quod totum ſuum ſtudium impendat in Allodiis propriis excolendis, abjecta omni cura Beneficii, quod a Rege recipit. Hinc vox *proprietas*, *proprio jure poſſidere*, *habere ad proprium*, *de proprio donare*, atque his ſimilia occurrunt in veterum chartis. Infra in eodem Codice legitur: *poſtquam ei a Comite, vel a Miſſo noſtro notum factum fuerit illud* &c.

(8) Interdicuntur *placita* in ſacris templis, eorumque adjacentibus locis: neque enim tumultus, in placitis ac judiciis frequens, decet orationis domum. Concilii Cabillonenſis II. habiti Anno 813. Canon 39. ita ſe habet: *Placita quidem ſæcularia in Eccleſiis, vel in atriis Eccleſiarum a Comitibus, Vicariiſque uſque modo multis in locis habita, ne ultra fiant, interdicendum eſt*.

(9) In Cod. Eſten. hæc ſuperadduntur: *niſi Comes minora Placita tenuerit: ea enim habeat, ubi impetrare potuerit*. Fortaſſis hæc ad Legem ſpectant, habentque Carolum M. auctorem. At ſi Gloſſam mavis, conſule infra Legem XXII. Ludovici Pii, ubi eadem repetita reperies.

(10) Ex collatione multorum locorum tum apud Bignonium in Notis ad Marculphum, tum apud Du-Cangium in Gloſſario, inferri poteſt, hoc nomine deſignatos fuiſſe Officiales, ac Miniſteriales Comitum. Du-Cangio *Juniores* alii non fuiſſe videntur, niſi *Judices minores*, *ſive pedanei*. Vide infra Cap. CLIII. Epiſtolam Caroli M. ubi commemorantur *Duces, & eorum Juniores*. Vide & Cap. XVII. & XXII. Pippini Regis, ubi *nullus Comes, nec Juniores eorum amplius diſtringant*. Ergo aliqua diſtinguendi auctoritas erat hiſce *Junioribus*. Atque hic potiſſimum animadverte, ſumme laudandam Regum Francorum providentiam in regimine Populi, ſimulque confer commoda & incommoda illorum, noſtrorumque temporum.

(11) Hoc eſt, quod nos appellamus, *carreggiare*, *far de carreggi*. A *carruca* vehiculo, cujus nomen a *currus*, ſive *carrus*: quod & veteres dixere. Ex *carrucare*, ſive *carricare*, uti habetur in Capitular. Caroli Calvi Tit. 31. cap. 29. deſcendit Italicum *ca[illegible]*, [illegible] primo dictum eſt de onerando currum. In Lege Salica Tit. XXIX. cap. 21, legitur: *Si inde fœnum in carro duxerit, & diſcarricaverit &c.* Infra occurrit, *exigebant*. Ita quoque in Cod. Eſtenſi. Verum ſupervacanea vox eſt. Neque eam habent edita a Boherio & Baluzio Tom. I. pag. 356. Infra: *a dominis vel a patronis*. Hæc diligenter animadverte. *Dominis* reſpondent Servi; *Patronis Aldiones*, atque horum ſimiles. Ergo pauci ex liberis ſive ingenuis hominibus agrum excolebant, & villicum agebant. Nunc alii plane mores, ſublatis Servis atque Libertis.

per easdem vel alias machinationes exigere consuevere, non tantum ab Ecclesiasticis, sed etiam a reliquo populo: quæ omnia nobis ab omni populo juste removenda esse videntur: quia in quibusdam locis tantum inde populus oppressus est, ut multi ferre non valentes, per fugam a dominis vel patronis suis lapsi sunt, & terræ ipsæ in solitudinem redactæ sunt. Potentioribus autem, vel ditioribus, ex spontanea tantum voluntate, vel mutua dilectione, volentibus solatia præstare invicem minime prohibemus. III. 12. 1.

CXXII. De liberis hominibus (1), qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam a nobis licentiam postulent. Hoc autem ideo dicimus, quia audivimus aliquos ex illis, non tantum caussa devotionis hoc facere, quam pro exercitu, seu pro alia functione Regali fugienda. Quosdam vero cupiditatis caussa, ab his qui res illorum concupiscunt, circumventos audivimus: & hoc ideo fieri prohibemus (2). III. 1. 13.

CXXIII. Si quis præpositus aut Ministerialis (3) aliquas res Ecclesiæ, quas prævidere debet, aliquo inscriptionis titulo cuique concesserit, quod ad damnum ipsius Ecclesiæ pertineat, pro sacrilegio computetur. Similiter de rebus, quæ ad Rempublicam pertinent, si Comes aut Ministerialis Reipublicæ cuique concesserit, similiter pro infidelitate computetur. I. 34. 2.

CXXIV. De desponsatis puellis, & postea ab aliis raptis, placuit nobis erui, & postea eis reddi, quibus ante fuerunt desponsatæ: & si eis (4) a raptoribus vis illata constiterit, proinde statutum est a Sacro Conventu, ut raptor publica pœnitentia mulctetur. Raptam vero si sponsus recipere noluerit, & ipsa ejusdem criminis consentiens non fuerit, licentia alii nubendi non denegetur; quia si ipsa consenserit, simili sententiæ subjaceat. Quod si post hæc se conjungere præsumserint, uterque anathematizetur. I. 30. 12.

CXXV. (5) De feminis quas defunctis viris Lex Longobardorum prohibet, ante anni spatium vestem Religionis mutare, velumque suscipere: petunt nostram licentiam, ut mox dum divina pietas Dei inspiravit eas, indemnes liceat suscipere. Nos autem considerantes, quia præterito tempore pro ipsa dilatione multæ etiam raptæ intra idem spatium ad aliam partem distractæ fuerunt: ideo petitionem earum, quam censemus esse justam, suscepimus, (6) & eis fieri, ita concedimus. II. *6*. 2.

CXXVI. Ut omnia quæ wadiari debent, juxta ea quæ in lege continentur (7), pleniter secundum ipsam legem wadiata fiant, & postmodum vel Domnus Rex, vel ille cujus est caussa, juxta quod ei placuerit, misericordiam faciat. II. 21. 29.

CXXVII. Hoc quoque jubemus, ut Judices supra nominati, sive Missi nostri (8) Fiscalini, de qualibet caussa fredam non exigant, priusquam facinus componatur. Si quis autem per cupiditatem ista transgressus fuerit, legibus componat fredam: ut autem (9) non illi Judici, qui culpam commisit, sed illi, qui solutionem recipit, tertia pars coram testibus fisco tribuatur, ut pax perpetua stabilis permaneat. II. 52. 13.

CXXVIII. (10) Ut non per aliquam occasionem, nec pro waita (11), nec de strata,

(1)

---

(1) Addit Cod. Esten. *non conjugatis*. Infra: *non tam causa devotionis hoc fecisse, quam* &c. Rectius hæc, quam edita a Baluzio Tom. I. pag. 874. Capitular.

(2) Hæc adduntur in Cod. Esten. *Si vero conjugati sunt, ut vir & uxor, non fiat hoc sine consensu Episcopi*. Liceat hanc opinari Glossam, quæ in textum irrepserit.

(3) In Cod. Esten. *aut Ministerialis aliquis aliquas* &c. *per aliquem scriptionis titulum cuiquam* &c. Infra: *si Comes aut Ministerialis Reipublicæ*. Et hic apertissime vides, *Reipublicæ* appellatione designari jus & Fiscum Regis. Eodem vocabulo eademque significatione passim utuntur eorum temporum Scriptores.

(4) Ita in Cod. Esten. legitur: *quorum antea fuerunt desponsatæ, etiamsi eis* &c. Infra: *& ipsa eidem crimini consentiens non fuerit*. In fine: *quod si post hæc consensu se jungere præsumserint* &c. Vide Capitulare Aquisgran. Ludovici Pii Anno 816. de raptis & raptoribus apud Baluzium Tom. I. pag. 567. & sequenti.

(5) Legem hanc Baluzius Tom. II. pag. 349. tribuit Ludovico II. Augusto. Infra Cod. Esten. *petierunt nostram licentiam, ut, mox divina pietas inspiraverit, eas indemnes liceret suscipere. Nos autem considerantes, quia propter ipsam dilationem multæ etiam raptæ intra* &c. *distractæ fuerant*.

(6) Nonnulla hic adduntur in Cod. Esten. quæ neque legas apud Baluzium Tom. I. pag. 351. *suscepimus. Et cui ita fieri concedimus cum consilio Episcopi vel Sacerdotum aliorum, ut expectet XXX. dies post decessum viri sui*. In supra memorato Capitulari Aquisgran. Ludovici Pii hæc eadem constitutio confirmatur.

(7) Cod. Esten. *juxta quod in Lege continetur*. Infra Cod. Cathedr. *revadiata fiant*. Hic *vadiare*, sive *guadiare* & *revadiare* est auferre in pignus pro aliquo debito, sive mulcta.

(8) In Ambros. Cod. duo hæc verba *Missi nostri* non leguntur.

(9) Hæc ita leguntur in Cod. Esten. *Fredum autem non ille Judici tribuat, qui culpam commisit, sed ipse qui solutionem recipit, scilicet a Judice, tertiam partem* &c. Desumta hæc Lex fuit ex cap. 89. Legis Ripuar. quam consule apud Baluz. Tom. I. pag. 52. Sed & hic & ibi quædam obscura occurrunt. Vide Legem sequentem, ex qua constat, tertiam partem Heribanni spectasse ad Comitem. *Fredam* autem & *Fredum* supra diximus esse mulctam Fisco Regis exsolvendam, ut pax recuperetur propter patratum facinus deperdita.

(10) Legem hanc non reperio inter editas Langobardicas. Hæc habet Baluzius Tom. I. pag. 493. his verbis: *Ut non pro aliqua occasione*. Ego eam profero, qualis in Cod. Esten. legitur.

(11) Apud eumdem Baluzium habetur, *nec Wa-*

(1) nec de warda (2), nec pro heribergare, (3) neç pro alio banno, heribannum Comes exactare præsumat, nisi Missus noster prius heribannum ad partem nostram recipiat, & ei suam tertiam partem (4) exinde per jussionem nostram donet. Ipsum vero heribannum non exactetur neque in terris, neque mancipiis, sed in auro & agento, pannis, atque armis, & animalibus, atque pecudibus, sive talibus speciebus, quæ ad utilitatem pertinent.

CXXIX. Ut conjugia servorum non dirimantur, si diversos dominos (5) habuerint, sed in uno conjugio servi permanentes, dominis suis serviant. Sic tamen ut ipsum conjugium legale sit, & per voluntatem dominorum suorum; juxta Evangelium: *quos Deus conjunxit, homo non separet* (6). II. 12. 10.

CXXX. Placuit nobis, secundum sanctorum Patrum auctoritatem, si quis ab Episcopo suo juste excommunicatus fuerit, a nullo penitus recipiatur, antequam in præsentia sui Episcopi veniat, pro culpa satisfactionem redditurus. III. 26. 1.

CXXXI. Et quia sunt nonnulli, qui sine proprietatibus (7) in Regno nostro degentes judicia Comitum effugiunt, & non habentes res aut substantiam, quibus constringi possint, ideo circumquaque malitias exercere non cessant; de illis vero placuit nobis, ut ipsi cum quibus manere videntur, aut eos præsentent, aut pro eorum malefactis rationem reddant. II. 44. 3.

CXXXII. Si res intertiata (8) furto ablata fuerit, liceat ei, super quem res intertiata fuerit, cum sacramento se excusare de furto, quod nec suæ voluntatis, nec consentiens fuerit, quod ablatum est: ut tantum sine damno restituat. Si vero actor venerit, & rem intertiatam recipere voluerit, campo vel cruce contendat. II. 28. 3.

CXXXIII. Quicunque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depositis publicam habeat (9) pœnitentiam. Et si contumax fuerit, comprehendatur a Comite, & ferro vinciatur, & in custodia mittatur, donec res ad nostram notitiam perducatur. II. 13. 5.

CXXXIV. Si mulier filium vel filiam suam per fraudem aliquam (10) coram Episcopo ad confirmandum tenuerit, propter fal-

---

Wacta. In aliis quoque Francorum Regum Legibus occurrit vox *Wacta*, quæ Latine *excubias militares* significat. Et adhuc perdurat in Mutinensium Lingua, *far la guaita*: ut ille significetur, qui tacite rimatur, & speculatur, an quis superveniat. Neque aliunde manarunt Italica verba, *aguato*, *guato*, *guatare*; quod animadvertere oblitus est Menagius in Origin. Linguæ Italicæ.

(1) Baluzius habet, *nec de scara*: atque ita scribendum reor. Spectat enim Lex ista ad exercitales. Pro agmine militum usi sæpe sunt voce *scara* antiqui Francorum Historici, Erchempertus & alii. Hinc Italica vox, *schiera*.

(2) Baluzius legit, *nec Wardæ*. Quo nomine custodia mœnium, sive castrorum designabatur, diversa tamen aliqua significatione a *Waita*, seu *Wacta*. Hanc vocem retinuimus nos Itali, mutato pro more W Germanico in GV nostrum, quum nempe dicimus, *fare la guardia*, *guardare* &c.

(3) Quod nunc nobis est *albergare*, vox inde profecta.

(4) Baluzius legit: *suam tertiam exinde*. Quæ nos docent, unde unum ex suis proventibus Comites, sive Rectores urbium perciperent. Atque hinc aliqua lux affulgere potest præcedenti Legi. Infra Baluzius habet: *Ipse vero heribannus* &c. *palliis* &c.

(5) Baluzius Tom. I. pag. 351. legit: *etiamsi diversos dominos*. Infra Cod. Esten. *juxta illud Evangelicum*.

(6) In Cod. Esten. alia adduntur, digna profecto, quæ non depereant. Glossam puto, sed antiquissimam, textui ab Amanuensibus adjectam. Ita vero legitur illic: *Ubi vero mancipia non unius domini, sed diversæ potestatis, juncta fuerint, nisi convenientibus utrisque dominis hujusmodi copulatio rata noverit; vel si negligendo sentitur & virtute, qua potuerint, non emendetur. Nam hujusmodi copulæ auctor erit, qui hoc neglegando consentit. Plura sunt, quæ ad incesti crimen scribi poterant, sicut in matre, & filia, & noverca, & pæne innumerata, quæ menti ad scribendum non occurrunt. Hujusmodi tamen, & his similibus personis copula maritalis in sempiternum subtrahitur*. Illud sane statuendum, matrimonia Servorum, etiamsi diversis dominis famulantium, ab Ecclesia Catholica ne olim quidem improbata fuisse. Concilium Cabilonense II. habitum Anno 813. apud Labbeum Tom. VII. pag. 1278. Conciliorum, quocum Lex ista plane concors deprehenditur, Canone 30. constituit, non esse dirimenda hujusmodi conjugia. At quia ibi additur: *Et hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum*: inde Magister Sentent. Lib. 4. distinct. 36. infert, olim invitis dominis legitimas non fuisse Servorum nuptias: in quam etiam sententiam præierat Basilius Magnus in Epistola ad Amphilochium. Sensus ergo Glossæ hujus est, non solum ejusmodi Servorum Matrimonia stare, quum domini aperte consenserint, sed etiam quoties illorum conscii neglexerint, & non improbarint.

(7) Hoc est, Allodii nihil aut Beneficii possident: quod de liberis hominibus dictum est. Infra Cod. Esten. *de illis nobis placuit*. In fine ad ea verba, *vel rationem reddant*, adduntur hæc alia in eodem Codice: *ita ut non sint eorum Advocati*.

(8) Hoc est, in manu tertii alicujus posita, sive sequestrata. Infra Cod. Esten. *quod hoc nec suæ voluntatis, vel conscientiæ fuisset*. Infra Baluzius pag. 960. Tom. I. habet: *& aliud tantum restituatur*; & pag. 398. *restituat*. Vide supra Legem LXXVIII. Lib. VI. Liutprandi. Quæ sequuntur in editione nostra, atque unam faciunt Legem, apud illum distinctam constituunt pag. 397. Sed coniungenda omnino videntur. In Cod. Esten. habetur: *Si vero actor venerit, & rem intertiatam recipere noluerit, campo contendant, vel cruce*.

(9) Cod. Esten. uti Cathedr. Mutin. *publicam agat pœnitentiam*. In fine idem Cod. Esten. *ad nostram justitiam deducatur*.

(10) Consonat Lex ista cum supra laudato Concilio Cabilonensi II. Anni 813. ubi fere totidem verbis eadem statuuntur. Anno 757. sive 756. in Capitulari Compendiensi apud Baluzium Tom. I. pag. 183. interdictum fuerat tene-

fallaciam ſuam pœnitentiam agat, a viro tamen ſuo non ſeparetur. III. 30. 1.

CXXXV. Ut loca, quæ ſemel Deo dicata ſunt, ut Monaſteria ſint in perpetuum, (1) nec poſſint ultra fieri ſæcularia habitacula. III. 1. 14.

CXXXVI. Ut ſi Clerici aliquod negotium habuerint, a ſuo Epiſcopo judicentur, nam non a ſæcularibus: ut nec (2) Monachus, nec Clericus, in ſæcularia negotia tranſeant. III. 1. 15.

CXXXVII. (3) Unuſquiſque Presbyter res, quas poſt diem conſecrationis adquiſierit proprias, Eccleſiæ relinquat.

CXXXVIII. Ut ſervum alterius nemo ſollicitet ad clericalem vel monachalem aſcendere ordinem, ſine licentia domini ſui & voluntate (4). III. 1. 16.

CXXXIX. Ut nullus alienos fines uſurpet, aut terminos patrum tranſcendat. I. 26. 7.

CXL. Ut etiam Dominicus dies, ſicut decet, honoretur, & eum colere omnes ſtudeant, ut liberi poſſint haberi; & mercata (5) & placita a Comitibus, ſicut ſæpe ammonitum fuerit, illo die prohibeantur. II. 49. 1.

CXLI. (6) De illis, qui non fiunt ſecundum regulam pulſati, præcipimus ut pulſantes hoc deinceps emendent, & pulſent ſecundum regulam.

CXLII. (7) Ut qui commendaverit pecuniam, pecuniam recipiat. Si vero ſpeciem aliam, eandem ſpeciem, quam dedit, accipiat, niſi aliud pro alio ſolvatur conſentiente creditore, vel commendatore.

CXLIII. Generaliter omnes admonemus, ut Capitula, quæ præterito anno Legi Salicæ cum omni conſenſu (8) addenda eſſe cenſuimus, jam non ulterius Capitula, ſed tantum Leges dicantur, imo pro Lege Salica teneantur. III. 31. 1.

CXLIV. Falſa perſona non habet (9) poteſtatem accuſandi. Et ſi in primo crimine convictus fuerit, falſum dixiſſe teſtimonium, in ſecundo non habeat poteſtatem dicendi. II. 51. 8.

CXLV. Illud (10) præterea per omnia præca-

---

tenere filiaſtrum, aut filiaſtram ſuam ad confirmandum, pœna ſeparationis impoſitâ. Hinc factum putat idem Baluzius Tom. II. pag. 1054. mulieres quaſdam, divortii occaſionem quærentes, & ea ſpe filios ſuos ad Confirmationem tenentes, cauſam dediſſe huic Legi, ut fraudis ſemina tollerentur. Et certe hanc fraudem prodit, eique conſultum vult laudata Synodus Cabilonenſis. Verum in Compendienſi Concilio agitur tantum *de filiaſtro, & filiaſtra*. Adde etiam Canonem Synodi Vermerienſis habiti Anno 752. apud Reginonem Lib. 2. de Eccleſ. diſcipl. ubi: *Si quis filiaſtrum, aut filiaſtram ſuam ad confirmationem tenuerit, ſeparetur ab uxore ſua* &c. Adde igitur Canonem LV. Concilii Moguntini eodem Anno 813. habiti, ubi ſtatutum fuerat, ut nullus *filium aut filiam de fonte baptiſmali ſuſcipiat. Ubi autem factum fuerit, ſeparentur*. Sed rectius in Cabilonenſi conſtitutum, a quo minime ſeparandi dicuntur. Vide Decretum Gratiani 30. Quæſt. 1. Miror autem Juveninum de Sacrament. Diſſert. 10. de Matrimon. Quæſt. 7. §. 4. adferre Epiſtolam *Deusdedit Papæ* ad Gordianum Hiſpalenſem, ut doceat, olim diremtum fuiſſe Matrimonium, propterea quod proprios filios aliquis e ſacro lavacro ſuſcepiſſet. Omnino apocrypham ac fictam eſſe eam Epiſtolam, a Gratiano alioqui productam, eruditus ille vir dignoſcere debuit.

(1) Cod. Eſten. & Ambroſ. habet: *Monaſteria ſunt, maneant in perpetuum, nec poſſint* &c. Deſumta hæc ſunt ex Can. 24. Concilii Chalcedonenſis.

(2) Hæc non leguntur in Cod. Eſten. ad hunc locum, ſed infra Legem ſingularem conſtituunt.

(3) Habetur Lex iſta Lib. 1. cap. 150. Capitularium, & apud Reginonem, & Burchardum. Vide Baluzium Tom. I. pag. 730. At illam inter Langobardicas non reperio. Complectitur quidem Codex Eſten.

(4) In eodem Cod. *ſine licentia, & voluntate domini ſui*.

(5) Forum quidem noſtris temporibus die Dominico ſilet pro civilibus cauſis. Mercata quoque diebus feſtis minime aguntur. At Nundinas, quæ mercata, eaque pleniſſima, ſunt, diebus Dominicis toleratas paſſim aſpicimus.

(6) Sequitur Lex iſta in Cod. Eſten. eamque non deprehendi in Editis Langobardicis. Apud Baluzium Tom. I. Capitul. pag. 423. & 725. hæc ita leguntur: *De his*, ſive *de illis, qui non fiunt ſecundum regulam pulſati, ut deinceps emendentur, & pulſentur ſecundum regulam*. Vide quantum hæc variant. *Pulſare* eſt advocare in jus, quod nunc dicimus, *citare in giudizio*; eademque vox occurrit in aliis Francorum Legibus, imo & in Codice Theodoſiano. Hic tamen Baluzio & Du-Cangio *pulſare* eſt *examinare, probare*: quod præcipue de Monachis Novitiis dictum eſt. Ac proinde *ſecundum Regulam* ſignificat Regulam Monaſticam. Vide ſupra Notas ad Legem XL. ipſius Caroli.

(7) Neque iſtam invenio editam inter Langobardicas. Eam ſuppeditavit Cod. Eſten. iamque produxerat Baluz. Tom. I. pag. 516. Infra apud eumdem Baluzium; *Si ſpeciem aliam, eamdem ſpeciem quantum dederit accipiat*. Et nihil aliud additur. Nunc ergo dilucidiorem & uberiorem textum habemus ex Cod. Eſten. Deſumta autem fuit Lex iſta ex Can. 16. Concilii Carthaginenſis.

(8) Lege, *cum omnium conſenſu*, uti editio Baluzii Tom. I. pag. 356. Infra Cod. Eſten. *ſed tantum Lex dicantur, imo pro Lege teneantur*. Et quidem rectius. Si enim Salicos tantum ea Capitula obligaſſent, ad Langobardos non pertinuiſſent. Hinc diſce, non omnia Capitularia Legis publicæ & communis vim induxiſſe, ſed ea dumtaxat, quibus hunc vigorem addebant Reges inferendo in corpus Legum. In Cod. Eſtenſi apponitur Gloſſa hæc: *Quæ ſuperius leguntur, id eſt qui Subdiaconum occiderit, & alia*. Quare vide ſupra Cap. CI. & ſequentia, atque intellige, ea quidem Capitula primum promulgata fuiſſe pro Salicis, ſive Francis hominibus, at poſtea in Langobardicarum Legum collectionem ex juſſu ipſius Caroli invecta fuiſſe.

(9) Audi Codicem Eſten. *non habeat poteſtatem accuſandi, donec pœnitentiam egerit. Et ſi in primo crimine viſa eſt falſum* &c. Vide infra Cap. CLI.

(10) In Cod. Eſten. *Illud factum præterea* Infra: *in matrimonio ſociare, nec in diſſimili ætate*.

caventes nos prohibere decrevimus, ut nullus præsumat ante annos pubertatis puerum vel puellam in matrimonio sociare, in dissimili ætate, sed coætaneos, & sibi consentientes; quia multas sæpius ex hujusmodi contractu nuptiali ruinas animarum factas audivimus, & tales fornicationes perpetratas, quales (1) inter Gentes esse non debent. Ita plane, ut si contigerit puerum adultum esse, & puellam parvulam, per virum cognata & socrus deprehendantur adulteræ: e contrario si puella maturæ ætatis, & puer teneræ, & propter puellam adultam, & puerum parvulum, pater & frater pueri tanti peccati flagitiosi perveniunt irretiti. Unde qui hæc prohibita de cetero usurpare præsumserit, ab omni consortio ecclesiastico sit alienus, sed nec a publicis sit immunis judiciis. II. 8. 10.

CXLVI. (2) Ut Episcopus, vel quilibet ex Clero sine consilio, vel literis Episcoporum, vel Metropolitani, non audeat Regalem dignitatem pro suis caussis clamare, sed in communi Episcoporum Concilio caussa examinetur.

CXLVII. (3) Ut nec Episcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec Judices, nullusque omnino sub mali occasione, vel malo ingenio, res pauperum, vel minus potentum nec emere, nec vi tollere audeat; sed quisquis ex eis aliquid comparare voluerit, in publico coram idoneis testibus, & cum rationibus hoc faciat. Ubicunque autem aliquid inventum fuerit factum, hoc omnino emendetur per jussionem nostram.

CXLVIII. (4) Ut longa consuetudo, quæ ad utilitatem publicam non impedit, pro lege servetur, & quæ diu servatæ sunt, permaneant.

CXLIX. (5) Placuit nobis de orphanis, & pupillis, & pauperibus, qui debitam, vel indebitam dicuntur amisisse hereditatem paternam, vel maternam juris ad se pertinentem, si alicubi inventum fuerit, quod patres vel matres propter traditiones (6) illos exheredes fecerint, aliorum scilicet suasionibus, vel petitionibus, vel aliquo ingenio, volumus atque decernimus emendari, quantum ad nos vel ad nostram pertinet potestatem juxta voluntatem Dei, & nostram factam ammonitionem (7) & considerationem, ut si forte extra officium nostrum alicubi inventum fuerit, ammonere addimus nostra clementia, ut emendetur.

CL. Ut (8) de ea conjunctione qui secundum Canones, aut Edictum esse non possunt copulati, placuit nobis, ut separentur ab invicem.

CLI. Ut (9) qui se perjuraverit, aut infamis erit, postquam pœnitentiam acceperit, inculpabilis esse videatur. II. 58. 4.

CLII. (10) Ut qui semel perjuratus fuerit, nec testis sit post hoc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua caussa, vel alterius jurator existat. II. 51. 4.

Epistola Caroli Magni ad Pippinum suum filium Italiæ Regem. (11)

CLIII. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Karolus serenissimus Augustus a Deo coronatus, Magnus, Pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, qui est

(1) Hæc ipsa accipe a Codice Esten. *quales nec inter Gentes. Ita plane, ut cum contigerit, puerum adulterum* (*adultum* scribo) *esse, & puellam parvulam, & e contrario si puella maturæ ætatis sit, & puer sit teneræ, propter virum cognata & socrus deprehendatur adulteræ, & propter puellam pater vel frater pueri tanti peccati flagitio pereant interiti.*

(2) Legem hanc una cum quatuor sequentibus præbet nobis Codex Estensis. Eas autem inter Langobardicas editas hactenus non vidi. Hæc autem desumta est ex Can. XI. Concilii Antiocheni, & legitur inter Capitularia Regum Francorum Tom. I. pag. 217. & 706.

(3) Ex Canone VII. Concilii Moguntini habiti Anno 813. desumpta est Lex ista, eamque ex parte exhibet Canon XXIII. Concilii Arelatensis VI. eodem Anno 813. habiti; ipsam vero ex parte profert Baluzius Tom. I. pag. 504. Scribendum hic, *sub mala occasione*: & infra: *Ubicumque autem aliter inventum* &c.

(4) Unde hæc fuerit hausta, nondum deprehendi, neque apud Baluzium invenio. Ita scribendum puto, *quæ utilitatem publicam non impedit.*

(5) Ista quoque Lex totidem verbis legitur in laudato nuper Concilio Moguntino Can. VI. Eam refert Baluzius Tom. I. pag. 747. Legitur illic: *paterni vel materni juris ad se legibus pertinentem, si alicubi inventi fuerint, quos patres vel matres propter traditiones illorum exheredes fecerunt.*

(6) Hoc est, alienationes sive dispositiones testamentarias, per quas aut alicui, aut Ecclesiæ sua bona reliquerint.

(7) Hæc proferuntur tamquam ex ore Caroli Augusti. At in eodem Concilio verba sunt Patrum ad Imperatorem loquentium. Propterea ibi legitur: *& vestram sanctam admonitionem* &c. Et infra: *admonere vestram clementiam audeamus, ut emendetur.*

(8) Hoc est, qui conjugia, quæ aut a sacris Canonibus, aut a Langobardica Lege, *Edicti* nomine commemorata, inierint, separentur. Diligentius inquirant alii, an Lex ista antea fuerit edita: mihi reperire hactenus non licuit.

(9) In Cod. Esten. *ut de eo qui se perjuraverit*. Vide supra Cap. CXLIV.

(10) Non legitur Lex ista in Cod. Esten. Ac proinde antea editam, post reliquas Caroli Magni Leges adjunxi. Videtur autem a præcedenti discors: quod tamen non ita se habet. Hæc enim, ut puto, præcessit, & quum multi perjuri pœnitentia publica suscepta crimen suum luissent, & de Legis severitate quererentur, visum est Carolo Augusto illam temperare, addita Lege, quam proxime attulimus.

(11) Inter editas Langobardicas Leges hæc minime occurrit. At iis adjungendam monet nos Codex Estensis, unde eam hausi. Monet & ipsum argumentum; scripta quippe fuit ad Pippinum Italiæ Regem, & pro coercendis Italicorum Procerum, Ministrorumque ac Officialium Regiorum injustis exactionibus. Porro eamdem jam evulgarat Baluzius Tom. I. pag. 461. Capitular. atque ad Annum 807. pertinere is arbitratus est.

est (1) per misericordiam Dei Rex Francorum, & Langobardorum, dilectissimo filio suo Pippino glorioso Regi sempiternam in Domino salutem. Pervenit ad aures clementiæ nostræ, quod aliqui Duces, & eorum Juniores, Gastaldii, Vicarii, & Centenarii, seu reliqui Ministeriales, Falconarii, Venatores, & ceteri per singula territoria habitantes, ac discurrentes, mansionatica, (2) & paravereda accipiant non solum de liberis hominibus, sed etiam de Ecclesiis Dei, Monasteriorum videlicet virorum, & puellarum, & senodochiorum, atque per diversas plebes, & seu per reliquos servientes Ecclesiarum Dei. Insuper homines, atque servientes Ecclesiarum in eorum opera, id est in vineis, & campis, seu pratis, nec non & in eorum ædificiis illos faciant operari, & carnaticum, & vinum contra omnem justitiam ab eis exactare non cessent, & multas oppressiones patiuntur ipsæ Ecclesiæ Dei, vel servientes earum. Ideoque, Karissime Fili, has literas ad tuam dilectionem direximus, ut hoc anno caussam diligenter ac prudenter facias inquirere. Et si veritas est, quod ita factum sit, deinceps omnimodis emendare, & corrigere studeas, quatenus in diebus nostris, ac tuis pax Ecclesiarum Dei, sive illarum servientium in Domino conservetur, & ut merces copiosa nobis, ac tibi exinde jugiter accrescat. Audivimus etiam, quod quædam Capitula (3), quæ in lege scribi jussimus, per aliqua loca aliqui ex nostris ac vestris dicunt, quod (4) nequaquam illa provecta sint ad nostram notitiam, nec per nosmetipsos esse condita, & ideo nolunt ea obedire, nec consentire, nec pro lege tenere. Tu valde nosti, quomodo vel qualiter tecum locuti sumus de ipsis Capitulis. Et ideo monemus tuam amabilem dilectionem, ut per universum Regnum tibi a Deo commissum ea nota facias, & obedire, & implere præcipias (5). His expletis bene valeas semper in Domino, Karissime Fili.

ADDITAMENTA
AD CAPITULARIA
CAROLI MAGNI.

CLIV. De (6) causis ammonendis, vel Ecclesiis emendandis, & ubi in unum locum plures sint, quam necesse sit, ut destruantur quæ necessariæ non sunt, & aliæ construantur.

CLV. Ut (7) quæ bonæ memoriæ Genitor noster in sua Placita constituit, & sic nos conservare volumus.

CLVI. De (8) rebus vero Ecclesiarum, unde

(1) Scribendum, *qui & per misericordiam* &c. Ita in aliis Caroli M. inscriptionibus. Baluzius habet: *Romanorum gubernans Imperium, ac per* &c. Sed lectio nostra tutior. Infra idem Baluzius legit: *Pervenit ad aures nostras.*

(2) Hoc est, hospitium, equos, & vehicula a provincialibus tamquam tributa debita exigunt. Baluziana editio habet: *vel discurrentes, mansionaticos, & paravereda accipiant, non solum super liberos homines, sed etiam in Ecclesias Dei, Monasteria videlicet* &c. Infra Codex noster dissidet a Baluzii editione, in qua, uti neque in Ambros. Cod., non repetitur mentio illa de *servientibus Ecclesiarum*, sed continua oratione legitur: *& super reliquos servientes Ecclesiarum Dei, in eorum opera* &c. Infra idem Cod. Ambros. non habet: *hoc ut anno*. Infra vero habet: *quatenus* &c. *pax Ecclesiarum* &c. *in omnibus conservetur.*

(3) Hinc habes, Capitula Salicæ Legi per Carolum addita, quorum primum est supra Cap. CI. cum sequentibus usque ad Cap. CXLIII., invecta fuisse per eumdem gloriosissimum Regem in corpus Langobardicarum Legum. Has autem ille designat, quum ait: *quæ in Lege scribi jussimus.*

(4) Corrupta hæc sunt apud Baluzium, qui habet: *quod nos nequaquam illis hanc causam ad notitiam per nosmetipsos condictam habeamus.* Infra idem legit: *Tu autem nosti* Eamdem redargutionem meretur A. qui cum Baluzii Codice hoc loco consentit.

(5) Sequuntur alia apud Baluzium, quæ a Codice Estensi absunt, videlicet, *præcipuas de Episcopis, & Sacerdotibus occisis, sicut statutum habemus, & de reliquis quibuslibet causis. Veruntamen de Presbyteris videtur nobis, ut si liber natus est Presbyter* &c. Hæc autem digito monstrant, ut nuper diximus, quæ Capitula Legi Salicæ primum, tum Langobardicæ addita fuerint. Vide supra Cap. CI. ubi quum singula totidem verbis prostent, quæ a Baluzio adferuntur, repetere hic superfluum puto.

(*Nota Coll.*) Si non cæcutio, deest in hac legum serie lex, quam Karolo Magno tribuitur in Lindenbrogiana editione, & exstat etiam eidem Imperatori attributa in Ms. Codice Bibliothecæ Ducalis D. Marci. Locum autem in iisdem Codicibus tenet immediate ante illam, quæ in hac Collectione Muratoriane est XLVII. Hæc autem est lex: *De latrone forbannito, si liber homo susceperit eum, XV. sol. componat, & si servus fuerit, CXXV. ictuum percussionibus vapuletur.* I. 25. 62.

(6) Inter editas Langobardicas ne hæc quidem legitur. Eam mihi ministravit antiquissimus Cod. Cathedr. Mutinensis, atque antea ediderat Baluzius Tom. I. pag. 391. in Capitulari III. Anni 803. Apud illum ab his verbis initium sumit: *De Ecclesiis emendandis, & ubi in uno loco* &c. Vide infra Cap. LXIII. Lotharii I. ubi eadem præcipiuntur.

(7) Abest & ista a Langobardicarum editionibus, sed legitur in Cod. Cathedr. Mutin. Similem adfert Baluzius Tom. I. pag. 197. ubi post *Genitor noster* additur, *Domnus Pippinus Rex in suis Placitis* &c.

(8) Hanc etiam frustra quæras inter Lango-

unde nunc cenſus exeunt, decima & nona ſint ſoluta. Et unde antea non exierunt, ſimiliter nona & decima detur; atque de (1) caſatis L. ſolidus, & de caſatis XXX. medius ſolidus, & de XX. tremiſſe. Et precariæ, ubi modo ſunt, renoventur; & ubi non ſunt, ſcribantur. Et ſit diſtrictio inter precarias de verbo noſtro factas, & inter eas, quæ ſpontanea voluntate de ipſis rebus Eccleſiarum fiunt.

CLVII. Carolus, (2) divino nutu coronatus, Romanum regens Imperium, sereniſſimus Auguſtus, omnibus Ducibus, Comitibus, Caſtaldiis, ſeu cunctis Reipublicæ per Provinciam Italiæ a noſtra manſuetudine Præpoſitis. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCI. Indictione IX. Anno vero Regni noſtri in Francia XXXIII. in Italia XXVIII. Conſulatus autem noſtri primo, cum in Italiam propter utilitatem Sanctæ Dei Eccleſiæ, ac Provinciarum diſponendarum (3) veniſſemus, & multæ atque diverſæ per urbes ſingulas ante conſpectum noſtrum quæſtiones tam de Eccleſiaſticis, quam & publicis, ac privatis rebus diſcuterentur, pleraque ſtatuta recitata ex Romana, ſeu Langobardica Lege competenti ſententia terminata ſunt; quædam vero in noſtri examinis arbitrium ad tempus dilata, quorum judicialis ſententia a Legiſlatoribus, aut penitus omiſſa eſt, aut a poſteris oblivioni tradita. Quocirca nos conſiderantes utilitatem noſtram & Populi a Deo nobis conceſſi, ea quæ ab anteceſſoribus noſtris Regibus in Edictis Legis Langobardicæ ab ipſis editæ prætermiſſa ſunt, juxta rerum & temporis conſiderationem addere curavimus, ſoliciti ut neceſſaria, quæ Legi defuerant, ſupplerentur, & in rebus dubiis non quorumlibet Judicum arbitrium, ſed noſtræ Regiæ auctoritatis ſententia prævaleret.

CLVIII. De Laicis (4) noviter converſis, ne antequam ſuam legem pleniter ediſcant vivendo, ad alia negotia mittantur.

CLIX. De (5) propriis ſervis vel ancillis, ut non amplius tondantur, vel velentur, niſi ſecundum menſuram, ut & ibi ſatisfiat, & Villæ non ſint deſolatæ.

CLX. De (6) congregationibus ſuperfluis, ut nullatenus fiant, ſed tantos congregent, quantis conſilium dari poteſt.

CLXI. (7) De pace, ut omnes, qui per aliqua ſcelera rebelles ſunt, conſtringantur.

Ad omnes generaliter.

CLXII. De hoc (8) ſi evenerit fames, clades, aut inæqualitas aeris, vel alia qualiſcumque tribulatio, non expectetur Edictum noſtrum, ſed ſtatim deprecetur Dei miſericordia. Et in præſenti anno de famis inopia, ut ſuos quiſque adjuvet, pro ut poteſt, & ſuam annonam non nimis care vendat. Et ne foris Imperium noſtrum vendatur aliquid alimoniæ.

CLXIII. De (9) Negotiantibus, qui partibus Sclavorum & Avarorum pergunt, quouſque procedere cum ſuis negotiis debeant. Id eſt partibus Saxoniæ, uſque ad partem Nuvih, ibi prævideat Ereti; & ad Shcerba, ubi Madelgaudus prævideat. Ad Alugeſtat, & ad Serpſeſur. Item prævideat ad Forah-Heim, & ad Prembert, & ad Raginsburg, Audulfus. Ad Magadoburg prævideat Atto; ad Lauriacum Werinherus. Et ut arma & brunias non ducantur ad venumdandum. Quod ſi inventi fuerint portan-

---

gobardicas editas. Habet tamen Cod. Cathed. Mutin. eamque jam evulgarat Baluzius Tom. I. pag. 197.

(1) Erant *caſati* homines ſervilis conditionis, & fortaſſis etiam aliqua libertatis parte donati. Eſt eorum mentio in charta diviſionis Regnorum facta a Carolo Magno. Occurrit & in Chartis Alamannicis. Infra Baluzius legit: *Et ſit diſcretio*. In eodem Cod. Cathedr. Mutin. alibi ipſius Legis pars occurrit, his concepta verbis: *Diſcretio inter precarias de verbo dominico factas* (hoc eſt, auctoritate Regia factas) *& inter eas, quas Epiſcopi & Abbatiſſæ eorum arbitrio vel diſpoſitione faciunt. Ut liceat eis, quando quidem eis placuerit, res, quas beneficiarii habuerint, ad partem ipſius Eccleſiæ recipere facere. Et unuſquiſque homo ad cauſa Dei* (fortaſſis *ad Caſam Dei*) *in honore Deo fideliter & firmiter deſerviat*. Hæc apud Baluzium non occurrunt.

(2) Deſideratur inter Langobardicas Leges editas hæc Epiſtola Caroli M. Eam mihi ſuppeditavit Codex Cathedr. Mutin. jamque evulgaverat Baluzius Tom. I. pag. 345. Non eſt quidem Lex, ſed Præfationis locum implere poteſt ad Leges per Carolum M. additas Langobardicarum corpori.

(3) Baluzius, *veniſſem*. In fine idem habet: *ſanctio prævaleret*.

(4) Hoc eſt, de iis, qui a ſæculari ad monaſticam vitam in Cœnobium quodpiam tranſierunt, ut antequam Regulam Monachorum probe non didicerint, moribuſque ſe didiciſſe oſtenderint, ad negotia extra Monaſterium peragenda non dimittantur. Langobardicis Legibus & hanc addo auctoritate Codicis Cathedralis Mutinenſis.

(5) Ex eodem Codice iſta quoque prodit, Baluzius Tom. I. pag. 423. aliis verbis eam profert, hoc eſt: *De propriis ſervis vel ancillis, ut non ſupra modum in Monaſteria ſumantur, ne deſertentur Villæ*.

(6) Deſcripſi ex eodem Codice Ms. Puto autem hic agi de Congregationibus religioſorum hominum, quas nonnulli immodico zelo multiplicabant ubique. Baluzius Tom. I. pag. 423. legit: *ſed tantos congreget quis, quantis conſilium dare poteſt*.

(7) Ex eodem Codice & iſta hauſta fuit. Baluzius ibidem legit: *ei rebelles ſunt*. Illud *ei* ſuperfluere videtur.

(8) Idem Cod. Cathed. Mutin. eam ſuppeditavit. Baluzius Tom. I. pag. 424. hæc ita habet: *De hoc ſi evenerit fames, clades, aut inæqualitas aeris, ut non* &c.

(9) Habet illam idem Codex Ms. Ediderat jam Goldaſtus in Capitulari Lotharii ſubjuncto Legibus Langobardicis. Edidit & Baluzius pag. 425. Tom. I. Capitular. ac nuperrime Johannes Georgius Eccardus pag. 179. Legis Salicæ. Quam diverſimode hæc efferantur tum in Codice noſtro, tum apud illos, videat qui velit.

tantes, omnis substantia eorum auferatur ab eis, dimidia quidem pars partibus Palatii, alia vero medietas inter jam dictos Missos & inventorem dividatur.

CLXIV. Census (1) Regalis, undecunque legitime exhibeatur, volumus ut inde solvatur, sive de propriæ personæ hominibus, sive de rebus.

CLXV. De (2) incantationibus, auguriis, vel divinationibus, & de his, qui tempestates, vel aliquam faciunt malitiam, placuit Sancto Nicæno Concilio, ut ubicumque deprehensi fuerint, videat Archipresbyter Diocesis illius, ut diligentissime examinatione constringantur, si forte confiteantur malorum, quæ gesserunt. Sed tali moderatione fiat eadem districtio, ne vitam perdant, sed eos salvent in carcere adflictos, usque dum Deo inspirante spondeant emendationem peccatorum. Et ut nullatenus per aliqua præmia a Comitibus vel Centenariis absque districta examinatione remittantur. Et hoc si fecerint, Archipresbyteri, dum hoc cognoverint, nequaquam Episcopis celare audeant, & ab Episcopis, ut dignum est, pro hoc corripiantur.

CAPITULARE
ANNI DCCCVI.
SIVE
Charta divisionis Regni Francorum inter Karolum, Pippinum, & Ludovicum filios Karoli Magni Imperatoris.

MONITUM CL. MURATORII.

AD Capitularia Caroli Magni adjecimus & celebratissimam chartam divisionis Imperii datam ex villa Theodonis, editionis Balузianæ, quam & in suis Annalibus Ecclesiasticis edidit Baronius anno 811. n. XLIV. ad XLVIII. nonnullis in locis parumper a nostra diversam. Plura continet quæ ad historiam eorum temporum illustrandam optime conducunt, eidemque a Baluzio aliisque inscribitur Annus DCCCVI. neque nostrum est tempora accuratius inquirere. Ea tamen haud prætermittere volumus, quæ vir doctiss. ad eamdem notavit, ne quid Lectoribus dissimulemus. Scribit ille:

Hanc partitionem regnorum Karoli Imp. dubiæ fidei esse ac merito numerari posse inter tot singularis otii commenta, quæ sequiora nobis sæcula ingeniaque pepererunt, scribit Petrus Pithœus *in præfatione ad XII. Scriptores coætaneos historiæ Francorum, hinc persuasus quod in chartaceo exemplari, Thegani operi recentiori manu subjuncta fuit. Sed ego vetustissimum illius exemplar reperi in Bibliotheca Thuana, licet non integrum; eademque a* Johanne Nauclero *edita pridem fuerat, &* Aventinus *eam memorat in annalibus Bojorum. Immo Eginhardus disertam illius mentionem facit, seque eam jussu Imperatoris ad Leonem Papam detulisse, ut ejus subscriptione firmaretur. Illi præterea fidem & auctoritatem conciliat charta divisionis Imperii facta a Ludovico Pio anno DCCCXXXVII. cujus omnia ferme capita descripta sunt ad verbum ex illa Karoli; & tamen ista falsi accusata non fuit a Pithœo, qui primus eam vulgavit in eodem volumine Scriptorum coætaneorum. Denique hujus divisionis a Karolo factæ clara & manifesta mentio est in capite tertio Capitulorum apud Niumaga statim post Imperii divisionem editorum.*

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Imperator Cæsar Karolus Rex Francorum invictissimus, & Romani Rector Imperii, pius, felix, ac triumphator semper Augustus, omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & cuncto Populo Catholico præsenti & futuro gentium, ac nationum, quæ sub ejus Imperio, & regimine constitutæ sunt. Sicut omnibus vobis notum esse, & neminem vestrum latere credimus, quomodo nos divina clementia, cujus nutu ad occasum tendentia sæcula per successiones generationum reparantur, tres nobis dando filios, magno miserationis ac benedictionis suæ ditavit munere, quia per eos, secundum vota nostra, & spem nostram de regno confirmavit, & curam oblivioni obnoxiæ posteritatis leviorem fecit; ita & hoc vobis notum fieri volumus, quod eosdem per Dei gra-

---

(1) Legitur & ista in Cod. Cathed. Mutin. Baluzius Tom. I. pag. 428. habet: *legitime exiebat*. Et infra: *sive de propria persona hominis, sive de rebus*.

(2) Et hanc do ex eodem Codice. Apud Baluzium Tom. I. pag. 428. legitur: *vel alia maleficia faciunt: placuit Sancto Concilio, ut ubicumque*. In Codice nostro memoratur Concilium Nicænum. Et quidem inter Canones Arabicos, eidem Synodo attributos, vetatur familiaritas *cum incantatoribus & divinis*. Sed vereor ut merito advocetur huc celeberrimum illud Concilium. Et fortasse ne tunc quidem invectum *Archipresbyterorum* nomen. Infra idem Baluzius legit: *sed ut salventur in carcere afflicti*.

gratiam filios nostros regni a Deo nobis concessi, donec in corpore sumus, & post nostrum ab hac mortalitate discessum, hujus a Deo conservandi regni, vel imperii nostri hæredes relinquere, si sic divina majestas annuerit, optamus; non ut confuse atque inordinate, aut sub totius regni dominatione jurgii controversiam eis relinquamus, sed trina partione totum regni corpus dividentes, quam quisque illorum tueri vel regere debeat portionem, distribuere, & designare volumus, eo videlicet modo, ut sua quisque portione contentus, juxta ordinationem nostram, & fines regni sui, qui ad alienigenas extenduntur, cum Dei adjutorio, nitatur defendere, & pacem atque caritatem cum fratre custodire.

Cap. I.

Divisiones vero a Deo conservati, atque conservandi Imperii, vel regni nostri tales facere placuit, ut Aquitaniam totam & Wasconiam, excepto pago Turonico, & quicquid inde ad Occidentem atque Hispaniam respicit, & de civitate Nivernis, quæ est sita super fluvium Ligerem, cum ipso pago Nivernense, pagum Avalensem, atque Alsensem, Cabilionensem, Matisconensem, Lugdunensem, Saboiam, Moriennam, Tarentasiam, montem Cinisium, vallem Segusianam usque ad Clusas, & inde per terminos Italicorum montium usque ad mare, hos pagos cum suis civitatibus, & quicquid ab eis contra Meridiem, & Occidentem usque ad mare, vel usque ad Hispanias continetur, hoc est, illam portionem Burgundiæ, & Provinciam, ac Septimaniam, vel Gothiam, Ludovico dilecto filio nostro consignavimus.

II. Italiam vero, quæ & Langobardia dicitur, & Bajovariam, sicut Tassilo tenuit, excepto duabus villis, quarum nomina sunt Ingoldestat, & Lutrahahof, quas nos quondam Tassiloni beneficiavimus, & pertinent ad pagum, qui dicitur Northgouve, & de Alamania partem, quæ in australi ripa Danubii fluminis est, & de ipso flumine Danubii currente limite usque ad Rhenum fluvium in confinio pagorum Chletgouve, & Hegouve in locum, qui dicitur Enge; & inde per Rhenum fluvium sursum versus, usque ad Alpes, quicquid inter hos terminos fuerit, & ad Meridiem vel Orientem respicit, una cum ducatu Curiensi, & pago Durgouve, Pippino dilecto filio nostro.

III. Quicquid autem de regno nostro extra hos terminos fuerit, id est, Franciam & Burgundiam, excepto illa parte, quam Ludovico dedimus, atque Alamaniam, excepto portione quam Pippino adscripsimus, Austriam, Niustriam, Turingiam, Saxoniam, Frisiam, & partem Bajovariæ, quæ dicitur Northgow, dilecto filio nostro Karolo concessimus; ita ut Karolus & Ludovicus viam habere possint in Italiam ad auxilium ferendum fratri suo, si ita necessitas extiterit, Karolus per vallem Augustanam, quæ ad Regnum ejus pertinet, & Ludovicus per vallem Segusianam, Pippinus vero & exitum & ingressum per Alpes Noricas, atque Curiam.

IV. Hæc autem tali ordine disponimus, ut si Karolus, qui major natu est, priusquam ceteri fratres sui diem obierit, pars regni, quam habeat, dividatur inter Pippinum, & Ludovicum, sicut quondam divisum est inter nos & fratrem nostrum Karlomannum, eo modo ut Pippinus illam portionem habeat, quam frater noster Karlomannus habuit, Ludovicus vero illam partem accipiat, quam nos in illa portione suscepimus. Si vero Karolo, & Ludovico viventibus, Pippinus debitum humanæ sortis compleverit, Karolus & Ludovicus dividant inter se regnum, quod ille habuit, & hæc divisio tali modo fiat, ut ab ingressu Italiæ per Augustam civitatem accipiat Karolus Eboreiam, Vercellas, Papiam, & inde per Padum fluvium termino currente usque ad fines Regensium, & ipsam Regiam, & civitatem novam, atque Mutinam usque ad terminos Sancti Petri. Has civitates cum suburbanis, & territoriis suis, atque comitatibus, quæ ad ipsas pertinent, & quicquid inde Romam pergenti ad lævam respicit, de regno quod Pippinus habuit una cum ducatu Spoletano hanc portionem, sicut prædiximus, accipiat Karolus. Quicquid autem a prædictis civitatibus vel comitatibus Romam eunti ad dextram jacet, de prædicto regno, id est, portionem quæ remansit de regione Transpadana, una cum ducatu Tuscano usque ad mare australe, & usque ad Provinciam, Ludovicus ad augmentum sui regni sortiatur. Quod si ceteris superstitibus Ludovicus fuerit defunctus, eam partem Burgundiæ, quam regno ejus adjunximus, cum Provincia, & Septimania, sive Gothia usque ad Hispaniam, Pippinus accipiat, Karolus vero Aquitaniam, atque Wasconiam.

V. Quod si talis filius cuilibet istorum trium fratrum natus fuerit, quem populus eligere velit ut patri suo succedat in regni hæreditate, volumus ut hoc consentiant patrui ipsius pueri, & regnare permittant filium fratris sui in portione regni, quam pater ejus frater eorum habuit.

VI. Post hanc nostræ auctoritatis dispositionem placuit inter prædictos filios nostros statuere, atque præcipere, propter pacem, quam inter eos permanere perpetuo desideramus, ut nullus eorum fratris sui terminos, vel regni limites invadere præsumat, neque fraudulenter ingredi ad conturbandum regnum ejus, vel marcas minuendas; sed adjuvet unusquisque illorum fratrem suum, & auxilium illi ferat contra inimicos ejus juxta rationem, & possibilitatem

tem, ſive infra patriam, ſive contra exteras nationes.

VII. Neque aliquis illorum hominem fratris ſui pro quibuslibet cauſis, ſive culpis ad ſe confugientem ſuſcipiat, nec interceſſionem quidem pro eo faciat. Quia volumus ut quilibet homo peccans, & interceſſione indigens, intra regnum domini ſui vel ad loca ſancta, vel ad honoratos homines confugiat, & inde juſtam interceſſionem mereatur.

VIII. Similiter præcipimus ut quemlibet liberum hominem, qui dominum ſuum contra voluntatem ejus dimiſerit, & de uno regno in aliud profectus fuerit, neque ipſe Rex ſuſcipiat, neque hominibus ſuis conſentiat ut talem hominem recipiant, vel injuſte retinere præſumant. Hoc non ſolum de liberis, ſed etiam de ſervis fugitivis ſtatuimus obſervandum, ut nulla diſcordiis relinquatur occaſio.

IX. Quapropter præcipiendum nobis videtur, ut poſt noſtrum ab hac mortalitate diſceſſum homines uniuſcujuſque eorum accipiant beneficia unuſquiſque in regno domini ſui, & non in alterius, ne forte per hoc, ſi aliter fuerit, ſcandalum aliquod accidere poſſit. Hæreditatem autem ſuam habeat unuſquiſque illorum hominum abſque contradictione, in quocunque regno hoc eum legitime habere contigerit.

X. Et unuſquiſque liber homo, poſt mortem domini ſui, licentiam habeat ſe commendandi inter hæc tria regna ad quemcunque voluerit. Similiter & ille qui nondum alicui commendatus eſt.

XI. De traditionibus autem atque venditionibus, quæ inter partes fieri ſolent, præcipimus ut nullus ex his tribus fratribus ſuſcipiat de regno alterius a quolibet homine traditionem, ſeu venditionem rerum immobilium, hoc eſt, terrarum, vinearum, atque ſilvarum, ſervorumque, qui jam caſati ſunt, ſive ceterarum rerum, quæ hæreditatis nomine cenſentur; excepto auro, argento, & gemmis, armis, ac veſtibus, necnon & mancipiis non caſatis, & his ſpeciebus, quæ proprie ad negotiatores pertinere noſcuntur. Ceteris vero liberis hominibus hoc minime interdicendum judicavimus.

XII. Si quæ autem fœminæ, ſicut fieri ſolet, inter partes & regna fuerint ad conjugium poſtulatæ, non denegentur juſte poſcentibus, ſed liceat eas viciſſim dare & accipere, & affinitatibus populos inter ſe ſociari. Ipſæ vero fœminæ poteſtatem habeant rerum ſuarum in regno unde exierant, quamquam in alio propter mariti ſocietatem habitare debeant.

XIII. De obſidibus autem, qui propter credentias dati ſunt, & a nobis per diverſa loca ad cuſtodiendum deſtinati ſunt, volumus ut ille Rex in cujus regno ſunt, abſque voluntate fratris ſui, de cujus regno ſublati ſunt, in patriam eos redire non permittat; ſed potius in futurum in ſuſcipiendis obſidibus alter alteri mutuum ferat auxilium, ſi frater fratrem hoc facere rationabiliter poſtulaverit. Idem jubemus, & de his, qui pro ſuis facinoribus in exilium miſſi, vel mittendi ſunt.

XIV. Si cauſa vel intentio ſive controverſia talis inter partes propter terminos, aut confinia regnorum orta fuerit, quæ hominum teſtimonio declarari vel definiri non poſſit, tunc volumus ut ad declarationem rei dubiæ, judicio crucis, Dei voluntas & rerum veritas inquiratur, nec unquam pro tali cauſa cujuslibet generis pugna, vel campus ad examinationem judicetur. Si vero quilibet homo de uno regno hominem de altero regno de infidelitate contra fratrem domini ſui apud dominum ſuum accuſaverit, mittat eum dominus ſuus ad fratrem ſuum, ut ibi comprobet quod de homine illius dixit.

XV. Super omnia autem jubemus, atque præcipimus, ut ipſi tres fratres curam, & defenſionem Eccleſiæ Sancti Petri ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab avo noſtro Karolo, & beatæ memoriæ genitore noſtro Pippino rege, & a nobis poſtea ſuſcepta eſt, ut eam cum Dei adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & juſtitiam ſuam, quantum ad ipſos pertinet & ratio poſtulaverit, habere faciant. Similiter & de ceteris Eccleſiis, quæ ſub illorum fuerint poteſtate, præcipimus ut juſtitiam ſuam & honorem habeant, & paſtores atque rectores venerabilium locorum habeant poteſtatem rerum, quæ ad ipſa loca pia pertinent, in quocunque de his tribus regnis illarum Eccleſiarum poſſeſſiones fuerint.

XVI. Quod ſi de his ſtatutis, atque convenientiis aliquid caſu quolibet vel ignorantia, quod non optamus, fuerit irruptum, præcipimus ut quam citiſſime ſecundum juſtitiam emendare ſtudeant, ne forte propter dilationem majus damnum poſſit adcreſcere.

XVII. De filiabus autem noſtris, ſororibus ſcilicet prædictorum filiorum noſtrorum, jubemus ut poſt noſtrum ab hoc corpore diſceſſum licentiam habeat unaquæque eligendi ſub cujus fratris tutela, & defenſione ſe conferre velit. Et qualiſcumque ex illis monaſticam vitam elegerit, liceat ei honorifice vivere ſub defenſione fratris ſui in cujus regno degere voluerit. Quæ autem juſte & rationabiliter a condigno viro ad conjugium quæſita fuerit, & ei conjugalis vita placuerit, non ei denegetur a fratribus ſuis, ſi & viri poſtulantis, & fœminæ conſentientis honeſta, & rationabilis fuerit voluntas.

XVIII. De nepotibus vero noſtris, ſcilicet filiis prædictorum filiorum noſtrorum, qui ex eis vel jam nati ſunt, vel adhuc naſcituri ſunt, placuit nobis præcipere ut nullus eorum per quaslibet occaſiones quemlibet ex illis apud ſe accuſatum ſine juſta di-

discuſſione atque examinatione aut occidere, aut membris mancare, aut excœcare, aut invitum tondere faciat; ſed volumus ut honorati ſint apud patres & patruos ſuos, & obedientes ſint cum omni ſubjectione, quam decet in tali conſanguinitate eſſe.

XIX. Hoc poſtremo ſtatuendum nobis videtur, ut quicquid adhuc de rebus & conſtitutionibus, quæ ad profectum & utilitatem eorum pertinent, his noſtris decretis atque præceptis addere voluerimus, ſic a prædictis dilectis filiis noſtris obſervetur atque cuſtodiatur, ſicut ea, quæ in his jam ſtatuta, & deſcripta ſunt, cuſtodire, & obſervare præcipimus.

XX. Hæc autem omnia ita diſpoſuimus, atque ex ordine firmare decrevimus, ut quandiu divinæ majeſtati placuerit nos hanc corporalem agere vitam, poteſtas noſtra ſit ſuper a Deo conſervatum regnum, atque imperium iſtud, ſicut hactenus fuit, in regimine atque ordinatione, & omni dominatu regali atque imperiali, & ut obedientes habeamus prædictos dilectos filios noſtros, atque Deo amabilem populum noſtrum cum omni ſubjectione, quæ patri a filiis, & Imperatori ac Regi a ſuis populis exhibetur.

PIPPINI ITALIÆ REGIS
LEGES.

Pippinus Rex Caroli Magni filius.

IN nomine (1) Domini noſtri Jeſu Chriſti: audite qualiter placuit mihi Pippino Excellentiſſimo Regi gentis Longobardorum, cum adeſſent nobiſcum ſinguli Epiſcopi, Abbates, & Comites, ſeu reliqui fideles noſtri Franci, & Longobardi.

Decrevit Divus Populo laudante Pipinus.

CAP. I.

UT eccleſiæ baptiſmales (2), ſeu oracula, qui eas a longo tempore reſtauraverint, mox iterum eas reſtaurent: & tam Curtis Regia, quam Longobardi, tales ibi habeant dominationes, quales illorum a longo tempore fuerit conſuetudo. III. 1. 17.

II. Ut Pontifex unuſquiſque ordinet, & diſponat eccleſiam ſuam canonico ordine, & ſacerdotes ſuos vel Clericos diſtringat canonico ordine vivendo (3). Et ſi quis Pontifex Clericos ſuos canonico ordine diſtringere noluerit, anathema ſit (4). Et ſi illi ad ſæcularem pertranſierint habitum, quod Canones Clericos prohibent facere, Comes qui in loco ordinatus fuerit, diſtringat illos in omnibus ad ſuam partem, ſicut alios exercitales. III. 1. 18.

III. Monaſteria virorum & puellarum, tam quæ in mundio Palatii eſſe noſcuntur, (5) quam quæ in mundio Epiſcopi ſui, ſeu reliquorum hominum, diſtringat unuſquiſque in cujus mundio ſunt, ut regulariter vivant. III. 1. 19.

IV. Similiter in Xenodochiis, cujuslibet ſint,

---

(1) Tale eſt exordium Legum Pippini Regis Italiæ in Codice Eſtenſi. Ubi animadverte hic quoque ſatis prodi, ejuſmodi Leges pro more temporum illorum non fuiſſe promulgatas niſi accedente conſilio & conſenſu Procerum Italicorum in generali totius regni conventu. In editionibus Boherii, & Lindenbrogii non ſemel inſcriptus legitur in titulis Legum *Imperator Pippinus*. Perperam ſane; fuit enim is tantummodo Italiæ Rex.

(2) Hoc eſt, Parochiales. *Oracula* vero, ſive *Oratoria*, Ædes ſacræ, jure parochiali carentes, quas plerumque in fundo ſuo Magnates exſtruere conſueverunt. Cod. Eſten. habet: *reſtauraverint, mox iterum reſtaurare debeant*. Infra: *& tam Cortis Regia, quam Langobardus, talem inibi habeant dominationem, qualem* &c. Scilicet Baſilicæ multæ atque Oratoria ita olim ſpectabant ad patronos, ut donare, permutare, aliosque dominationis actus ibi exercere poſſent, ut ex innumeris chartis patet, quarum aliquando non exiguam ſegetem dabo.

(3) Cod. Eſten. habet: *Canonico vivendo ordine*. Infra repetitur, *Canonico ordine*: quibus verbis præcipitur, ſiquidem recte conjicio, cogendos eſſe ab Epiſcopis Sacerdotes & Clericos ad communem vitam ac habitationem: qui laudabilis mos jam in Eccleſiam Dei invectus fuerat, & in dies invaleſcebat. Hinc autem *Canonicorum* Collegia originem cœpere.

(4) Non erat Pippini, Principis ſæcularis, anathematis pœnam indicere: ideoque verba hic abſona ac tollenda quiſque fateatur. Et re vera abſunt ab Editione Baluzii Tom. I. pag. 546. & a Codicibus Eſten. & Ambroſ. ubi legitur: *diſtringere voluerit* (& nequaquam *noluerit*, ut edita habent), *& ſi illi ſæcularem* &c.

(5) Cod. Eſten. *Palatii eſſe noſcuntur, vel etiam in mundio Epiſcopali, ſeu & de reliquis hominibus eſſe inveniantur, diſtringantur ab eo, in cujus* &c. Hic *diſtringere* eſt *emendare*, continere in diſciplina, & jus ibi poteſtatis exercere ad coercendos ac puniendos ſontes, ut Regulam, quam profitentur, intactam ſervent.

ſint, fratres (1) in omnibus paſcantur, juxta poſſibilitatem illorum locorum. III. 1. 20.

V. Ut de reſtauratione eccleſiæ, vel ponte (2) faciendo, aut ſtrata reſtauranda, omnia generaliter faciant homines, ſicut antiqua fuit conſuetudo, & non anteponatur immunitas, nec pro hac re ulla occaſio perveniat. III. 1. 21.

VI. Ut viduæ, & orphani, tutores habeant juxta illorum leges, qui illos defendant, & adjuvent, ut per malorum hominum oppreſſionem, juſtitias ſuas non perdant. Et ſi tutor illorum aliquis eſſe noluerit, Judex prævideat (3) Domini timentem hominem, juxta ut lex illorum eſt, qui pro noſtra præceptione illorum cauſſam peragere debeat. II. 48. 1.

VII. Ut qui ſe reclamaverit ſuper Pontificem, quod juſtitiam habeat ad inquirendum, dirigat illum Comes, aut per Miſſum ſuum, aut per epiſtolam ſuam, ad ipſum Pontificem. Et ſi Epiſcopus ipſe Francus, aut Longobardus, diſtulerit ad juſtitiam faciendam, tunc juxta ut ipſi Epiſcopi elegerint (4), ubi conſuetudo fuerit pignorandi a longo tempore, ut in antea in eo modo ſint (5), pro juſtitia facienda. Et hoc ſtatuimus, ut ubicumque Epiſcopi ſubſtantiam habuerint, Advocatum habeant in ipſo Comitatu, qui abſque tarditate juſtitiam faciat, & ſuſcipiat. Et talis ſit ipſe Advocatus, liber homo, bonæ opinionis, Laicus, aut Clericus (6), qui ſacramentum pro cauſſa eccleſiæ, quam peregerit, deducere poſſit, juxta qualitatem ſubſtantiæ, ſicut lex eorum habet, III. 32. 1.

VIII. De univerſali quidem populo, qui ubicunque juſtitiam quæſierint, ſuſcipiat tam a Comitibus ſuis, quam etiam a Gaſtaldiis, ſeu Sculdaſiis (7), vel loci Præpoſitis, juxta ipſorum legem, abſque tarditate. Et ſi Comites Franci diſtulerint ad juſtitiam faciendam, & probatum fuerit, juxta ut eorum fuerit electio (8), ita pœnæ ſubjaceant: & de illorum honore ita fiat, ſicut eſt conſuetudo Francorum. Et de Longobardis Comitibus, qui ex ipſis neglectum poſuerit (9) ad juſtitiam faciendam, ſicut illorum lex eſt, ita componat. Et ſi forſitan attenderit ad gaſindium, vel ad parentem, aut ad amicum ſuum, ſeu ad præmium, & legem non judicaverit, & probatum fuerit, widrigilt ſuum componat, & honorem ſuum amittat, ſicut ipſorum lex eſt. Et ſi Gaſtaldius, aut Sculdais, vel loci Præpoſitus, de qualibet Judiciaria, tam ad ſuos pagenſes, quam ad alios, qui juſtitiam quæſierint, non fecerint, ſicut lex ipſorum eſt, componat. Et ſi forſitan Francus,

---

(1) *Fratres*, id eſt, pauperes, *in omnibus paſcantur*.

(2) Cod. Eſten. *vel pontes faciendo*. Infra: *& non anteponatur emunitas*. Hoc eſt, nemo a publico hoc onere immunem ſe putet. *Occaſio*, quæ hic memoratur, infra recurret in Lege XXXVII. Ludovici Pii. Significat, quod nos generali appellatione dicimus *Aggravio*, *contribuzione ſtraordinaria*, *o indebita*, *mangiamento*, & his ſimilia. Cod. Eſten. habet: *occaſio veniat*.

(3) Accipe nunc ſequentia ex Cod. Eſten. ampliora, quam apud ipſum Baluzium, quibus etiam emendetur Editio Goldaſti & aliorum: *provideat Deum timentem hominem, juxta ut Lex ipſorum eſt, qui per noſtram præceptionem illorum cauſas peragere debeat. Ita tamen ut legitimus propinquus infantum, qui juſte tutor ac defenſor eorum eſſe videatur, pro ipſis rationem aliquando compellatur reddere.*

(4) Obſcurus locus, & majoribus tenebris in Eſten. Cod. obſitus, ubi legitur: *tunc juxta aut ipſi Epiſcopi elegerint, ubi conſuetudo fuit* &c. Baluzius Tom. I. pag. 548. ita legit: *tunc juxta ut Epiſcopi elegerint ipſi ſibi ubi conſuetudo fuerit* &c. Vide in ſequenti Lege eamdem phraſim, *juxta ut eorum fuerit electio*.

(5) Cod. Eſten. habet: *ut antea in eo modo ſit*. Baluzius vero legit: *ut in antea in eo modo ſit*. Sequitur Cod. Eſten. *per ipſam juſtitiam faciendam*. Num *faciendam?* Hoc eſt, tunc uti antea, ita & in poſterum fiat, & pignora per Comites auferantur, ut juſtitiam unuſquiſque conſequatur. Sequitur idem Cod. Eſten. *Et hoc conſtituimus, ut ubicumque Pontifex ſubſtantiam habuerit, Advocatum habeat in eo Comitatu*. Ergo non unus, ſed plures Advocati Epiſcopis conceſſi ſunt, nempe unus pro ſingulis Comitatibus, ubi agros eorum Eccleſia poſſidebat.

(6) Ita quoque præfert Editio Baluziana Tom. I. pag. 548. At mirandum eſt, quod Baluzius vir emunctæ naris minime animadvertit grave mendum hic latere, quod emendandum ope Codicis Eſten. ubi legitur: *Laicus autem, non Clericus*. Nimirum Clericis forum tenere, litibus vacare, jusjurandum interponere, aliaque ejuſmodi agere interdictum erat. Quare iis conceſſum, ut Laicos ſibi Advocatos adſciſcerent; ſive, ut rectius loquar, a Rege impetrarent, quorum munus foret, in placitis ac judiciis Eccleſiarum jura & bona, dato etiam jurejurando, tueri. Ad hæc pugna interdum offerenda aut ſuſcipienda erat litigantibus: armis etiam quandoque opus fuit ad repellendam vim inlatam prædiis aut Caſtellis Eccleſiarum. Hinc delecti Laici ex neceſſitate, non autem Clerici, ad munus *Advocatiæ*. Multa huc aggerere poſſem, ſed Notarum modus vetat.

(7) Cod. Eſten. *ſeu a Sculdais*. Infra: *Et ſi Comes Franciſcus diſtulerit juſtitiam faciendam*. Apud veteres *Franciſcus* pro *Francus* & *Francicus* non raro occurrit. Uſi autem ſunt & primi Italicæ linguæ Scriptores Tuſci Dantes, Johannes Villanus, Boccacius, & alii, Populum illum *Franceſco* appellantes, qui nunc nobis eſt *Franceſe*.

(8) Cod. Eſten. *juxta ut eorum fuit electio*. Baluziana Editio cum editis conſentit. In ſuperiori autem Lege vidimus: *juxta ut ipſi Epiſcopi elegerint*. Mihi ſuſpectæ hæ voces *elegerint*, & *electio*: nam quis ſenſus hoc in loco? Vide num *deliquerint*, & *delictio* (quod barbare interdum dictum eſt) hic ſcribendum: an *neglexerint*, & *neglectio*; an potius, *juxta ut eorum fuerit Lex* (quod in Lege ſequenti occurrit), & pari modo de altero loco.

(9) In Eſten. Cod. *ſi quis ex ipſis neglectum poſuerint*. Infra: *ad gaſindium*, hoc eſt, ad familiarem ſive domeſticum ſuum.

cus, aut Longobardus, habens beneficium, justitiam facere noluerit, ille Judex, in cujus ministerio fuerit, contradicat illi beneficium suum, interim dum ipse, aut Missus ejus, justitiam faciat (1). II. 52. 14.

IX. Ut judex unusquisque faciat jurare (2) ad Dei judicia per civitates homines credentes, juxta quantos præviderit, seu foras per Curtes, vel vicos, ubi manent; ut cui ex ipsis cognitum fuerit, homicidia, furta, adulteria, & de illicitis conjunctionibus, ut nemo ex eis eas concelet. Et hoc damus in mandatis, ut si quis venerit justitiam reclamare super quempiam hominem, dicendo de homicidio, furto, aut præda; & ille super quem dixerit, denegare voluerit, tunc ille qui reclamat, si potuerit, approbet illud, & si forsitan non potuerit approbare, & ipse super quem dixerit, negaverit, quod ipsum malum nec ipse, nec homines ipsius perpetrassent, & posuerit excusationem, & dixerit: *Nomina mihi meos homines, qui tibi istud malum fecerint, ego tibi* (3) *de illis justitiam faciam:* & ille incognitus, qui reclamat, nomina illorum hominum nescit, nec approbare potest, & ipsi qui exinde veritatem sciunt, denegare voluerint, & ille qui reclamat, dixerit, quia illi homines veritatem sciverint: tunc ipse Judex, qui in ipso loco est, faciat jurare homines, quilibet fuerint, Franci aut Longobardi, quos ipse nominative dixerit, ut dicant veritatem. Et si credentes homines fuerint, in manu Comitis sui dextram dent: & si latrocinia, vel furta, aut præda, inventa fuerint, emendentur, ita ut eorum lex est, cui ipsum malum perpetratum fuerat (4). Tamen Judex de loco, unde fuerit, de latronibus & furibus studium ponat, ut iste post, hic habitans, aut veniens, in pace vivere valeat. II. 52. 15.

X. De servis & ancillis fugacibus, unusquisque Judex studium ponat ad perquirendum, juxta ut Edictum continet. Et hoc damus in mandatis, ut tam in Austria, quam in Neustria (5), quamque in Æmilia (6) & Tuscia, & littore maris (7) per omnia loca perquirantur suprascripti fugaces: & apud locum jurent (8) Sculdasii, Decani, Saltarii, vel loco positi, ut nullus eos celet, & ubicumque inventi fuerint, una cum Misso Comitis de ipso loco ad nos perducantur, ita ut jurare valeant, quod neminem celassent. I. 25. 73.

XI. De advenis & peregrinis, qui in Dei servitio vel Romam, vel ad alia loca, festinant ad Sanctorum corpora, ut salvi vadant & revertantur, sub nostra defensione. Et qui ex ipsis (9) peregrinis ausus fuerit occidere, LX. solid. in sacro Palatio nostro componat: & insuper compositio ipsa fiat de ipso homicidio, cui legibus leudum (10) ipsum pertinuit. Et hoc damus in mandatis

---

(1) Ita hæc exhibet Esten. Cod. *interim quo ad ipse justitiam faciat, aut Missus ejus aliquando*. Tum Glossa adnectitur: *Nam hic de beneficio, non de proprietate:* scilicet agitur de eo, quod nunc Feudum appellamus, non autem de Allodio.

(2) Cod. Esten. & Ambros. *per Civitatem faciat jurare ad Dei judicia homines credentes*, id est, fide dignos. Infra in Ms. nostro corrupte legitur: *ubi mansuros*. Infra idem Cod. *& aliquid de illicitis conjunctionibus, ut nemo ex eis ea concelet. Sed & hoc damus in mandatis, ut si quis venerit ad justitiam requirendam reclamare super quempiam hominem, dicendo de &c.*

(3) Cod. Esten. *Ego tibi de illis justitiam faciam: & ille, qui incognitis reclamat, & nomina de illis hominibus nescit* &c. Infra: *tunc Judex, qui in loco ipso est, faciat jurare homines illos, quilibet sint*, &c. Infra: *ut dicant exinde veritatem*. Infra: *dextras dent;* hoc est sua manu contingentes Comitis manum, jurent se veritatem edicere.

(4) Cod. Esten. *juxta ut ejus Lex est, cui malum ipsum perpetratum fuerit*. Infra: *de latrone, aut furone studium ponat, ut Populus iste hic habitans, aut veniens, in pace vivere valeat*.

(5) Cod. Esten. *tam in Austria, & Neustria*. Baluzius Tom. I. Capitular. pag. 543. legit: *tam in Austria, quam in Istria;* sed patenti sphalmate. *Neustria* enim cum *Austria* conjungitur in aliis Langobardicis Legibus. *Austriæ* autem vocabulo Ducatus Forojuliensis, sive pars orientalis Italici Regni designabatur: *Neustriæ* vero occidentalis pars, quæ ad montes Galliæ conterminos protenditur.

(6) Hinc notandum saltem Æmiliæ partem aliquam Caroli Magni & Pippini ejus filii ævo in Italico Regno contineri, ut etiam videre est ad Leges Lotharii I. Augusti nunc primum a me edendas.

(7) Cod. Esten. *seu litore maris*. Hoc est, per oram Ligustici maris, quæ a Galliæ finibus protenditur usque ad fines Tusciæ, & fere tota nunc subest Genuensis Reipublicæ imperio. *Litus Italicum* appellatur in Constitutione Ludovici II. Imperatoris apud Camillum Peregrinium Tom. II. pag. 265. Rer. Italicar. Sigonius noster hujus vocabuli significationem minime assequutus Lib. IV. de Regno Ital. rem turbavit. Adferens enim hanc eamdem Legem ad Annum 781. per illam decretum esse ait, ut *servi & ancillæ fugientes per omnia maris litora perquirantur*.

(8) Baluzius legit: *& apud locum conveniant;* idque corrupte; *jurent* enim retinendum. Inde vero librariis error natus, quod, ut Codex Estensis prodit, scriptum fuerit: *& apud locum conjurent Sculdai; Decani, Saltarii, vel locis positi, ut nullus eos concelet, & ubicumque* &c. Pro *conjurent*. id est, simul jurent, amanuenses posuere *conveniant*.

(9) In Cod. Esten. *Et si quis aliquem, præter Langobardum, & Romanum liberum, ex ipsis* &c. Glossam puto, quæ textus locum occuparit. Hoc autem adnotatum, quia longe major pœna indicta fuerat contra homicidas Italicæ gentis.

(10) Hoc est, mulcta pecuniaria debita consanguineis, aut Mundualdis personæ occisæ. Infra Cod. Esten. legit: *Episcopis, Abbatibus, Comitibus, seu Actionariis nostris;* hoc est, qui negotia nostra agunt. Nunc *Agenti* appellantur id genus homines. Infra idem Cod. *& per præceptionem Domni, & Genitoris mei Caroli Re-*

ris cunctis Episcopis, Abbatibus, seu Actionariis nostris, ut hæc omnis supra scripta justitia de præsenti absque ulla tarditate adimpleta fieri debeat: ut qui in tantos annos justitiam habere non potuerit, vel modo per Dei omnipotentis misericordiam, & præceptum Domini, & genitoris Karoli, Regis Francorum & Longobardorum, ac Patricii Romanorum, simul & per nostram præceptionem, unusquisque justitiam suam accipiat. I. *9*. 28.

XII. (1) Placuit atque convenit nobis, ut omnes justitiæ pleniter factæ esse debeant infra regnum nostrum, absque ulla dilatione, tam de ecclesiis, de (2) Xenodochiis, seu pauperibus, & viduis, & orphanis, atque de reliquis hominibus, secundum jussionem Domni Karoli Regis. II. 52. *16*.

XIII. Homo denarialis (3) non habeat hæreditatem in sua generatione, antequam usque (4) in tertiam generationem perveniat. Et homo chartularius similiter. II. 34. 11.

XIV. Instituimus, ut sicut Domnus Karolus Rex commendavit (5) de illis Monachis, qui de Francia vel de aliis locis venerint, & eorum Monasteria dimiserint, ut præsentialiter in illis partibus revertantur ad Monasteria: & nemo ex vobis ipsos secum detineat. III. 1. 22.

XV. De Presbyteris, qui de aliis locis vel provinciis veniunt (*6*), ut nullus eos debeat recipere, sine dimissoria Episcopi sui, de cujus Parochia sunt. III. 1. 23.

XVI. De Episcopis, & Abbatibus, Comitibus, seu Vassis dominicis, vel reliquis hominibus, qui ad Palatium veniunt, vel inde vadunt, vel ubicunque pergunt per regnum nostrum, ut non præsumant ipsi, aut homines illorum, alicui homini suam caussam tollere (7), vel suum laboratum: in tantum si non comparaverit, aut ipse homo sua spontanea voluntate eis non dederit. Et quando hybernum tempus fuerit, nullus audeat mansionem vetare ad ipsos iterantes; in tantum, quod ipsi iterantes injuste nullas caussas tollant (8). Et si aliquis hoc præsumserit facere, tam seniores, quam vassalli nostri (*9*), & ipse homo ibidem ad eos proclamaverit, tunc volumus, ut præsentialiter ipse, qui hoc fecerit, hoc quod ad ipsum hominem tulerit, secundum suam legem emendet. Et si evenerit, quod ei ipsa caussa ibidem secundum legem præsentialiter emendata non fuerit, & ad Palatium exinde proclamatio evenerit, tunc volumus, ut ipse, qui hoc malum fecerit, contra ipsum hominem, qui proclamaverit, secundum suam legem emendet, & insuper ad Palatium nostrum bannum componat, ex eo quod bannum nostrum frangere ausus fuerit. III. 4. 5.

XVII. Stetit nobis de omnibus libellariis, (10) ut nullus Comes, nec Juniores eorum, am-

Regis Francorum, & Langobardorum, ac Patricii Romanorum. Ergo ante Annum 800. promulgata fuit Lex ista, nimirum antea quam gloriosissimus ille Rex Romanorum Imperator renunciatus fuerit. Baluzius legit, *Genitoris nostri*, & quidem rectius.

(1) In Cod. Cathedr. Mutin. hic titulus præfigitur: *Incipit Capitulare, quod Pippinus Rex instituit cum suis Judicibus in Papia. Placuit nobis* &c.

(2) Cod. Esten. *quamque de Xenodochiis*. Cod. Cathedr. Mutin. *quamque de Exenodochiis*. Infra idem Cod. Cathedr. *Domni nostri Caroli Regis*. Codex autem Esten. habet: *ut Domnus Karolus præcepit*. Hæc etiam dignoscuntur constituta ante Annum Christi DCCC.

(3) Ita quoque Codices Mutinen. & Baluzius. In Editione Boheriana legitur: *Homo donarialis*, nempe, ut ibi explicatur, *qui factus est liber per manum Regis cum donario*. At in hac etiam Glossa legerem: *cum denario*; & retinenda est prima lectio: is enim *denarialis homo* dicebatur, qui manumissus erat a Rege, aut a Magnate aliquo, jactato de manu ejus *denario*. Vide Marculfum in Formulis, & DuCangium in Glossar. Latin. ubi *Manumissio per denarium*.

(4) Cod. Esten. *non antea hæreditare suam agnationem poterit, quam usque in* &c. Baluzius vero Tom. I. pag. 541. *non ante hæreditare in sua agnatione poterit, quousque* &c. Appellatur infra *Homo Chartularius*, qui per chartam libertatis manumissus fuerat: quæ alia fuit manumissionis forma.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *sicut Domnus Rex Carolus demandavit*. Baluzius: *sicut Domnus noster Rex Karolus*. Infra Cod. Esten. *vel aliis locis venerant*. Baluzius habet: *vel aliunde venerunt*. Infra Cod. Cathedr. *ut in præsenti illis partibus* &c.

(6) Cod. Esten. *qui de aliis Provinciis venerunt*. Cod. Cathedr. Mutin. *qui de alia Provincia veniunt*. Ita quoque Baluzius Tom. I. pag. 535. qui infra legit: *sine dimissoria Episcopi sui*; & nihil aliud habet.

(7) Ita quoque in Mss. Mutinen. Vide sequentem Adnotationem. Sequitur Cod. Cathedr. Mutin. *nec sua laborata, in tantum si non comparaverint*. Baluzius quoque legit: *non comparaverint*; atque ita scribendum. Infra Cod. Mutinen. ambo: *aut ipse homo per suam spontaneam voluntatem eis* &c.

(8) In Cod. Esten. *in tantum quod ipsi injuste nullam causam tollant*. In Cod. quoque Cathedr. Mutin. constanter occurrit *causa*, uti & apud Baluzium. Supra quoque legitur, *suam causam tollere*. Quisquam vero suspicetur, *casam* potius hic esse legendum. Verum nulla correctione est opus. Siquidem veteres inferioris ævi *causas* dixerunt pro *rebus*: unde Italica vox *Cosa*. Menagius in Origin. Italic. dimissis Scriptoribus sæculorum rudium, laudat antiquos Latinos, quasi & ipsi *causam* pro *re* dixerint. An merito, ipse viderit.

(9) In utroque Cod. Mutin. *quamque & Vassalli, & ipse* &c. Respondet vox *Vassalli Senioribus*, quo nomine significabantur Domini recti alicujus rei in beneficium concessæ: unde nata Italica vox, *Signore*, a Francis quoque & Hispanis usurpata. Infra: *quod ad ipsum hominem tulerit*. Ita & in Mss. Mutin. Phrasis Italica, *che avrà tolto a quell' uomo*. Infra Cod. Esten. *ei secundum legem emendet*. Infra Cod. Cathedr. Mutinen. *pervenerit proclamatio*. In fine uterque Cod. Mutin. *ad Palatium bannum nostrum componat, pro eo quod super nostrum bannum hoc facere ausus fuerit*.

(10) Cod. Esten. & Baluziana Editio: *de hominibus Libellariis*. Infra: *eos amplius non distringant*. Ergo & *Junioribus* hic nominatis aliqua

amplius (1) diſtringant, nec inquietent, niſi ſicut a longo tempore fuit conſuetudo. III. 5. 2.

XVIII. Placuit nobis de eccleſiis baptiſmalibus, ut in omnibus ita debeant eſſe ordinatæ & conſervatæ, ut Domnus Karolus (2) Rex commendavit, & in ſuo Capitulari continetur. III. 1. 24.

XIX. Et hoc conſtituimus (3), ut immunitates, quæ ſunt jam a dicto patre noſtro confirmatæ, ut in omnibus conſervatæ eſſe debeant, ſicut juſſio ipſius Domni Karoli Regis eſt. III. 1. 25.

XX. Conſideravimus, ut viæ, & portus, & pontes, infra regnum noſtrum in omnibus pleniter emendatæ eſſe debeant, (4) per illa loca, ubi jam antea fuit conſuetudo. Nam per alia loca ſuper ipſa flumina nullatenus pontes eſſe debeant. III. 1. 26.

XXI. Sterit nobis, ut Miſſos noſtros, unum Monachum, & alium Capellanum, direxiſſemus infra regnum noſtrum, providendo (5) & inquirendo per monaſteria virorum ac puellarum, quæ ſub ſancta Regula vivere debent, quomodo eſt eorum habitatio, aut qualiter eſt vita eorum, aut converſatio eorum, & quomodo unumquodque monaſterium debeat habere, unde vivere poſſit. III. 1. 27.

XXII. Placuit nobis, ut nullus Comes, nec eorum Juniores, nullatenus præſumant alicui homini ſua teſtimonia tollere aut extrahere (6), ſed permittant ei habere ſua teſtimonia, quæ conquirere aut rogare potuerit. Et ſi aliquis contra hoc facere præſumſerit, noſtra eſt voluntas, ut ipſe veniat in noſtram præſentiam, & ibidem inde accipiat talem ſententiam, quomodo noſtra voluntas fuerit ad judicandum. II. 51. 9.

XXIII. Sterit nobis de illis hominibus liberis Longobardis, ut licentiam habeant commendandi (7), ubi voluerint, ſicut antea in tempore Longobardorum conſuetudo fuit. In tantum ut ſuo Comiti faciant rationabiliter, quod debent. III. 9. 1.

XXIV. Ut nullus alteri præſumat res ſuas, aut alienam cauſſam (8) ſine judicio legali tollere aut invadere: & qui hoc facere præſumſerit, ad partem noſtram exinde bannum componat. I. 27. 10.

XXV. Ut quicunque Xenodochia habent, ſi ita pauperes paſcere voluerint, & conſilium facere, quomodo ab antea fuerit (9), habeant ipſa Xenodochia, & regant ordinaliter: & ſi hoc facere noluerint, ipſa dimittant: & per talem hominem inantea ſint gubernata, cum conſilio Epiſcopi, qualiter Deo & nobis exinde placet. III. 1. 28.

XXVI. De eccleſiis baptiſmalibus, ut nullatenus laici homines eas tenere debeant, ſed per ſacerdotes fiant, ſicut ordo eſt (10), gu-

---

qua jurifdictio fuiſſe videtur, atque adeo cenſendi ii fuiſſe Miniſteriales, ſeu Judices ſub ipſo Comite poſiti. Attamen ſuſpicari jure quis poſſit, *diſtringere* hic tantummodo ſumi pro *angariare*, ſive injuſtis oneribus gravare. Vide ſupra Cap. CXXI. Caroli M.

(1) In Cod. Eſten. *eos amplius diſtringat*. Apud Baluzium: *non diſtringant*. Infra idem Cod. *niſi ſicut in tempore Langobardorum fuit conſuetudo*. Cod. Cathedr. Mutin. eadem habet. Ambroſ. autem: *niſi ſicut a tempore* &c.

(2) Cod. Eſten. *quomodo Domnus Karolus*. Codex vero Cathedr. Mutin. *quomodo Domnus Rex Carolus demandavit*.

(3) Ita hæc in Cod. Eſten. *Et hoc inſtituimus, ut emunitates, quæ ſunt a jam dicto noſtro Patre firmatæ, in omnibus* &c. Cod. vero Cathedr. Mutin. *ut emunitates a jam dicto Domno noſtro firmæ, & in omnibus* &c.

(4) Codex Cathedr. Mutin. *ut vias, portas, vel pontes* &c. *emendatas eſſe debeant*. Baluzius pag. 537. Tom. I. ita legit, niſi quod *porturas* pro *portas* habet. *Portura* autem ſecunda vocali brevi, ſeu ut ſcribere ſolebant, *Portora*, idem eſt ac *portus*, ſive publicæ naves inſtitutæ ad tranſvehendos viatores ultra flumina. Vide infra Legem XLI. ipſius Pippini. Infra Cod. Eſten. *nullatenus portus eſſe debeant*: pro quo Editio Baluziana *porturas*, & Cod. Cathedr. Mutin. *portas*, corrupte pro *porturas*.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *dreximus infra Regnum noſtrum providendum, vel inquirendum*. Codex Eſten. *pro videndo, & inquirendo*. Infra Cod. Cathedr. *aut qualis eſt vita, vel converſatio illorum* (ſequitur Cod. Eſten.) *& quomodo unumquodque Monaſterium de rebus habere videtur, unde vivere poſſint*. Ita quoque Cod. Cathedr.

(6) In utroque Cod. Mutin. *aut abſtrahere, qui ea poteſt conquirere, atque rogare*.

(7) Codices Mutin. & Baluziana Editio: *ſe commendandi* (ſequitur Cod. Cathedr. Mutinen.) *ubi voluerint, ſi commendatus non eſt, ſicut & tempore Langobardorum fecerunt*. Infra Cod. Eſten. *faciant rationabilia, quæ debent*. Se alicui *commendare* erat beneficium, hoc eſt Feudum, ab aliquo recipere, & concedenti tamquam Seniori ſacramentum fidelitatis præſtare. Hoc tamen permittitur, intactis juribus Comitis, & dummodo a publicis oneribus nemo ſe propterea immunem reputet.

(8) Cod. Eſten. & Baluzius pag. 543. habent: *aut alias cauſas*: quod idem eſt, ac *res*, ut ſupra monui num. 29. & ad Legem IX. Rachiſii. Hic tamen *res* bona immobilia ſignificare videtur. In fine idem Cod. *bannum noſtrum componat*.

(9) Cod. Eſten. & Baluzius pag. 537. *quomodo ab antea fuit*. Infra, *cum conſilio Epiſcopi*, non legitur in Editione Baluzii Tom. I. pag. 537. Cod. Eſten. habet: *cum conſilio Epiſcopi proprii, qualiter eo & nobis exinde placeat*. Atque hæc eadem Lex in Cod. Cathedr. Mutin. occurrit, Carolo Magno attributa, iiſque concepta verbis, quibus legitur apud eumdem Baluzium pag. 257. Tom. I. niſi quod in eodem Codice non legitur, *cum conſilio Epiſcopi*.

(10) Ita quoque in Cod. Eſten. Baluzius pag. 538. legit: *fiant ordinatæ, & gubernatæ. Et neque pagenſes* &c. Codex vero Eſten. *Neque illic pagenſes*. Sequitur in Cod. Ambroſ. *licentiam habeant de hoc, quod ibidem facere debent, ſe ſubtrahere. Et illi &c.* Rurſus autem Lex iſta Carolum Magnum auctorem habet in Cod. Cathedr. Mutin. ac iis verbis effertur, quibus apud eumdem Baluzium Tom. I. pag. 258. niſi quod idem Cod. habet: *ſed per Sacerdotem hominem*.

gubernatæ. Neque illi pagenſes negligentiam habeant de hoc, quod ibidem facere debent: & illi ſacerdotes eas ſic regant, quomodo ordo canonicus expoſcit. III. 1. 29.

XXVII. De Advocatis (1) ſacerdotum volumus, ut pro eccleſiaſtico honore, & pro illorum reverentia, Advocatos habeant. II. 47. 3.

XXVIII. De diverſis generationibus hominum, quæ in Italia commanent, volumus, ut ubicumque culpa contigerit, unde fayda creſcere poterit, pro ſatisfactione hominis illius, contra quem culpaverit, ſecundum legem ipſius, cui negligentiam commiſerit, emendet (2). II. 56. 2.

XXIX. De ſtatu vero ingenuitatis, aut de aliis querelis, unuſquiſque ſecundum ſuam legem ſemetipſum defendat (3). II. 56. 2.

XXX. De compoſitionibus quæ ad Palatium noſtrum pertinent, ſi Comes ipſas cauſſas commoverit ad requirendum, ille tertiam partem ad ejus recipiat opus (4), duas vero ad Palatium: & ſi per ejus negligentiam remanſerint, & Miſſus dominicus ipſas cauſſas requirat; tunc volumus, ut ille Comes illam tertiam partem non habeat, ſed cum integritate ad Palatium perveniat. I. 2. 10.

XXXI. De Monaſteriis & Xenodochiis, quæ per diverſos Comitatus (5) eſſe videntur, & Regalia ſunt: ut quicumque ea habere voluerint, per beneficium Domni Regis habeant. III. 1. 30.

XXXII. De rebus forfactis (6), quæ per diverſos Comitatus ſunt, volumus ut ad Palatium pertineant, tranſacto anno & die. III. 33. 1.

XXXIII. (7) Si cujuſcumque res in eleemoſyna datæ ſunt, & ipſe homo mortuus fuerit, antequam eas diſpenſet, tunc dominicus Miſſus una cum Epiſcopo Parochiæ ipſius conſideret, qualiter pro mercede Domini Regis eleemoſyna fiat facta, & infra xxx. noctes adimpleta eſſe debeat. II. 18. 6.

XXXIV. De filia, cujus pater per manum erogatoris (8) omnes ſervos ſuos juſſit fieri libertos, quia contra legem eſſe videtur, ſtatuimus, ut filia ipſa in tertiam portionem de præfatis rebus iterum introire poſſit. II. 20. 5.

XXXV. Placuit nobis inſerere, ubi lex deeſt, (9) præcellat conſuetudo; & nulla conſuetudo ſuperponatur legi. II. 41. 6.

XXXVI. Placuit nobis etiam, ut ſicut quæque femina poteſtatem habet cum licentia (10) viri ſui res ſuas vendere, ita habeat poteſtatem donare. II. 10. 3.

XXXVII. De mancipiis Palatii noſtri, & eccleſiarum noſtrarum, nolumus mundium recipere, ſed noſtra mancipia habere (11). II. 12. 11.

XXXVIII. Placuit nobis, ut ullos (12) liberos homines Comites noſtri ad eorum opus

(1) Et iſta ad Carolum Magnum ſpectat in Cod. Cathedr. Mutin. Sunt autem plures Leges, quæ Sacerdotibus *Advocatorum* uſum concedunt, ut a ſæcularis Curiæ ſtrepitu abeſſent, ac jusjurandum præbere, aut pugnam ſuſcipere non cogerentur. Vide ſupra Legem VII.

(2) Cod. Eſten. *contra quem culpaverint* &c. *cui negligentiam ipſius commiſerint, emendent*.

(3) In Cod. Eſten. ſubjungitur Gloſſa: *Hac ſententia ſentitur, quod actio debet eſſe ſecundum Legem appellati*. Hæc etiam, uti & ſuperior, in Cod. Cathedr. Mutin. Carolo Magno tribuitur.

(4) Cod. Eſten. *ſi Comites ipſas cauſas commoverint ad requirendum, illi tertiam partem ad eorum percipiant opus*. Ita quoque apud Baluzium pag. 538. niſi quod ille habet, *Comes commoverit*, cum ſequentibus minime concordans. Infra idem Cod. *& Miſſus dominicus ipſas cauſas cœpit requirere, tunc* &c. Ita quoque in Cod. Cath. Mutin. ubi hæc non Pippinum, ſed Carolum M. auctorem habet.

(5) Non aliter Cod. Eſtenſ. Fuerit Typographi ſphalma apud Baluzium Tom. I. pag. 538. *per diverſos Comites*. Iſta quoque Lex Carolo Magno tribuitur in Cod. Cathed. Mutin.

(6) Id eſt, ut explicat Boherius in nota marginali editionis ſuæ, *de rebus in bannum miſſis*. Ordericus Vitalis Lib. 13. Eccleſ. Hiſtor. pag. 901. *Henricus Angliæ Rex omnes foriſfacturas reis indulſit*. Eodem ferme ſenſu hæc vox adhibita videtur. Baluzius & hic legit, *per diverſos Comites*: ſed retinendum *Comitatus*. In Cod. Cathedr. Mutin. ubi hæc manaſſe dicitur a Carolo Magno, ſcriptum eſt, *per diverſos Comitatus*, uti & ſupra. In Eſten. Codice, & Ambroſ. non legitur, *tranſacto anno & die*, uti neque in Cod. Cath.

(7) In Cod. Cath. Mutin. hæc Lex ad Carolum Magnum refertur, ibique incipit: *Si cui res*. Infra: *Tunc Miſſus dominicus, una cum Epiſcopo Parrochiæ illas conredet, qualiter in Domni Regis mercedem &c.*

(8) Hoc eſt, exſecutoris teſtamentarii, ſive eleemoſynarii, cujus eſt legata in pias cauſas implere. Infra Codex Eſten. & Ambroſ. habent: *juſſit fieri liberos*. Et infra: *ut ipſa filia in tertiam portionem de præfatis rebus* &c. Baluzius autem pag. 539. pro his poſtremis verbis legit: *de facto ſervi*.

(9) Ita quoque in Cod. Eſten. At in Cod. Cath. Mutin. ubi hæc una cum antecedenti, & cum ſex ſubſequentibus Carolo Magno tribuitur, iſta habentur: *ubicumque lex erit, præcellere conſuetudinem*, hoc eſt, præferendam Legem conſuetudini: in quam ſententiam ſequentia quoque conveniunt.

(10) In utroque Cod. Mutin. hæc ita efferuntur: *ut quæcumque fœmina Langobarda poteſtatem habet per commeatum viri ſui vendere, habeat potes & donare*. Vocem *commiato* ſervat Italica lingua a Latinis deſumtam, ſed ſignificatione tantum facultatis datæ, aut petitæ recedendi ab aliquo munere, aut loco. Hic *licentiam viri ſui* ſignificat.

(11) Cod. Eſten. *mundium non recipere, ſed noſtra mancipia habere volumus*. In Cod. Cathedr. *nolumus mundio recipere, ſed noſtras ipſas mancipias habere*. Supra in Lege CCXVII. Rotharis legitur *pretium pro mundio datum*, hoc eſt, pro jure tutelæ, & *mundium reddere*. Hic *mundium* videtur ſignificare *pretium*. Conſule etiam Rotharis Legem CCXXV.

(12) Cod. Eſten. & Baluzius: *illos liberos*. Placet

opus in servitium non opprimant: & quicumque hoc fecerit, secundum judicium, quod statutum habemus, emendet. III. 12. 2.

XXXIX. Non est nostra voluntas, ut homines Placentini per eorum præceptum de Curte Palatii nostri aldiones (1) recipiant. III. 34. 1.

XL. De fugacibus qui in partibus Beneventi & Spoleti, sive Romaniæ, vel Pentapoli (2) confugium faciunt, ut reddantur, & sint reversi ad propria loca. I. 25. 74.

XLI. Sicut consuetudo fuerit sigilla & epistolas comprehendere (3), & viam vel portus custodire; ita nunc sit factum. III. 5. 3.

XLII. Ut nullus (4) ad mallum, vel ad placitum, infra patriam, arma, id est scutum & lanceam portet. II. 46. 1.

XLIII. Quicunque post missam S. Johannis Baptistæ latroni mansionem dederit, si Francus est, cum XII. similiter (5) Francis juret, quod latronem eum fuisse nesciret; licet pater ejus sit, aut frater, aut propinquus (6). Et si hoc jurare non potuerit, aut ab alio consecutus fuerit, quod latronem in hospitio suscepisset, quasi & latro infidelis judicetur. Quia qui latro est, infidelis est in nostro Regno Francorum, & qui illum susceperit, similis est illi. Si autem audivit, quod latro est (7), & ipse tamen nescit firmiter, aut juret solus, quod numquam audisset, nec per veritatem, nec per mendacium eum latronem esse; aut sit paratus, si ille postea de latrocinio convictus fuerit, ut similiter damnetur. I. 25. 75.

FOR-

---

cet mihi lectio, *ut ullos liberos*. In ceteris concordat Ms. Esten. At Baluzius legit: *ad eorum opus servire non opprimant. Et quicumque hoc fecerint, secundum judicatum habemus emendare*. At hæc quoque emendatione indigere videntur. Quare audi Codicem Cath. Mutin. *ut illos liberos homines Comites nostri ad eorum opus servile non obprimant. Et quicumque hoc fecerit, sicut judicatum habemus, emendet*.

(1) Baluzius pag. 539. *illos Aldiones*. Rectius in Cod. Esten. *ullos Aldiones*. Du-Cangius in Glossario Latino ad vocem *Aldio* adtexit hanc alteram *Illaldiones*, quam in rem adfert *quamdam*, ut ille ait, *Constitutionem* Caroli Magni ab Amerbachio editam his verbis: *Non est nostra voluntas* &c. *de Curte Palatii nostri Illaldiones recipiant*. Deceptus est Vir Clariss. ab Amerbachio. Nihil aliud Lex illa est, quam quæ jamdudum edita fuerat, & quam nos iterum evulgamus. Ibique scribendum *ullos Aldiones*, aut *illos Aldiones*. In Cod. Cath. Mutin. tribuitur Carolo Magno, & his verbis concepta est: *Non est nostra voluntas, ut omnes homines Placentini per eorum præcepta de Curte Palatii nostri illius Aldiones recipiant*. Porro animadvertendum præcedere huic Legi alteram, quæ inter Langobardicas non legitur, nempe: *De rebus quæ Hildegardæ Reginæ traditæ fuerunt, volumus ut fiant descriptæ breves, & ipsi breves ad nos fiant adducti*. Quum ergo subsequatur *illius Aldiones*, Hildegardis Reginæ Aldiones significari videntur.

(2) Cod. Esten. *De fugitivis, qui in partes Beneventi, Spoleti, sive terræ Romaniæ, vel Pontapolis* &c. Hic *Romania* non aliud videtur, quam quæ nunc *Romagna* appellatur. *Sive Romani*, habet Cod. Cath. Mutin.

(3) Cod. Esten. *sigilla & epistolas prehendere*. Cod. Cathedr. Mutin. *sigillum & epistolas prendere, & vias vel portas* &c. At retinenda vox *portus*: quod nomen (usu adhuc servatum apud Lombardos) significabat navigia publico decreto constituta certis locis ad flumina, ut viatores in ulteriorem ripam transmitterent. Vide supra Legem XX. *Portora*, *Rivora*, *Tectora*, & horum similia olim fuere in usu Linguæ nostræ. Non aliud hic significatur *sigillorum* vocabulo, quam Epistolæ ipsæ sigillo munitæ. Occurrit eadem vox sub hac notione apud antiquos, ut multis ostendit Du-Cangius in Glossario. Hic autem agitur de tabellariis publicis ex una ad alteram civitatem litteras deferentibus, quorum usum Pippinus confirmat, atque restaurat. Baluzius legit: *prendere, vel porturas custodire*. *Porturas*, & rectius *Portoras*, penultima brevi, pro *portus* dixere veteres. Atque hinc *Portonarius*, seu *Portunarius*, de quo supra Lex CCLXXI. Rotharis cum duabus subsequentibus.

(4) Supra vidimus inter Caroli Magni Leges Cap. XX. *De armis infra patriam non portandis, id est scutis, & lanceis & loricis*. Mirum id mihi videbatur: bellicoso enim populo, ac inter arma enutrito, molestissimum id fuisset. Nunc subit suspicari, aliquid excidisse ex textu ejusdem Carolinæ Legis, scilicet *ad mallum*, vel *ad placitum*: neque enim aliud hic præstat Pippinus, quam Legem patris renovare. Quum ergo habebantur *Placita*, scilicet judicia ordinaria Comitum, aut *Malli*, sive solemniora judicia Comitum & Populi, iis interesse non licebat cum armis. Æquitati plane ac politico regimini id consonum, nostrisque etiam temporibus, quamquam armis mutatis, observatum. Ita ergo explicandam quoque puto laudatam Caroli M. Legem.

(5) Cod. Esten. & Baluzius pag. 543. habent: *cum XII. similibus Francis*. Si antiquo ac edito Langobardicarum Legum Commentatori credimus, *tempore istius Imperatoris* (scilicet Pippini, qui fuit tantummodo Rex,) *magna hominum multitudo conveniebat in loco Sancti Johannis, & ibi fuit lecta Lex ista, ut omnibus innotesceret*. Hariolatur bonus ille vir. Festo die Sancti Johannis Baptistæ generalia Comitia Regni habere mos fuit Regibus Francis, ut constat ex Capitulari Caroli M. apud Baluzium Tom. I. pag. 394. iis verbis: *VIII. Kal. Julias, id est Missa Sancti Johannis Baptistæ, ad Mogontiam sive Cabillonem generale placitum nostrum habere volumus*. Cod. Cath. Mutin. ibi legit. *ad Moguntus, sive Caballionem*.

(6) In Cod. Esten. quædam hic adduntur, quæ ne apud ipsum quidem Baluzium legi, scilicet, *aut propinquus. Similiter omnis homo purificet se secundum suam Legem. Si hoc jurare* &c. Infra idem Codex: *latro & infidelis, Francus quidem tantum, judicetur* (fortassis a Glossatore tria hac verba interjecta sunt) *quia qui latro est, infidelis est noster in Regno nostro, & Francorum: & qui illum suscipit* &c. Edita pridem fuerat hæc eadem Lex ab ipso Carolo, ut constat ex Collect. Capitular. Lib. 3. Cap. 23. Cum ergo hic dicitur, *in Regno nostro*, innuitur Italicum Regnum, ad quod ipsa Lex fuerat translata.

(7) Cod. Esten. *quod latro fuisset, & tamen*. Infra: *quod numquam eum audisset*. Infra pro, *nec per mendacium*, idem Cod. habet, *nec per mandatum*: hoc est, nemo ei per suam epistolam, aut missum significaverat.

FORMULÆ VETERES.

Petre France te appellat Martinus, quod tu dedisti mansionem ad Marchoardum latronem, qui habebat sibi furata tanta mobilia, quæ valebant solidos C. De torto me appellasti. Si dixerit: ego nesciebam, quod fuisset latro, juret. Petre te appellat Martinus, quod tu audivisti, quod Johannes erat latro. Audivi & non scio firmiter. Petre te appellat Martinus, quod ipse appellavit te, quod tu dedisti mansionem ad Marcum latronem, qui habebat sibi furata tanta mobilia, quæ valebant solidos C. & jurasti, quod nesciebas, quod fuisset latro. Et ipse appellavit te, quod tu habebas auditum, quod ipse erat latro. Et dixisti, quod audivisti, & non sapuisti firmiter: & fuisti paratus. Modo habet ipse latro sibi emendatum furtum, & habet oculum perditum. Et lex commendat, quod tu debes similem pœnam sustinere.

XLIV. Ut nullus comparet caballum, bovem, jumentum, vel aliam rem, nisi illum hominem cognoscat, qui ei vendiderit, aut de quo pago est, vel ubi manet, & quis est ejus Senior (1). II. 28. 4.

XLV. Si quis perjurium (2) fecerit, nullam redemtionem ei facere liceat, nisi manum perdat. Et si ille qui prius illud sacramentum jurat, de illo perjurio probatus fuerit, & aliquis de suis juratoribus dixerit, quod nesciens se ibidem perjurasset, aut hoc apud judicium Dei approbet verum esse, aut similiter manum perdat (3). De cujus caussa perjurium fecerit, sicut mos loci illius, ubi perjurium factum est, a longo tempore fuerit, de eorum pretio emendare studeat. II. 58. 3.

XLVI. (4) Sicut consuetudo nostra est, ut Longobardus, aut Romanus, si evenerit, quod caussam inter se habeant, observamus, ut Romani successiones juxta illorum legem habeant: similiter & omnes scriptiones secundum legem suam faciant. Et quando jurant, juxta legem suam jurent, & alii similiter faciant (5). Et quando componunt, juxta legem ipsius, cujus malum fecerint, componant. Et Longobardos illos convenit similiter componere. De ceteris vero caussis communi Lege vivant, quam Dominus Karolus, excellentissimus Rex Francorum atque Longobardorum, in Edictum adjunxit. II. *56.* I.

XLVII. (*6*) Stetit nobis de illis hominibus, qui hic infra Italiam eorum Seniores dimittunt, ut nullus eos recipere debeat in Vassaticum sine commeatu Senioris sui, antequam sciat veraciter, pro qua caussa ipse suum Seniorem dimisit. Et ille homo, qui eum recipere voluerit, & ipsum secum habuerit, debeat eum in nostra præsentia præsentare, aut ipse, aut Missus suus, intra XL. noctes, postquam ipse homo ad eum venerit, si nos infra Italiam sumus. Et si nos infra Italiam non fuerimus, tunc postquam in Dei nomine nos fuerimus reversi, similiter intra XL. noctes eum in nostra præsentia debeat præsentare, sicut supra diximus. Et qui hoc facere contemserit, & ita non compleverit, exinde bannum nostrum ad partem nostram componat.

XLVIII. (7) Placuit nobis de illis feminis, quarum mariti in Francia esse videntur, ut Missi nostri per regnum nostrum hoc debeant inquirere, si eorum justitias sic pleniter habeant, sicut fuit jussio Domni nostri, aut non. Et si sic habuerit, bene. Sin autem, tunc volumus, ut ipsi Missi no-

(1) Cod. Esten. & Baluzius: *& quis est ei Senior*.

(2) Cod. Esten. recte subdit, *sciens*. Infra: *apud judicium Dei*, hoc est pugna, aut experimento crucis, aquæ ferventis, & horum similium, quæ boni illi homines *Judicia Dei* appellabant.

(3) Sequitur in Cod. Esten. *sicut ille fecit, de cujus causa perjurium fecerit. Et si purificatus fuerit, quod nescienter se perjurasset, sicut Lex* &c. Ex his supplenda quoque Editio Baluziana Tom. I. pag. 546. Infra idem Cod. *de suo pretio emendare studeat, id est Widrigild suum componat*.

(4) In editionibus Boherii, Goldasti, & Baluzii Lex ista Carolo Magno tribuitur. Codex vero Estensis eam Pippino tribuit, & postrema verba omnino adscribendam persuadent. Ediderit quidem primum ipse Carolus. Certe qualis hic legitur, Pippini Italiæ Regis nomen præferre debet, ut infra monet *Caroli ipsius* mentio. In eodem Codice Esten. rectius procedit: *Sicut consuetudo nostra est, Romanus, vel Langobardus si evenerit, quod caussam inter se habeant, observamus, ut Romanus Populus successionem eorum juxta suam Legem habeat. Similiter & omnes scriptiones juxta suam* &c. Hoc est, *chartas* suorum contractuum.

(5) In eodem Cod. Esten. legitur: *Et alii homines ad alios similiter*. Infra: *juxta Legem, cui malum fecerint, componat. Et Langobardus illi similiter convenit componere*. In fine: *quam Domnus Karolus* &c. *in Edicto adjunxit*. Hoc est, Legi Langobardorum, quæ *Edictum* appellabatur, adiecit.

(6) Inter editas Langobardicas Leges hæc minime occurrit. Eam exhibet Cod. Cathed. Mutinen. & Baluzius evulgarat Tom. I. pag. 536. Capitular. Nemo autem neget, quin adjungenda sit Langobardicis; concepta enim fuit pro hominibus infra Italiam Seniores dimittentibus. Hæc ita idem Baluzius legit: *Stetit nobis de illos homines, qui hic intra Italia* &c. Infra idem habet: *recipere in Vassalatico sine comiato*, Adhuc in usu est apud nos vox *Commiato*, ut supra innui ad Legem XXXVI. Infra idem Baluzius: *tunc postquam inde nos fuerimus. Inde* corrupte pro *in Dei nomine*. Infra: *& qui super hoc facere contemserit*.

(7) Desideratur & ista in Editis Langobardicis; sed eam complectitur Codex Cathedr. Mutin. & pro Italia promulgatam fuisse, textus ipse evincit. Baluzius, qui ante ediderat Tom. I. pag. 537. legit: *sicut fuerit jussio*. Infra: *Et qui sic habuerit, bene*. Et infra: *ut ipsi Missi nostri compleant, sicut Domnus noster demandavit*.

noſtri cum ipſo Comite emendent, in cujus miniſterio ita compleat, ſicut Domnus noſter demandavit.

XLIX. (1) Neque decennii, neque vicennii, aut XXX. annorum præſcriptio religioſis domibus opponatur; ſed ſola XL. annorum curricula terminentur, non ſolum in ceteris rebus, ſed etiam in legatis, & in hereditatibus.

LUDOVICI PII AUGUSTI LEGES.

LUDOVICUS REX.

„ *Attulit iſta pius Divus nobis Lodoicus.*

Ambroſianus Codex Ms. teſte Cl. Muratorio loco hujus verſus hæc habet rubris characteribus:

In nomine Domini. Lodoicus a Deo coronatus Sereniſſimus Auguſtus, omnibus Abbatibus, Ducibus, Comitibus, & cunctis fidelibus noſtris capitula compoſuit de cauſſis opportunis. Hæc ſunt.

Cap. I.

SI quis in aliena patria, ubi vel propter beneficium, vel propter aliam quamlibet occaſionem converſari ſolet, de qualibet cauſſa fuerit interpellatus (2), ibi ſecundum ſuam legem juſtitiam faciat, & cum talibus, (3) quales in eadem regione vel provincia ſecum habere potuerit, juratoribus legitimum ſacramentum juret. Excepto ſi quis eum de ſtatu ſuo, (4) vel hereditate, quam ei pater ſuus moriens dereliquit, appellaverit: (5) de his duobus liceat ſacramentum in patria ſua, id eſt in legitimo loco, jusjurandum afferre. Et is, qui cum eo litigat, ſequatur illum in patria ſua, ad recipiendum illud ſacramentum. Et ipſe prius in eodem loco, ubi interpellatus eſt, ſatisfaciat tam Comiti & Judicibus, quam ſuo adverſario, teſtes producendo, quod rem quam quærit, pater ſuus ei dereliquit. II. 41. 7.

Formulæ veteres.

PEtre te appellat Martinus, quod tu feciſti injuriam ad Mariam ſuam mundoaldam. Non tibi reſpondeo, quia ego ſum de Roma. Tu ſoles hic converſare propter beneficium. Tunc Comes inquirat, ſi ſolet converſare. Et ſi Comes vel noluerit, vel non potuerit inquirere, tunc appellator probet ſolitum eſſe eum hic converſare & reſpondeat. Petre te appellat Martinus, quod tu es ſuus ſervus, aut tu tenes ſibi malo ordine

(1) Ex Codice Ambroſ. addidi Legem hanc, quam Mutinenſes ignorant, & fortaſſe numquam Pippinum Italiæ Regem auctorem habuit. Eamdem exhibet Collectio Benedicti Levitæ Capitular. Lib. V. Cap. 389. paucis tantum verbis mutatis. Imo ipſam legere eſt apud Julian. Novell. 131. Juſtiniani, & apud Gratian. in Decreto XVI. quæſt. V. C. *Neque decennii.*

Nota, Baluzium Tom. I. Capitular. pag. 539. exhibere novem alias Leges Pippino Italiæ Regi adſcriptas, quæ inter Langobardicas Editas minime habentur. Attamen ne ego quidem eas hic adiungendas putavi, tum quod a Codicibus Mss. Mutinenſibus abſunt, tum etiam quod certum mihi non ſit, an re vera ſint eidem Regi Pippino tribuendæ, atque ad Italicum Regnum ſpectent.

(2) Baluzius Tom. I. pag. 790. hæc addit: *verbi gratia de conquiſitu ſuo, vel de mancipiis ſuis, ibi* &c. Verum neque Codex Eſtenſis hæc habet, eaque propterea Gloſſam puto, textui incaute copulatam.

(3) Addit Cod. Eſten. *excepto in probanda veritate chartulæ falſæ vocatæ, quales* &c. Liceat & hæc in Gloſſarum numero computare. Baluzius legit: *cum talibus conjuratoribus, quales.* Sed infra habetur in Codice noſtro *juratoribus*, adiecto etiam a Gloſſatore, ut puto, *tamen liberis.*

(4) Baluziana Editio addit: *id eſt de libertate ſua, vel de hereditate.* Vide infra Cap. XIX. eamdem loquendi formam. Codex vero Eſten. *de ſtatu ſuo, ita ut Actor aut nolit, aut nequeat probare, vel de hereditate* &c. Hæc Gloſſator quiſquam addiderit.

(5) Poſt hæc in Cod. Eſten. ſequitur textus cum gloſſis antiquis confuſus. Integrum accipe: *appellaverit, niſi actio fuerit de inveſtitura. De his duobus liceat illi in patria ſua, id eſt in legitimo loco, ſacramentum jurandum offerre; ſcilicet ſi appellator non potuerit probare eum ſuum ſervum eſſe in eadem patria, ubi ſit appellatio; & is, qui cum eo litigat, ſi velit, ſequatur illum in patriam ſuam ad recipiendum ipſum ſacramentum. Ipſe tamen prius in eodem loco, ubi* &c. *quamque adverſario ſuo, teſtes producendo, qui rem, quam ei quærit* &c.

dine terram in tali loco. Ipſa terra mea propria eſt per ſucceſſionem mei patris. Et ſi me ſecutus fueris in patriam, ubi natus fui, reſpondebo tibi, & ſatisfaciam legaliter. Non debes tu hoc dicere, quia hæc terra non pertinet tibi per ſucceſſionem habere patris tui. Et ita probet. Si vero probare non potuerit, ſequatur illum in patriam ſuam cum tali ſecuritate per ſacramentum, quod ille appellatus producet ſibi teſtes illic, quod illa terra pertineat recte ſibi ex hereditate patris ſui. Si vero probare non potuerit, tunc widrigild manus perjurio tribuat, & revertatur ad priorem locum, ubi appellatio prius fuit. Similiter ſit de ſtatu citra ſecuritatem, & ibi res prius incæpta, lege finiatur.

II. Ut omnis ſolutio atque compoſitio, quæ in Lege Salica continetur, intra Franciam (1) per XII. denarios ſol. componatur: excepto ubi intentio intra Saxones & Friſones orta fuerit, ubi volumus, ut LX. denariorum quantitatem ſolidi habeant. Et quæ vel Saxo aut Friſo ad partem Salicam, Francis cum eis litigantibus, ſolvere debent, ita ut ſupra conſtitutum eſt, componantur. II. 22. 3.

III. Si quis cum altero de qualibet cauſſa contentionem habuerit, & teſtes contra eum producti fuerint: ſi illos falſos eſſe ſuſpicatur, liceat ei alios teſtes, quos meliores potuerit, contra eos opponere, ut veracium teſtimonio falſorum teſtium perverſitas ſuperetur. Quod ſi ambæ partes teſtium inter ſe ita diſſenſerint, ut nullatenus una pars alteri concedere voluerit (2), eligantur duo ex ipſis, id eſt ex utraque parte unus, qui cum ſcutis & fuſtibus in campo decertent, utra pars falſitatem vel veritatem ſuo teſtimonio conſequatur. Et Campioni qui convictus fuerit, propter perjurium quod ante pugnam commiſerit, dextra manus amputetur. Ceteri vero ejuſdem partis teſtes, qui falſi apparuerint, manus ſuas redimant: cujus compoſitionis duæ partes ei, contra quem teſtificati ſunt, dentur (3); tertia pro freda ſolvatur. Et in ſeculari quidem cauſſa hujuſmodi teſtium diverſitas, etiam in campo comprobetur. In eccleſiaſticis vero cauſſis, ubi de una parte ſeculare, de altera vero eccleſiaſticum negotium eſt, hic modus obſervetur. Ubi vero ex utraque parte eccleſiaſticum fuerit negotium, Rectores earundem Eccleſiarum, ſi ſe familiariter pacificare voluerint, licentiam habeant. Si autem de hujuſmodi pacificatione inter eos convenire non potuerint, Advocati eorum in mallo publico, in præſentia Comitis veniant, & ibi legitimus terminus contentionibus eorum imponatur. Teſtes vero de qualibet cauſſa non aliunde quærantur, niſi de illo Comitatu, in quo res illæ poſitæ ſunt, unde cauſſa agitur. Quia non eſt credibile, ut de ſtatu hominis, vel de poſſeſſione cujuslibet, per alios melius (4) veritas cognoſci valeat, quam per illos, qui viciniores ſunt. Sic tamen, ut contentio, quæ inter eos orta eſt, ſi in confinio duorum Comitatuum fuerit, liceat eidem de vicina centena adjacentis Comitatus ad ſuam cauſſam teſtes habere. II. 51. 11.

FORMULÆ VETERES. (5)

PEtre te appellat Martinus, quod tu ſponſaſti Mariam tuam filiam ſibi, & dediſti eam alteri ad conjugium ante duos annos. Non ſponſavi tibi meam filiam. Potes ſibi probare? Poſſum. Da vadla de probare. Et tu da vadia ſi potes de placito, & de contra. Et tunc probator poſt vadimonium habeat inducias, ſi neceſſitas fuerit. Si Langobardus eſt, XII. noctes. Ceteri vero ſecundum ſuam legem. Et cum venerit dies probandi, dic: Domne Comes, tali die Martinus appellavit Petrum, quod Petrus ſpopondit ſibi filiam ſuam. Et Petrus negavit, ſe ſponſaviſſe ſibi filiam ſuam. Et Martinus dedit vadimonium de probare, & modo eſt paratus cum teſtibus, & teſtium laudatoribus. Tunc teſtibus & laudatoribus adſtantibus ibi interrogetur adverſarius antequam teſtes laudentur; ſi vult aliquem teſtium criminari. Si dixerit: nolo: tunc interrogetur unuſquiſque laudatorum, quid ſapiat de teſtibus. Et tunc unus dicat ita: Hoc ſapio, quod Petrus, & Johannes, & Andreas liberi homines ſunt. Et ſuum widrigild habent, vel in puro allodio, vel allodio, & aliis rebus. Et teſtimonium bene poſſunt dare. Ceteri duo ſimiliter dicant. Et teſtimonium uniuſcujuſque teſtis ſeparatim ſcribatur. Et ſic dicat unuſquiſque te-

ſtis

(1) Cod. Eſten. *intra Franciam, & ubicumque per XII.* Baluzius Tom. I. pag. 791. legit: *inter Francos per duodecim denariorum ſolidos componatur*. Francos tunc non paucos Italicum Regnum alebat; ac propterea iis quoque ejuſmodi Lex indicta. Infra idem Cod. Eſten. *orta fuerit, ibi volumus, ut XL. denariorum ſolidus quantitatem habeat, quem Saxo, aut Frixo ad partem Salicam Franco cum eo litiganti ſolvere debet. Et ita, ſicut ſupra ſcriptum eſt, componatur*. Ambroſianus etiam habet: *XL. denariorum*.

(2) Cod. Eſten. habet: *credere velit*. Baluziana Editio pag. 779. *credere velit*. Infra idem Cod. Eſten. *utra pars veritatem, utra falſitatem ſuo teſtimonio ſequatur. Et campbioni, qui* &c. In Mss. *Campbio* pro *Campio* ſæpius occurrit.

(3) Cod. Eſten. Baluzio concors: *duæ partes ei, contra quem teſtati ſunt, dantur*. Infra: *iſdem modus obſervetur*. Infra: *& ibi legitimus terminus de eorum intentionibus imponatur*.

(4) Cod. Eſten. *vel de poſſeſſionibus cujuslibet per alios melius rei veritas* &c. *ſunt*. *Si tamen contentio, quæ inter eos orta eſt, in confinio* &c.

(5) Ex hac egregia formula methodum dilucide explicatam habes, qua utebantur majores noſtri ad rem probandam per teſtes. Utinam ſimilia haberemus quamplura.

stis de una parte. Hoc sapio, & illic fui ego, quando Petrus sponsavit Mariam filiam suam ad Martinum. Tunc adversarius interrogetur; Si illi testes nec boni, nec veri sint, & receptibiles; vel si habeat meliores, quos velit contra illos opponere. Si dixerit: illi testes nec boni, nec veri sunt, nec receptibiles; & ego habeo meliores quos velim contra ipsos opponere: tunc ejus testes separati, & laudati, ut superius diximus, producantur. Et unusquisque testis ex alia dicat. Hoc sapio, quod Petrus non sponsavit Mariam suam filiam ad Martinum. Et ita ut nullus eorum juret, eligat unum ex una parte, & ex altera alium, Comes, ut pugnetur. Et antequam bellum incipiant, juret uterque. Illud testimonium, quod ego Petrus, & Johannes, & Andreas dedimus, verum testimonium dedimus. Et Camphioni cadenti dextra manus incidatur. Ceteri vero partis testes manus uniuscujusque redimant. Conductor widrigild suum tribuat. Si vero adversarius dixerit: illi testes boni, & veri sunt, & receptibiles, nec ego habeo meliores testes, quos velim contra eos opponere, firmatur res ita, & jurent testes unusquisque ita; Hoc sapio, & illic fui ego, quando Petrus sponsavit Mariam suam filiam ad Martinum. Si Deus &c. *Conductor hoc dicat, quod Petrus, & Johannes, & Andreas juraverunt, verum juraverunt si Deus* &c. *Et sacramentum hoc conductoris sit per Legem, si qualiscumque. Sed secundum valentes non sit nisi pro testimonio testium stantiæ. Et facta probatione res vincatur, & pœna secundum mallum solvatur.*

IV. (1) Constitutum est, ut nullus Laicus crimen Clericis audeat inferre. Testimonium Clerici adversus Laicum nemo recipiat. Nemo enim Clericus, vel Diaconus, vel Presbyter, pro qualibet caussa intret in Curiam, nec ante Judicem caussam dicere præsumat. Quoniam omnis Curia a cruore dicitur, & immolatione simulacrorum. Et si quis Clericus Clericum accusans in Curiam introierit, anathema sit. II. 51. 12.

V. Primum omnium placuit nobis, ut cartulæ obligationis de singulis hominibus factæ, qui se aut uxores eorum, aut filios, vel filias in servitio (2) tradiderint, ubi inventæ fuerint, frangantur, & sint liberi, sicut primitus fuerint. II. 33. 2.

VI. (3) Si quis per chartam ingenuus dimissus fuerit, & a quolibet homine ad servitium interpellatus fuerit, primum legitimum auctorem suæ libertatis proferat, & in sua libertate perseveret. Si vero legitimus auctor defuerit, cum testimonio bonorum hominum, qui tunc aderant, quando liber dimissus fuerit, se defendere permittatur. Si vero testes defuerint, cum duabus aliis chartis, quæ ejusdem Cancellarii manu fuerint firmatæ vel scriptæ, suam chartam, quæ tertia est, veram & legitimam esse confirmet. Cancellarius tamen talis esse debet, qui pagensibus loci illius notus sit, & acceptus. Si vero qui interpellatus fuerit, nec auctorem, nec testimonia, nec chartarum collationem ostendere potuerit, ipse qui eum interpellavit, secundum legem ipsam chartam falsam esse faciat, & servum suum conquirat. Si vero interpellator, aut auctore, aut testimonio, aut chartarum collatione convictus fuerit, & hoc quod voluerit efficere non potuerit, multam quæ in ipsa ingenuitatis charta continetur, cogatur exsolvere. II. 34. 12.

Quomodo Luduicus Imperator dedit, quomodo Missi, & Comites habere debent de Ecclesiasticis. (Ambr. Cod.)

VII. Sanguinis effusio in Ecclesia facta cum furore, si Presbyter fuerit, in triplo componatur: duas partes (4) ecclesiæ Presbytero, tertiam pro fredo ad Ecclesiam, & insuper bannum nostrum componat. Similiter & de Diacono, juxta compositionem ejus in triplo componatur: & bannum nostrum componat. II. 39. 6.

VIII. (5) De Subdiaconibus, similiter secundum suam compositionem in triplo persol-

(1) Desumta fuit Lex ista a Cap. XVI. Concilii Romæ habiti sub Sancto Silvestro Papa Anno Christi 324. Verum fictitia est illa Synodus ex Eruditorum consensu, eamque obtrusit Isidorus Mercator nobis, imo & antiquis, ut ex hac ipsa Ludovici Pii Lege intelligis. Infra Cod. Esten. *propter quamlibet caussam.*

(2) Hoc diligenter animadvertendum. Hic enim aperte interdicitur, ne quis homo liber suam libertatem alteri, nullo crimine interveniente, vendere possit, ac mancipium fieri. Irritantur autem quæ hactenus ea de re obligationes initæ fuerant. Iniquum nempe fuit, uxoris, & filiorum jura lædere; & præcludendus aditus avaris inopem gentem irretientibus; ac stulti cohibendi, ne rem magni pretii, hoc est libertatem, projicerent. Attamen vide infra Legem I. & XXIX. Lotharii I. Augusti.

(3) Baluzius Tom. I. Capitular. pag. 395. hanc Legem Carolo M. tribuit. At ex editis, & ex Codice Estensi discimus, auctorem illius fuisse Ludovicum Pium. Illud tamen compertum est, a subsequentibus Augustis Carolinis revocatas fuisse patris, aut avi Leges, ita ut istæ non injuria tum istis, tum illis tribuantur. In Ambros. Cod. ita legitur: *Si quis chartula ingenuitatis liber dimissus est.* Infra Cod. Esten. *Si vero interpellator, aut auctor* &c.

(4) Cod. Esten. *& duas partes eidem Presbytero, tertiam pro fredo* &c. Hoc est, pro pace recuperanda ab Ecclesia, eidem Ecclesiæ persolvat. Infra: *& insuper bannum nostrum componatur. Similiter de Diaconis juxta æstimationem vel compositionem in triplo persolvatur, & bannum nostrum componatur.*

(5) Lex ista tum apud Baluzium pag. 599. tum in Cod. Esten. conjuncta procedit cum antecedenti; neque sane disjungenda. In eodem Cod. ita se habet: *De Subdiaconis similiter secundum suam compositionem vel æstimationem in triplo persolvatur.*

ſolvat. De unoquoque ordine Clericorum, (1) ſecundum ſuam legem compoſitionem in triplum faciat, & bannum noſtrum componat. Similiter & de ictibus ſine ſanguinis effuſione de unoquoquoque ordine Clericorum ſecundum ſuam compoſitionem cum triplo componatur, & bannum noſtrum. Et qui non habet unde ad Eccleſiam perſolvat, tradat ſe in ſervitio ejuſdem Eccleſiæ, uſque dum totum debitum perſolvat. II. 39. *6.*

IX. Si quis ex levi cauſſa, aut ſine cauſſa, homines in Eccleſia interfecerit, de vita ſua componat. Si vero foris rixati fuerint, & unus poſt alterum fugerit in Eccleſia (2), & ibi ſe defendendo eum interfecerit; ſi hujus facti teſtes non habuerit, cum XII. juratoribus legitimis per ſacramentum affirmet, ut ſe defendendo eum interfeciſſet, & pro hoc DC. ſolid. ad partem ipſius Eccleſiæ quam polluit, componat, & inſuper bannum noſtrum. Is vero qui interfectus eſt, abſque compoſitione jaceat, ac deinde interfector ſecundum Canonum judicium congruam facinoris, quod admiſit, pœnitentiam accipiat. Si proprius ſervus hoc admiſerit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc ſponte an ſe defendendo feciſſet. Et ſi manus ejus exuſta fuerit, interficiatur. Si vero non fuerit, publica pœnitentia mulctetur. Si forte ipſe auctor commotæ inter eos rixæ fuerit inventus, tunc dominus ejus, juxta quod widrigilt ejus fuerit, ad Eccleſiam perſolvat: aut ſi voluerit, ipſum ſervum Eccleſiæ tradat. I. *9.* 29.

X. (3) De Eccleſiaſtico, & Fiſcalino, & Beneficiario ſervo volumus, ut pro una vice widrigilt ejus componat pro eo, altera vero vice ipſe ſervus ad ſupplicium tradatur: hereditas tamen liberi hominis, qui pro tali facinore ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos hæredes illius perveniat. Si vero in atrio ipſius Eccleſiæ, cujus portæ reliquiis Sanctorum fuerint conſecratæ, hujuſmodi homicidium perpetratum fuerit, ſimili modo emendetur vel componatur. Si vero portæ Eccleſiæ non fuerint conſecratæ, eo modo componatur, quod in atrio committitur, ſicut & componi debet, quod in immunitate violenter committitur. I. *9.* 30.

XI. De viduis, & pupillis, & pauperibus, quandocumque in mallum veniunt ante Comitem, prius eorum cauſſæ audiantur, & diffiniantur. Et ſi teſtes pro ſe ad cauſſas ſuas quærendas habere non potuerint (4), vel legem neſcierint, Comes illos vel illas adjuvet, dando eis tales homines, qui eorum rationes teneant, vel pro eis loquantur. II. 48. 2.

XII. Qui viduam intra primos (5) XXX. dies viduitatis ſuæ ſciens, vel invitam, vel volentem, ſibi copulaverit, bannum noſtrum, ſcilicet LX. ſolid. id eſt triplum, componat. Et ſi invitam eam duxerit uxorem, legem ſuam ei componat, illam vero ulterius non attingat. II. *6.* 3.

XIII. Qui hominem liberum (6) publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum componat in triplo, & widrigilt ejus ad proximos parentes perſolvat. I. *9.* 31.

XIV. Si quis ſuas res pro ſalute animæ ſuæ ad aliquem venerabilem locum, aut ad propinquos ſuos, aut cuilibet alteri, tradere voluerit; & eo tempore infra ipſum Comitatum fuerit, in quo res illæ poſitæ fuerint (7), legitimam facere traditionem ſtudeat. Et ſi eodem tempore, quo res illas tradere vult, extra eundem Comitatum fuerit, id

---

(1) Baluzius legit: *Et de uniuſcujuſque ordinis Clerico*. Hæc non habentur in Cod. Eſten. ſed poſt ſupra allata continuato ſermone ſequitur: *Similiter de ictu ſine ſanguinis* &c. *ſecundum ſuam compoſitionem vel æſtimationem in triplo* &c.

(2) Cod. Eſten. *& unus alterum in Eccleſia fugerit*. Infra: *quod ſe defendendo eum interfeciſſet, & poſtea* DC. *ſolidos ad partem ipſius Eccleſiæ, quam illo homicidio polluerit, componat, & inſuper bannum ſolvere cogatur*. Paria habet Ambroſ. Cod. Infra: *congruam facinori, quod commiſit*. Infra: *Et ſi manus ejus exuſta* &c. *Si autem non fuerit exuſta*.

(3) Tum in Cod. Eſten. tum apud Baluzium Tom. I. pag. 598. copulatur iſta Lex cum duabus præcedentibus. Et ſane idem eſt argumentum. Supra ad Legem XXV. & CIX. Caroli M. mea ſententia fuit, *Eccleſiaſticos*, ſive *Lidos*, & *Homines Regis*, ſive *Fiſcalinos*, Libertorum genus fuiſſe, quibus excolenda tradebantur prædia Eccleſiarum, aut Fiſci Regalis. De iis hic agens Ludovicus Pius ait: *Hereditas tamen Liberi hominis* &c. Ergo libertate id genus homines donati fuerant. Et certe *Fiſcalinas* ducere *liberis* viris licebat, & feminabus *liberis* nubere *Fiſcalinis* viris, ut eſt in Capitular. Lib. III. Cap. XVI. quod contra ſervis interdictum erat. Adde Legem Friſionum Tit. XI. *ubi liber homo neceſſitate coactus etiam Lito in ſervitium ſe ſubdere* poſſe dicitur. Ergo a ſervorum conditione excluſi Liti. Quare hic diſcedere cogimur a ſententia Baluzii, & Du-Cangii. Neque puto obſtare Tit. XXVIII. Legis Salicæ, ibi enim de plena libertate agitur. Vide etiam Eccardum in Notis ad Tit. XV. Cap. IV. Legis Salicæ. Infra Cod. Eſten. *ut pro una vice guidrigild ejus ſolvatur. Pro altera vice* &c. In fine: *quod in emunitate violata committitur*. Ita quoque Cod. Ambroſ.

(4) Cod. Eſten. *habere non potuerit, vel Legem neſcierint*. Infra: *dando eis talem hominem, qui eorum rationem teneat, vel pro eis loquatur*.

(5) Baluzius pag. 599. legit, *intra proximos*.

(6) In Ambroſ. Cod. non legitur *liberum*. Infra in Cod. Eſten. legitur: *ejus proximis parentibus perſolvat, ſi ſe defendendo fecit*.

(7) Cod. Eſten. *poſitæ ſunt*. Infra: *tunc de aliis inveniat, quales ibi meliores*. Infra: *hæredes illius nullam de prædictis rebus valeant facere repetitionem*. Infra: *nec ei hoc ſit impedimento*. In fine, *redeant, id eſt maneant*, a Gloſſatore quopiam adjectum. Vide Baluzium pag. 600. ubi ejus textus aliqua ex parte non ſatis purgatus.

eſt, ſive in exercitu, ſive in Palatio, ſive in alio loco quolibet, adhibeat ſibi de ſuis pagenſibus, vel de aliis qui ea lege vivunt, qua ipſe vivit, tres teſtes idoneos. Et ſi illos habere non potuerit, tunc de aliis, quales meliores ſibi invenire potuerit, ſibi adhibeat, & coram eis de ipſa re traditionem faciat, & fidejuſſori inveſtituram donet: ut ei qui illam traditionem acceperit, inveſtituram faciat. Et poſtquam hæc traditio ita facta fuerit, heres illius nullam de prædictis rebus valeat facere repetitionem. Inſuper & ipſe fidejuſſor faciat eidem inveſtituram, ne ejus heredibus ulla occaſio remaneat, hanc traditionem mutandi: ſed potius neceſſitas incumbat, illam perficiendi. Et ſi nondum res ſuas cum coheredibus ſuis diviſas habuerit, non hoc ei impedimentum ſit, ſed coheredes ejus, ſi ſponte noluerint dividere, aut per Comitem, aut per Miſſum ejus diſtringantur, ut cum illo diviſionem faciant, ad quem defunctus hereditatem ſuam voluerit pervenire. Et ſi cuilibet Eccleſiæ eam tradere rogaverit, coheres ejus eam legem cum illa Eccleſia de prædicta hereditate habeat, quam cum alio coherede ſuo habere debuerat. Et hoc obſervetur erga patrem, & filium, & neptem, uſque ad annos legitimos, & poſtea ipſæ res ad immunitatem ipſius Eccleſiæ redeant. II. 18. 7.

XV. Quicunque liberum (1) hominem ex levi cauſſa, aut ſine cauſſa interfecerit, widrigilt ejus his, ad quos legibus pertinet, componat: ipſe vero propter talem præſumtionem in exilium mittatur, quantum tempus nobis placuerit; res ſuas tamen non amittat. I. 9. 32.

XVI. In compoſitione widrigilt volumus, ut ea dentur, quæ in lege continentur, excepto accipitre & ſpatha: (2) quia propter illa duo aliquotiens perjurium committitur, quando majoris pretii quam illa ſint, eſſe jurantur. I. 9. 33.

XVII. Si quis alienam ſponſam rapuerit, aut patri ejus, aut ei qui legibus defenſor (3) ejuſdem eſſe debet, cum lege ſua eam reddat; & quidquid cum ea tulerit, ſemotim unamquamque rem ſecundum legem reddat. Et ſi hoc defenſor ejus perpetrare conſenſerit, & ideo raptori nihil quærere voluerit, Comes ſingulariter de unaquaque re fredam noſtram ab eo exactare faciat; ſponſo vero legem ſuam componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt LX. ſolid. perſolvat: aut in præſentia noſtra Comes venire faciat, & quanto tempore nobis placuerit, in exilio maneat, & illam feminam ei habere non liceat. I. 30. 13.

XVIII. (4) Si duo teſtimonia de qualibet re teſtimoniaverint, & inter ſe diſcordaverint, tunc Comes eligat unum ex una parte, & alium ex altera: & illi duo diſcernant cum ſcutis, & fuſtibus; & ipſius, qui de ipſa falſitate convictus fuerit, dextra manus amputetur. II. 51. 10.

XIX. (5) Si quis de ſtatu ſuo, id eſt de libertate, vel de hereditate, compellatus eſt, (6) juxta legis conſtitutionem manniatur. De ceteris vero cauſſis, unde quis rationem eſt redditurus, non manniatur, ſed per Comitem banniatur. Et ſi poſt unam, aut alteram ammonitionem Comitis, aliquis ad mallum venire noluerit, rebus omnibus in bannum miſſis, venire ad juſtitiam facere compellatur. II. 43. 4.

XX. Si (7) cujuſcumque hominis proprietas, ob crimen aliquod ab eo commiſſum,

(1) Non legitur in Cod. Eſten. *liberum*, uti neque in Ambroſ., neque in Baluziana editione. Infra idem Codex: *ad quantum tempus*. Vide & hic, quam levis pœna homicidis indiceretur.

(2) In Cod. Eſten. *excepto ancipitrem*, *& ſpatam*. Hoc eſt, *accipitre excepto*. Nempe non minus moleſtum erat eorum temporum viris enſe, hoc eſt fortitudinis inſignibus privari, quam accipitre ad delicias aucupii.

(3) Cod. Eſten. *qui legibus ejus defenſor*. Langobardorum ſermone *Mundoaldus* dicebatur, qui fœminam in ſuo mundio ſecundum Leges habebat. Infra Cod. Eſten. hæc ita habet: *eam reddat ſponſo*, *& defenſori ſuam Legem ſolvat*, *& quicquid* &c. Infra: *Et ſi hoc defenſor ejus perpetrari conſenſerit*, *& ideo raptori nihil quærere noluerit*: ex quibus intelligis addenda eſſe, quæ ſuperius attuli. Infra: *Aut in præſentiam noſtram Comes eum venire faciat*.

(4) Reſtituenda eſt Lex iſta ope Codicis Eſtenſis, quando neque Baluzius Tom. I. pag. 689. meliora nos docuit. Accipe ergo integram. *Si duo teſtimonia de qualibet re teſtimoniaverint*, *& inter ſe diſcordaverint*, *tunc Comes eligat unum ex una parte*, *& alium ex alia parte*, *ut illi duo decertent cum ſcutis & fuſtibus*, *ſi flebiliores non fuerint ipſi teſtes*. *Nam ſi flebiliores fuerint ipſi teſtes*, *tunc ad crucem examinentur*. *Quod ſi majoris ætatis ſunt*, *quod non poſſunt ad crucem contendere*, *tunc mittant*, *aut filios*, *aut parentes*, *aut qualeſcumque homines*, *qui poſſunt pro eis hoc contendere*. *Et ille*, *qui de ipſa falſitate convictus fuerit*, *dexteram manum perdat*. Pro *infirmo*, ac *debili*, veteres dixerunt *flebilis*, unde Italicum *fievole*, & Gallicum *foible*. Flaccus Alcuinus Epiſt. 19. pari voce eſt uſus, ſcribens: *ingraveſcente infirmi corporis flebilitate*. Si quis contendat, Gloſſam potius quam Legem in ſupra allatis contineri, contradicam ego, at decertare cum ſcutis, ac fuſtibus pro hac re noluero.

(5) Conferenda eſt Lex iſta cum altera Caroli M. Cap. LXXVII. Hinc autem erui poſſe videtur, *mannire*, hoc eſt, vocare in jus, fuiſſe actoris, ſive accuſatoris: *bannire* vero, quod idem ſonat, fuiſſe Comitis ſive Judicis, fortaſſe quod is ad citationem adjungebat *bannum* aliquod, hoc eſt pœnam non obtemperanti.

(6) Rectius in Cod. Eſten. *compellandus eſt*. In fine: *venire*, *& juſtitiam facere compellatur*. Ita quoque in edition. Baluzian. Tom. I. pag. 602.

(7) Idem habet Cod. Eſten. Apud Baluzium pag. 602. & 780. incipit: *Cujuſcumque*,

ſum, in bannum fuerit miſſa, & illa re cognita venire, & juſtitiam facere (1) diſtulerit, annoque ac die in eo banno illam eſſe permiſerit, ulterius eam non attingat, ſed ipſa Fiſco noſtro ſocietur. (2) Debitum vero, quod is, cujus ea fuerit, ſolvere debuit, per Comitem ac Miniſtros ejus, juxta æſtimationem damni, de rebus mobilibus, quæ in eadem proprietate inventæ fuerint, his quibus debitor fuerit (3), exſolvatur. Quod ſi rerum mobilium ibidem inventarum quantitas ad compoſitionem non ſufficit, de immobilibus ſuppleatur, & quod ſuperfuerit, ſicut dictum eſt, Fiſcus noſter poſſideat. Si nihil ſuper compoſitione remanere potuerit, totum in illa compoſitione expendatur. Si autem homo ille nondum cum ſuis coheredibus proprium diviſum habuerit, convocet eos Comes, & cum eis legitimam diviſionem faciat; & tunc, ſicut jam dictum eſt, partes ejus Fiſco noſtro adjiciet, & compoſitionem de ea, (4) juxta modum ſuperius comprehenſum, his ad quos illa legibus pertinet, exſolvat. Quod ſi non de aliis rebus, ſed de ipſa proprietate, quæ in bannum fuerit miſſa, ac per hoc in noſtra poteſtate redacta eſt, fuerit interpellatus Comes, in cujus miniſterio eam eſſe conſtiterit, hoc ad noſtram notitiam perferre curet; ut nos eamdem proprietatem, quæ ſecundum iſtum modum in noſtrum dominium redacta eſt, per præceptum noſtræ auctoritatis in illius hominis poteſtate, qui eam quærebat, ſuam eſſe, faciamus pervenire. (5) Et ſi eam quicumque ad ſuam proprietatem detraxerit, liceat ei per ſacramentum ſuum habere: & ſi exinde poſtea victus fuerit, dextra manus ei amputetur. II. 43. 3.

GLOSSA, ET FORMULÆ VETERES.

Seniores: hoc dicit Comes, quod poſtquam ille tenuit placitum in iſto Comitatu, jam per plures vices venit reclamatio ad ſe de Martino de . . . de furto, & de alia malitia. Unde ipſe plures per vices ſibi mandavit Miſſos, & Epiſtolas, ut ad placitum ſuum veniret, & juſtitiam faceret illis, qui ſuper ſe reclamarent. Et ipſe venire noluit. Propter hoc ſit vobis cognitum, quod omnes ſuas ipſe vult proprietates mittere in bannum. Dicitis vos ita? Domne Comes: ſic dico. Per iſtum fuſtem & iſtum wantonem mitto omnes res de Martino in banno. Præcipite fieri notitiam.

Domne Comes: hoc dicit Martinus, quod audivit dicere, quod vos miſiſtis omnes res ſuas in banno propter hoc, quod per plures vices venit reclamatio de illo ad vos de furto, & de alia malitia. Et vos plures vices ei mandaſtis, quod ad veſtrum placitum veniret, & ille juſtitiam faceret, & ille venire noluit. Et non ſunt niſi tres menſes. Et modo eſt paratus in veſtra præſentia ad faciendam juſtitiam omnibus, qui ſe reclamant ſuper ſe. Et vult, quod vos propter Deum, & animam Regis mittatis ſuas res de banno. Tunc per uſum dat wadimonium Comiti, ut faciat legem reclamantibus. Et poſt Comes dicit: Per iſtum fuſtem & iſtum wantum tollo omnes res ejus de banno. Præcipite fieri notitiam.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes ſibi terram malo ordine in tali loco ad partem Publicam, unde ipſe eſt Advocatus. Ipſa terra mea propria eſt per ſucceſſionem mei patris, & ad partem Publicam quid pertinet? Tuæ res fuerunt miſſæ in bannum, & ecce chartula notitiæ. Falſa eſt ipſa notitia. Tunc falſam qui notitiam vocat, interrogetur, quomodo vult, ut clarefacta fiat. Si reſponderit vel per Capitulum Widonis, vel per bellum, ſit, ut dicturi ſumus. Si dixerit: ecce notitiam, quomodo meæ res fuerunt tractæ de banno, tunc Advocatus, aut dicat falſam notitiam, aut taceat. Et ſi falſam dixerit, ſit, ut dicturi ſumus. Si dixerit: ego non feci ipſum malum, quod legitur in notitia, probet Advocatus. Et ſi non potuerit, ipſe juret. Si dixerit: non mihi fuit cognitum; probet Advocatus. Si dixerit: non eſt tranſactus annus: Judices videant in notitiam. Si dixerit: me non diſtuli pervenire per totum annum; probet Advocatus, & ſi non potuerit, ipſe juret. Et in omnibus iſtis probationibus ſi dare adverſarius contra voluerit, ſit, ut ſuperius diximus.

Pe-

cum aliis lectionibus ab hac editione diverſis, quas Lector, quum libuerit, perquiret. Ego perſequar, quæ Cod. Eſten. hac in Lege, & quidem multa, ab editis diſcrepantia ſuppeditat.

(1) Cod. Eſten. *& illa re cognita ad juſtitiam facere venire diſtulerit*.

(2) In Cod. Eſten. hæc adduntur, quæ neque Baluziana, neque ceteræ Editiones habent. *Si vero intra id tempus reverſus poſt intimationem ſuam fuerit defunctus, etſi necdum ſe purgaverit, tamen ad hæredes proprios res tranſmittat. Si vero intra annum noluerit adeſſe judicio, res perdat, niſi innocentiam ſuam purget. Si vero non potuerit, legalem pœnam ſuſtineat, & tamen res perdat. Debitum vero* &c.

(3) Cod. Eſten. *debitor idem fuit, exſolvatur*. Infra: *ad compoſitionem non ſuffecerit*. Infra: *totum in illa expendatur*. Et infra: *proprium ſuum diviſum habuit, convocet eos Comes, & cum eis* &c.

(4) In Cod. Eſten. hæc ſequuntur: *partem ejus noſtro Fiſco adjiciat, & compoſitionem ejus de ea proprietate juxta modum* &c. *pertinet, exſolvat*. Infra: *quæ ſecundum ſupradictum modum* &c. *in illius hominis poteſtatem, qui eam quæſierit, ſi ſua eſſe debet, faciamus pervenire*.

(5) Quæ ſequuntur, ab editione Baluziana abſunt: in Codice vero Eſten. Iguntur his verbis; *Et ſi eam quicumque ad ſuam proprietatem pertraxerit, liceat ei per ſuum ſacramentum habere. Et ſi exinde poſtea convictus fuerit, dextera manus ei amputetur*.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes ſibi malo ordine terram in tali loco. Ipſa terra mea propria eſt. Et ecce præceptum, quod fecit mihi Imperator. Quid pertinuit ad Imperium? Meæ res fuerunt miſſæ in bannum per crimen. Et tibi quid pertinuerunt antequam tuæ res fuiſſent miſſæ in bannum? Per ſucceſſionem mei patris. Potes tu probare, quod tu poſtquam Imperator tibi dedit, quod Imperator infra hoc quod tuæ res fuerunt miſſæ in bannum, & quod pater tuus per XXX. annos habeatis terram ipſam poſſeſſam? Poſſum. Da vadimonium de probare, & tu da vadimonium de placito, & contra, ſi potes. Et ſi dicat unuſquiſque teſtis ex una parte: Hoc ſapio, quod ipſe Martinus, poſtquam Imperator tibi dedit. Et quod Imperator, & quod res Martini fuerunt miſſæ in bannum, & quod Martinus antequam ſuæ res fuiſſent miſſæ in bannum, & quod pater ſuus per XXX. annos habet poſſeſſam ipſam terram. Et unuſquiſque teſtis ex alia parte dicat: Hoc ſapio, quod Johannes fuit inveſtitus ad proprium de illa petia de terra infra illos XXX. annos; ita tamen ut ſint laudati, & jurent, & omnis res vadat, ut ſuperius diximus.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes ſibi terram malo ordine in tali loco. Ipſa terra mea propria eſt. Quid tibi pertinet? Imperator mihi fecit præceptum de ipſa terra. Et quid pertinuit ad Imperium? Res de Petro fuerunt miſſæ in bannum. Quid pertinuerunt ad Petrum? Per ſucceſſionem ſui patris. Potes tu probare, quod tu poſtquam Imperator tibi dedit, quod Imperator infra hoc, quod res de Petro fuerunt miſſæ in bannum, quod Petrus, antequam ſuæ res fuiſſent miſſæ in bannum, & quod pater tuus per XXX. annos poſſeſſam habeatis? Si reſponderit: poſſum; probet & terram habeat. Si vero adverſarius dare contra voluerit, det, & ſit, ut ſuperius diximus. Si vero reſponderit; non poſſum probare, tunc interrogetur adverſarius, ſi potuerit probare, ſe fuiſſe inveſtitum de illa terra infra XXX. annos ad proprium. Si vero dixerit: non: tunc ille alter juret cum ſuis ſacramentalibus ſuam poſſeſſionem. Et ita ſecundum quoſdam eſt Petri.

XXI. Si quis aliqua neceſſitate cogente homicidium commiſerit, Comes, in cujus miniſterio res perpetratur, compoſitionem ſolvere, & faidam per ſacramentum pacificare faciat. Quod ſi una pars conſentire ei ad hoc noluerit, aut ille (1), qui homicidium commiſit, aut is qui compoſitionem accipere debet: tunc Comes illum, qui contumax fuerit, ad præſentiam noſtram venire faciat, ut eum ad tempus, quod nobis placuerit, in exilium mittamus, donec ibi caſtigetur; ut Comiti ſuo inobediens eſſe ultra non audeat, & majus damnum inde non accreſcat. I. 9. 24.

XXII. (2) Ibi ſacramenta juranda ſunt, ubi antiquitus fuit conſuetudo ſacramenta arramire, vel jurare, ubi mallum habeatur. Mallum (3) tamen neque in Eccleſia, neque in atrio ejus habeatur: minora vero placita Comes infra (4) ſuam poteſtatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat (5). Volumus utique, ut domus a Comite in loco, ubi malum tenere debeat, conſtituatur, ut propter calorem ſolis & pluviam, publica utilitas non remaneat. II. 55. 26. & 27.

XXIII. Si quis liber homo de furto accuſatus fuerit, & res proprias habuerit, in mallo ad præſentiam Comitis ſe arhamiet: (6) & ſi res non habuerit, fidejuſſorem donet, qui eum arhamiet, & in Palatium adduci faciat. Et liceat ei in prima vice per ſacramentum ſecundum legem ſe idoneare, ſi potuerit. Et ſi alia vice duo vel tres eum de furto accuſaverint, liceat ei con-

(1) Cod. Eſten. uti & Cod. Cathedr. Mutin. *id eſt aut ille, qui homicidium commiſit, aut is, qui compoſitionem ſuſcipere debet: Comes faciat illum venire, qui eì contumax fuerit, ad noſtram præſentiam* &c.

(2) Baluzius pag. 603. Tom. I. ita exorditur hanc legem: *Ubi antiquitus conſuetudo fuit de libertate ſacramenta adhramire, vel jurare, ibi mallum habeatur, & ibi ſacramenta jurentur.* In Cod Ambroſ. *& ibi ſacramentum juretur.* Jam alibi monui *adhramire*, ſeu *arramire* dictum pro ſponſionem facere de præſtando jurejurando. Vide & infra Legem XXIII. In Cod. vero Eſten. hæc tantum leguntur: *Ibi ſacramenta juranda ſunt, ubi antiquitus fuit conſuetudo, ut ſacramenta jurentur.*

(3) Idem de *Placitis* (quæ & ipſa fuere Comitum judicia) ſtatutum fuit a Carolo Magno ſupra Cap. CXX. Vide ibi notas.

(4) Cod. Eſten. *ſive infra ſuam poteſtatem, vel ubi impetrare potuerit.* Hinc tam ſæpe in Placitorum chartis, quæ ſupra multas in pretio ſunt habendæ, occurrit formula illa *per data licentia.* Nimirum quum extra propriam domum, aut prædia ſua, atque adeo in terra, aut domo alterius, Comes, ſeu Miſſus Regis Placitum, ſive judicium habebat, a domino ejus ædis, aut agri facultatem petere cogebatur exercendæ ibi ſuæ ditionis, & datam veniam in notitia, ſive Charta exprimere, ne ex ea actione quidquam juris ſibi deinceps arrogare poſſet in rem alienam.

(5) In Cod. Eſten. & apud Baluzium Lex iſta continuatur cum præcedenti. In eodem Cod. legitur: *ibi mallum tenere debet.*

(6) Cod. Eſten. *ſe adremiet.* Baluzius pag. 603. *ſe adramiat.* Hoc eſt, uti res indicat, promittat de ſe ſiſtendo in judicio, & pœna ſolvenda, ſi forte damnetur, rebus ſuis ad id obligatis. Infra idem Cod. *qui eum adremire, & in placitum deduci faciat.* Rectius quam, *& in Palatium Regis adduci faciat.* Adnotavit Baluzius, & ego quoque non ſemel animadverti, *Placitum* pro *Palatium* in veterum libris occurrere, plerumque ex amanuenſium incuria. Infra Cod. Eſten. *Quod ſi ſervus*, & reliqua, ut in editione noſtra. Depravatam quippe Baluzianam puto, ubi legitur: *excuſet, niſi tale furtum perpetratum habeat, propter quod ad ſupplicium tradi debeat.*

contra unum ex his cum ſcuto & fuſte in campo contendere. Quod ſi ſervus de furto accuſatus fuerit, dominus ejus pro eo emendet, aut cum ſacramento excuſet, ſe tale furtum perpetratum non habere, propter quod ad ſupplicium tradi debeat. I. 25. 76.

XXIV. Si quis literas noſtras deſpexerit, id eſt tractorias (1), quas propter Miſſos noſtros recipiendos dirigimus, aut honorem quem habet amittat, aut in eo loco, ubi Miſſos noſtros recipere debuerit, tamdiu reſideat, & de ſuis rebus Legatos (2) illuc venientes ſuſcipiat, quouſque animo noſtro ſatisfactum habeat. Qui vero Epiſtolam noſtram quocumque modo deſpexerit, juſſu noſtro veniat ad Palatium, & juxta noſtram voluntatem congruam ſuæ ſtultitiæ caſtigationem accipiat. Et ſi liber homo, aut Miniſterialis Comitis hoc fecerit, honorem qualemcunque habuerit, ſive beneficium, amittat: & ſi ſervus fuerit, nudus ad palum vapulet, & capilli ejus tondeantur. III. 7, 1.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Domnus noſter Imperator, quod tu habuiſti ſuas literas in diſpectione, quas propter Miſſos ſuos recipiendos tibi mittebat. Petre te appellat Imperator, aut ejus Advocatus, quod tu habuiſti Epiſtolam ipſius Domni Imperatoris in diſpectione. Non feci. Ergo exdic te ſolus. Pœna eſt, aut honorem perdat, aut ſuſcipiat legationem ex parte Regis in loco, ubi prædictos Miſſos ſuſcipere debuit, aut ad ſatisfactionem animo ejuſdem Regis, aut ad Palatium vadat, & juxta voluntatem Regis caſtigationem ſuſcipiat, & ut in Lege eſt.

XXV. (3) Ut ubi tempore avi noſtri Pippini conſuetudo fuit teloneum dare, & ibi in futuro detur: nam ubi noviter incœptum eſt teloneum, ulterius non exigatur. Et ubi neceſſe non eſt fluvium tranſire ad pontem, vel ubi navis (4) per mediam aquam, aut ſub pontem pergit, & ad ripam non appropinquaverit, neque ibidem aliquid emptum, vel venditum fuerit, ulterius teloneum non detur. Et nemo cogatur per pontem ire, ubi juxta pontem aquam tranſire poteſt. Et qui ulterius in talibus locis, vel de his, qui ad Palatium ſive in hoſtem pergunt, teloneum exactaverit, cum ſua lege ipſum teloneum reddat, & inſuper bannum, id eſt, LX. ſolid. componat. III. 1. 31.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu malo ordine tuliſti ſibi ſoldos VI. toloneum illic, ubi non fuit rectum, aut antiqua conſuetudo, aut quod ſibi pergenti ad Palatium, vel in hoſtem, toloneum abſtuliſti X. ſolidos. De torto. Da ſibi vadimonium ſi recordatus fueris, ut ei illud toloneum ſecundum ſuam legem emendes. Sin autem ut te exdicas ſecundum tuam legem, cujus placiti ſacramenta ita ſunt. Appellatoris: de hoc, quod te appellavi de torto, te non appellavi me ſciente, ſi Deus &c. Rei: de hoc, quod tu me appellaſti, de torto me appellaſti. Si Deus &c. Pœna vero eſt extra toloneum cum ſua lege banni ſolutura.

XXVI. Quicumque liber homo denarium merum & bene penſantem recipere noluerit, bannum noſtrum, id eſt, LX. ſolid. componat. Si vero ſervi Eccleſiaſtici (5), vel Vaſſallorum noſtrorum hoc facere præſumſerint, LX. ictus accipiant. Aut ſi Magiſter eorum, aut Advocatus, qui liberi homines ſunt, eos vel Comiti vel Miſſo noſtro præſentare voluerint, prædictum bannum, id eſt, LX. ſolid. componant. III. 28. 1.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, qui eſt Advocatus de parte Publica, quod tu noluiſti recipere denarium merum & bene penſan-

(1) Cod. Eſten. *diſpexerit, id eſt tractorias*. De Epiſtolis *tractoriis*, quæ mittebantur in provincias, ut Miſſi, ſive Legati Regii ſuſciperentur, nihil adjungam, quippe in re nota. Earum formulæ apud Marculfum proſtant. Notiſſimum quoque, *honoris* vocabulo deſignata olim fuiſſe *Beneficia*, ſive prædia, quæ in beneficium, ſeu Feudum liberis hominibus tradebantur. Hic tamen publicum quoque Officium, ſive miniſterium complectitur, ut ex ſequentibus patet. Vide & infra Legem LII.

(2) Cod. Eſten. *prædictos Miſſos recipere debuit, tamdiu ſedeat, & de ſuis rebus legationes illuc* &c. In fine: *Et ſi ſervus fuerit, nudus ad palum vapulet, & caput ejus tundatur*. Scribe, *tondeatur*, uti apud Baluzium pag. 603. *Tundere* tamen pro *tondere* alibi in Mss. deprehendi.

(3) In Cod. Eſten. præponitur hic Titulus: *De injuſtis toloneis, & conſuetudinibus*. Tum ſequitur: *Ut ubi tempore noſtri avi Pippini conſuetudo fuit toloneum dari, ibi & in futuro detur*. Factam arbitror Legem pro Populo Francorum, & deinde ad Italos quoque propagatam; neque enim Pippino Regi Ludovici Pii Auguſti avo quidquam juris in Italico Regno fuit, ut ejus nomen Italicorum auribus foret ingerendum. Ineptiſſime editio Boheriana præfert: *Ut ubi tempore avi noſtri invictiſſimi Imperatoris Pippini &c.*

(4) Hæc ita in Cod. Eſten. *vel ubi naves per mediam aquam, aut ſub pontem perrexerint, & ad ripam non appropinquaverint, neque ibi aliquid emtum, vel venumdatum fuerit*. Infra: *ubi juxta pontem aquam tranſmeare poteſt*. In fine: *& noſtrum bannum, id eſt LX. ſoldos perſolvat*.

(5) Codex Eſten. & Ambroſ. *Eccleſiaſtici aut Comitum, vel Vaſſallorum*. Infra: *aut Advocatus, quilibet eſt, eos vel ad Comitis, vel Miſſorum noſtrorum juſſum præſentare noluerit*. Baluziana editio pag. 604. corrupte & ipſa hic habet: *Advocatus, qui liber eſt*.

ſantem. Petre te appellat Martinus, qui eſt Advocatus de parte Publica, quod Johannes ſervus Eccleſiæ Sancti Rufini, unde tu ès Advocatus, aut ſervus tuus, noluit recipere denarium merum & bene penſantem. Petre te appellat Martinus, qui eſt Advocatus de parte Publica, quod tu noluiſti præſentare ad juſſum Comitis ſervum Eccleſiæ Sancti Rufini, unde tu es Advocatus, qui noluit recipere denarium merum & bene penſantem.

XXVII. De falſa moneta jubemus, ut qui eam percuſſerit, & probatum (1) fuerit, manus ejus amputetur. Et qui hoc conſenſerit, ſi liber eſt, LX. ſolid. componat; ſi ſervus eſt, LX. ictus accipiat. I. 28. 2.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, qui eſt Advocatus de parte Publica, quod tu baptiſti falſam monetam, aut conſenſiſti.

XXVIII. Si quis proprium noſtrum, quod in veſtitura (2) domini Genitoris noſtri fuerit, alicui quærenti reddiderit ſine noſtra juſſione, aliud tantum nobis de ſuo proprio cum lege ſua componat. Et quicumque ſe ſciente illud per malum ingenium acquirere tentaverit, pro infideli teneatur; quia ſacramentum fidelitatis, quod nobis promiſit, irritum fecit, & ideo ſecundum noſtram voluntatem & poteſtatem judicandus eſt. I. 34. 3.

XXIX. Si quis puerum invitis parentibus totonderit (3), aut puellam velaverit, legem ſuam in triplo componat ipſi puero vel puellæ, ſi jam ſuæ poteſtatis ſint, aut illis in cujus poteſtate ſunt: illi vero poteſtatem habeant capitis ſui, & in tali habitu permaneant, qualis eis placuerit. I. 33. 4.

FORMULÆ VETERES.

PEtre Presbyter cum Johanne tuo Advocato de hoc te appellat Martinus Salicus, quod tu filium ſuum Johannem puerum totondiſti, aut Aldam puellam ſuam filiam ſe invito velaſti. De torto. Da ſibi vadimonium cum tuo Advocato, ſi te recordatus fueris, ut emendes. Sin autem, ut tuus Advocatus exdicat ſe ſecundum tuam legem.

XXX. Si mancipia a domino ſuo (4) fugerint in alienam poteſtatem, propter hoc nullum præmium recipiat ipſe, in cujus poteſtate inventa fuerint, pro eo quod ea reddiderit, vel foris ejecerit. Et non ſolum hoc, ſed etiam ſi ea nec reddere, nec foras ejicere voluerit, & legitimo domino ea contradixerit, & illa poſtea exinde fugerint, ſecundum legem ſolvere cogatur ea. I. 25. 77.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus Langobardus, quod unum ſuum mancipium fugit in tuam poteſtatem, & tu noluiſti illud ſibi reddere, nec a tua poteſtate illud foras ejicere, & in terra fugit de tui poteſtate, & illud perdidit.

XXXI. Quicumque tributariam terram, unde tributum ad partem noſtram exigi ſolebat, vel ad Eccleſiam, vel cuilibet alii tradiderit, is qui eam ſuſcepit, tributum, quod exinde ſolebat exire, omnibus modis ad partem noſtram tribuat (5); niſi forte talem firmitatem habeat de parte noſtra, per quam ipſum tributum ſibi perdonatum poſſit oſtendere. III. 8. 2.

XXXII. Si quis terram cenſualem habuerit, quam anteceſſores ſui ad aliquam Eccleſiam, vel ad villam noſtram dederint, nullatenus eam ſecundum legem tenere poteſt, niſi ille voluerit, ad cujus poteſtatem illa Eccleſia vel villa pertinet, niſi forte filius ejus, aut nepos ejus ſit, qui eam tradiderit, & ei eadem terra noſtra ad tenendum placita ſit (6). Sed in hac re conſiderandum eſt, utrum ille, qui eam tenet, dives aut pauper ſit, & utrum aliud beneficium habeat, vel etiam proprium. Et qui eorum neutrum habuerit, erga hunc miſericorditer agendum eſt, ne ex toto exſpolietur, ut in egeſtatem incidat, & ut talem cenſum inde perſolvat, qualis fuerit conſtitutus ei, vel portionem inde aliquam in beneficio accipiat, unde ſe ſuſtinere valeat. III. 8. 3.

XXXIII. De nonis, & decimis conſiderandum eſt, ut de frugibus terræ, & animalium nutrimine perſolvantur. III. 3. 5. ab init.

XXXIV. (7) De decimis, ut dentur; & dare nolentibus, ſecundum quod anno præ-

(1) Cod. Eſten. *percuſſiſſe comprobatus fuerit.*

(2) Scribendum, uti Baluzius habet: *quod inveſtitura* (ſequitur Cod. Eſten.) *Genitoris noſtri fuit, alicui quærenti* &c.

(3) Hoc eſt, Clericum, aut Monachum effecerit. Infra Cod. Eſten. *aut ipſi puero, vel puellæ, ſi jam ſuæ poteſtatis ſunt, aut illi, in cujus poteſtate fuerint.* Infra: *in tali habitu permaneant, qualis ei placuerit.*

(4) Cod. Eſten. *de domino ſuo fugerint in alienam poteſtatem, ut propter hoc* &c.

(5) Cod. Eſten. *vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam ſuſcepit, tributum, quod inde ſolebat ſolvere, omnimodis ad partem noſtram ſolvat.*

(6) Baluzius Tom. I. pag. 611. legit: *ad tenendum placitata eſt.* Infra Codex Eſt. *utrum ſi ille, qui eam tenet, dives* &c. Infra: *ne ex toto diſpolietur, ut in egeſtatem incidat, aut talem cenſum inde perſolvat, qualis ei fuerit* &c.

(7) Baluzius pag. 339. Tom. II. Capitular. Legem hanc tribuit Ludovico II. Auguſto; Boheriana editio Lothario I. Auguſto. Contra Codex Eſten. inter Ludovici Pii Leges enumerat. Ego hujus auctoritati ſtandum puto; facile enim fuit Ludovicum unum cum altero confundere.

præterito denunciatum eſt, a Miniſtris Reipublicæ exigantur: & eligantur quatuor vel octo homines optimi, pro ut ſi opus fuerit, de ſingulis Plebibus, juxta qualitatem (1) uniuſcujuſque Plebis, ut ipſi inter Sacerdotes & Plebem teſtes exiſtant, ubi datæ vel non datæ fuerint. Hoc autem ideo tantos teſtes mittendos eſſe diximus, ne ibi juramentum aliquod faciendi neceſſitas contingat. Nos tamen ideo tantos teſtes mittendos eſſe dicimus, ut ipſos ſemper omnes in dandis decimis præſentes eſſe pariter neceſſe ſit: ſed dum pluribus committitur, minus graventur: duos autem teſtes, ſi adfuerint, ſufficere credimus. Negligentes autem a Presbyteris Eccleſiarum admoneantur uſque ad tertiam vicem, ut ipſi (2) decimam dent. Quod ſi contemſerint, ab introitu Eccleſiæ prohibeantur. Et ſi hoc minime emendaverint, a Miniſtris Reipublicæ diſtricti ſinguli per caput VI. ſolid. Eccleſiæ componant, & inſuper dare decimam cogantur. Nam ſi iterum contemtores exiſtant, tunc per publicam auctoritatem domus vel caſæ eorum wiſentur, quouſque pro ipſa decima, ſicut ſupra dictum eſt, ſatisfaciant. Quod ſi denuo rebelles vel contradictores eſſe voluerint, & ſuper ipſam wiſam (3) ſua auctoritate præſumſerint introire, tunc a Miniſtris Regis in cuſtodiam mittantur, uſque dum ad judicium publicum perducantur; & ibi ſecundum legem ad Comitem vel ad partem Reipublicæ componant; reliquam vero decimam, ut ſupra dictum eſt, & VI. ſolid. ad Eccleſiam ſatisfaciant. III. 3. 6.

XXXV. Si cujuslibet mancipium (4) in Villa noſtra confugerit, actor ejuſdem Villæ quærenti domino id non contradicat, ſed ſtatim eum foras de eadem Villa ejiciat. Et ſi ſe putat ad id repetendum juſtitiam habere, petat, & ſecundum legem acquirat. Si vero tempore Domini Karoli genitoris noſtri in Villa noſtra confugerit, & dominus ejus id quærit, actor ejuſdem Villæ aut legitime id contendat, aut quærenti domino reddat; & actor propter inveſtituram Domini Karoli noſtri genitoris, idem mancipium contradicere non audeat, etſi illius proprium eſſe cognoverit. I. 25. 78.

XXXVI. Volumus ut Miſſi noſtri, per ſingulas Civitates, una cum Epiſcopo, & Comite, vel Miſſo noſtro (5), vel noſtris hominibus, ibidem commanentibus, eligant, quorum cura ſit, pontes per diverſa loca emendare; & eos, qui illos emendare debent, ex noſtra juſſione ammoneant, ut unuſquiſque juxta poſſibilitatem ſuam emendare ſtudeat. III. 1. 32.

XXXVII. De injuſtis occaſionibus (6) & conſuetudinibus noviter inſtitutis, ſicut tributa ſunt, & telonea in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit, unde juxta cenſus exigi poſſit, vel ubi naves ſubtus pontes tranſire ſolent, ſive in medio flumine, ubi nullum eſt obſtaculum, ut auferatur, antequam ad noſtram notitiam deferatur (7). III. 1. 33.

XXXVIII. Legatio Miſſorum (8) noſtrorum hæc eſt: Primum, ut ſicut jam aliis Miſſis noſtris injunctum eſt, faciant juſtitiam de rebus & libertatibus injuſte ablatis. Et ſi Epiſcopus, aut Abbas, vel Vicarius, aut Advocatus, aut quislibet de plebe hoc feciſſe inventus fuerit, ſtatim reſtituatur. Si vero Comes, vel Actor dominicus, vel alter Miſſus Palatii noſtri hoc perpetraverit, & in

(1) Cod. Eſten. *vel pro ut opus fuerit, de ſingulis Plebibus juxta quantitatem* &c. Infra: *Hoc ideo dicimus mittendos tantos teſtes, ne juramentum aliquod faciendi neceſſitas contingat. Non tamen ideo tantos teſtes* &c. *ſed ut dum pluribus* &c.

(2) Cod. Eſten. *ut ipſam decimam dent*. Infra: *Et ſi in hoc minime ſe emendaverint*. Infra: *contemtores extiterint, tunc per publicam auctoritatem domus, vel caſæ earum Wiſentur*: hoc eſt, ſigno, auctoritate Comitis, ſive Judicis, ſuperpoſito, ſpecie quadam ſequeſtri apprehendantur a Curia, ſive Fiſco.

(3) Codex Eſten. *& ſuper ipſam Wiſam ſua auctoritate intrare præſumſerint, tunc a Miniſtris Reipublicæ in cuſtodia mittantur*. Cum his concordat Ambroſ. Codex. Idem olim erat *Reipublicæ Miniſter*, ac *Regis*, ut ex innumeris exemplis patet, de qua re mihi ſermo alibi erit, quando ſunt nonnulli, qui in meridiano ſole cæcutire noſtris temporibus volunt.

(4) In Cod. Eſten. legitur: *Si cujuslibet mancipia in Villam noſtram confugerint, Actor ejus Villæ*. Ita quoque apud Baluzium Tom. I. pag. 612. Infra: *ea non contradicat, ſed ſtatim ea foras* &c. *Et ſi ſe putat ad ea repetenda* &c. Infra: *in Villam illam confugium fecerint, & dominus ea quærat, Actor ejuſdem Villæ, aut legitime ea contendat* &c. At Ambroſ. Cod. habet: *legitime eum contineat*. In fine: *non audeat, ſi illius* &c.

(5) Cod. Eſten. *Cum Epiſcopo, & Miſſo noſtro, & Comite* &c. Emendanda hæc videntur ex editione Baluziana Tom. I. pag. 612. *una cum Epiſcopo, & Comite Miſſos, vel noſtros homines ibidem commanentes eligant*, (ſequitur etiam Cod. Eſten.) *quorum curæ ſit pontes per diverſa loca emendare, & eos, qui illos emendare debent, ex noſtra juſſione ammoneant, ut unuſquiſque juxta poſſibilitatem, & quantitatem eos emendare ſtudeant*. Ita quoque in Cod. Ambroſ.

(6) Supra quoque innui, *occaſionis* voce ſignificatum olim fuiſſe, quod nunc *Aggravio*, *Aggravj*, & *Gravezze* appellamus.

(7) Baluzius Tom. I. pag. 615. ita legit: *Antiquæ ad noſtram notitiam deferantur*. Verum retinenda lectio noſtra, cui Codex Eſten. ſuffragatur, & Boheriana Editio. Atque ita ſcribendum monet in fine, *præcipimus*, a Baluzio etiam prætermiſſum. Nam cur antiquæ conſuetudines ad notitiam Principis deferantur?

(8) Ita quoque in Cod. Eſten. Baluzius Tom. I. pag. 613. legit: *Legatio omnium Miſſorum*. Infra idem Codex: *& in noſtram poteſtatem redegerit*. Infra: *ad noſtrum revertatur judicium: quod eſt ita*. Baluzius legit: *ad noſtrum judicium reſervetur*.

& in nostra potestate redierit, res diligenter investigata & descripta ad nostrum revertatur judicium. (1) Volumus autem de his libertatibus, & rebus reddendis, quæ in nostra investitura sunt, ut primum quosque per optimos inquirantur: & si nec per illos rei veritas inveniri possit, tunc per eos, qui post ipsos jam in illa vicinia meliores sunt, rei veritas inveniatur. Et si nec per illos rei veritas inveniri possit, tunc liceat litigatoribus ex utraque parte testes adhibere, & si discordiaverint, secundum constitutionem a nobis promulgatam examinentur. II. 52. 17.

Formulæ veteres.

Petre te appellat Martinus, quod tu tulisti sibi injuste investituram de uno suo servo, vel bove, aut caballo. Petre te appellat Martinus, quod ipse stabat in sua libertate, & tu injuste misisti eum in tuum servitium. Petre te appellat Martinus, quod tu stabas in suum servitium, & injuste te tu tulisti de suo servitio. Petre te appellat Martinus, quod pars monasterii, vel publica, unde tu es Advocatus, tulisti sibi injuste investituram de uno suo servo, vel caballo. Similiter fit appellatio de investitura terræ injuste ablatæ, secundum quosdam. Sed sunt quidam, qui dicunt hoc debere finiri de investitura prædii. Si reus dixerit: de torto me appellas; tunc fit inquisitio investituræ publicæ per optimos vicinæ. Et si per illos invenire non possunt, tunc per eos, qui post illos in illa vicinia sunt meliores, veritas inveniatur. Et si per illos non invenitur, reddatur investitura per hanc legem, & offensa emendentur secundum legem illius, cui malum fecit. Si vero inveniri non possit, tunc appellator probet, & adversarius publicus det contra, si vult. Si vero non potuerit probare, aut rem perdat, vel ad aliam appellationem se volvat secundum quosdam. Si vero privatus fuerit, qui investituram alteri tulit, non debet esse inquisitio per hoc capitulum, sed probatio, vel ita ut perditor appellare voluerit, & post investituram emendetur, bannumque solvatur. Si vero probare voluerit, vel non potuerit, exdicat se reus cum suis sacramentalibus.

XXXIX. De honore ecclesiarum, ut per omnia eis exhibeatur, sicut nuper a nobis cum consensu omnium fidelium nostrorum, constitutum est (2). III. 1. 34.

XL. De nova & falsa moneta diximus, & de despectu nostrarum literarum, & de latronibus cohercendis, & puniendis, & faydis pacandis (3), & de homicidiis prohibendis, & de perjuriis & falsis testibus compescendis; & de his omnibus & ceteris his similibus (4) constituimus, ut omnibus annuncietur, & in futuro observetur. Hoc quoque volumus ut Missi nostri observent, & quidquid de his caussis, vel simul, vel singulariter emendare potuerint, emendent, & ea quæ emendaverint, diligenter scriptis notent, & hoc sic peragere curent, quatenus juste reprehendi a quoquam nullatenus possint; & quæ facere debent, aut quæ possint, nullatenus prætermittant. Imo caveant, ne quod absit, aut gratia alicujus, aut honoris, aut timoris, sive odii caussa illud, quod agere debent, omittant. Et summopere studeant in hoc, quod per se facere non possunt, nobis notum faciant; & in omnibus prævideant, ut per singula capitula, tam verbis quam scriptis, de omnibus quæ illic peregerint, nobis rationem reddere valeant. III. 7. 2.

XLI. De placitis (5) quidem, quæ liberi homines observare debent, constitutio genitoris nostri penitus servanda atque tenenda est: ut videlicet in anno tria solummodo generalia placita observentur. Et nullus eos amplius placita observare compellet, nisi forsitan quilibet aut accusatus fuerit, aut alium accusavit, aut ad testimonium perhibendum vocatus fuerit. Ad cete-

(1) Tum in Cod. Esten. tum apud Baluzium hinc exordium sumit diversa Lex. Verum duo illa verba in Cod. eodem addita, *quod est ita*, insinuare videntur continuandam esse Legem, & præcipue, quod hic etiam, ut supra, agatur de libertatibus & rebus reddendis. In Cod. Estensi infra habetur: *quæ in nostra vestitura sunt, ut primum per optimos quosque inquirant, nisi actio per investituram fuerit. Et si per illos rei veritas inveniri non possit, tunc per eos, qui post illos in illa* &c. Infra: *tunc liceat litigantibus*.

(2) Neque in Cod. Esten. plura leguntur. At Baluzius Tom. I. pag. 625. addit: *Et ut hoc Missi nostri omnibus in sua legatione constitutis notum efficiant*.

(3) In Estensi Cod. legitur: *& de faydis pagandis*. Baluzius pag. 616. legit, *pacandis*. Idem significat. Pretio enim componebantur plerumque, & componendæ *faidæ*, hoc est inimicitiæ, & simultates privatorum, ob quodpiam homicidium sive contumeliam inlatam enatæ. Neque Italicum *pagare* aliunde derivandum videtur, quam a Latino *pacare*.

(4) Cod. Esten. *De his omnibus & ceteris his similibus hoc quoque constituimus* &c. Infra: *Hoc volumus*. Ita conjungit hæc cum superioribus idem Codex. Baluzius autem hinc alteram exorditur Legem. Post aliquot lineas idem Cod. Esten. *& summopere studeant, ut hoc, quod per se*. Infra: *& omnibus modis prævideant*.

(5) Cod. Cathedr. Mutin. *De placitis siquidem, quos liberi &c.* Infra in Esten. non legitur: *Et nullus eos* &c. sed statim sequitur, *nisi forte quislibet aut accusatus fuerit, aut alium accusaverit, aut ad testimonium perhibendum* &c. In fine Cod. Esten. minime habet verba illa, *Et quicumque* &c. uti neque Baluzius. Attamen inter Lotharii I. Imperatoris Leges hanc repetit Codex Estensis, & quæ hic desiderantur, illic singula leguntur. Ibi inter cetera: *non alii venire jubeantur, nisi qui litigant, aut judicant, vel testificantur. Et quicumque hujus constitutionis transgressor a Missis nostris* &c. Ita & Cod. Cathedr. Mutin.

tera vero placita, quæ Centenarii tenent, non alius venire jubeatur, nisi aut qui litigat, aut qui judicat, aut qui testificatur. Et quicumque hujus constitutionis transgressor de Missis nostris inventus fuerit, bannum nostrum componat. II. 42. 3.

XLII. Ut de debito, quod ad nostrum opus fuerit wadiatum, talis consideratio fiat: ut is, qui ignoranter peccaverit, non totum secundum legem componere cogatur, sed juxta quod visum fuerit possibile. Is vero, qui tantum malum voluntarie perpetraverit, totam legis compositionem cogatur exsolvere. I. 2. 11.

XLIII. Ut nullus ad palatium vel in hostem pergens, de palatio vel de hoste rediens, tributum, quod transitorium (1) vocatur, solvere cogatur. I. 14. *16*.

XLIV. Ut pontes publici, qui per bannum fieri solebant, anno præsenti in omni loco restaurentur. III. 1. 35.

XLV. Ut clerici, & monachi fugitivi, & servi ad loca sua reverti jubeantur. I. 25. *79*.

XLVI. Ut nullus Episcopus, nec Abbas, nec Abbatissa, Centenarium Comitis, vel Comitem ad Advocatum habeat. II. 47. 4.

XLVII. Ut Vicarii, & Centenarii, qui fures & latrones (2) celaverint vel defenderint, secundum dictam sibi sententiam judicentur. I. 25. 80.

XLVIII. Ut Comites, & Vicarii, & Centenarii, de constitutione legis admoneantur (3), & propter justitiam pervertendam munera non accipiant. II. 52. 18.

XLIX. De forestibus nostris, & ubicumque fuerint, diligentissime inquirantur, quomodo salvæ factæ sint, & defensæ (4). Et Comitibus denuntietur, ne ullam forestem noviter instituant; & ubi noviter institutas sine nostra jussione invenerint, dimittere præcipiant. III. 35. 1.

L. Ut in illius Comitis ministerio, qui bonas (5) justitias factas habet, Missi nostri diutius non morentur, neque illic multitudinem convenire faciant: sed ibi moras faciant, ubi justitias, vel minus, vel negligenter factas invenerint. II. 52. *19*.

LI. Ut in illius Comitis ministerio ibidem Missi nostri placitum non teneant, qui in aliquo missatico directus est, donec reversus fuerit (*6*). II. 52. 20.

LII. Ut ubicumque (*7*) Missi nostri, aut Episcopum, aut Comitem, aut Abbatem, vel alium quemlibet, quocumque honore præditum, invenerint, qui justitiam facere noluerit, vel prohibuerit, de ipsius rebus vivant, quamdiu in eodem loco justitiam facere debent. II. 52. 21.

LIII. De observatione præceptorum nostrorum in immunitate (8), ita observetur, sicut a nobis & ab antecessoribus nostris constitutum est. III. 1. *36*.

LIV. Et Missi nostri, qui vel Episcopi, aut Abbates sunt, aut Comites, usque quo infra suam judiciariam vel terminum (*9*) fuerint, nihil de aliorum conjectu accipiant. Postquam vero inde longe recesserint, tunc accipiant secundum quod in sua tractoria continetur. Vassi vero nostri, & ministeriales, qui Missi sunt, ubicumque venerint, inde conjectum accipiant. III. 1. 38.

LV. Ut omnis ordo ecclesiarum Lege Romana (10) vivat, & sic inquirantur & defendantur res ecclesiasticæ, ut emphiteuseos contractus, unde ecclesia damnum patitur, non observentur, sed secundum Legem Romanam destruantur, & pœna non solvatur. III. 1. 37.

LVI. Omnibus igitur Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clero omnino (11) præcipimus, Vicedominos, Præpositos, Advocatos, sive Defensores bonos habere: non crudeles, nec cupidos, non perjuros, non falsitatem

(1) Cod. Esten. *vel de Palatio, vel de hoste rediens, tributum, quod Transitura vocatur.* Baluzius pag. 617. legit: *quod Trasturas vocant*. Tum in Notis Tom. II. pag. 1196. diversimode hanc vocem scriptam ostendit.

(2) Cod. Esten. *vel latrones*. Infra: *secundum sibi datam sententiam judicentur.*

(3) In Cod. Esten. *ammoneantur, qua jubetur, ut propter justitiam pervertendam munera nullus accipiat.*

(4) Cod. Esten. *quomodo salva facta sint, & defensa. Et Comitibus nuntietur, ne ullum foreste noviter instituant: & ubi noviter instituta* &c. *dimitti præcipiant.*

(5) Cod. Esten. *qui bene justitias factas habet.*

(6) Cod. Esten. *donec ipse reversus fuerit.* Baluzius pag. 618. Tom. I. Legem hanc exhibet, eique uno tenore conjungit alteram, cujus initium est: *Ut causa quæ adhuc* &c. At ista ad Carolum M. pertinet, eamque supra attulimus Cap. CXVIII.

(7) Cod. Esten. *Ut ubicumque ipsi Missi nostri.*

(8) Cod. Esten. *& emunitatum.*

(9) Baluzius pag. 618. Tom. I. aliter legit his verbis: *quamdiu prope suum beneficium fuerint*. Cod. Esten. cum editione nostra consentit. Jam alibi monui, *conjectus* voce significari contributionem, hoc est *Albergarium*, seu *Mansionaticum*, *Paratam*, *Paraveredos*, & horum similia. Infra idem Codex habet: *secundum quod in sua Epistola Tractoria continetur*: quod nihil attinebat addere: *Tractoriam* enim qui legit, subintelligit *Epistolam*.

(10) Cod. Esten. & Baluzius pag. 690. *secundum Legem Romanam*. Ergo statim ac quisquam Clericali militiæ adscribebatur, sive Salicus, sive Langobardus, sive Alamannus foret, Romana Lege in contractibus uti incipiebat. Edictum celebre, quod in usu fuisse innumeræ Chartæ superstites fidem faciunt. Infra: *ut emphyteosis, unde damnum Ecclesiæ patiuntur, non observetur, sed secundum Legem Romanam destruatur* &c.

(11) Cod. Esten. *omnimodo præcipimus Vicedominos* &c. Quamquam officium *Vicedominatus*, ut alibi monui, ecclesiasticis viris deferretur, nihilominus puto, Episcopos quosdam illud peculiari alicui Familiæ per privilegium contulisse, unde postea nobiles *Vicedominorum*, nunc *Visdomini*, Familiæ cognomen traxerunt. Infra idem Cod. Esten. *non malos, non crudeles*. Infra: *& in omnibus justitiam diligentes* &c.

tatem amantes, ſed Deum timentes, & in omnibus juſtitiam facientes, vel diligentes. De judicibus autem, vel Centenariis, atque Tribunis, vel Vicariis, dignum eſſe cenſuimus, ut ſi mali fuerint reperti, de miniſterio ſuo abjiciantur. II. 47. 5.

LVII. Si ſervi per contumaciam collecta multitudine vim intulerint alicui, id eſt, aut homicidium, aut incendium, aut qualecunque damnum (1) fecerint, domini eorum, quorum negligentia evenerit hoc, pro eo quod conſtringere noluerint, ut talia facere non audeant, bannum noſtrum ſolvere cogantur; id eſt, LX. ſolid. componant. I. 17.8.

LVIII. Placuit nobis de liberis (2), vel illis hominibus, qui ſe per XXX. annos liberos eſſe dicunt, ut per hanc poſſeſſionem liberi non ſint, niſi de ingenuo patre aut matre nati ſint, aut chartam libertatis oſtendant. II. 35. 13.

LIX. (3) Homo de ſtatu ſuo pulſatus, ſi is, qui eum pulſat, ad vincendum illum procinctos habuerit, adhibeat ſibi VIII. legitimos juratores ex ea parte, unde pulſatur, ſive illa paterna, ſive materna ſit, & quatuor aliunde non minus legitimos, & jurando vindicet libertatem ſuam. Quod ſi procincti defuerint, aſſumat undecumque XII. liberos homines, & jurando ingenuitatem ſuam defendat.

LX. (4) Inter duos fratres anni curricula non computentur, ſed ſemper æqualiter dividant, quia de uno patre & matre nati ſunt. Et hæc curricula uſque in tertium ſequantur gradum.

LXI. (5) Ut pueri adultæ feminæ non conjungantur. Inventi ſunt enim multi maxime de ruſticis, qui adultas feminas ſub nomine parvulorum ſuorum filiorum in domos ſuas induxerint, & poſtmodum ipſi ſoceri nurus ſuas adulteraſſe convicti ſunt. Idcirco inhibendum committimus, ut nullus deinceps cum parvulis pueris adultas feminas conjungat. Sed poſtquam adoleſcentes in legitimam ætatem venerint, tunc legitime poſſunt ſe matrimonio copulare.

LOTHARII I. LEGES.

LOTHARIUS REX.

„ *Lotharii Regis Lector nunc ſcripta videbis.*

I. SI liber homo (6) ſe ipſum ad ſervitium implicaverit, pro aliquibus cauſſis, & liberam feminam habuerit, aut infantes, ipſi in eorum libertate permaneant. Et ſi ipſa mulier defuncta fuerit, & aliam liberam feminam ſibi copulaverit ſervienti, ipſa in ſervitio permaneat. II. 33. 3.

FORMULÆ.

MAria cum Donato tuo tutore Petrus te appellat, quod es ſua ancilla, & malo

(1) Cod. Eſten. *aut quantaſcumque rerum direptiones fecerint*. Baluzius Tom. I. pag. 773. legit: *aut qualiumcumque rerum* &c. Codex vero Ambroſ. *vel qualemcumque rerum direptionem* &c. Infra iidem Codices Eſten. & Ambroſ. hæc habent, quorum pars in Editis deſideratur: *ut talia facere non auderent, bannum noſtrum, id eſt LX. ſolidos ſolvere cogantur; & ſolidos LX. perſolvant pro unoquoque, ſi Langobardi ſint domini. Similiter & de aldiis.* Num hæc Legem, an Gloſſam referant, aliorum judicium eſto.

(2) In Cod. Eſten. *Placuit nobis de illis hominibus, qui* &c.

(3) Hanc Legem inter editas Langobardicas non invenio. Eam ſuppeditavit Codex Eſten. jamque habebamus evulgatam a Baluzio Lib. IV. Cap. 26. Capitular. pag. 781. DuCangius eam memorans tribuit Carolo M. At hic refertur ad Ludovicum Pium. Legit Baluzius, *procinctum habuerit*; & infra, *quod ſi procinctus defuerit*. Quid vero *procinctus*, aut *procincti* ſignificet, non facile decernas. Num paratos teſtes? num expeditum proceſſum, & citationes omnes jam peractas? In Ambroſ. Codice, ubi hæc eadem occurrit, legi videtur *proçunctos*, & *proçuncti*. Sed hinc tenebræ accreſcunt.

(4) Et hanc do ex Cod. Eſten. eamque editam nondum deprehendi. Eamdem exhibet & Codex Ambroſ. ſed Pippino Italiæ Regi tribuit. Inter Leges Liutprandi ſupra Lib. VI. decimaſexta de Præſcriptione Rerum *inter fratres* habetur. Hanc igitur corrigere Ludovico Auguſto placuit.

(5) Ne hanc quidem inter Langobardicas, imo neque a Baluzio evulgatam vidi. Eam exhibet Eſten. Codex uti & Ambroſ. Monendus tamen Lector, fuiſſe hanc Legem hauſtam ex Can. XXIV. Synodi Ticinenſis habitæ anno 850. ac editæ a Labbæo Tom. VIII. Concilior. pag. 69. Quare niſi velimus, ab iis Patribus repetitam fuiſſe Ludovici Pii Legem (quod minime veri videtur ſimile), eidem Ludovico Lex iſta tribui nequit; ſed quidem a Ludovico II. Auguſto ejus nepote confirmata fuerit, uti & de aliis Synodorum ſanctionibus factum infra patebit. Vide ſupra inter Liutprandi Leges Cap. LXXVI. Lib. VI. & Cap. CXLV. Caroli M. quibus hæc eadem conjugia interdicuntur. Repetitæ Leges vitium contumax fuiſſe produnt.

(6) Vide Legem alteram infra ejuſdem Lotharii Cap. LXXXVII. ab iſta non abſimilem: Lu-

malo ordine ſubtrahis te de ſuo ſervitio. Libera ſum naſcendo. Hoc dico ego, quod tu te ſciente ſociaſti te in conjugio cum Martino meo ſervo, qui mihi fuit traditus per crimen, aut per debitum.

II. Si quis liber (1) homo uxorem alienam adulteraverit, & ſecundum leges in manus ejus traditi fuerint, & poſtea convicti fuerint, a publicis partibus recipiantur, & qui ipſos comparatos habuerint, pretium ſuum perdant. I. 32. 7.

Formulæ veteres.

PEtre te appellat Martinus, qui eſt Advocatus de parte publica, quod tu comparaſti Marcoardum, qui adulteravit mulierem Doniſmundam, ſimul cum adultera, & poſtea ſunt convicti. Non Deo placet, ut hoc ſit verum. Da vadimonium, ut te excdicas, aut emendes.

III. (2) Volumus, ut Comites noſtri licentiam habeant inquiſitionem facere de ipſa conjunctione adulterii.

IV. Volumus de obligationibus, ut nullus (3) per ſacramentum, nec per aliam obligationem adunationem faciat, & ſi hoc facere præſumſerit, tunc ille qui prius concilium inchoavit, & hoc factum habet, in exilio ab ipſo Comite in Corſicam mittatur (4): & illi alii bannum noſtrum, id eſt LX. ſol. componant. Et ſi talis fuerit, qui non habeat unde componat, LX. ictus accipiat. I. 17. 9.

Formulæ veteres.

PEtre te appellat Martinus, qui eſt Advocatus de parte publica, quod tu fe-

ciſti adunationem per obligationem. Et fuiſti in capite. Petre te appellat Martinus, qui eſt Advocatus de parte publica, quod Paulus fecit adunationem per obligationem, & fuit in capite, & tu fuiſti cum ipſo.

V. Volumus, ut cum collectis (5) vel ſcutis ad placitum Comitis nullus præſumat venire, & ſi præſumſerit, bannum noſtrum componat. II. 46. 2.

VI. De ſanctimoniali femina ſtatuimus, ut ſi adulterium fecerit, & inventum fuerit, res quas habeat (6) in fiſco noſtro ſocientur. Perſona vero ejus ſit in poteſtate Epiſcopi, in cujus Parochia eſt, ut in monaſterio mittatur. II. 37. 5.

VII. Volumus, ut Epiſcopi, & Abbates, & Abbatiſſæ, ſuos Advocatos habeant, & planiter (7) juſtitiam faciant ante Comitem ſuum. II. 47. 6.

VIII. De illis hominibus, qui res ſuas alienaverunt, ubicumque ſuper eas reſident, diſtringat eos Comes (8) per excubias publicas, ſicut lex continet. III. 9. 2.

IX. Placuit nobis de omnibus liberis (9), ut nihil eis ſuperponatur, niſi ſicut lex eſt, & rectitudo continet. III. 12. 3.

X. Volumus ut Epiſcopi, una cum Comite, ſuos Advocatos eligant. II. 47. 7.

XI. Volumus de (10) excubiis publicis, quæ ad utilitatem Regni noſtri pertinent, præcepta emunitatum impedimentum non præſtent, ſed adjutorium. III. 1. 39.

XII. Ut Cancellarii electi boni & veraces chartas publicas (11) conſcribant ante Comitem, & Scabinos, & Vicarios ejus. Et nullis modis hoc facere præſumat de pecunia vel ſubſtantia, antequam legitimum pretium detur. II. 40. 1.

Ludovicus tamen Pius ſupra Lege V. interdixerat hujuſmodi *obnoxiationes* libertatis; ita enim antiquæ Formulæ appellant, ſe mancipare alicujus ſervitio.

(1) In Ms. Eſten. uti & in Ambroſ. & apud Baluz. Tom. II. pag. 321. non additur *liber*. Infra idem Cod. *& ſecundum Legem ei in manum*, hoc eſt, adulteræ marito tradantur. Infra: *partibus publicis recipiantur*: id eſt Fiſco Regis, cujus fiant ſervi. Vide infra Cap. LXXVI. Legem alteram Lotharii ipſius huic conformem.

(2) A corpore Langobardicarum Lex iſta abeſt: neque eam a Baluzio editam animadverti.

(3) Cod. Eſten. *ut nullus homo per ſacramentum, nec per obligationem*. Infra: *qui prius ipſum conſilium*.

(4) Aliqua addit Cod. Eſten. quæ neque apud Baluzium leguntur Tom. II. pag. 321. nempe: *componant, niſi obligatio ſit facta, vel inemendata per Comitis negligentiam, & auctor facti ſit præditus aliqua dignitate. Et ſi* &c. Fortaſſe Gloſſator quiſpiam addidit.

(5) Cod. Eſten. habet: *ut cum collecta*, id eſt, ut in præcedenti Lege, cum adunatione hominum, quaſi vim illaturus, aut Judici, aut adverſario. Supra vidimus Pippinum Regem Cap. XLII. vetuiſſe, ne quis *arma ad mallum vel ad placitum* deferret. Cod. Eſten. in fine habet: *bannum componat*.

(6) Idem Cod. *quas habet*. Infra: *ut in Monaſterio intromittatur*. Agitur hic de iis Monialibus, quæ in ſuis ædibus vitam agebant, quales nunc ſunt, quæ *Tertiariæ* & *Pinzocheræ* appellantur. Vide infra Legem LXXXVIII. ejuſdem Lotharii.

(7) Cod. Eſten. *& plenam juſtitiam faciant*: hoc eſt, cuicumque eos vocanti in jus ob aliquam cauſam, rite ſecundum leges reſpondeant ac ſatisfaciant.

(8) Cod. Eſten. *diſtringant eos Comites per excubias publicas*. Nomine *publicarum excubiarum* cenſet Du-Cangius ſignificari quodlibet gravamen ſubditis a dominis impoſitum, quamquam hic agi tantum videatur de cuſtodia urbium. Vide infra Legem XI. Verumtamen in Lege XXII. ejuſdem Lotharii, *hoſtem & reliquas publicas functiones facere jubentur*. Codex Eſten. in fine hæc addit: *continet; & tria generalia Placita cuſtodiant*: uti præcipitur ſupra Cap. XLI. Legum Ludovici Pii.

(9) Cod. Eſten. *de hominibus liberis*. In fine (fortaſſe Gloſſa) additur: *id eſt, ut faciant vias, & pontes*.

(10) Idem Cod. *Volumus, ut de excubiis, quæ ad utilitatem Regni noſtri pertinent, præceptum emunitatum* &c.

(11) Rectius quam in Eſten. Cod. *chartas publice*. Infra idem Cod. *Et nullo modo hoc facere præſumant de pecunia, antequam legitimum pretium detur*. Tum ſequitur Gloſſa: *Per hoc dicitur: Habes pretium juxta chartam*.

XIII. De Cancellariis, qui veraces electi sunt, ad homines infirmos veniant, & secundum legem instrumenta chartarum scribant, & a testibus roborentur; & statim cum scriptæ chartæ fuerint, ostendantur ante Episcopum, (1) & Comitem, & Judicem, vel Vicarios, aut in Plebe, ut veraces esse cognoscantur. II. 40. 2.

XIV. Ut mulieres Romanæ, quæ viros habuerunt Longobardos, eis defunctis a lege viri sui sint absolutæ, & ad suam revertantur legem. Et hoc statuimus, ut simili modo servetur in ceterarum natione mulierum (2). II. 7. 2.

XV. Placuit nobis, ut si pro quibuslibet culpis atque criminibus quæcumque persona totiens fuerit correpta, ut etiam excommunicatione pro contemtu digna habeatur, Comitem suum Episcopus sibi societ, & per amborum consensum hujuscemodi distringatur contemtor, ut jussioni Episcopi sui obediens existat. Si vero assensum non dederit, bannum nostrum nobis persolvat. Quod si adhuc contumax extiterit, tunc ab Episcopo excommunicetur. Si vero excommunicatus corrigi nequiverit, a Comite in vinculis distringatur, quousque nostrum contemtor suscipiat judicium. Si vero Comes in talibus repertus fuerit noxius, per Episcopum ejus nobis nuncietur. Si autem Vassus noster in hac culpa fuerit reptus, sicut supra, a Comite distringatur (3). Quod si eum non audierit, nobis innotescat, antequam in vinculis mittatur. II. 54. 1.

XVI. Volumus ut omnibus modis (4) emunitates Progenitorum nostrorum præcepto seu nostro pleniter ac juste observentur. III. 1. 40.

XVII. Volumus ut res, quæ a liberis personis locis dedicatis (5) conferuntur, liceat sibi usumfructum & ordinationem rerum earundem, si aliter sibi placuerit, reservare. Si aliter eas non ordinaverit, ita remaneant, sicut prius datæ fuerint. II. 18. 8.

XVIII. Singulis Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, duos concedimus Advocatos (6) habere. Eos quoque unum, qui caussam procuret, alium qui sacramentum deducat; eosque quamdiu advocationem tenuerint, ab hoste relaxamus. II. 47. 8.

XIX. Prohibemus enim, (7) ut nemo usuras facere præsumat post sui Episcopi contestationem. Quod si quis post ejus interdictum facere præsumserit, a Comitibus, sicut supra dictum est de contemtoribus, præcipimus ut distringatur. II. 54. 2.

XX. Præcipimus, ut singulæ plebes secundum antiquam consuetudinem fiant emendatæ. Quod si filii ejusdem ecclesiæ eas restaurare noluerint, a ministris Reipublicæ distringantur, ut volentes nolentesque nostram observent præceptionem. III. 1. 41.

XXI. De precariis, quæ a Rectoribus ecclesiarum irrationabiliter fiebant, & se suosque successores pœna gravi obligabant, ut facta ejus (8) nequirent dissolvere, præcipimus, ut nemo successor in antecessoris sui pœna statuta sit obligatus; sed suæ providentiæ concessum, ut si antecessor ejus res ecclesiæ irrationabiliter distribuerit, ab eo eidem ecclesiæ ad jus tenendum revocentur. III. 10. 2.

XXII. Placuit nobis, ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob vitandam Reipublicæ utilitatem, fraudulenter ac ingeniose res suas ecclesiis delegant, denuo sub censu (9) utendas recipiunt, ut quousque res ipsas possident, & hostes, & reliquas publicas functiones faciant. Quod si jussa facere neglexerint, licentiam eos distringendi Comitibus permittimus per ipsas res, non resistente immunitate; ut status & utilitas Regni nostri hujusmodi adinventionibus non infirmetur. III. 9. 3.

XXIII. Volumus ut similiter in laicali ordine hæc servetur mensura (10), videlicet, ut si quis alterius proprietatem, qui hostem facere possit, emerit, aut quovis modo ad eum pervenerit, eique ad utendum eam dimiserit, si negligenter de hoste fuerit, per ipsas res a Comite distringatur, ut quoquo modo publica utilitas non minoretur. III. 9. 4.

XXIV. (11) Præcipimus, ut de his fratri-

(1) Sequitur in Cod. Esten. *vel ante Comitem, Judices vel Vicarios, aut in Plebe* (hoc est, in Ecclesia rurali) *ut verax agnoscatur esse.*

(2) In Cod. Esten. subnectitur Glossa: *Sic de aliis scilicet effectis per argumentum.*

(3) In Cod. Esten. *sicut supra per Comitem distringatur. Quod si non audierit, nobis innotescat* &c.

(4) Cod. Esten. *ut omnimodis emunitates pro jussione genitorum nostrorum, seu nostra, pleniter ac juste conserventur.* Cod. Ambros. *immunitates Progenitorum nostrorum, seu nostræ, pleniter* &c. Vide supra inter Pippini Leges Cap. XIX.

(5) Cod. Esten. *locis Deo dicatis* &c. Infra: *eas non ordinaverint.*

(6) Cod. Esten. *Advocatos, unum, qui causas procurent, alterum vero* &c. Hæc minime habet editio Baluziana Tom. II. pag. 323.

(7) Cod Esten. *Prohibemus, ut nemo.*

(8) Cod. Esten. *ut facta ipsius.* Infra: *sed suæ providentiæ sit concessum.* In fine: *ab eo ejusdem Ecclesiæ ad jus* &c.

(9) Cod. Esten. *easque denuo sub censum utendas recipiunt, ut quousque* &c. Infra: *per ipsas res, nostra non resistente emunitate.* Hic Baluziana editio manca est Tom. II. pag. 324. desideratur enim ibi: *Quod si jussa*, usque ad finem. Vide supra Legem VIII.

(10) Cod. Esten. *ut similis mensura in laicali ordine de hac re servetur, videlicet,* &c. Infra: *dimiserit, si negligens.* In fine: *ut in quocumque publica non minoretur utilitas.* Legem hanc Baluzius Pippino Italiæ Regi tribuit, eamque refert Tom. I. pag. 547.

(11) Cod. Cathedr. Mutin. Carolum M. hujus Legis auctorem exhibet. Eam Baluzius Tom. I. pag. 547. Pippino Italiæ Regi adscribit. Infra Cod. Esten. *Romanæ finibus* legit. Cod. Cathedr. Mutin. *Romaniæ finibus*; Baluzius autem, *Romanis finibus*. A pluribus adnotandis hic tempero.

tribus, qui in noſtris & Romanis finibus in paternam vel maternam ſuccedunt hereditatem, ſi contigerit, quod unus eorum eccleſiaſticæ militiæ ſit mancipatus, & idcirco is, qui ſeculariter militare debuerat, ut ſe ad defenſionem Regni (1) ſubtrahat, in noſtris finibus partem ſubſtantiæ in portionem ſuſcipere diſſimulaverit, idcirco ut neque a Comite diſtringi valeat: ubicumque enim ſuus Comes eum invenerit, licentiam diſtringendi ei concedimus, ita ut primum fidejuſſorem donet, ut ad placitum veniat, & bannum noſtrum perſolvat. Si vero fidejuſſorem non invenerit, tamdiu per Comitem ſub cuſtodia teneatur, quouſque fidejuſſorem inveniat, & bannum noſtrum perſolvat. III. 9. 7.

Glossa.

Per hoc exemplum capiuntur, qui fidejuſſorem non habent, quod ſtultorum eſt. Jurare enim debent, ſe non poſſe, ut Romani.

XXV. (2) Homo ingenuus, qui multam quamlibet ſolvere non potuerit, & fidejuſſorem non habuerit, liceat ei ſemetipſum in vadia ei, cui debitor eſt, mittere, uſque dum multam, quam debuit, perſolvat.

XXVI. De liberis (3) vero hominibus, qui in alienam poteſtatem mobile ſuum transferunt, ut cauſſatores eorum pignorare eos non poſſint, placet nobis, ut eorum res infiſcentur, quouſque venientes ad audiendam juſtitiam faciant. Si vero venire contemſerint, ſecundum Capitulare domini ac genitoris noſtri, de rebus eorum agatur. Nam & de rebus eorum habita æſtimatione damnum quæſitori ſarciatur. Qui vero illud mobile recipit, ſi hoc per ſacramentum probare non potuerit, quod propter juſtitiam alterius differendam illud mobile non recepiſſet, bannum noſtrum perſolvat. (4) De fratribus namque, qui ſimul in paterna ſeu materna hereditate vivunt communiter, nolentes ſubſtantiam eorum dividere, occaſione ut unus eorum tantum in hoſtem vadat, volumus ut ſi ſolus eſt, vadat. Si vero duo, ſimiliter. Si vero tres fuerint, unus remaneat. Si ultra tres numerus creverit, unus ſemper propter domeſticam curam, atque rerum communium excolentiam, remaneat. Si vero inter eos aliqua fuerit orta contentio, quis eorum expeditionem facere debeat, tunc prohibemus, ut nemo eorum remaneat. In ætate quoque illorum lex propria ſervetur: & in nepotibus hæc conditio remaneat ſimiliter. III. 9. 8.

XXVII. Ut in teſtimonium non recipiantur de his capitulis, id eſt de hereditate, de proprietate aut libertate, de mancipiis, vel terris, ſive de homicidio, & de incendio, (5) illi qui non habent, ſi convicti fuerint falſum dixiſſe teſtimonium, unde ſecundum legem compoſitionem plenam facere poſſint. II. 51. 13.

XXVIII. Statuimus, ut juratores omnes ſingulariter (6) jurent. Et quicumque ſacramentum vel debitum ante ſolis occaſum perſolverit, ſecurus inde ſit. II. 55. 28.

XXIX. (7) Videtur nobis, ut quicumque liber homo ingenioſe in ſervitium alicujus ſe tradiderit, is qui eum recipit, hoc quod ille, qui ſe in ſervitium tradidit, in publico per antiquam conſuetudinem facere debuit, adimpleat. III. 9. 5.

XXX. De his, qui proprietates ſuas habent, & ſpontanea voluntate alicui delegaverint, & poſtea fraudulenter ab aliquo alio ignorante pretium de eiſdem rebus venumdatis accipiunt; & cui ipſæ res prius traditæ fuerint, cognito negotio anno integro ſilens non contradixerit, ſed propter illuſionem tacens fuerit, ut emtorem illudere poſſit: (8) ſi intra patriam per annni ſpatium,

(1) Codex Eſten. *ut ſe a defenſione Regni noſtri ſubtrahat*. Infra Codex Cathedr. Mutin. *ut nequeat conſtringi a Comite*. Infra Cod. Eſten. *Ubicumque ſuus Comes*. Infra idem Cod. *ita, ut ad Placitum ſuum veniat*. In fine: *quouſque fidejuſſorem inveniat, aut bannum noſtrum ſolutum habeat*.

(2) Inter Langobardicas Leges hanc editam non invenio. At eam exhibet editio Baluziana Tom. I. pag. 396. ibique Carolo M. attributam videas.

(3) Cod. Eſten. *De liberis hominibus*. In editione Baluziana tribuitur Lex iſta Pippino Italiæ Regi. Sed contra ſentit Codex Eſten. qui infra & ipſe habet, *ad audiendam juſtitiam*; ſed ſcribendum cum Baluzio, *ad audientiam, juſtitiam* &c. Infra idem Cod. Eſten. *Nam & de ipſis rebus habita* &c.

(4) In Cod. Eſten. exordium hinc ſumit Lex diverſa a præcedenti, & quidem merito: diverſum quippe eſt argumentum. Attamen ab editis diſcedere nolui. Infra Codex Eſten. *Si autem duo ſunt, ſimiliter: ſi tres fuerint, unus remaneat. Et ſi numerus ultra tres fratres creverit*. In fine: *hæc conditio teneatur ſimiliter*.

(5) Legitur in Cod. Eſten. *excepto ſylvali*. Baluzius Tom. II. pag. 337. Legem referens hæc duo verba omittit; quod & facit editio Boheriana; & Cod. Ambroſ. Neque a vero longe abeat, qui Gloſſam putet. *Excepto Silvali*, hoc eſt, incendio ſilvæ, quod facinus peculiari pœna puniendum, ut infra videbis in Lege LXXVIII. ipſius Lotharii I. Alii legunt in fine: *id eſt Widrigild*. Sed in Ms. Ambroſ. non legitur. Fortaſſe gloſſema in textum irrepſit.

(6) Cod. Eſten. *ſigillatim jurent*. Baluziana editio hanc Legem oculis meis non exhibet.

(7) Et hanc Legem Baluzius, concors cum editis Goldaſti, & Boherii, tribuit Pippino Italiæ Regi Tom. I. pag. 547. Infra: *in publico per antiquam* &c. Du-Cangius in Gloſſario ad vocem *obnoxiatio* Legem hanc memorat, atque ab ea arbitratur præcipi, ut ſi quis vendere ſuam libertatem velit, ne fraus oriatur, id *in publico, ſcilicet in Curia coram Magiſtratibus* peragere cogatur. Parum attente hæc doctiſſimus Vir legit. Supra in Lege VIII. & XXII. qui libertatem ſuam alteri vendit, ad publicas functiones, & excubias adhuc præſtandas compellitur. Hic dominus ejuſdem ſervi onera pro illo ſubire jubetur. Hoc unum Lex iſta ſibi vult.

(8) Codex Eſten. *illudere poſſit. Si infra patriam*. In fine: *Si vero bannum unde componat, non habuerit, verberetur*.

tium, ut dictum est, tacens fuerit, prior traditio nihil ei valeat. Ille vero qui post primam traditionem res vendiderit, si vivens comprobatus fuerit hanc illusionem fecisse, bannum dominicum, id est LX. solid. componat: Si vero unde bannum componere non habuerit, verberetur. II. 19. 1.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Et quid tibi pertinet? Per chartam, quam mihi fecit Marquardus. Contra legem est; quia postquam fecit mihi unam traditionem, non potuit tibi facere aliam. Hoc dico ego: quod tibi fuit cognitum, quando mihi vendidit, & tacuisti unum annum per illusionem. Et probet. Si dixerit: non fui infra patriam: probet ipse, qui habet posteriorem chartam. Si dixerit ipse, qui habet priorem chartam: tibi fuit cognitum, quod mihi erat vendita ipsa terra: probet.

XXXI. (1) Quibuscumque per legem, propter aliquam contentionem, pugna fuerit judicata, præter de infidelitate, cum fustibus & scutis pugnent, sicut in Capitulare dominico prius constitutum est. II. 55. 29.

XXXII. De fugitivis præcipimus, ut ministri Reipublicæ a domino fugitivi nihil accipiant, cum reddiderint eos. I. 25. 81.

XXXIII. Videtur nobis de aldionibus, ut sicut lex habet, ita fiat. I. 25. 82.

Capitula facta a Lothario secus urbem Romam (2).

XXXIV. Constitutum habemus, ut omnes qui sub speciali defensione nostra, seu Domni Apostolici fuerunt recepti (3), impetrata inviolabiliter justa utantur defensione. Quod si quis contemptorum in quocumque tempore hoc violare præsumserit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursurum. Nam & hoc decernimus, ut Domno Apostolico (4) in omnibus observent obedientiam, seu Judicibus, ac Ducibus suis ad justitiam faciendam. III. 11. 1.

XXXV. Volumus ut (5) deprædationes, quæ hactenus fieri solebant, ne fiant, neque vivente, neque defuncto Pontifice. Si quis vero hoc ulterius fecerit, sciat se legali sententia esse damnandum. Quæ autem retro actæ sunt, placet nobis, ut per dispositionem nostram legaliter fiant emendatæ. III. 11. 2.

XXXVI. Volumus, ut in electione Pontificis nullus præsumat venire, neque liber, neque servus, qui aliquod impedimentum faciat illi, exceptis solummodo (6) Romanis, quibus antiquitus fuit consuetudo concessa, per constitutionem sanctorum Patrum sit facultas eligendi Pontificem; Et si quis contra hanc jussionem facere præsumserit, in exilio tradatur. III. 11. 3.

XXXVII. Volumus, ut cunctus Populus Romanus interrogetur, quali lege vult vivere; ut tali lege, (7) quali vivere professi sunt, vivant. Illisque denuncietur, ut hoc unusquisque, tam Judices, quam Duces, vel reliquus Populus sciat. Quod si offensionem contra eandem legem fecerint, eidem legi, qua profitentur vivere, per dispensationem Pontificis ac nostram subjaceant. II. 57. 1.

XXXVIII. De rebus ecclesiarum injuste invasis sub occasione (8), quasi licentia accepta

(1) Nisi me fefellerunt oculi, Legem istam in editione Baluziana non inveni. Infra Cod. Esten. *præter de infidelitate Regis*. Sequitur Cod. Ambros. *cum fustibus pugnent*.

(2) Ita legitur in Cod. Esten. Eadem bis exhibet Baluzius Tom. II. Capitular. pag. 317. & 319. Tu apud illum variantia quærito. Pagius quoque eadem profert in Critic. Baron. ad an. 824. quo facta perhibentur.

(3) Codd. Esten. & Ambros. hæc ita habent: *sub speciali defensione Domni Apostolici seu nostra fuerint suscepti*. Hanc tutelam & protectionem iis etiam temporibus appellabant *Mundiburdem* & *Mundiburdium*. Infra idem Cod. *impetrata inviolabiliter juste utantur defensione*. Ergo quidem antea ejusmodi Mundiburdio abusi fuerant, ac propterea seditiones in Urbe emerserant. Infra idem Codex Esten. & Ambros. *Quod si quis in quocumque hoc contemtor violare præsumserit*.

(4) Accipe quæ habeant Codices Ambr. & Estensis; *ut Domno Apostolico in omnibus ipsi justam observent obedientiam, seu Ducibus ac Judicibus ad justitiam faciendam*. Tum in Estensi subjicitur Glossa, quam divinatoribus perpendendam relinquo, scilicet: *In hoc Capitulo fiat commemoratum de Viduis, & orphanis, Theodoris, & Floronis, & Sergii*. Numquid hic alluditur ad *Theodorum Primicerium S. R. E.* & *Leonem Nomenclatorem*, Anno præcedenti 823. in Patriarchio Lateranensi excæcatos, ac deinde decollatos, quorum mentio est in Annalibus Francorum? Pro *Exonis* fortasse scriptum *Floronis*; *Sergii* quoque *Secundicerii* cædes sub Adriano I. ad annum circiter 772. narratur. Hæc mea conjectura.

(5) In Codd. Esten. & Ambros. *Et deprædationes, quæ hactenus fieri solebant, prohibemus ne fiant*. Infra: *Quæ vero retro actæ sunt, placet nobis, ut secundum dispositionem nostram fiant legaliter emendatæ*.

(6) Cod. Esten. *Et illis solummodo Romanis*. Infra: *Quod si quis contra hanc nostram jussionem facere præsumserit, exilio tradatur*.

(7) Audi Cod. Esten. *ut quali professi fuerint vivere velle, vivant. Illisque nuntietur, quod hos unusquisque sciat, tam Duces, quamque & Judices, vel reliquus Populus, quod si* &c. In fine: *eidem Legi, quam profitentur, per dispositionem Pontificis & nostram subjacebit*. Ergo Romæ quoque obtinebat usus Legis *Langobardicæ*, *Francicæ*, aliarumque ejusmodi; neque una Romanorum Lex tunc in Quiritum foro audiebatur.

(8) Supra in Lege XXXVII. Ludovici Pii *injustæ occasiones* prohibentur, uti & in Lege V. Pippini. Hic significare videtur, quod nos diciamus *sotto pretesto*, quasi Pontifex licentiam invadendi dedisset. Lucem hæc ab Annalibus Francorum accipiunt. Ita ergo Astronomus in

cepta a Pontifice, & de his quæ necdum redditæ ſunt, & tamen fuerunt a poteſtate Pontificum injuſte invaſæ, volumus, ut per Miſſos noſtros fiant emendatæ. I. 27. 11.

XXXIX. Placuit nobis, ut cuncti Judices, ſive hi, qui cunctis præeſſe debent, per quos judicia vel poteſtas in hac urbe Romana (1) agi debeat, in præſentiam noſtram veniant; quorum volentes nomina & numerum ſcire, & ſingulis de miniſterio ſibi credito admonitionem facere, III. 36. 1.

XL. Noviſſime admoneatur omnis homo (2), ut ſicut Dei gratiam, & noſtram habere deſiderat, ita præſtet obedientiam & reverentiam huic Pontifici. III. 11. 3.

XLI. De pontibus vero, vel reliquis his ſimilibus operibus, quæ per antiquam conſuetudinem eccleſiaſtici homines, per juſtitiam (3) cum reliquo populo facere debent, hoc præcipimus, ut eccleſiæ Rectores eos interpellent, & eis, ſecundum quod poſſibile fuerit, portio deputetur, ut per alium exactorem eccleſiaſtici homines ad opera non compellantur. Si vero opus ſuum conſtituto die adimpletum non habuerint, liceat Comiti pro pœna propoſiti operis eos pignorare, juxta æſtimationem vel qualitatem imperfecti operis, quouſque perfiniatur. Comes autem ſi neglexerit, a Rege vel a Miſſo Regis eſt judicandus, III. 1. 42.

XLII. De opere vero, & (4) reſtauratione eccleſiarum, Comites, & Epiſcopi, ſeu Abbates, una cum Miſſo noſtro, quem ipſi ſibi ad hoc elegerint, conſiderationem faciant; ut unuſquiſque eorum tantum inde accipiat ad operandum & reſtaurandum, quantum (5) de rebus eccleſiarum habere dignoſcitur. Similiter & Vaſſi noſtri, aut in commune tantum operis accipiant, quantum de rebus eccleſiarum habere videntur, vel unuſquiſque pro ſe juxta qualitatem, quam ipſe tenet, aut ſi inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donet, juxta æſtimationem operis in argento perſolvant; cum quo pretio Rector eccleſiæ ad prædictam reſtaurationem operarios conducere valeat, & materiam poſſit emere. Et qui nonas & decimas neglexerit dare, primum quidem illas ſecundum legem ſuam reſtituat, & inſuper bannum noſtrum perſolvat, ut ita caſtigatus caveat, ne ſæpius iterando beneficium amittat. III. 3. 5.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus Epiſcopus cum Johanne ſuo Advocato, quod tu habuiſti negligentiam dare decem modios grani ad eccleſiam Sancti Syri, unde ipſe eſt Epiſcopus, & ille eſt Advocatus. De torto me appellaſti. Da ſibi vadimnium, ut ſi te recordatus fueris, ut emendes. Sin autem, ut te endicas. Pœna quidem eſt præter decimæ emendationem ſecundum legem banni ſolutura.

XLIII. (6) De his, qui ſine conſenſu

Epi-

In Vita Ludovici Pii ad Ann. 824. de Lothario Romam miſſo: *Cumque quæreretur, quare etiam tantæ querelæ adverſus Romanorum Pontifices, Judiceſque ſonarent, repertum eſt, quod quorundam Pontificum vel ignorantia vel deſidia, ſed & Judicum cæca & inexplebili cupiditate, multorum prædia injuſte fuerint confiſcata. Ideoque reddendo quæ injuſte erant ſublata, Lotharius magnam Populo Romano creavit lætitiam.* Quod infra dicitur, *a poteſtate Pontificum injuſte invaſæ*, idem eſt ac dicere, *a Judicibus* Pontificiis invaſæ.

(1) Cod. Eſten. *in hac Urbe Roma agi debet, in præſentiam noſtram veniant, volentes numerum & nomina eorum ſcire*,

(2) Cod. Eſten. *Noviſſime admonemus, ut omnis homo* &c. Infra Cod. Ambroſ. *ita præſtet in omnibus obedientiam*. Atque hactenus Capitula Romæ, & pro Romanæ Urbis regimine a Lothario Auguſto promulgata; & quoniam Roma ab Italiæ Regno excluſa erat, neſcio quare hæc inlata fuerint in Codicem Legum, quibus Italicum Regnum regendum erat, niſi forte quod Langobardi, Romæ degentes, aut contermini Romano Ducatui coercendi erant. Præter hæc, duo alia Capitula condidit idem Auguſtus, edita a Baluzio & Pagio, quæ quia non leguntur in corpore Legum Langobardicarum, idcirco hic omittenda cenſui.

(3) In Cod. Eſten. *quæ Eccleſiaſtici homines per antiquam conſuetudinem & juſtitiam*. Infra: *pro pœna poſtpoſiti operis*. Infra in Cod. Ambroſ. *juxta æſtimationem & quantitatem imperfecti operis*.

(4) Cod. Eſten. *De opera, vel de reſtauratione*. Neque abſonum ita legere, quandoquidem *Opera Eccleſiæ* appellabatur olim; quæ nunc Romæ, & apud nos dicitur *la Fabbrica della Chieſa*. Eandem vocem adhuc ſervatam ſæpe meis auribus accepi, atque inſculptam marmore vidi Genuæ, Florentiæ, Lucæ, Piſis, atque in aliis Tuſciæ urbibus. Hinc olim appellatus *Operarius Eccleſiæ*, qui inter Canonicos, ſeu Monachos, præerat ſartis tectis, ſeu, Fabricæ Templi; Latinis *Ædituus*, nunc *Operajo*, & *Fabriciere*. Legem hanc editiones Boheriana, & Goldaſtina tribuunt Carolo Magno; Baluzius Ludovico Pio Tom. I. pag. 611. & conjuncta ubique procedit cum ſupra allata Cap. XXXIII. *De Nonis, & Decimis*, inter Leges Ludovici Pii. Et certe Ludovicus Pius eadem ſanxiſſe reperitur, ut conſtat ex ejus Capitulari apud Baluzium Tom. I. pag. 639. Ego hic ordinem ſequor Eſtenſis Codicis, ubi Lex iſta Lothario tribuitur (qui paternam, ut reor, renovavit), & ab altera *De Nonis, & Decimis*, disjuncta exhibetur, quamquam infra de iiſdem ſermo recurrat.

(5) Cod. Eſten. *quantum ipſe de rebus Eccleſiarum*. Infra: *juxta quantitatem, quam ipſe tenet, Aut ſi inter eos convenerit, ut pro opera facienda*.

(6) Legem hanc Carolo Magno tribuit Codex Cathedr. Mutinenſis; Baluzius Ludovico Pio Tom. I. pag. 663. Infra Cod. Eſten. *per fidejuſſorem ad Palatium noſtrum venire jubeantur, & tunc nos decernamus* &c. *utrum nobis placeat, ut aut illud bannum perſolvant, aut aliam ariſcadam ſubſtineant*. Codex Cathedr. Mutin. duobus in locis hanc eamdem Legem adfert. Ibi: *revadiare cogantur, & per fidejuſſores ad Placitum noſtrum venire jubeantur;*

&

Episcopi Presbyteros in ecclesiis suis constituunt, vel de ecclesiis suis ejiciunt, & ab Episcopo, vel a quolibet Misso Dominico ammoniti, obedire noluerint, ut bannum nostrum wadiare cogantur, & per fidejussorem ad Palatium venire jubeantur: & tunc nos decernemus, utrum nobis placuerit, aut illud bannum persolvant, aut aliam harmiscaram sustineant. III. 1. 43.

XLIV. De ecclesiis, quæ inter coheredes divisæ sunt, considerandum est, quatenus si secundum nostram providentiam & ammonitiones (1) Episcopi, ipsi coheredes eas tenere voluerint, & honorare faciant. Si autem hoc contradixerint, ut in Episcopi potestate maneant, utrum eas ita custodire permittat, an reliquias exinde auferat. Et ubi ad nostrum beneficium ecclesiæ pertinentes ita divisæ fuerint, ut describantur, & nobis enuncientur. III. 1. 44.

XLV. De ecclesiis destructis, ut Episcopi nostrique Missi inquisitionem faciant, utrum per negligentiam, aut per impossibilitatem, destructæ sint. Et ubi per negligentiam (2) inventæ fuerint, quod destructæ sint, Episcopi auctoritate emendare cogantur, qui eas debuerunt restaurare. Si vero per impossibilitatem contigerit, ita ut plures sint, quam necesse sit, aut majoris magnitudinis, quam ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inveniat, qualiter emendari congrue & consistere possint. III. 1. 45.

XLVI. Quicumque decimam abstrahit de ecclesia, ad quam per justitiam dare debet, & eam præsumtive (3), vel propter munera, aut amicitiam, aut quamlibet aliam occasionem ad aliam ecclesiam dederit, vel per Comitem, vel per Missum nostrum distringatur, ut ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat. III. 3. 7.

XLVII. (4) De decimis, quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est, ne fiat. Et si quis contemtor inventus fuerit, ut nec Episcopum vel Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad nostram præsentiam venire compellatur. Ceteri vero distringantur, ut inviti ecclesiæ restituant, quæ voluntarie dare neglexerint. III. 3. 8.

XLVIII. Ut Missi nostri, ubicumque malos Scabinos invenerint, ejiciant, & cum totius populi consensu in eorum loco bonos eligant, & cum electi fuerint, jurare faciant, ut scientes (5) injuste judicare non habeant. II. 40. 3.

XLIX. Ut (6) in omni Comitatu hi, qui meliores & veraces inveniri possunt, eligantur a Missis nostris, ad inquisitiones faciendas, & rei veritatem dicendam, & adjutores Comitum sint, ad justitiam faciendam. II. 40. 4.

L. Volumus, ut quicumque de Scabinis deprehensus fuerit (7), quod propter munera, aut amicitiam, vel inimicitiam, injuste judicasset, ut per fidejussorem missum ad nostram præsentiam venire compellatur; & ceteris omnibus Scabinis denuntietur, ne quis deinceps etiam justum judicium vendere præsumat. II. 40. 5.

LI. Ut ubicumque commutationes, tam tempore nostro, quam genitoris nostri, illegitimæ & irrationabiles, atque inutiles, in ecclesiis (8) Dei factæ sunt, dissolvantur,

---

& tunc nos decernamus, utrum nobis placeat, *&c. aut aliam armiscaram sustineant*. Baluzius quoque legit: *aut aliam harmiscaram sustineant*. *Harmiscara* est gravior mulcta, de qua legendus Du-Cangius in Glossario Latino.

(1) Cod. Esten. *& ammonitionem Episcopi, ipsi coheredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Si autem hoc contradixerint, jubemus, ut in Episcopi potestate maneat, utrum eas ita consistere permittat, aut Reliquias exinde auferat*. Infra: *inventæ fuerint, ut describantur, & nobis nuntietur*. Codd. Cath. Mutin. & Ambros. paria habent.

(2) Cod. Cathedr. Mutin. *& ubi negligentia inventa fuerit*, (sequitur Cod. Esten.) *Episcopali auctoritate emendare illi cogantur*. Infra: *ita ut aut plures sint, quam necesse sit, aut majoris magnitudinis, quam ut ex rebus ad eamdem pertinentibus restaurari possint*.

(3) In Cod. Esten. *per justitiam eam dare debet, & eam præsumtuose*. Infra: *ad alteram Ecclesiam dederit, post Sacerdotum castigationes excommunicetur, & per Comitem aut per* &c. In fine: *restituat, id est cum sex solidis*.

(4) In Cod. Cathedr. Carolo M. adscribitur Lex ista. A Baluzio Tom. I. pag. 665. tribuitur Ludovico Pio, ac deinde Lothario I. Tom. II. pag. 340. Infra idem Cod. Cathed. sed parum castigate; *nisi quolibet modo ab eo ordinentur, ab Episcopis providendum est*.

(5) Cod. Esten. *ut se scienter*. Cod. Cath. Mutin. *ut scienter*. Ex hac etiam Lege deduci posse videtur, Scabinos, uti nunc etiam apud Germanos in usu est, delectos fuisse ex Civium, seu Pagensium corpore, cum totius Populi consensu.

(6) Adhuc de *Scabinis* loqui videtur Lotharius. At in Cod. Cath. Mutin. titulus est *de Judicibus*. Hæc autem Lex in Cod. Esten. una cum sequenti & præcedenti conjuncta est. ita ut tres unam constituant. In Cod. Cath. *qui meliores & veraciores*.

(7) Cod. Cath. Mutin. *fuerit propter munera, aut propter amicitiam injuste judicasse, ut per fidejussores Missus noster ad præsentiam nostram venire faciat. De cetero omnibus*.

(8) Cod. Esten. *inutiles Ecclesiæ Dei*. Baluzius habet; *inutiles Ecclesiis Dei*. Infra legitur & in Cod. Esten. *Ubi vero mortua manus interjacet*, Ita quoque in Edition. Capitular. Baluzii Tom. I. pag. 519. 666. & 842. ac Tom. II. pag. 237. Du-Cangius in Glossar. ad vocem *Manus mortua* Legem hanc referens subdit: *Fateor hic me cæcutire*. Si quid post tantum virum conjicere licet, *manus mortua* in hac Lege significare mihi videtur *potestatem Regis* sive *possessionem Regis*, aut *Fisci*, ut sit sensus: Ubi vero Ecclesiarum prædia sint in manu Regis, sive possessa per Fiscum, aut alia quævis rationabilis causa intervenerit, *diligenter describatur* &c. ut habet Codex Estensis. Fiscus enim numquam moritur, & immortalis est, etiam decedente Rege: ad cujus similitudinem *Manus-mortua* deinde cœperunt appellari Ecclesiæ,

Col-

tur, & recipiat unusquisque quod dedit. Ubi vero mortua manus interjacet, aut alia quælibet caussa, quæ rationabilis esse videtur, inventa fuerit, diligenter perscribatur, & ad nostram notitiam perferatur. III. 10. 3.

LII. Quicumque comprobatus fuerit, quod se sciente (1) testes in perjurium produxisset, ad palatium nostrum sub fidejussoribus venire compellatur: & ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de tali homine faciendum sit. II. 51. 14.

LIII. Collectam ad malum faciendum (2) omnibus modis prohibemus fieri, & ubicumque hujusmodi præsumtiones factæ fuerint, digna emendatione corrigantur. Et si per negligentiam Comitis factæ sunt, vel non emendatæ remanserint, hoc ad nostram notitiam perferatur: auctor vero facti si fuerit Advocatus, vel Præpositus, sive Sculdais, vel qualibet alia dignitate præditus, libera persona, post legalem emendationem in loco factam, sub fidejussoribus ad nostram præsentiam veniat; multitudo vero, de liberis sive de servis sit, legitima emendatione mulctetur. I. 17. 10.

LIV. De his, qui discordiis & contentionibus studere solent, & in pace vivere noluerint (3), & inde convicti fuerint, similiter volumus, ut per fidejussores ad nostrum palatium veniant, & ibi cum nostris fidelibus consideremus, quid de talibus hominibus faciendum sit. I. 37. 3.

LV. (4) Ut examen aquæ frigidæ, quæ hactenus fiebat, a Missis nostris omnibus modis interdicatur, ut non ulterius fiat. II. 55. 31.

LVI. (5) Postquam Comes & Pagenses de qualibet expeditione hostili reversi fuerint, ex ea die super XL. noctes sit bannum rescissum, quod Teudisca lingua Heriliz, id est, armorum depositio vocatur. I. 14. 17.

LVII. De homicidiis in ecclesiis vel in atriis eorum commissis, hoc observetur & teneatur, sicut in priori Capitulari constitutum est (6). Si quis ex levi caussa aut sine caussa, hominem in ecclesia interfecerit, de vita componat. Si vero foris rixati sunt, & unus alterum in ecclesia fugerit, & eum ibi se defendendo interfecerit: si hujus facti testes non habuerit, cum XII. juratoribus legitimis per sacramentum affirmet, quod se defendendo eum interfecerit (7): & si ipse actor commotæ rixæ inter eos extiterit, leudum interfecti, & insuper bannum nostrum solvere cogatur, & publicam agat pœnitentiam. Sin autem non ille qui alterum interfecerit, sed is qui interfectus est, ean-

Collegia &c. In Capitular. Caroli Calvi hæc eadem Lex repetitur, sed his verbis: *Et si mortua manus, vel præceptum regium super eis interjacet*. *Manus mortua*, ut reor, Fiscum designat possessorem: *Præceptum* Regis privatum hominem possessorem, sed præcepto Regis munitum. Tunc ad Regem hæc erant deferenda. Vide Legem CCXXXIV. Rotharis, ubi de re, quæ *ad Curtem Regis ceciderit, nulla sit repetitio*.

(1) Cod. Cath. Mutin. *fuerit de eo quod scienter testes in perjurium induxisset, sub fidejussione ad Palatium nostrum venire compellatur, ut ibi*. Cod. Esten. *compellatur. ubi cum* &c.

(2) Cod. Esten. *omnimodis prohibemus. Et ubicumque*. Infra: *Et si per negligentiam Comitis, vel factæ sunt, vel inemendatæ*. Infra Cod. Cathedr. Mutin. *si fuerit Præpositus, vel Advocatus, sive Centenarius*. Cod. Esten. *sive Sculdais*. Infra: *Multitudo vero sive de liberis, sive de servis sit*.

(3) Cod. Esten. uti & Cath. *vivere nolunt*. Infra: *veniant, ubi cum fidelibus nostris* &c.

(4) Legem hanc Baluzius Tom. I. pag. 668. Capitular. tribuit Ludovico Pio; Estensis Codex, ejus filio Lothario. Projiciebatur in aquam homo fune ligatus: si supernatabat, innocens putabatur: si in imum descendebat, ita ut mergi & suffocari videretur, per funem ab aqua tractus tamquam objecti criminis reus, legali pœnæ subjiciebatur. Plura pete a Du-Cangio in Glossar. Latin. ad vocem *Aquæ Frigidæ*, & a Martene de Antiq. Ritib. Eccles. Tom. III. Lib. III. Cap. VII. Nuperrime etiam P. Bernardus Pezius Benedictinus Mellicensis in suo Thesauro Anecdot. noviss. Par. II. Tom. II. adfert antiquum *Ordinem probandi homines per ignitos vomeres, candens ferrum, aquam ferventem, vel frigidam*. Rides, aut miraris majorum nostrorum ingenium, & mores; at hinc etiam intellige, quare ejusmodi insana consuetudo fuerit sublata, quampluribus tamen aliis æque improbandis tunc in suo vigore dimissis, ac præcipue Judicio *Aquæ ferventis*, ut in Lege sequenti LVII. & hoc quidem Judicium, scilicet *Aquæ frigidæ*, in Italia desiisse videatur. Ego tamen perdurasse adhuc puto, uti & in Germania; ubi teste Abbate Urspergense in vita Lotharii II. Augusti, Welpho Comes sub Conrado I. Imperatore Villas plurimas Episcopatibus reddens, *judicio Frigidæ Aquæ innocentiam suam probavit*. In Estensi Codice & Cath. his verbis eadem Lex concepta est: *Ut examen Aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, a Missis nostris interdicatur, ne ulterius fiat*.

(5) Et hanc Legem Ludovico Pio Baluzius inscribit Tom. I. pag. 668. Non adsentitur Codex Estensis, qui infra habet: *quod Lingua Theudisca dicimus Eriscild*. Baluzius legit: *quod in Lingua Theodisca Scatslegi vocatur*. Cod. vero Cath. Mutin. *quod in Lingua Teudisca castlegi &c.* Ad hanc vocem vide Du-Cangium.

(6) Sequitur Cod. Esten. *id est. Si quis* &c. Cod. vero Cathedr. Mutin. *id est in Lib. IV. Cap. XIII. Si quis*. Quibus verbis alluditur ad collectionem Capitularium ab Ansegiso factam. Repetitur hic Lex supra allata Ludovici Pii Cap. IX. sed est amplior ista, quam illa. Infra idem Cod. *& unus post alterum fugerit*.

(7) Cod. Esten. *eum interfecisset*. Tum ibi quoque, uti & in editione Baluziana Tom. II. pag. 331. sequitur: *Et si ipse auctor commotæ inter eos rixæ* &c. At in editione Boheriana hæc interseruntur: *interfecerit: & post hoc de solidis ad partem ipsius Ecclesiæ componat, quam ille homicidio polluit. Et si ipse auctor* &c. Infra Cod. Esten. *secundum judicium canonicum*. In fine: *aut eum, si voluerit, eidem Ecclesiæ tradat*. De Judicio *Aquæ ferventis*, quod idem est ac *ponere manum in caldaria*, consulendi Baluzius, Du-Cangius, Martene, ac alii. Vide supra Legem XXI. Liutprandi Lib. V.

eandem rixam commoverit, absque compositione jaceat: & is, qui eum interfecerit, secundum Canonum judicium publicam agat pœnitentiam. Si cujuslibet servus proprius hoc commiserit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur: si autem non fuerit, publica pœnitentia mulctetur: nisi forte ipse actor commotæ rixæ inter eos fuerit inventus. Tunc enim ejus dominus, juxta quod widrigild illius est, ad ecclesiam persolvat, aut si voluerit, eidem ecclesiæ tradat. I. 9. 35.

LVIII. (1) De ecclesiastico, & Fiscalino, & Beneficiario servo volumus, ut prima vice widrigild ejus pro eo componatur, altera vero vice ipse servus ad supplicium tradatur: hereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio ipsius ecclesiæ, cujus (2) portæ reliquiis Sanctorum sunt consecratæ, hujusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo componatur. Si vero portæ ecclesiæ consecratæ non sunt, eo modo compon. quod in atrio committitur, sicut componi debet, quod in immunitate violenter committitur. I. 9. 36.

FORMULÆ VETERES.

P*Etre te appellat Martinus, quod tu occidisti Pandonem suum patrem per levem caussam in ecclesia sancti Petri. De torto me appellas. Si dixerit: nos fuimus rixati foris, & ego fugi illum in ecclesiam, & ibi eum me defendendo, occidi; probet, aut juret. Petre te appellat Martinus, quod tu fuisti auctor de rixa, quæ fuit commota inter te, & suum patrem, quem tu occidisti in Ecclesia sancti Petri. Petre te appellat Martinus, quod Donatus tuus servus occidit suum patrem sine caussa in ecclesia sancti Petri. De torto me appellas. Si dixerit: ipsi fuerunt rixati foris, & servus meus fugit in ecclesia, & ibi se defendendo occidit eum: tunc servus mittat manum in aquam ferventem. Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti patrem suum per levem caussam in atrio sancti Rufini. Occidi ego tuum patrem, sed non debeo mori, quia non fuit consecratum cum reliquiis Sanctorum.*

LIX. Quicumque res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res alicui alteri dederit, sive vendiderit, & ipse, (3) qui tunc easdem res comparatas habet per malum ingenium, proprio filio suo, aut alteri cuilibet, nec dum legitimos annos habenti, justitiæ tollendæ caussa tradiderit, volumus atque præcipimus firmiter, ut si pater ejusdem parvuli vixerit, ipse intret in caussam rationem reddere pro filio suo. Si autem ipse pater mortuus fuerit, tunc legitimus ejus propinquus, qui ei tutor juste ac defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter & de omnibus aliis justitiis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hereditate, quæ ei per successionem parentum suorum legitime obvenire debeat. Quod si quis hanc nostram jussionem contempserit, vel neglexerit, sicut de ceteris contemtoribus, ita de eo agatur. Is vero qui easdem res primum invaserit, & injuste vendiderit, nec non & emtor, excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter admiserunt, intra patriam emendare cogantur: & postea sicut contemtores jussionis nostræ, sub fidejussoribus ad nostram præsentiam venire compellantur. II. 25. 4.

LX. & LXI. (4) Volumus, ut Comites nostri licentiam habeant inquisitionem facere. De Vicariis, & Centenariis, qui magis per cupiditatem, quam propter justitiam faciendam sæpissime placita tenent, & inde populos nimis affligunt, ita teneatur, sicut in Capitulare Domni Karoli continetur (5). Id est, ut nullus ad placitum banniatur, nisi qui caussam suam quærit, aut si alter exquirere debet: exceptis Scabinis VII. qui ad omnia placita debent esse. II. 52. 22.

LXII. (6) De liberis hominibus, qui proprium non habent, sed in terra dominica resi-

---

(1) In Cod. Esten. & in Baluziana editione Lex ista continuatur cum præcedenti. Eamdem vide superius inter Leges Ludovici Pii Cap. X. Infra idem Cod. Esten. uti & Cath. *guidrigild ejus componatur pro eo.*

(2) Cod Esten. *cujus porta Reliquiis Sanctorum consecrata est.* Infra: *simili modo emendetur, vel componatur.* Infra: *Si vero porta Ecclesiæ non est consecrata, eo modo componatur, quod* &c. In fine: *quod in emunitate violata committitur.* Ita & Cod. Cath.

(3) Codd. Esten. & Cath. *& ipse homo, qui tunc easdem res.* Infra: *intret in causam rationem reddendi pro filio suo.* Infra: *hoc quod fraudulenter admiserint, infra patriam* &c.

(4) In Cod. Esten. uti & in Cod. Cath. & in Ambros. brevius Lex ista exhibetur, nempe: *De Vicariis, & Centenariis, qui magis propter cupiditatem* &c. *placita tenent, & exinde Populum affligunt minorem, ita* &c. *sicut in Capitulari Domni Caroli continetur. Id est: Ut nullus* &c.

(5) Sicuti nuper adnotatum est, Lex ista cum antecedenti conjuncta legitur in Codice Estensi. Habetur autem eadem inter Caroli M. Leges supra Cap. XLIX. sed diversis plane verbis. *Ad placitum banniatur*, hoc est; per bannum, sive citationem Comitis advocetur, ut venire cogatur. Infra Cod. Esten. *aut si aliter* (scribo *alter*) *ei quærere debet.* In Codice Estensi, simulque in Ambros. sequitur Lex *De Placitis quidem, quæ liberi homines* &c. At quia supra eam attulimus inter Leges Ludovici Pii Cap. XLI. & nihil aliud Lotharius præstitit, quam eam confirmare, ab ea rursus exhibenda abstineo.

(6) Est Lex Ludovici Pii a Lothario confirmata, & edita a Baluzio Tom. I. pag. 671. Codex Esten. infra: *ut propter res alterius.* Infra: *& tamen in terra dominica resident, ut propter hoc* &c.

refident, fi propter res alterius in teftimonium non recipiantur, conjuratores tamen aliorum liberorum hominum ideo effe poffunt, quia liberi funt. Illi vero qui proprium habent, & tamen in terra dominica refident, & propter hoc ad teftimonium recipiantur quia proprium habent. II. 51. 15.

LXIII. (1) De Ecclefiis emendandis volumus, ut ita obfervetur, ut in Capitulari noftro continetur, quod ad Olonam (2) fecimus. Et fi in uno loco (3) plures Ecclefiæ fint, quam neceffe fit, deftruantur. Quod fi forte in alio loco Ecclefia fit conftructa, quæ tamen neceffaria fit, & nihil dotis habuerit, volumus ut fecundum juffionem Domni ac Genitoris noftri unus manfus cum XII. bunuariis (4) de terra arabili detur, & mancipia duo a liberis hominibus, quæ in eadem Ecclefia officium audire debent, ut Sacerdotes ibi poffint effe, & divinus cultus fieri. Quod fi hoc Populus facere noluerit, deftruatur. III. 1. 46.

LXIV. De reclamatoribus (5), vel Caufidicis, qui nec judicio Scabinorum acquiefcere, nec blafphemare volunt, antiqua confuetudo eis fervetur, id eft, ut in cuftodiam recludantur, donec unum ex duobus faciant. Et fi ad palatium pro hac re reclamaverint, & literas detulerint, non quidem quod (6) eis credatur, nec tamen in carcere ponantur; fed cum cuftodia, & cum ipfis literis pariter ad palatium noftrum revertantur, & ibi difcutiantur ficut dignum eft. II. 52. 23.

LXV. De confpirationibus confiderandum eft, ut quicumque facere præfumferint, & per facramentum quamcumque confpirationem confirmaverint, triplici ratione judicentur (7). Primo ut ubicumque tale malum perpetratum fuerit, actores facti interficiantur, adjutores vero eorum finguli alter ab altero flagellentur, & capillos fuos viciffim, & nares fuas invicem procidant. Ubi vero nihil mali perpetratum eft, fimiliter inter fe flagellentur, & capillos fuos viciffim detundant. Si vero per dexteram aliqua confpiratio (8) firmata fuerit; fi liberi funt, aut jurent cum idoneis juratoribus, hoc per malum non feciffe, aut fi facere non potuerint, fuam legem componant. Si vero fervi fuerint, flagellentur, ut de cetero in Regno noftro nulla hujufmodi confpiratio fiat, nec per facramentum, nec fine facramento. I. 17. 11.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, qui eft Advocatus de parte publica, quod tu firmafti confpirationem per facramentum & fuifti in capite, & eft hoc malum factum per ipfam confpirationem. Petre te appellat Martinus, qui eft Advocatus de parte publica, quod Donatus firmavit confpirationem per facramentum, & fuit in capite. Et hoc eft inde malum factum, & tu fuifti cum eo. Petre te appellat Martinus, qui eft Advocatus de parte publica, quod tu firmafti confpirationem per dexteram.

LXVI. De oppreffione pauperum liberorum hominum, ut non fiant a potentioribus per aliquod malum ingenium contra juftitiam oppreffi, ita ut coacti res eorum vendant, aut tradant (9). Ideo hoc ut fupra de liberis hominibus diximus, ne forte parentes eorum contra juftitiam exheridati fiant; & ut regale obfequium non minuatur, & ipfi heredes propter indigentiam mendici, vel latrones, feu malefactores efficiantur. Et ut non fæpius fiant banniti ad placita,

(1) Apponitur hic in Cod. Eftenfi Gloffa: *Hæc funt Capitula excerpta, ufque Placuit, a Lothario Imperatore*. Infra occurret Lex *Placuit*. At huic Gloffæ fidendum omnino non arbitror.

(2) Cod. Eften. *quod ad Holonnam fecimus*. Infra ex Cod. Cathedr. Mutin. evulgabo Capitulare Lotharii ad Olonnam factum. Ipfum autem hic indicari a vero non abhorret, quum ibi Lex XX. occurrat jam fupra allata, quæ eft *De Plebibus reftaurandis*. Cenfet Baluzius Tom. II. pag. 1293. in Notis ad hanc Legem Capitula ad Olonnam facta edita fuiffe *in Tom. VII. Concilior.* a Labbeo *ex fchedis Sirmondi* pag. 1551. At infra conferenti patebit, rem longe aliter fe fe habere.

(3) Cod. Eften. *Et ubi in uno loco*.

(4) Cod. Eften. habet: *cum XII. bichariis*. Labbeus loco fupra citato legit *bunnariis*. Baluzius Tom. II. pag. 327. *bunvariis*. Erat *bunnarium*, five *bonnarium*, terræ menfura. Ex duodecim autem bonnariis conftituebatur *manfus*, uti jam memini Cap. I. Antiquitat. Eftenf. Vide Du-Cangium in Gloffario. Infra idem Cod. Eften. *officium Dei debent audire*.

(5) In Cod. Eften. legitur pariter, *De reclamatoribus*, hoc eft, de iis, qui aliquam litem, aut querelam deferunt ad Judices, neque ad fententiam Judicum acquiefcere volunt, neque *blafphemare*; hoc eft, a fententia data appellare ad Judicem fuperiorem. In Codice Cathedr. Mutin. Lex ifta Carolo M. tribuitur, & incipit: *De Clamatoribus, vel Caufaticis, qui nec judicio* &c. Eidem quoque infcribitur a Baluzio Tom. I. pag. 425.

(6) In Cod. Eften. legitur: *non quidem eis credatur*. Infra: *ad Palatium noftrum remittantur, ut ibi* &c. Ita quoque in Ambrof. Cod.

(7) Cod. Eften. *firmaverit, triplici ratione judicetur*. Infra: *flagellentur, & nares fibi invicem*. Infra: *& capillos fibi viciffim detundant*, hoc eft, *detondeant*. In Ambrof. non legitur, *& capillos fuos*.

(8) Sequitur Ms. Eften. *aliquam confpirationem firmaverit*. Infra: *ut per malum non feciffent*.

(9) Cod. Eften. *aut tradant* (id eft, alicui per teftamentum relinquant, aut alio quovis modo e fuis manibus dimittant). *Ideo & de liberis hominibus hoc diximus*. In Cod. Cathed. Mutin. ubi Lex ifta Carolo M. tribuitur, hæc ita habentur: *aut tradant. Ideo hæc infuper, & hic de liberis* &c. Infra Cod. Eften. *fiant exhæredati*. In fine ambo Codices Mutin. *Et ut fæpius non fiant manniti* &c. quæ verba ufque in finem defiderantur in editione Baluziana Tom. II. pag. 329.

cita, nisi sicut in alio Capitulo præcipimus, ita observetur. III. 12. 4.

LXVII. Decernimus (1), si quis aliter testes habere non potuerit, ut per Comitis jussionem testes, quos in suo testimonio necessarios quisque habuerit, veritatem probaturus, in publico conventu inviti adducantur; ut per ipsos rei veritas cum juramento valeat inquiri. Quod si (2) non per ipsos rei veritas cognoscatur, & duabus partibus fuerit inquisitio facta, idcirco quod nullus eorum possit habere testes, antequam jurent, fiat inquisitio facta. Quod si omnes ad unam partem dixerint testimonium, jurent verum dixisse. Quod si dissenserint, ut una pars testium unum dixerit testimonium, alia aliud; tunc interrogentur, si audent per pugnam illorum testimonium approbare. Quod si nulla pars alteri concesserit, jurent, & per pugnam illorum probetur testimonium. Quod si una pars se subtraxerit, tunc pars illa, quæ ausa fuerit contendere, recipiatur ad testimonium. II. 51. 16.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Quid tibi pertinet? Ego habeo possessam ipsam terram per XXX. annos. Potes probare tuam possessionem? non possum: sed quæro, quod Comes det mihi tales homines, qui ipsi sciunt veritatem. Et cum testes dati fuerint a Comite, tunc laudati producantur, ut superius diximus. Si vero adversarius interrogetur de oppositione, & ipse dixerit: non possum, sed quæro a Comite: fit similiter: & fit bellum inter utrumque, ut superius diximus, si pars parti dissenserit. Si vero omnes consenserint, fit, ut legitur in lege. Si vero unus a quinque, vel duo a quatuor dissenserint, tunc testimonium quinque, vel quatuor recipiatur. Quod a quibusdam aliter sentitur; dicunt enim, ut parti labenti alii subrogentur.

LXVIII. De feminis, quæ viros amittunt, placet nobis, ne se, sicut hactenus, indiscrete velent (3), sed ut xxx. dies post decessum viri sui expectent; & post tricesimum diem per consilium Episcopi sui, vel si Episcopus absens fuerit, cum consilio aliorum religiosorum Sacerdotum, suorumque parentum, atque amicorum, id quod eligere debent, eligant. II. 6. 4.

LXIX. Volumus, (4) ut nullus Cancellarius pro ullo judicio aut scripto aliquid amplius accipere audeat, nisi dimidiam libram argenti, de majoribus scriptis; de minoribus autem intra dimidiam libram, quantum res assimilare possit, & Judicibus rectum videtur. De orphanis autem, vel ceteris pauperibus, qui exsolvere hoc non possunt, in providentia Comitis sit, ut nequaquam inde aliquid accipiant. Notarii autem hoc jurare debent, quod nullum scriptum falsum faciant (5), nec in occulto, nec de uno Comitatu in alio, nisi per licentiam ipsius Comitis, in cujus Comitatu stare debet. Si vero necessitas in itinere aliquem compulerit, aut infirmitas gravis, secundum Capitulare Genitoris nostri faciant. Si notarius aliter fecerit, illud quod fecerit, appareat inane & vacuum. II. 40. 6.

LXX. Placuit nobis, ut Capitula (6) quæ excerpsimus de Capitulare bonæ memoriæ avi nostri Karoli, ac genitoris nostri Hludoici Imperatoris, ab omnibus, sanctæ Dei Ecclesiæ, seu fidelibus nostris, in Regno Italiæ consistentibus, pro lege teneantur & serventur. Et quicunque horum Capitulorum contemtor extiterit, LX. solid. componat. [illegible]

LXXI. Quicumque liber homo a Comite suo (7) fuerit admonitus, aut Ministris ejus, ad patriam defendendam, & ire neglexerit, & exercitus supervenerit ad istius Regni vastationem, vel ad contrarietatem fidelium nostrorum, capitali subiaceat sententiæ. Similiter observandum est, si vocati fuerint, audito inimicorum nostrorum adventu, & ita contigerit, ut hostes supervenerint; hii qui vocati fuerint, & venire noluerint, unusquisque secundum suam legem emendet. III. 12. 1.

LXXII. Jubemus, ut si cujuscumque (8) servus liberam feminam sibi ea consentiente in

(1) Cod. Esten. *Decernimus, ut si quis aliter testes habere non potuerit, volumus, ut per Comitis* &c. Ita quoque apud Baluz. Tom. II. pag. 330. Infra idem Codex: *veritatem prolaturi in publicum conventum.*

(2) Cod. Esten. & Ambros. *Quod si de duabus partibus fuerit inquisitio facta, idcirco quod* &c. Infra: *jurent, quod verum dixissent testimonium. Quod si dissenserint, & quædam pars testium protulerit testimonium unum, & altera alterum.*

(3) Cod. Esten. *ne, sicut hactenus, indiscrete velentur.*

(4) In Cod. Esten. & Ambros. tale est exordium: *Ut nullus Cancellarius pro ullo Judicato.* Infra: *De minoribus autem infra dimidiam.* Infra: *rectum videtur, accipiat.* Ita quoque in Ms. Ambros.

(5) Cod. Esten. *Notarius autem hoc jurare debet, quod nullum scriptum falsum faciet, &* sequitur in singulari. Infra: *Si vero necessitas in itinere aliquo compulerit.* In fine: *secundum Capitulare Domni, ac nostri Genitoris fiat. Quod si aliter fecerit, inane, & vacuum appareat.*

(6) Goldastus in Capitulari Lotharii superaddito Legi Langobardorum, hæc edidisse putavit. Verum illa plane ab his diversa arbitror. Legitur in Cod. Ambros. *Et Domni genitoris nostri Loduici Imperatoris, his omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris fidelibus.*

(7) Cod. Esten. *a Comite suo, aut a Ministris ejus ammonitus ad patriam defensandam ire neglexerit.* Infra: *& contigerit, quod hostis non supervenerit.* In fine: *emendet, id est, bannum persolvat.* Heribannum, ut diximus, appellabatur hæc mulcta.

(8) In Cod. Esten. & apud Baluzium ita Lex incipit: *Si cujuscunque Langobardi servus.* Infra: *personas olim nostro Fisco sociabat, ita nostra liberalitate* &c.

in conjugio fociaverit, & infra anni spatium, secundum legem ad vindictam tradiri non fuerint, sicut lex tales personas nostro Fisco sociat, ita nostra liberalitate concedimus, ut in potestate & in servitio domini illius, cujus servus fuerit, ambo revertantur. II. 9. 4.

LXXIII. Concedimus & Gastaldiis nostris, Curtes nostras providentibus, ut si proprio eorum pretio res emerint, aut quolibet justo contractu acquisierint, sicut lex illas res ad nostram partem concedit (1), ita nos eas illis concedimus, si in servitio nostro fideles inventi fuerint. II. 17. 2.

LXXIV. Similiter concedere volumus cunctis liberis personis, ut nullus Judex publicus, sive Ministri (2) publici, eos contra legem audeant pignorare, scilicet in bubus: quia audivimus multa damna & afflictiones propter hoc populum nostrum sustinuisse. Neque cogantur ad placita venire, præter ter in anno, sicut in Capitulari continetur; exceptis Scabinis, & Caussatoribus, & testibus necessariis. Quia omnia hæc auferre volumus, ut populus noster pacifice sub nostro regimine vivere possit. II. 21. 30.

LXXV. Si quis aliquem de aliquo negotio mallaverit, & ille, qui mallatus fuerit, dixerit: *Ideo ei respondere nolo, quia servus alterius sit*: aut si testimonia produxerit, & similiter dixerit, quod ea recipere non debeat, quia aliquis eorum servus sit alterius; nominet dominum ejus. Et fidet wadiam de ejus domino, ad placitum adducendo. Et posito placito in quantum (3) ire, ubi eum invenire crediderit, & reverti possit, Judices dicant. Et si in placito constituto dominum non adduxerit, præbeat sacramentum, quod pro nulla ratione dilatandæ justitiæ ejus hoc non dixerit, nisi pro certo ita verum esse crediderit. Quod si jurare (4) ausus non fuerit, quod pro occasione prolongandæ justitiæ hoc non dixisset, componat illi bannum nostrum, & justitiam plenissimam faciat. Si vero aliquem adduxerit, qui se dominum ejus dicat esse, & illum qui de servitio appellaverit, replicare ad servitium non potuerit, tunc ille qui dominum se ejus dixerit esse, bannum nostrum ei componat; eo quod pro conculcanda justitia tale ingenium facere ausus fuerit. Crimina vero si super eum pro dilatanda justitia imponere voluerit, probare cogatur. Et si probare non potuerit, justitiam faciat, & insuper bannum nostrum, pro tanta calliditate, componere cogatur. II. 50. 1.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti Donatum suum patrem. Non tibi respondeo, quia tu es servus de Pandulpho de Cremona. Da sibi vadimonium de illo domino suo ad placitum adducendum in Kalend. Martii. Et posito placito imminente die dic: Domne Comes: hoc dicit Petrus, quod est in tali die appellatus cum Martino, quod ipse habebat occisum suum patrem. Et ipse dixit, quod nolebat ei respondere, quia erat servus de Pandulpho de Cremona, & dedit vadia de adducendum dominum ad placitum: Et ecce dominus: Si non potuerit adducere, juret, quod per occasionem prolongandæ justitiæ non dixit. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsam terram possessam habeo per XXX. annos. Potes probare? Sic possum. Da vadia de probare. Non recipiam ipsum testem, quia est servus de Donato de Mediolano. Et sic fiat, ut dixi. Si dixerit appellatorem, vel testes esse perjurum, vel raptorem: probet, aut emendet bannum.

LXXVI. Si quispiam forte (5) aliquem mallaverit, & ille qui mallatus fuerit, dixerit eum servum suum esse, vel alius in ipsa altercatione veniens eum ad servitium mallaverit, volumus ut inpræsentialiter se wadiet, ut ad primum, vel ad secundum, aut tertium placitum caussam ipsam deliberet. Inter placitum & placitum sint dies XII. Tertium vero, quando Comes placitum habuerit, si infra unum Comitatum est, sint dies XV. Si autem in alium est, sint dies XX. ne pro tali occasione justitia ejus prolongetur. Quod si in his tribus placitis ille, qui quærit, venire neglexerit, excepto servitio Regis, & (6) inevitabili necessitate, & Comes placitum habuerit, & ille quoque alius ad suam libertatem probandam paratus fuerit, tunc Comes ipsam caussam finiat, veluti si ipse, qui quærit, præsens fuisset, & ultra qui quæsierit, facundiam de ipsius servitio dicendi non habeat,

(1) Cod. Esten. *ad nostram partem concedebat*.
(2) Cod. Ambros. *Judex publicus, seu Minister*. Cod. Esten. *aut Ministri publici eas contra legem audeant pignorare in bovibus, quia audivimus, quod multa damna. & afflictiones propter hoc Populus noster sustineret*. Infra: *Quæ omnia volumus auferre* &c.
(3) Cod. Esten. *& posito placita in quantum* (scilicet tempus) *ire, ubi eum invenire credit, & reverti possit, ut Judices dixerint*.
(4) Cod. Esten. *Quod si jurare noluerit, quia pro*. Infra: *& illum, quem de servitio appellavit*.
(5) Cod. Esten. *Si forte quispiam*. Hoc adnoto, quippe interdum quærentibus in Indice principia Legum, fucus fit a diverso earum exordio. Hoc in multis aliis accidit. Infra: *causam ipsam deliberet. Inter placitum & placitum dies sint XV.* (Ambros. Cod. habet, *dies XII.*) *Tertio vero, quando Comes placitum habuerit, si infra unum Comitatum est, dies sint XII. Sin autem in alio, sint dies XX. ne pro tali occasione ejus justitiæ prolongentur. Quod si in his* &c.
(6) Idem Cod. *aut inevitabili necessitate*. Infra: *& ultra ille, qui quæsierit*. Infra: *& sunt aliqui, qui dum alios in servitio mallant, & ipsi de sua libertate vadia dant, in tantum eos mutando placita lacerant* &c.

beat, & insuper bannum nostrum componat illi, ac justitiam pleniter faciat. Et sunt aliqui, qui dum aliquos in servitio mallant, & ipsi de sua libertate probanda dant wadiam, eos mutando per placita lacerant, ut vix per suam paupertatem evadere possint; unde tertium Capitulum addere placuit. II. 50. 2.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu fecisti sibi unam plagam in capite. Non tibi respondeo, quia tu es servus meus. Liber sum nascendo. Potes probare tuam libertatem? Sic: possum. Da vadia de probare. Et tu da vadia de contra placito, si potes. Et vadiate vos, ut ad primum, vel secundum, aut ad tertium placitum caussam definiatis. Domne Comes: hoc dicit Petrus, quod in Kalend. Augusti appellavit Martinum, quod ipse fecit sibi unam plagam in capite. Et ipse dixit, quod nolebat ei respondere, quia erat suus servus. Et ipse dixit, quod erat liber nascendo, & dedit vadia de probare suam libertatem, & ipse dedit vadiam de contra placito, & vadiaverunt, quod ad primum, vel secundum, vel tertium placitum caussam definirent. Et ipse fuit ad omnia tria placita, & ipse noluit venire. Modo est paratus in vestra præsentia ad diffiniendum placitum, sicut dedit vadia. Petre te appellat Martinus, quod tu es suus servus, & malo ordine subtrahis te de suo servitio. Non tibi respondeo quod ego appellavi te, quod tu habebas mihi factam unam plagam in capite, & tu dixisti, quod eram tuus servus. Et dedi vadia de probare meam libertatem, & tu dedisti vadia de contra, & vadiavimus ad primum, vel ad secundum, vel ad tertium placitum, ut caussam diffiniremus. Et ego fui ad omnia tria placita, & tu neque ad unum. Et Comes recepit meos testes. Non fuit, quod tu dicis inter me & te, aut Comes non habuit placitum. Tunc ille, qui appellatus est ad servitium, probet. Si dixerit ipse, qui appellavit: ego fui paratus ad unum placitum, aut fui infirmus, probet. Sed melius est, ut dicat quod non misit negligentiam.

LXXVII. Si vero alium ad servitium aliquis mallaverit, & ille qui mallatus fuerit, ad probandum libertatem wadiam dederit, jubemus, ut supra, ut ad primum, aut ad secundum, vel ad tertium placitum, caussam deliberent (1). Inter placitum & placitum sint dies XII. Tertium vero, quando Comes placitum habuerit, si infra unum Comitatum est, sint dies XV. Si autem in alium est, sint dies XX. Et si in his tribus placitis ipse, qui quærit, venire contemserit, antepofito quod superius antepofuimus, & Comes placitum habuerit, ille autem alius cum suis testibus paratus fuerit, tunc Comes ipsos testes recipiat, & caussam diffiniat, veluti si ipse qui quærit præsens fuisset, & ultra ille qui quæsierit, tacitus de servitio illius permaneat. II. 50. 3.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu es servus suus, & malo ordine subtrahis te de suo servitio. Liber sum nascendo. Det vadia de probanda sua libertate, & dent vadia de finienda intentione ad primum, vel secundum, vel tertium placitum. Et si alterutra persona non venerit, finiatur, ut supra dictum est. Si vero appellatus probare suam libertatem non potuerit, tunc appellator approbet eum suum servum esse. Et si non potuerit probare, tunc appellatus juret suam libertatem, & ita fit. Sed aliter secundum valentes.

LXXVIII. Volumus, ut si quælibet persona in finibus Regni nostri ignem in silva comminare (2) ausa fuerit, diligenter inquiratur; & si servus comprobatus fuerit hoc fecisse, dominus ejus ad flagellandum, & caput tondendum, eum tradat, aut pro eo quicquid damni fecerit, emendare cogatur. Si aliqua libera persona hoc fecisse probata fuerit, emendare cogatur, & insuper bannum nostrum componat; & si non habuerit unde componat, flagelletur. Quod si factum fuerit, per meliores illius loci inquiratur, & si in qualibet persona suspectio (3) fuerit. Si servus est, aut dominus ejus mittat eum ad judicium, aut ipse pro eo sacramentum faciat: quod si libera persona fuerit, proprio sacramento se idoneam reddat. I. 19. 27.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu convivasti focum in unam suam sylvam, & habuit damnum C. solidorum per ipsum focum, aut Martinus tuus servus....

LXXIX. Auditu comperimus, in finibus Tusciæ talia scripta esse prolata, quæ sunt absque mense, & die mensis, de quibus volumus, ut si deinceps prolata fuerint, nullum habeant vigorem. III. 38. 1.

LXXX.

(1) Cod. Esten. *causam ipsam deliberet.* Infra: *Tertio vero.* Et infra: *Sin autem in alio, sint dies XX.* Infra Cod. Ambros. pro *antepofito* habet *excepto.* Infra Cod. Esten. *& Comes placitum habuerit, ille namque alius.*

(2) Cod. Esten. *convivare*, quod nunc fortasse dicimus, *avvivare il fuoco.* Infra: *aut dominus ejus eum ad flagellandum, & capite tundendum* (hoc est *tondendum*, ita enim veteres sæpe dixerunt) *tradat, aut pro eo quidquid damnietatis fecerit, emendare cogatur. Si vero libera quælibet.*

(3) Cod. Esten. *inquiratur. Si in aliqua persona suspicio fuerit: si servus est, ad judicium dominus ejus mittat eum, aut ipse pro eo.* In fine: *sacramento se idonect.*

LXXX. (1) De his perſonis, quæ ſuas res ideo ad alienam perſonam delegant, ut ad placitum venire non compellantur, ut mala quæ facta habent, non emendent. Quod ſi apparuerit ideo delegaſſe, ne juſtitiam facerent, volumus ut ipſæ res in bannum mittantur, quo uſque ille, qui eas habet, auctorem in placitum adducat, & ſic de malefactore juſtitiam faciat. III. *9. 6.*

LXXXI. Qui ſponſam alienam rapuerit, illa non conſentiente, licet cum ea concubuerit, reddatur ei, cujus ſponſa eſt, & ducat (2) eam, ſi velit; quia vim paſſa potius, quam violata eſſe videtur. Quod ſi eam ducere noluerit, aliam accipiat ſibi feminam. Tamen ſi ipſa nubere voluerit, excepto raptore, alteri cui voluerit, legitime copuletur, raptor vero adulterii criminis reus teneatur. Quod ſi ipſa conſenſerit, ſimiliter ut raptor, a nuptiis alterius prohibeatur, & is qui eam recepturus erat, aliam qualem voluerit, accipiat. I. 30. 14.

LXXXII. De liberis (3) hominibus, qui ſuper alterius terram reſident, & uſque nunc a Miniſtris Reipublicæ contra legem ad placita trahebantur, & ideo pignorabantur, conſtituimus, ut ſecundum legem patroni eorum eos ad placitum adducant. Et ſi quis eos contra hanc noſtram auctoritatem, & eorum legem pignorare aut diſtringere præſumſerit, patrono eorum omnia cum lege emendet, & inſuper pro præſumtione bannum noſtrum componat. II. 44. 4.

LXXXIII. Ut omnes Epiſcopi, Abbates, & Comites, excepta infirmitate, vel noſtra juſſione, nullam habeant excuſationem; quoniam ad placita Miſſorum noſtrorum veniant, aut tales Vicarios ſuos mittant, ut in omnibus cauſſis pro illis rationem reddere poſſint (4). II. 45. 2.

Tom. I.

LXXXIV. Si quis Epiſcopus, aut propinquitatis affectu, aut muneris ambitione, aut cauſſa amicitiæ, Xenodochia, aut Monaſteria, vel baptiſmales Eccleſias, ſuæ Eccleſiæ pertinentes, cuilibet per emphyteuſeos contractus dederit (5), ſe ſuoſque ſucceſſores pœna multandos conſcripſerit, poteſtatem talia mutandi Rectoribus Eccleſiarum, abſque pœnæ conſcriptæ ſolutione, concedimus. III. 10. 4.

LXXXV. Statutum eſt, ut ſi quis liber homo per conſenſum Epiſcopi (*6*), Eccleſiam in ſua conſtruxerit proprietate, fonteſque ab Epiſcopo in ea fuerint conſecrati, ideo non perdat ſuam proprietatem. Sed ſi Epiſcopus voluerit, officium ſacri baptiſmatis in ſuam Eccleſiam transferat; ipſa vero Eccleſia, a qua transfertur, in conſtructoris maneat jure. III. 1. 47.

LXXXVI. (7) Si adulter cum adultera comprehenſus fuerit, & ſecundum Edictum Legis Longobardorum marito adulteræ ambo ad vindictam traditi fuerint; ſi eos quiſpiam emerit, eoſque conjunctos in eodem ſcelere habere repertus fuerit, ipſos Fiſcus acquirat. I. 32. 8.

LXXXVII. Si quis (8) liber homo uxorem habens liberam, propter aliquod crimen aut debitum (*9*) in ſervitio alterius ſe ſubdiderit, & eadem conjux cum ipſo manere voluerit, eorum procreatio, quæ de tali conjugio fit, libertatis ſtatum non amittat. Si vero ea defuncta, ſecunda uxor etiam libera tali ſe ſciens junxerit conjugio, liberi eorum ſervituti ſubdentur. II. 33. 4.

LXXXVIII. Statuimus, ut ſi femina, quæ veſtem (10) habet mutatam, mœcha deprehenſa fuerit, non tradatur gynæceo, ſicut uſque modo: ne forte quæ prius cum uno, poſtmodum cum pluribus locum ha-

S 2 beat

(1) Hanc Legem editi Libri, & Baluziana editio tribuunt Pippino Italiæ Regi; eam Lotharius I. Auguſtus ſibi aſſerit in Codice noſtro, ubi ſic legitur: *De his perſonis, quæ res ſuas ideo in alteram partem delegant.* Infra: *non emendentur. Quod ſi apparuerit, ideo eas delegaſſe, ne* &c. Infra: *quouſque illi, qui eas habent, auctorem ad placitum adducant, & iſdem malefactor juſtitiam faciat.*

(2) Cod. Eſten. *reddat ei eam, cujus ſponſa eſt. & is ducat* &c. In Ambroſ. in fine non legitur, *aut potuerit.*

(3) Hoc eſt, de Aldionibus, & Lidis, ſeu Eccleſiaſticis, quos alibi quoque *libertate* donatos oſtendi. De iis autem Lex intelligenda, quippe infra eorum patroni nominantur.

(4) Cod. Eſten. *qui in omni cauſa pro illis rationem reddere poſſit.* Additur quædam Gloſſa: *Excepto Comite aliquando.*

(5) Cod. Eſten. *per emphyteoſim contractum dederit, & ſe ſuoſque* &c.

(6) Cod. Eſten. *ut ſi quislibet homo per conſenſum Epiſcopi ſui.* Nihil hic ad rem *liber homo*, quod tamen habet & Baluziana editio: nihil enim proprietatis, hoc eſt, terræ propriæ ſervis erat. Fontes conſecrare idem eſt, ac Parochialem Eccleſiam conſtituere.

(7) In Baluziana editione Legum Lotharii hæc non legitur. Cod. Eſten. habet infra: *eoſque convictos in eodem ſcelere habere repertum fuerit.* Vide ſupra Legem II. ejuſdem Lotharii perquam ſimilem.

(8) Apud Baluz. Tom. II. pag. 332. *Statuimus, ac ſi quis* &c. Vide ſupra ejuſdem Lotharii Legem I. ab iſta non diſſimilem. Ejuſmodi autem repetitio inde manabat, quod identidem Leges in ſubſequentibus Comitiis Regni confirmarentur, & rurſum promulgarentur.

(9) Cod. Eſten. *debitum, vel aliquibus cauſis in ſervitio alterius ſe ſubdiderit, eademque conjux manere cum ipſo voluerit, ipſorum procreatio, quæ de tali conjugio nata fuerit.* Infra: *ſecunda uxor, & tamen libera, tali ſe ſciente junxerit conjugio, liberi illorum ſervituti ſubdantur.*

(10) Cod. Eſten. *ut ſi femina veſtem habens mutatam*, hoc eſt, Sanctimonialis effecta. Infra: *non tradatur geniceo.* Fuere *Gynæcea*, ſeu *Genicea*, textrinæ, hoc eſt, loca, in quæ ancillæ Regum ad texendam lanam conveniebant. Caſtitatem ibi minime fuiſſe tutam, hinc dilucide intelligimus. Vide ſupra Cap. CCXXII. Legum Rotharis, ubi libera mulier, ſervo nubens, *in Curtem Regis* ducenda eſt, & *inter penſiles ancillas* conſtituenda. Vide etiam ſupra Legem VI. ejuſdem Lotharii.

beat mœchandi : sed ejus possessio Fisco redigatur, & Episcopi ipsa subjaceat judicio. II. 37. *6.*

LXXXIX. De homicidio (1), unde lex pro simplicitate probationem trium testium quærit, si testes habere non poterit, concedimus ut cum XII. juratoribus juret, & ab eadem simplicitate sit absolutus : proprium tamen non amittat. I. 9. 37.

XC. (2) Sancitum est, ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere præsumat; ne Christi Passio, quæ glorificata est, cujuslibet temeritate contemtui habeatur. II. 55. 32.

XCI. Ut terminum habeat unaquæque Ecclesia, de quibus villis decimam accipiat. III. 3. *9.*

XCII. (3) Nulli liceat, excepta caussa fornicationis, adhibitam sibi uxorem relinquere, & deinde aliam copulare, alioquin transgressori priori convenit sociare conjugio. Sin autem vir & uxor devertere pro sola Religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine conscientia Episcopi fiat, ut ab eo singulariter prævisо constituantur in loco. Nam uxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non solvatur. II. 13. *6.*

XCIII. Nulli liceat, in uno tempore duas habere uxores, vel uxorem & concubinam: quia cum domui non sit lucrum, animæ suæ fiat detrimentum (4). Nam sicut Christus castam observat Ecclesiam, ita vir castum debet custodire conjugium. II. 13. 7.

XCIV. De Judicibus, ut inquirantur (5), si nobiles, & sapientes, & Deum timentes constituti sint. Et jurent, ut juxta suorum intelligentiam rectum judicent, & pro muneribus vel humana gratia justitiam non pervertant, nec differant; & quod judicaverint, sua discretione confirmare non dissimulent. Ubi autem tales non sunt, a Missis nostris constituantur, & idem sacramentum facere cogantur. Quod si viles personæ, & minus idoneæ ad hoc constitutæ sunt, ejiciantur. Similiter & Notarii legibus eruditi, & bonæ opinionis constituantur, & jusjurandum præbeant, ut nullatenus falsitatem, vel colludium scribant. Et qui hoc fecisse præterito tempore inventus fuerit, præsentialiter damnetur. II. 52. 24.

XCV. Ut per XXX. annos servus liber fieri non possit (6), si pater illius servus, & mater ancilla fuerit. Similiter & de aldionibus. II. 35. 14.

XCVI. Ut Episcopi, universique Sacerdotes, habeant Advocatos. Quia Episcopi, & universi Sacerdotes, ad solam laudem Dei, & bonorum operum actionem constituuntur. Debet (7) ergo unusquisque eorum tam pro ecclesiasticis, quam etiam propriis actionibus suis, excepto publico videlicet crimine, habere Advocatum, non mala fama suspicatum, sed bonæ opinionis, & laudabilis artis inventum. Ne dum humana lucra attendunt, æterna præmia perdant. II. 47. *9.*

XCVII. (8) De Notariis, qui chartas recipiunt ad scribendum, si eas non scripserint, aut si eas perdiderint, restaurent ipsas res ei, cujus chartæ eis traditæ fuissent. Si vero negaverint fecisse traditum, jurent cum suis sacramentalibus.

XCVIII. De incestis conjunctionibus hoc præ-

---

(1) Ita quoque apud Baluzium Tom. II. pag. 333. at fortasse rectius in Cod. Esten. *De Homicida*. Infra: *& testes habere*. In fine: *& ab eadem simplicitate abs lutus proprium non amittat*. Quæ hic *simplicitas* bis memoratur, nullum interpretem hactenus nacta est, & neque Du-Cangius, qui eam refert, explicare est ausus. Ne ego quidem id mihi suscipio; quo tamen animus meus vergat, indicabo. *Simplicitas* mihi appellata videtur homicidii actio peracta *ad defensionem sui*, sive *casu faciente nolendo*, ut habet Lex CCCLXXXIX. Rotharis. Hoc enim non perverso animo, sed *simpliciter* fit. Ad probandam vero hanc *simplicitatem* XII. conjuratores Lotharius adhiberi sinit, qui jurent illum esse fide dignum, quando hac exceptione se protegit. Antea vero hujusmodi quoque homicida compositionem facere cogebatur; nunc eidem mulcta remittitur. Meliora alii adferant.

(2) In editione Baluziana Tom. I. pag. 569. Legis hujus auctor dicitur Ludovicus Pius; in Cod. Esten. Lotharius, a quo fortasse in Italicum Regnum inlata est. Idem Cod. habet: *examinationem Cruce facere*. Supra aliquid innui de hujusmodi examine. Vide Ughellum in Episcop. Veronens. Tom. V. Ital. Sacr. pag. 610. ubi anno 818. (hoc est, promulgata jam, ut Baluzius censet, Ludovici Pii Lege) examen Crucis Veronæ institutum est.

(3) Nihil aliud est Lex ista, nisi Canon XXXVI. Concilii Romani habiti sub Eugenio II. Papa anno 829. apud Labbeum Tom. VIII. Concilior. pag 112. Ibi legitur: *uti transgressorem priori convenit sociari*. Sequitur Cod. Esten. *Si autem vir, & uxor divertere pro sola vitæ Religione inter se consenserint, nullatenus sine consensu Episcopi fiat, ut ab eo proviso constituantur loco.*

(4) Cod. Esten. *animæ sit detrimentum*. Ista quoque Lex desumta est ex Can. XXXVII. prælaudati Concilii.

(5) Cod. Esten. *De Judicibus inquiratur si* &c. Infra Baluzius legit: *juxta eorum intelligentiam*. Infra Cod. Esten. *& quod judicaverint confirmare sua scriptione* (Cod. Ambros. habet *subscriptione*) *non dissimulet*. In fine Baluzius addit: *& perdat manum*.

(6) Sed cur vel post XXX. servitutis annos servus libertate donari non poterat? Imo his potius quam reliquis pro mercede donabatur libertas. Interpretor ego: Nullus, vel post XXX. annos contendere possit se liberum, quando constet e servo & ancilla natum, nisi chartam libertatis ostendat. Vide supra Legem LVIII. Ludovici Pii. Infra Codex Esten. *aut matér illius ancilla fuerit*.

(7) Expressa est Lex ista e Canone XIX. supra memorati Concilii Romani. In Cod. Esten. *Debet ergo unusquisque eorum tam pro Ecclesiasticis causis, quamque etiam propriis actionibus suis, excepto publico videlicet crimine, & pro omnibus Placitis, in sacramento habere Advocatum non malæ famæ suspectum*. Supplenda ex his Editio Baluziana Tom. II. pag. 337.

(8) Debemus Codici Estensi hanc Legem; neque enim eam inter Langobardicas editas reperio, imo neque apud Baluzium.

præcipitur, ut nullus deinceps propinquam, nec quam propinquus habuerit uxorem, ducat in conjugio; & uxoris parentela ita sit viro, sicut propria parentela. II. 8. 13.

XCIX. (1) Consobrinam, neptem, novercam, fratris uxorem, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus habuerit, nullus audeat in conjugio copulare. Si quis huic tali nefario conjugio se conjunxerit, & in eo permanserit, sciat se Episcopali auctoritate anathematis vinculo esse innodatum, ut nullus Sacerdos ei tribuat communionem. Si vero conversus divisusque fuerit ab illicita copulatione, dignæ pœnitentiæ submittatur, ut Sacerdos loci consideraverit. II. 8. 11.

C. (2) Præcipimus ut nova conditio Aldioni a domino suo non imponatur. I. 25. 83.

CI. (3) Quamquam Sacerdotis testimonium credibile habeatur, tamen ipsi in secularibus negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur: quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si autem caussa eventus (4) aliquid audierint, aut viderint, ubi nullæ idoneæ seculares personæ inveniantur, ne veritas occultetur, & malum in bonum æstimetur, in providentia Episcopi proprii sit, ita ut coram se & competentibus Judicibus, aut aliter, veritatem honorifice tollant. II. 51. 17.

CII. (5) Comperimus, quod ab his, qui secundum mundanam legem viduarum & orphanorum tutelam sibi vindicant, non solum negliguntur, sed etiam aliquotiens opprimuntur, quibus ecclesiastica solicitudine succurrendum esse censemus. Et si hujusmodi oppressores ab Episcopali admonitione corrigi voluerint, gratulandum his est. Sin autem in obstinationis impietate duraverint, suggerendum Clementissimo Imperatori, quatinus ipse efficacem tutorem tribuat; ut & illi remuneratio reddatur a Deo, & de inutili silentio sacerdotalis ordo damnetur. III. 39. 1.

CIII. (6) Quicumque propter cupiditatem rerum patrem, aut matrem, aut fratrem, aut sororem, vel nepotem, vel alium propinquum suum interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat. Interfector vero, ordinante Episcopo, publicæ pœnitentiæ subdatur.

CIV. (7) De his vero personis, quæ absque senioribus per diversa loca moram, & prædationes faciunt, Ministri Reipublicæ eos comprehendere, & ad nostram præsentiam ducere studeant. Si quis se defendere voluerit, & ibidem interfectus fuerit, incompositus jaceat.

CV. (8) Et hoc damus in mandatis, ut quicumque homo ab hac præsenti die mensis Februarii res vendicare, aut alienare voluerit, in omnibus eorum permaneat potestate. Tantum sic faciat, si Judex eorum fuerit.

CVI. (9) De donatione vel jurisdictione, quæ in loca venerabilia factæ sunt, suspendi jussimus; dum enim compensaverimus in Synodo cum Episcopis & Comitibus, quomodo fieri debeant. Et hoc jubemus, ut illis partibus justum præcedat judicium, ubi nos, aut nostri Auctores fuerimus ...

---

(1) Lex hausta e præmemorata Synodo Romana anni 829. ubi totidem verbis legitur Canon XXXVIII. nisi quod illic *Apostolica auctoritate* occurrit hic *Episcopali*. Infra Codex Esten. *& nullus Sacerdos ei tribuat communionem. Si vero conversus fuerit, & divisus*.

(2) Lex ista cum duabus subsequentibus desideratur in Cod. Estensi. At quia in editis habentur, retinui.

(3) Ut monui, hæc abest a Cod. Esten. Neque est Lotharii Lex, sed Canon XIII. Concilii Romani sub Eugenio II. habiti, quam etiam adfert Gratianus in Decreto, Causa 14. q. 2.

(4) Baluzius habet: *Si autem evenire causa aliquid* &c. Ita quoque in Codice Ambros. Apud Gratianum legitur: *Si autem eventu aliquo causæ interfuerint, & aliquid* &c.

(5) Non est Lex Imperatoris, sed Canon XXII. Ticinensis Synodi, quam Binius inepte *Regiaticinam* inscripsit, habitæ anno 850. Vide Labbeum Tom. VIII. Concilior. pag. 61. Hæc omnia Lotharius quoque pro Lege proposuerit.

(6) Post Legem LVIII. Lotharii statuenda erat Lex ista, uti eam habet Codex Estensis; sed omiseram, quia Goldastus, & alii ipsam Henrico I. Augusto tribuunt; & revera ipse Cod. Esten. eam iterum sub Henrico refert, ut infra patebit. Verum accessit fides antiquissimi Cod. Cath. Mutin. qui & ipse eamdem exhibet, & reapse Lothario I. Augusto adscribit. Henricus ergo ipsam confirmavit, ac nonnulla addidit. Legas eamdem apud Baluzium Tom. I. Capitular. pag. 670. qui tamen Ludovicum Pium illius auctorem facit. Quod hic rursus mirere, ne parricidis quidem pœna mortis infligitur.

(7) Ms. Codici Ambrosiano Legem hanc debeo, quæ in Mutinensibus non legitur, imo ne apud ipsum quidem Baluzium eam reperio. Vide hic iterum, quid forent *Ministri Reipublicæ*, hoc est, Comites, Duces, Scabini, Castaldii, aliique id genus. Nempe erant Regis, sive Imperatoris Ministri, ut tandem intelligas, *Rempublicam* iis temporibus nequaquam significasse quidpiam a dominatione Augustali diversum. Nunc dicerentur *Ministri di Governo del Pubblico*.

(8) Hanc etiam nobis suppeditavit Ambrosianus Codex, nusquam fortassis antea editam.

(9) Istam quoque exhibuit nobis Ambrosianus nondum editam, ni fallor. Quæ sequebantur, adeo depravatum sensum reddebant, amanuensium nempe incuria, ut a describendo temperarint Palatini Socii. Neque mendis carent hæc pauca, quæ nunc produco.

ADDITAMENTA

AD LEGES, SIVE CAPITULARIA LOTHARII I.

Ex Codice Ms. Cathedralis Mutinensis.

Capitula (1), quæ Anno Primo Imperii Domini Lotharii gloriosissimi Imperatoris (2) Ollona sunt constituta.

CAP. I.

De eo ut nullus Sacerdotum successorem suum aliqua pœna multandum obliget.

SI quis Episcopus, aut propinquitatis affectu, aut muneris ambitione &c. *Vide supra Legem LXXXIV. Lotharii I.*

II.

De Ecclesia in proprio constructa.

Statutum est, ut si quis liber homo per consensum &c. *ut in Lege LXXXV. ejusdem Lotharii I.*

III.

De Adulteris.

Si quis adulter cum adultera comprehensus secundum &c. *ut in Lege LXXXVI. Lotharii.*

IV.

De libero homine, qui in servitium cadit.

Si quis liber homo habens liberam, propter aliquod crimen &c. *ut in Lege LXXXVII. Lotharii.*

V.

De femina veste mutata.

Statuimus, ut si femina, mutatam habens vestem, mœcha &c. *ut in Lege LXXXVIII. Lotharii.*

VI.

De Testibus.

Decernimus ut quisquis aliter testes habere non potuerit, volumus ut per Comitis jussionem, quos in suo testamento necessarios quisque habuerit, veritatem prolaturi publico conventu adducantur, ut per ipsos rei veritas cum juramento valeat inquiri. *Cetera, quæ in Editis sequuntur, & quæ scripta sunt in Lege LXVII. Lotharii, hic desiderantur.*

Item Capitula de Episcoporum Causis.

CAP. I.

De excommunicatione Episcoporum si aliquis contemserit.

PLacuit nobis, ut si pro quibuslibet causis atque criminibus, &c. *ut in Lege XV. Lotharii.*

II.

De Emunitate.

Volumus, ut omnimodis emunitates Progenitorum &c. *ut in Lege XVI. Lotharii.*

III.

De rebus, quæ in Ecclesiis conferuntur.

Volumus, ut res, quæ a liberis personis locis Deo dicatis &c. *ut in Lege XVII. Lotharii.*

IV.

---

(1) Habentur hæc conjuncta in antiquo Codice Ms. Cathedralis Mutinensis, quem in Præfatione commemoravi, & ubique in Notis adhibui; ideoque conjuncta hic iterum do, ut constet, quo anno promulgata fuerint in Italia. Nempe *Anno Primo Imperii* Lotharii I. Augusti; hoc est, Anno 823. quo ipse, vivente Ludovico Pio Augusto ejus patre, inunctus est Imperator, aut 824. ad diem usque V. Aprilis, quo adhuc decurrebat ei primus Imperii Annus. Quare constare hinc potest, neque ad Ludovicum Pium, neque ad Annum 829. ut censuit Baluzius, hæc esse referenda. Cæterum quamquam fere omnia hæc Capitula jam in editis legerentur, hic tamen nonnulla deprehendes, quæ luce hactenus caruere, atque ego nunc primum evulgabo. Fallitur autem Clariss. idem Baluzius Tom. II. Capitular. pag. 1293. putans hæc eadem Capitula ad Olonnam confecta in Tomo VII. Concil. pag. 1551. edita fuisse a Labbeo. Singula confer, & rem digito tanges. Horum Capitulorum supra fit mentio Cap. LXIII. inter Leges ipsius Lotharii.

(2) Cortis Regia Olonna sita erat, & adhuc est, in agro Ticinensi secus fluvium Olonnam, non longe ubi is Pado immiscetur. Perdurat adhuc illius nomen Italice *Cortelona*. Fuit ibi Regibus Italicis Palatium, & Villa, ubi æstatem quandoque oblectationis gratia agebant. Proferam ego Diploma Ludovici II. Augusti datum Anno 874. *Holonna Curte Regia*. Alterum ejusdem Imperatoris Privilegium pro Monasterio Casauriensi memorat Mabillonius Lib. 3. Cap. 1. num. 8. de Re Diplomatic. *Actum Olonna Curte Imperiali*. Tertium quoque Lotharii Augusti pro Cœnobio Farfensi, ubi legitur *Actum Olonna Palatio Regio*. Carolus etiam Crassus Augustus in Annal. Fuldens. Anno 886. *ad Curtem Olonnam* mansisse dicitur. Sunt & alia hujusmodi.

IV.

De Advocatis.

Singulis Epiſcopis, Abbatibus, Abbatiſſis duos concedimus &c. *ut in Lege XVIII. Lotharii.*

V.

De Uſuris.

Prohibemus, ut nemo uſuram facere præſumat, *ut in Lege XIX. Lotharii.*

VI.

De Doctrina.

De (1) doctrina vero, quæ ob nimiam incuriam, atque ignaviam quorumque Præpoſitorum cunctis in locis eſt funditus extincta, placuit, ut ſicut a nobis conſtitutum eſt, ita ab omnibus obſervetur. Videlicet ut ab his, qui noſtra diſpoſitione (2) Artem docentes alios per loca denominata ſunt conſtituti, maximum dent ſtudium, qualiter ſibi commiſſi Scholaſtici ita proficiant, atque doctrinæ inſiſtant, ſicut præſens expoſcit neceſſitas. Propter opportunitatem tamen omnium apta loca diſtincte ad hoc exercitium providimus, ut difficultas locorum longe poſitorum, ac paupertas nulli fieret excuſatio. Id ſunt.

Primum (3) in Papia conveniant (4) ad Dungallum de Mediolano, de Brixia, de Lau-

(1) Capitulum hoc prætermiſſum eſt a deſcriptoribus Langobardicarum Legum, eo quod non Legem perpetuam exhibeat, ſed temporariam. Egregium autem documentum complectitur, quo evincatur, quanto ſtudio, ſummeque laudanda ſedulitate Franci Imperatores publicam utilitatem in Italico Regno olim procurarent, quum rerum potiebantur. Abiectæ tunc in Italia literæ tantis patronis indigebant. Et eas quidem reſtaurare conatus fuerat Carolus Magnus in Francia, & Germania. Aliquantulum & apud Italos idem præſtiterat. Irritam tamen illius curam fuiſſe, en ut Lotharius ejus nepos affirmat. *Doctrina*, inquit, *cunctis in locis eſt funditus extincta*. Hinc decreti ab ipſo Magiſtri, qui publice literis adoleſcentes imbuerent; & conſtitutæ urbes, ad quas eruditionis gratia finitimi confluerent.

(2) Non facile definias, quid *Artis* nomine ſignificet Auguſtus. Ego nihil aliud deſignari puto, quam *Grammaticam*; vix enim in Italia rudibus iis temporibus ulla Rethorices cura erat; Theologiæ vero, ac Philoſophiæ ordinatus curriculus nondum inſtitutus fuerat, qualem poſt Annum a Chriſto Milleſimum, & ſerius etiam, efformarunt Scholaſticorum ingenia. Neque Scripturæ Sacræ ſtudium *Artem* quiſquam appellaſſet. *Grammatica* autem ea tempeſtate non in eo ſolum ſita erat, ut primas literas, hoc eſt legendi, ſcribendi, ac Latinæ Linguæ rudimenta traderet, quod ipſius munus antiquitus fuit, ſed etiam in explicandis vetuſtis Auctoribus, & varia rerum cognitione informandis adoleſcentibus: quæ literaturæ complexio tum Magiſtris, tum Diſcipulis magnum in honorem cedebat. Tales fuiſſe Grammaticos Suetonii, Ælii Lampridii, & Julii Capitolini ævo ex eorum Hiſtoriis colligitur. Propterea in antiquis Gloſſis apud Du-Cangium in Gloſſario Latino *Grammaticus* idem dicebatur atque *Scholaſticus, vel Literatus*. In hoc eodem Capitulari *Scholaſticorum* nomen Diſcipulis tribuitur. Hinc autem intelligas, quare Paulus Warnefridi lib. 6. Cap. 7. de Geſt. Langobard. Felicem quemdam in *Arte Grammatica* floruiſſe ſcribens, deinde addat: *Quem in tantum Rex Cunibertus dilexit, ut ei baculum argento auroque decoratum inter reliqua ſua largitatis munera condonaret*. Hanc igitur Artem ſolam reſtitutam, publiceque in Scholis traditam Lotharius, ut quidem puto, voluit.

(3) Jamdiu Ticinenſes ſibi perſuadere, ſuum Gymnaſium, ſive Univerſitatem, publicamque Academiam, a Carolo Magno fundatam fuiſſe. Quod argumentum multa eruditione pertractavit Anno 1704. doctiſſimus Vir Antonius Gattus in eodem Lycæo publicus Juris Interpres, edito Libro, cui titulus *Hiſtoria Gymnaſii Ticinenſis*. Et quidem ille Notkerum Sangallenſem Monachum teſtem adfert, ab eodem Carolo Papiam miſſum circiter Annum 780. Monachum (*Johannem Albinum* quidam appellant) natione Scotum, ut illic juvenes liberalibus diſciplinis erudiret. Neque vero Epiſcopalem, aut cœnobialem eam Scholam fuiſſe, ſed publicam Academiam, conjecturis nonnullis nixus ille contendit, Scriptoribus etiam laudatis, quorum nonnulli ab eodem Imperatore fundatas arbitrantur Academias Pariſienſem, Ticinenſem, & Bononienſem; alii Patavinam, ac Oſnabrugenſem; ac tandem alii Turonenſem, Lugdunenſem, & Fuldenſem. Verum ut multarum illuſtrium Familiarum, ita & præclariorum Academiarum immixtam fuiſſe fabulis primam originem tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Et quando recentiſſimi tantum adferuntur Scriptores ad ſtatuenda antiquiſſima earum exordia, aſſenſum ſuſpendere cogimur, ne dicam negare; neque enim iſtos idoneos teſtes, utpote ſine tabulis loquentes, arbitrabitur umquam quiſquis caute ſibi judicandum ſumit. Miſerit quidem Carolus Magnus ad Ticinenſes Johannem Albinum; publice quoque hic diſciplinas Ticini tradiderit: non unus certe Magiſter *Univerſitatem*, uti nunc vocant, conſtituere potuit. Tot nunc intuemur Caſtella ac Oppida, in quibus unus Literarum Magiſter jus ſuis diſcipulis dicit: num continuo Licæum, aut liberales Artes omnes excultas illic excogites? Quantum ergo conjicere poſſumus, *Grammaticam* dumtaxat *Artem* Monachus ille Ticini ſuis auditoribus explicabat, quam dixi tunc magiſtram variæ Eruditionis ſummo in honore fuiſſe. Albinus cognomento Alcuinus in Epiſtola XV. ad Carolum Magnum Regem in edit. Du-Cheſnii pag. 1511. hæc de Petro quodam habet Magiſtro: *Dum ego adoleſcens Romam perrexi, & aliquantos dies in Papia Regali Civitate demorarer, quidam Judæus Julius nomine cum Petro Magiſtro habuit diſputationem. Idem Petrus fuit, qui in Palatio veſtro Grammaticam docens claruit*. En quales eorum temporum in Italia Magiſtri forent, & quales in ipſis Regum Palatiis florerent. Unde amabo oſtendas, illum, eumque unum, quem Carolus Ticinum poſtea miſit, ſublimiorum Artium, atque diſciplinarum omnium Scholam aperuiſſe? Quod reſtat, vides, decem vix annis poſt Caroli Magni obitum, Lothario Auguſto ejus nepote teſte, *Doctrinam funditus extinctam* fuiſſe in Italia, ut ex ejus Capitulari conſtat, adeoque nullum eſſe locum eo tempore excogitatis Academiis, quæ aliquot tantum ſecula poſt apud nos excitatæ fuerunt. Quum vero Lotharius non Ticini ſolum, ſed & in aliis Italiæ Urbibus Scholas aperuit, has ne rudimenta quidem Academiarum, ſeu Univerſitatum, appellare auderem.

(4) Unus ergo Magiſter a Lothario Ticini decretus ad literas tradendas. Idem & in cæteris urbibus factum recte conjicias. Sed quis

iſte

Laude, de Bergamo, de Novaria, de Vercellis, de (1) Artona, de Aquis, dè Genua, de Hafte, de Cuma. In (2) Eboreja ipfe Epifcopus hoc per fe faciat. In Taurinis conveniant de Vighintimilio, de Albegano, de (3) Vadis, de Alba. In Cremona difcant de (4) Regia, de Placentia, de Parma, de Mutina. In Florentia de Tufcia (5) refipifcant. In Firmo de Spoletinis Civitatibus conveniant. In Verona de Mantua, de Tridento. In Vincentia de Patavi, de Tarvifio, de Feltris, de Ceneta, de (6) Afilo. Reliquæ Civitates Forum-Julii ad Scholam concurrant.

VII.

---

ifte *Dungallus*? Ille, ut fufpicor, idem, qui fub *Dungali* nomine inter Ecclefiafticos Scriptores laudatur a Bellarmino, Dupinio, Caveo, aliifque Hiftoriæ Literariæ Auctoribus. Fuit is Monachus in Parifienfi Cœnobio S. Dionyfii verfatus, ediditque circiter Annum 827. *Librum Refponfionum adverfus Claudii Taurinenfis fententias de cultu Imaginum*, qui legitur in Bibliotheca Patrum Tom. XIV. Clariffimus Mabillonius in Annal. Benedictin. ad Ann. 827. ejus gefta breviter percurrit, & *Monachum reclufum* fuiffe fufpicatur. Tum in Appendice *Dungali reclufi Elogium* carmine expreffum affert. At hæc incerta mihi videntur; potuit enim non unus tunc effe Dungalus: neque certe is putandus *reclufus*, qui Ticinum venit publicus Literarum profeffor. Ego non alium *Dungallum* noftrum a *Dungalo* facrarum Imaginum patrono fufpicor; quippe convenit ætas, & par literarum cultura: nam & Schola Ticinenfis, & fufcepta Claudii Taurinenfis confutatio fidem literaturæ faciunt. Veri autem fimile videtur, non Parifiis, fed Ticini confcriptum fuiffe Librum illum a Dungalo Magiftrum ibi agente. In Præfatione ita is loquitur: *Jamdudum ex quo in hanc terram advenerim, occafio mihi copiofa hac de re reclamandi occurrit*. Mabillonius hinc elicit, *non Gallum, fed alienigenam, forte Scotum*, Dungallum fuiffe, ipfumque hæc fcripfiffe Parifiis, ubi is verfaretur. Ad patriam Dungali quod attinet, non refifto: at his verbis defignari rectius putes *terram Italicam*, feu Ticinenfem, in quam e Gallia Dungalus advenerat. Et is quidem tunc propior Claudio Taurinenfi quam Parifienfes. Cæterum Liber ille Dungali hominem eruditum, facrifque etiam literis ornatum prodit, at fimul in Grammaticali foro, ac Prifciani deliciis enutritum, ut legenti conftabit. Quæ omnia conjecturam meam juvare poffunt, unum eumdemque Dungalum fuiffe, tum qui Ticinenfi Scholæ præfuit, tum qui Catholicis armis adverfus Claudium Taurinenfem pugnavit.

(1) Librarii error. Scribendum fine dubitatione *de Derthona*, quæ nunc *Tortona*.

(2) Eadem Civitas ac Eporedia, aut Hipporegia, nunc *Invrea*, five *Ivrea*. Atque hinc vides, unum Literarum Doctorem per eas urbes defignatum, qui quofcumque ad ludum literarium accedentes erudiret.

(3) Portus eft adhuc, & idem perquam commodus, in occiduo litore Genuenfis ditionis. Cluverius non alium putat ac *Vada Sabatia* antiquis memorata. Oppidum florentiffimum Anno 823. fuerit oportet, quando fingularem eius mentionem facit Lotharius Auguftus hoc anno.

(4) Id eft, de Regio Lepidi. *Regia* quoque appellatur in teftamento Caroli Magni.

(5) Ita Codex Ms., & mendofe, ut nemo non videt. Num *recipi fciant*, hoc eft difcipulos? an *refpiciant*? Commodiora excogitent alii.

(6) Nunc eft *Afolo*, illuftre oppidum, *Acelum* olim, Plinio, Ptolemæo, & Paulo Diacono memoratum, & conterminum Tarvifio. Gratulor illius civibus, quod tanti Patria eorum Anno 823. fieret, ut una cum illuftribus Italiæ Civitatibus numeraretur. *Agnellum de Acilio* Epifcopum, Schifmaticorum Synodo fub Severo Aquilejenfi interfuiffe fcribit Paulus Diac. in Hift. Langob. Lib. 3. Cap. 27. Antiquam vero Infcriptionem, fed falfi arceffitam, ad hujufmodi oppidum fpectantem vide in Supplemento Diarii Italici Tom. I. edito a doctiffimo Viro Hieronymo Leonio Cenetenfi.

COROLLARIUM.

Hactenus Capitulare *de Doctrina*, in quo plura funt animadvertenda. Decretum hoc a Lothario I. non tamquam Imperatore, fed tamquam Rege Italiæ efformatum, ac promulgatum unufquifque videt, plurefque Italiæ urbes recenfet, quæ non fecus ac *Mediolanum* & *Ticinum* Lotharii regno paruiffe dicendæ funt, cum parem in eas ac in ceteras ditionem fuam exercuiffe hinc liquido apparet. At quoniam noftro potiffimum ævo plures fint, qui hæc velitationibus fuis involvere, & *Mutinam* quoque ac *Regium* urbes, a tot jam feculis unius Romani Imperii fiduciarias, extra veteres ipfius Imperii fines atque intra Exarchatum pofitas contendant, hæc infuper accipe. Alterum fplendentiffimum argumentum, quo eadem veritas confirmetur, Teftamentum eft Caroli Magni a Du-Chefnio ac Baluzio editum tom. 1. Capitular. pag. 439. a me fupra iterum recufum. Ibi relinquit gloriofiffimus Cæfar Pippino filio *Italiam, quæ & Langobardia*, cum aliis Provinciis. *Si vero Carolo, & Ludovico viventibus, Pippinus debitum humanæ fortis compleverit*, tunc *Italiam* dividendam jubet, ejufque unam partem Carolo, alteram Ludovico affignat, hoc eft illi feptemtrionalem, huic vero meridionalem. *Et hæc divifio tali modo fiat, ut ab ingreffu Italiæ per Auguftam civitatem accipiat Carolus Eborejam, Vercellas, Papiam, & inde per Padum fluvium termino currente ufque ad fines Regienfium, & ipfam Regiam, & Civitatem Novam, atque Mutinam ufque ad terminos Sancti Petri*. Quinam forent termini Sancti Petri, hinc non eruitur; at certe exploratum eft hic *Regium* & *Mutinam* defcribi tamquam portiones Italici Regni, eafque Carolo Caroli Magni filio fuiffe relictas. *Has Civitates &c. accipiat Carolus*. Quare Italia ad boream pofita, feu Ultrapadana (qualis homini Mutinenfi dicenda eft) cum Eboreja, Vercellis, Papia, Mediolano &c. & quidquid a Papia *per Padum fluvium termino currente* habetur ufque *ad fines Regienfium*, totum conceffurum erat in jura Caroli, uti & civitates *Regium*, & *Mutina*; nam non amplius currente termino per Padum, fed Pado ipfo ad fines Regienfium fuperato, eadem Caroli pars complexura erat *Mutinam* ac *Regium*, & reliqua *ufque ad terminos S. Petri*. Viciffim altera portio, nempe Cifpadana, ac Meridionalis, Ludovico deftinabatur. En Augufti verba: *Quidquid autem a prædictis civitatibus, vel Comitatibus Romam eunti ad dexteram jacet de prædicto Regno* (videlicet Italiæ), *id eft portionem, quæ remanfit de regione Tranfpadana, una cum Ducatu Tufcano &c. Ludovicus ad augmentum fui Regni fortiatur*. Ac propterea in hac portione fitæ erant civitates ad meridem pofitæ ufque ad *Ducatum Tufciæ*, tum ipfe idem Ducatus &c. Plura fupereffent dicenda de Provincia Æmilia, a Pippino & Carolo juri Sancti Petri tradita, quæ dimittenda cenfeo, cum Eruditorum oculis pateant quæ occurrunt in Lege LXXIII. Pippini Regis libro I. tit. XXV. Legum Langobardicarum

VII.

De Canonicis.

Volumus ut singuli Episcopi conversationem Canonicorum, eorumque habitationes ad Kalendas Octubris futuri anni absque ulla neglegentia, sicut disposuimus, habeant præparatas.

VIII.

De Plebibus restaurandis.

Præcipimus, ut singulæ Plebes secundum antiquam &c. *ut in Lege XX. Lotharii.*

IX.

De Decimis.

De Decimis vero dandis statuimus, ut sicut in Capitulari continetur, quod in Mantua factum est, observetur, ita quod qui eas dare nolunt, distringantur, atque per eos exsolvantur.

X.

De Rectoribus Ecclesiarum.

De Precariis quoque, quæ a Rectoribus Ecclesiarum irrationabiliter fiebant, suosque successores pœna gravi obligant, ut facta ipsius neque Rex dissolveret, præcipimus &c. *ut in Lege XXI. Lotharii.*

CAP. I.

De liberis hominibus, ut secundum qualitatem rerum hostem faciant.

STatuimus ut liberi homines, qui tantum proprietatis habent, unde hostem bene facere possint, & ut jussi facere nolunt, in prima vice secundum legem illorum statuto damno subjaceant. Si vero secundo inventus fuerit neglegens, bannum nostrum, id est sexaginta solidos persolvat. Si vero tertio quis in eadem culpa fuerit implicatus, sciat se omnem substantiam suam amissurum, aut in exilium esse mittendum. De mediocribus quippe liberis, qui non possunt per se hostem facere, Comitum fidelitati committimus, ut inter duos, aut tres, seu quatuor, vel si necesse fuerit, amplius unicuique melior esse videtur, adjutorium præbeant ad nostrum servitium faciendum. De his quoque, qui propter nimiam paupertatem neque per se hostem facere, neque adjutorium præstare possunt, conserventur, quousque valeant recuperari.

II.

De liberis ingeniose res suas in Ecclesia dantibus, *Vide supra Legem XXII. Lotharii.*

III.

De Laicali ordine, sive de Laicis, ut eadem mensura servetur. *Vide supra Legem XXIII. Lotharii.*

IV.

De Fratrum hereditate. *Vide supra Legem XXIV. Lotharii.*

V.

De eis, qui mobile suum propter pignorationem, in alienam potestatem transferunt. *Vide supra Legem XXVI. Lotharii.*

VI.

De Fratribus in commune viventibus. *Vide Legem XXVI. Lotharii. Edita quoque sunt Capitula ista a Cl. V. Stephano Baluzio in Capitularium Tom. I. pag.* 547.

VII.

De Testibus.

Ut in testimonium non ricipiantur de his Capitulis, id est &c. *ut in Lege XXVII. Lotharii.*

VIII.

De Juratoribus.

Statuimus, ut Juratores omnes simul jurent &c. *ut in Lege XXVIII. Lotharii.*

IX.

De Sacramentis.

Ut quicumque Sacramentum vel debitum ante solis &c. *Hæc adnexa sunt Legi XXVIII. Lotharii.*

X.

De liberis, qui se in servitium tradunt. *Vide supra Legem XXIX. Lotharii.*

XI.

De his, qui res suas vendunt.

De his, qui proprietates suas habent, & spontanea &c. *ut in Lege XXX. Lotharii.*

XII.

De Pugnatoribus.

Quibuscumque per legem propter aliquam &c. *ut in Lege XXXI. Lotharii.*

XIII.

De fugitivis.

Præcipimus, ut Ministri Reipublicæ &c. *ut in Lege XXXII. Lotharii.*

XIV.

De Aldionibus.

Videtur nobis de Aldionibus, ut sicut &c. *ut in Lege XXXIII. Lotharii.*

Hæc sunt Capitula, quæ aliqui ex Missis nostris ad nostram notitiam detulerunt Anno XVI. Imperii nostri.

(*Capitula hæc sunt a Baluzio & Ludovico Pio Augusto tributa, Tom. I. Capitularium Pag.* 661.)

CAP. I.

DE his, qui sine consensu Episcopi Presbyteros &c. *ut in Lege XLIII. Lotharii.*

II.

De Ecclesiis, quæ inter coheredes divisæ sunt.

De Ecclesiis, quæ inter coheredes divisæ &c. *ut in Lege XLIV. Lotharii.*

III.

III.

De Ecclesiis destructis.

De Ecclesiis destructis, ut Episcopi &c. *ut in Lege XLV. Lotharii.*

IV.

De Decimis.

De Decimis, quas populus dare non vult &c. *ut in Lege XLVII. Lotharii.*

V.

De Scavinis.

Ut Missi nostri ubicumque malos Scabinos &c. *ut in Lege XLVIII. Lotharii.*

VI.

De Judicibus.

Ut in Comitatu hi, qui &c. *ut in Lege XLIX. Lotharii.*

VII.

Iterum de Scavinis.

Volumus, ut quicumque de Scabinis deprehensus &c. *ut in Lege L. Lotharii.*

VIII.

De Testibus.

Quicumque comprobatus fuerit &c. *ut in Lege LII. Lotharii.*

IX.

De Discordiis.

De his, qui discordiis, & contentionibus &c. *ut in Lege LIV. Lotharii.*

X.

De Homicidiis.

De homicidiis vel aliis injustitiis, quæ a Fiscalinis nostris fiebant, quia impune se ea committere posse existimant, nos Actoribus nostris præcipiendum esse decernimus, ne ulterius impune fiant, ita ut ubicumque facta fuerint, solvere cum disciplina præcipiemus.

XI.

De Collectis.

Collectam ad malum faciendum &c. *ut in Lege LIII. Lotharii.*

XII.

De Pontibus.

De Pontibus publicis destructis placuit nobis, ut hi, qui jussionem nostram in reparandis Pontibus contemserunt, volumus ac jubemus, ut omnes homines nostri in nostram veniant præsentiam rationem reddere, quare nostram jussionem ausi sunt contemnere. Comites autem reddant rationem de eorum pagensibus, cur eos aut non constrinxerunt, ut hoc facerent, aut nobis nuntiare neglexerunt. Similiter & de injustis theloneis, ubicumque accipiuntur, sciant & inde nobis rationem reddituros.

XIII.

De examine aquæ frigidæ.

Ut examen aquæ frigidæ &c. *ut in Lege LV. Lotharii.*

XIV.

De reversione ab hoste.

Postquam Comes, & Pagenses de &c. *ut in Lege LVI. Lotharii.*

XV.

Comites autem & Missi nostri magnum studium habeant, ne forte propter eorum negligentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere velint. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis causis se ad nos reclamare, nisi de quibus, aut Missi nostri, aut Comites eis justitiam facere noluerunt.

Hæc sunt Capitula, quæ pro Lege habenda sunt.

XVI.

De Homicidiis.

De homicidiis in Ecclesiis, vel in atriis &c. *ut in Lege LVII. Lotharii.*

XVII.

De homicidiis propinqui.

Quicumque propter cupiditatem rerum &c. *ut in Lege CIII. Lotharii.*

XVIII.

De uxore interfecta.

Quicumque propria uxore derelicta &c. *ut in Lege CXXXIII. Caroli Magni.*

XIX.

De rebus alienis.

Quicumque res alienas cuilibet homini &c. *ut in Lege LIX. Lotharii.*

XX.

De Vicariis & Centenariis &c. *ut in Lege LX. Lotharii.*

XXI.

Ut nullus ad placitum &c. *ut in Lege LXI. Lotharii.*

XXII.

Item de eadem re in Capitulo nostro in Libro IV. Cap. LV.

De Placitis siquidem, quas liberi homines &c. *ut in Lege XLI. Ludovici Pii.*

XXIII.

De faidis coercendis hoc observetur, & teneatur, quod in Capitulo nostro in Libro III. Cap. XXV. continetur. Si quis aliqua necessitate cogente homicidium &c. *ut in Lege XXI. Ludovici Pii.*

LUDO-

LUDOVICI II. AUGUSTI LEGES.

LUDOVICUS SECUNDUS.

„ *Imperat hic Divus nobis alter Lodoicus.*

CAP. I.

DIctum est nobis (1), quod in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis, & ab his, qui decimas non dant, wadias accipiant, & Presbyterorum quorundam negligentiis inter se pecunias dividant: quod penitus abolendum esse decernimus, ne forte avaritiæ locus detur: & constituimus, ut incestuosi juxta Canonicam sententiam pœnitentia multentur. Qui vero decimam post tertiam admonitionem & prædicationem Sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Juramento vero eos constringi nolumus, propter periculum perjurii. III. 3. 10.

II. (2) De viduis, & pupillis, & orphanis, cœcis, & claudis, tuitionem atque amminiculum habere præcipimus, juxta nostram possibilitatem vel vires; sicut in præcepto Domni Regis continetur. II. 48. 3.

III. (3) De raptoribus vero antiquorum Patrum statuta sequentes hoc tenendum censemus, ut si eas rapuerint, quæ cum sponso pariter benedictione sacerdotali initiatæ sunt, licet eas corruperit, tamen abstrahantur ab his, & propriis sponsis reddantur. Quæ vero vel viduæ sunt, vel adhuc sponsæ non fuerunt, & absque ipsarum & parentum voluntate rapuerint, nihilominus parentibus vel propinquis restituantur, & alii, cui voluerint, nubant. Nam ipsis, a quibus raptæ sunt, legitimæ demum uxores nullatenus esse possunt. Ipsos autem raptores, eisque auxilium præbentes, quamquam anathematizandos antiqui Canones præcipiant, in ultimo tamen constituti, si devote postulaverint sacram communionem in viatico, non denegamus. Quod si aliquis de ordine clericali hujusmodi transgressor, aut cooperator extiterit, proprii gradus honore carebit. I. 30. 15.

IV. (4) De judicio autem Judicis tam frequenter rememoramus, quia omnino consuetudinem judicandi injuste Judicibus auferre volumus. Sed tantum secundum scripturam judicent, & nullatenus secundum arbitrium suum, Sed discant pleniter legem scriptam. De quo autem non est scripta, hoc nostrum consilium habeatur in quibusdam.

V. (5) Sancitum est, ut nullus quislibet Ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere præsumat, quarum liberi aut propinqui hac inconsulta oblatione rerum propriarum exheredari possent. Quod si aliquis deinceps hoc facere tentaverit, ex hac re a Synodali & Imperiali sententia omnimodis feriatur, & res ad exheredatos redeant.

VI. (6) Volumus, ut omnis inquisitio de re-

(1) In editis, atque apud ipsum Baluzium tribuitur Lex ista Lothario I. Codex vero Estensis Ludovico II. Augusto ejus filio eam inscribit. Infra Cod. Estensis; *& a Presbyteris quibusdam negligentibus, & inter se pecunias dividunt*. Omnino consulenda hic Editio Baluziana Tom. II. pag. 340. ubi legitur: *& pro Presbyterorum quorundam negligentiis, & inter se*. Editio Boheriana: *& Presbyteris pro quibusdam negligentiis*. Infra Cod. Esten. *Qui vero decimam post tres ammonitiones, & prædicationes Sacerdotum dare neglexerit, excommunicetur*.

(2) In editis, imo & apud Baluzium, Lex ista Lothario I. Augusto tribuitur. Ego fidem sequor Codicis Estensis Ludovico II. tribuentis. In Ambrof. incipit: *Ut viduis* &c. *tuitionem, atque adminiculum impertiamus*.

(3) Est Canon X. Concilii Ticinensis habiti anno 850. dum in ea urbe resideret idem Ludovicus II. Augustus. Infra Cod. Esten. *in ultimo tamen constitutis, si devote postulaverint Sacræ Communionis Viaticum*, &c.

(4) Legem hanc inter Langobardicas editam non invenio. Suppeditavit Codex Estensis. Ejus particulam a Carolo M. promulgatam vide apud Baluz. Tom. I. pag. 370.

(5) Hanc etiam do ex Cod. Estensi. Habet & Ambrosianus, imo bis habet. Verum illam jam pridem non uno in loco ediderat inter Capitularia Regum Françorum supra laudatus Baluzius Tom. I. pag. 720. & 864. Imo is pag. 565. eam tribuit Ludovico Pio Imperatori. Ipsam quoque Ansegisus Abbas inseruit Collectioni Capitularium, atque Ivo Carnotensis Episcopus in suum Decretum intulit part. 16. Cap. 261. Apud Baluzium pag. 864. legitur tantummodo: *Synodali sententia districte feriatur*. Ita quoque Ambrof. Cod. in uno loco; in altero habet, *Synodali, vel Imperiali*. Baluzius pag. 565. legit: *hoc facere tentaverit, ut acceptor Synodali, vel Imperiali sententia* &c. In laudato Cod. Ambr. *aut contemtor, aut acceptor*. Quæ omnia satis ostendunt, hic innui Canonem a quopiam Sacro Concilio hac de re promulgatum, quod quale fuerit, tum Baluzio, tum mihi ignotum fateor.

(6) Inter Langobardicas non legitur, sed quidem illam exhibet Codex Esten. A Baluzio eadem tribuitur Ludovico Pio Tom. I. pag. 674. at ibi tantum habetur: *Volumus, ut omnis inquisitio, quæ de rebus ad jus Fisci nostri* &c. Hic additur, *de rebus Ecclesiasticis*. Infra idem Baluzius: *sed per illos, qui in eo Comitatu* &c.

rebus ecclesiasticis, vel ad jus Fisci nostri pertinentibus, quæ facienda est, non per testes, qui producti fuerint, sed qui in eo Comitatu meliores & veraciores esse cognoscuntur, per illorum testimonium inquisitio fiat, & juxta quod illi testificati fuerint, vel contineantur, vel reddantur ipsæ res.

VII. (1) Ut Episcopi, qui res Ecclesiæ circa propinquos suos expendunt, reprehensionem caveant, & discretionis modum teneant. Quoniam multi Episcoporum amore propinquorum suorum de rebus sibi commendatis suo aut quolibet (2) amicorum nomine, prædia & mancipia emunt, & ut in suorum propinquorum jus conducantur statuunt. Et ob hoc jura ecclesiastica convelluntur, & ministerium sacerdotale fuscatur, imo ab subditis detrahitur, & contemnitur. Placuit itaque nobis omnibus, ut deinceps hoc avaritiæ genus caveatur; fixumque abhinc, & in perpetuum mansurum esse decrevimus, ut Episcopus de rebus sui juris, quas ante Episcopatum, aut certe in Episcopatu hereditaria successione adquisivit, secundum auctoritatem Canonicam quidquid vult faciat, & cui vult, conferat. Postquam autem Episcopus factus est, quascumque res de Ecclesiæ facultatibus aut suo, aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, decrevimus, ut non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant. Similiter de Presbyteris, vel Diaconibus (3), qui de Ecclesiarum rebus, quibus præsunt, prædia, & mancipia eo modo emunt, faciendum statuimus; quoniam multos Presbyteros occasione taliter emtarum rerum Ecclesias, quibus præsunt, disparasse, & offendisse (4), & spoliasse, & suum ministerium multis modis exorbitasse, & diabolo se mancipasse; & hac occasione multos laicorum in scandalum damnationis & perditionis deperisse (5) comperimus. Et ideo non debemus ante tempus per suspectionem judicari, sed patienter exspectari, donec ipsa veritas manifesta fiat, utrum magis audiendi, an improbandi simus.

VIII. De his conjunctionibus, quæ secundum Canones Ecclesiæ & edictum copulatæ esse non possunt, placuit nobis, ut ab invicem separentur: & qui de nostris Judicibus neglexerit caussam istam ad judicandum aut distringendum, componat widrigilt suum. II. 8. 12.

ADDITAMENTUM PRIMUM

AD LEGES, SIVE CAPITULARIA LUDOVICI II.

Ex Ms. Codice Cathedralis Mutinensis.

In (6) nomine Dei omnipotentis. Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLV. Indictione III. mense Februario, die mensis ejusdem Quarta.

CUm Domnus & Magnificentissimus Hludowicus Augustus apud Ticinensem Civitatem in Augustali Aula resideret, tractatus de statu Sanctæ Matris Ecclesiæ, & pace divina dispositione sibi commissi Imperii, ac generali totius Populi salute, præsentibus Optimatibus suis, dixit:

CAP. I.

Crebro vestram fidelitatem retroactis tempori-

---

(1) Ne hæc quidem legendam se præbet in editis hactenus Legum Langobardicarum collectionibus. Profero illam ex Cod. Estensi: rem tamen non ignotam profero; nihil enim aliud est, quam Canon XVI. Concilii Parisiensis VI. habiti Anno 829. quem etiam editum videas Lib. V. Cap. 327. Capitular. Regum Francorum ab Ansegiso collectorum. Priora verba usque ad *Quoniam* titulum Canonis exhibent.

(2) Ita quoque legit Baluzius Tom. I. pag. 893. At Labbeus Tom. VII. pag. 1612. Concilior. habet: *suo, aut quorumlibet*. Infra alii textus: *in suorum propinquorum jus cedant*.

(3) Neque Labbeus, neque Baluzius hæc verba habent; & tamen non immerito apposita. Erant enim olim *Diaconiæ* suis prædiis ditatæ, quibus prærant Diaconi, ut Parochi Parochialibus Ecclesiis. Celebres hæ sunt in Romanorum Pontificum Vitis.

(4) Neque ista leguntur in nuper memoratis editionibus; sed tantum, *quibus præsunt, exspoliasse & a suo ministerio* &c. Nos adhuc in sermone vulgari *disparare* appellamus *exspoliare*.

(5) Labbeus, *protraxisse*; Baluzius, *proruisse comperimus*. Quæ sequuntur in Cod. Esten. *Et ideo* &c. non leguntur in editione Labbeana, neque in Baluziana. Et sane extra chorum posita videntur.

(6) Et hæc reperiuntur in antiquissimo Codice Ms. Cathedralis Mutinensis. Antea vero edita pars horum fuit in Actis Concilii Ticinensis habiti Anno 855. apud Labbeum Tom. VIII. Concilior. pag. 149 & apud Baluzium Tom. II. pag. 355. Capitular. Inserta quippe sunt ibi hæc Ludovici II. Imperatoris decreta, quamquam non integra. In ea autem Synodo Episcopi Epistolam ad ipsum Augustum dant, ubi proferuntur multa in Ecclesiæ ac Reipublicæ regimine emendationem ab eodem exi-

poribus commonuimus, ut secundum normam Christianæ Religionis vivere unusquisque nostrorum Fidelium satageret, & suos a rapina compesceret: attamen quia hactenus minus diligenter actum est, amodo omni conamine vos studere volumus, quo penitus a nostro Regno rapina eliminetur, & pauperum voces, usque nunc Domini Sabaoth aures pulsantes querimoniis, incipiant suo Creatori laudes rependere pro ubique pace & quiete concessa nobis agentibus.

II. Statuimus autem, ut Ecclesiæ Dei per toties Regni nostri fundatæ terminos, sub nostræ immunitatis tuitione securæ cum rebus & familiis permaneant, ceu prædecessorum nostrorum, piissimorum videlicet Augustorum, temporibus fuisse probantur. Earumque Rectores propriis utantur Privilegiis. Monachi per sua Cœnobia regularem teneant ordinem. Similiter & Clerus omnis proprio fungatur ministerio, neminem (1) molestante nostri terroris formidine.

III. Sancimus nihilominus, ut singuli Comites, & Actores Reipublicæ in suis ministeriis procurent legalem Populo facere justitiam; pupillos, & viduas protegant; per loca solita restaurent palatia, quibus, cum iter dictaverit, nos Legatosque nostros valeant recipere, ne gravent Ecclesias. Quando etiam Episcopos, Abbates, vel Comites, seu Fidelium nostrorum quempiam in propria Villa morari contigerit, cum suis in suis maneant domibus, ne sub obtentu hospitii eos obprimant, vel eorum res diripiant.

IV. Denique quia, Christi custoditi clementia, neminem juste (2) consecuto privavimus, sed neque privari absque legali sanctione aliquem nostrorum Fidelium volumus beneficio: jubemus, ne quis suum depravet ullo modo, sed instauret securiter; ne qui dirigendi sunt a nobis undique, si depravata repererint, legaliter emendare compellant, & eos deinceps perfrui prohibeant.

V. Porro cum ad nostrum quislibet nostrorum Fidelium properat obsequium, tam in eundo, quam in redeundo gradiatur pacifice, ut (3) terræ generalis exigit utilitas; cum Scaritis veniant in statutis, justa Dominus maneat. Episcopus & Comes, per quorum transeunt terminum, diligenter provideant, ne molestentur incolæ, aut eorum domos per vim patiantur invadere, vel propria diripere absque collato pretio. Sed neque indigenæ per solita loca tectum, focum, aquam, & paleam hospitibus denegare, aut sua carius quam vicinis audeant vendere.

VI. Igitur quia hactenus in Regno nostro quosdam infrenate vixisse nulli est ambiguum, sancimus unumquemque suorum hominum solicitudinem gerere, ne solitam rapinam perpetrare præsumant. Qua pro re si quis artatus suum Seniorem dimiserit, penitus interdicimus, ne recipiatur ab altero, quatenus nisi corrigi voluerit, a nostri Regni penitus excludatur finibus.

VII. Recolimus, hæc sæpe inculcata, & Augustali nostra sanctione promulgata, & quia ex parte in aliquibus neglecta videntur hactenus, acriori ulcisci debuerant examine. Attamen nostra mansuetudine ut corrigantur, quantulumcumque largimur spatium, quo quisque neglecta emendare valeat, destinaturi postmodum Legatos strenuos emendata inquirere. Qui vero negligens repertus fuerit, propriis honoribus nostro privabitur judicio.

(4) *LEGATIO.*

CAP. I.

Ecclesiarum Dei justitia inquiratur, & omni studio perficiatur; & ne a sacrilegis thesaurus diripiatur earum, fideliter describatur.

II. Pupillorum & viduarum caussa investigetur, & diligenti cura misericorditer examinetur.

III. Totius populi querimonia generaliter audiatur, & legaliter diffiniatur.

IV. De statu Reipublicæ inquirendum: Ubi

exigentia. Tum subsequitur Capitulare ejusdem Augusti, quod nunc & emendatius, & plenius profero. Videre autem est cum in Episcoporum literis, tum in Statutis a Ludovico II., quantum ea tempestate cordi fuerit non Episcopis solum, sed & ipsis Imperatoribus, ut publica res bene ageretur, & tollerentur succrescentes abusus: quod & ex reliquis Francorum Regum, & Augustorum Capitularibus constat. Prudens certe summeque laudandum regimen; & præcipue quod Augusti Episcopis opem ferrent ad rite gubernandam Ecclesiam, & ab Episcopis iidem Augusti juvarentur ad recte sustinendum onus Imperii.

(1) Baluzius habet: *nemine molestante*.

(2) Baluzius habet: *injuste privavimus*.

(3) In Actis jam editis Concilii Ticinensis hæc ita leguntur: *Et ni generalis utilitas cum Scaritis veniat in Statutis, juxta maneat. Episcopus* &c. Rectius in Ms. priora verba; illa vero, *justa Dominus maneat*, æque ac edita tenebris abundant. Quod est ad *Scaritos*, in Capitulari Caroli Calvi apud Baluzium Tom. II. pag. 265. paria legas: *Fredericus, vel unus eorum, qui cum eo Scariti sunt, causas teneat*. Hoc est, qui eidem famulantur, aut illum comitantur, tamquam electi famuli, sive Ministri. Idem intelligi potest ex verbis Continuatoris Fredegarii ad Annum 768. *Rex Pipinus in quatuor partes Comites suos Scaritos, & Leudos suos ad perquirendum Waifarium transmisit*. Fortassis idem fuere atque *Scariones*, scilicet militares viri, a *Scaris*, hoc est militaribus turmis, ita appellati, quos ad sui tutelam, & comitatum Magnates adhibebant.

(4) Quæ subsequuntur, desiderantur in Actis editis Concilii Ticinensis; ac proinde ex Codice Ms. Mutinensi nunc primum eduntur. Hinc autem plenius intelligas, quanto studio publicam tranquillitatem ac justitiam curarent Francici Augusti. Utique non sine voluptate hæc pauca legantur.

Ubi cum iter dictaverit, Dominus Imperator recipi debeat per singula ministeria. Ubi ab eo directi Legati. Unde eis amministrentur obsequia. Unde (1) Paraveredæ. Unde, vel quæ dona annualia, aut tributa publica exigi debeant. Qui debeant palatia restaurare; qui pontes. Ut non destruantur beneficia, & destructa restaurentur. Quæ beneficia Dominicus Gasindius habuit, quis habeat illa, vel ubi conjaceant.

V. Directi Abbates Monasteria Monachorum & Puellarum, & Senodochia circumeant; si unde amministrentur, debita obsequia habeant, & concorditer degant, inquirant. Quicquid inordinatum repererint, regulariter corrigant. Senodochia autem sicubi quæ sunt neglecta ad pristinum statum revocent. Hospitales vero pauperum tam in montanis, quam & ubicumque fuisse noscuntur, pleniter, & diligenti cura restaurentur.

ALTERUM (2) ADDITAMENTUM

AD LEGES LUDOVICI II. IMPERATORIS

Ex Ms. Codice Bibliothecæ Ambrosianæ.

Incipiunt Capitula Domni (3) Ludovici Imperatoris filii Lotharii Imperatoris.

CAP. I.

DE incestis conjunctionibus hic præcipimus, ut nullus deinceps propinquam, nec quam propinquam habuit, uxorem ducat.

II. Ut omnimodis diligentissima examinatione, secundum scriptam legem, quam diutissime fieri possit, justo judicio omnibus usus juramenti prohibeatur, ut, Deo donante, consuetudo pessima perjurii a Christiano Populo auferatur, Tamen omnino fiant uni (4) viri, si nullatenus hoc consentire volumus. Sed si quis in perjurio fuerit comprobatus, aut manum dexteram perdat, aut eam secundum scriptam legem redimat, & numquam amplius in nullo judicio ad sacramentum venire permittatur.

III. Comperimus, quod ab his, qui secundum mundanas Leges &c. *Vide supra Legem CII. Lotharii.*

Ut nullus Ecclesiasticus feminam secum habere præsumat. Si Presbyter fuerit, aut Diaconus, aut Episcopus, ab ordine deponantur. Si Clericus, nudus ad palum vapuletur; & femina, quæ ei consensit, similiter vapuletur, & caput tondatur, quia sic dicit Scriptura Dei: *Membra Christi faciam membra meretricis?*

IV. De Episcopis, Diaconibus, vel ceteris interdixit per omnia Nicæna Synodus, ut nulli Presbytero, atque Diacono, sive Clerico, introductam (5) non liceat habere mulierem, simul nec ancillam, nec aliam,

(1) Sunt equi publici, quos ad cursum, & usum Principis ministrabant Populi, per quos ille iter faciebat. Erant cum rheda, erant & sine rheda. Nunc appellamus *Cavalli da posta*, eorumque mentio est in Codice Theodosiano, apud Procopium, Cassiodorum, aliosque. Atque hinc originem habuit Italica vox *Palafreno*, ut erudite ostendit Menagius in Originibus Italicæ Linguæ. A *veho*, & *rheda*, Festo monente, dicti sunt *veredi*, hoc est, equi cursus publici, atque a *veredus* efformatus est *paraveredus*, in Codice quoque Theodosiano memoratus interdum. In Lege Bajuvariorum Tit. I. Cap. VIII. de colonis, & servis Ecclesiæ dicitur: *Parafredos donent*, hoc est, dent: quæ vox, ut vides, jam accedit ad Italicum *Palafreno*.

(2) Duos Mss. Codices antiquissimos Ambrosiana Bibliotheca servat, quorum etiam mentionem feci in Præfatione ad duo brevia Chronica Regum Italiæ Tom. IV. Rer. Italic. Eos Palatini Socii accuratissime contulerunt cum editis Langobardorum & Francorum Regum Legibus, & in his desiderari invenerunt, quæ infra sequuntur, ex Codice Capitularium excerpta.

(3) Libenter fateor, me ita restituisse hunc titulum: quod tamen titubans feci. Undique erroribus scatebat Codex Ambrosianus; ipse vero titulus hisce verbis conceptus legebatur: *Incipit Capitula Domni Lodoici Impe: pris filius Lothari Imperatoris*. Dubius utique fui, num hæc referenda essent ad Ludovicum Pium, ejusque filium Lotharium I. adlectum Imperii consortem. Verum ita sum interpretatus, ut hic de uno Ludovico II. Lotharii I. filio agatur; postrema enim verba id luculentius persuadere videntur. Vide etiam quæ infra sunt adnotata.

(4) Corrupta verba, quæ restituere divinando vix possis. Ego abstinere malui. Erant & olim librarii non pauci, qui pro sua inscitia intolerandos errores in Codices inferebant. Hic mihi videtur sensus. Quantum fieri poterat, in votis erat Imperatori, ut juramenti usus caveretur, ne facile perditi homines in perjuria ruerent; quod & in aliis Capitularibus innuitur. Quum tamen fieri aliter non poterat, ea finebat, pœnam simul comminitans hominibus perjuris.

(5) Ita enim appellabantur fœminæ extraneæ cum Clericis continentiæ voto adscriptis cohabitantes. Flagitium hoc sæpe Concilia, ac ipsum Nicænum I. Can. 3. interdixerant, & Sancti Patres, & Carolini Cæsares non semel sunt exsecrati. Videat, qui plura cupit, Disquisitionem meam *de Agapetis & Synisactis* in Anecdotis meis Græco-Latinis.

am, quæ in opinionem adulterii maneat, aut diffametur, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam. Simul nec in ipsa casa, ubi ipsæ manent, esse non debent. Et qui hoc facere ausus fuerit, bannum nostrum a parte nostra componat.

V. Ut unusquisque (1) Presbyter res, quas post diem consecrationis adquisierit, propriæ Ecclesiæ relinquat.

VI. Homo, si de suo statu pulsatus fuerit &c. *Vide supra Legem LIX. Ludovici Pii.*

VII. Placuit nobis, ut hæc Capitula, quæ excerpsimus de Capitulare avi nostri Karoli, & Domni genitoris nostri Ludovici Imperatoris &c. *Vide supra Legem LXX. Lotharii I.*

VIII. Dictum est nobis, ut in quibusdam locis Episcopus, & Comes ab incestuosis &c. *Vide supra Legem I. Ludovici II.*

IX. Statuimus de (2) Decimis, unde jam inter Episcopos, seu reliquos Sacerdotes, & Comites, & Vassos, & reliquos fideles nostros multas audivimus intentiones. Si est in sua proprietate, habeat, sicut in Capitulare constitutum est, ipsam decimam de suo domo coltile rebus in eadem Ecclesia concedimus, & ipse Sacerdos, qui ibi ordinatus fuerit, ipsam decimam dispenset pro luminaria, sive pro eleemosynis distribuat. Statuimus de suos manentes, qui in eadem Parochia commanentes sunt, ipsa decima a plebe donetur. Et si contradixerint ea, publice distringantur, sicut in Capitulare nostro constituimus.

X. De propinquis non accipiendis in conjugio, eo quod uxoris parentela sit viro, sicut propria parentela.

XI. Ut Episcopi (3) in rebus Ecclesiæ, circa propinquos suos expendendi reprehensionem caveant, & discretionis modum teneant. Quoniam multi Episcoporum &c. *Vide supra Legem VII. Ludovici II.*

XII. Consobrinam, neptem, novercam &c. *Vide supra Legem XCIX. Lotharii I.*

XIII. Si quis in tali nefario conjugio convenerit &c. *Vide supra eamdem Legem XCIX. Lotharii.*

XIV. Si vero conversus divisus quis fuerit &c. *Vide eamdem Legem XCIX. Lotharii I.*

XV. Ecclesiæ, vel quælibet pia loca destructa jacentia, præcipimus ex his, quæ suscipere solent, reformata constitutione, proprio dispendio restaurentur; nec sufficiente vero necessario, a populo Plebis auxilientur, ut domus honorifice videantur existere.

XVI. Nulli Episcoporum liceat res immobiles de subjectis Plebibus, vel aliis quibuslibet locis, in proprio usu habere, ne majores locupletentur, & minores tali facto pauperiores factæ inveniantur. Contra agens Canonica auctoritate coartatus desistat.

XVII. Femina vero quæ habitum religiosum, aut velamen obtentu religiositatis susceperit . . . . potentes viros sociare non permittatur, sed eligens, aut in Monasterio regulariter vivat, aut in domibus susceptum habitum observet. Contra autem inventa, providentia Episcopi emendetur.

XVIII. Res litigiosa nullatenus potest dari, aut venumdari, antequam (4) elitigetur.

Quicumque homo alteri debitor fuerit, & ipsum debitum negare voluerit, & postea convictus fuerit, ipsum debitum in duplum persolvat.

XIX. Similiter & ille homo, qui res vendiderit, & exinde chartam fecerit, si minus dederit, quam ipsa charta scriptum fuerit, in duplo ei, qui acceperit, restituat.

XX. Ut postquam hoc Capitulum notare jussimus, & per Regnum nostrum, sicque de nostra jussione, commandatum fuerit, & alio modo quis fecerit, nisi quod nobis, & nostris fidelibus placitum est, quicumque nostram jussionem in despectione habuerit, bannum nostrum a parte nostra componat, & postea ipse reus appareat in Sanctam Synodum, & secundum Canones judicetur.

XXI. Constat enim omnis homo observare, ut die Dominico nullas audeat operationes, mercantionesque peragere, præter in cibalibus rebus pro iterantibus; ita ut iterantes vivere possint. Et debent Dominico die, secundum possibilitatem, omnes ad Ecclesiam concurrere, dein sola Omnipotentis Dei oratione vacare, ut qui Christiano vocabulo nuncupatur, opera peragere videatur.

XXII. De Monasterio, vel Oratorio, quod a proprio domino soli ædificatum est, monere volumus, domino constructori invito non auferatur; liceatque illi Presbytero, cui voluerit, pro sacro officio (qui illius Diœcesis, & bonæ auctoritatis dimissoriæ cum consensu Episcopi sui; nec malus existat) commendare, ita ut placita justitia ipsius Episcopi, & obedientia Sacerdotis requirat.

(1) Confirmatur hic antiquissimum disciplinæ ecclesiasticæ decretum, cui erant, & adhuc sunt obnoxii Episcopi, Parochi, & reliqui Beneficiis Ecclesiasticis fruentes. Hanc in rem est Canon Concilii Parisiens. Sexti Lib. I. Cap. 16. quem hic repetitum infra videas.

(2) Nonnulla hinc menda manifestiora sustuli; sed reliqua intacta dimisi, ne nimium auderem. *Domo coltile* sunt domus a colonis agrorum inhabitatæ. *Manentes* vero, & *commanentes* idem significant, hoc est, colonos eorumdem prædiorum.

(3) Priora hæc verba usque ad *Quoniam* titulum, reliqua textum exhibent, qualem inter Ludovici II. Leges jam dedi, nisi quod in Ambros. Codice rectius legitur: *Similiter de Presbyteris, vel de Diaconis, qui de Ecclesiarum rebus, quibus præsunt, prædia & mancipia emunt, eo modo faciendum statuimus* &c.

(4) Hoc est, antequam purgata sit a lite & controversiis in eam suscitatis.

XXIII. Si quispiam invasor comprobatus, dicat pro parte Ecclesiæ egisse, de privata sibi re pertinente ab ipso, suoque herede solvatur invasio. Sacerdos denique pro tali culpa reus inventus, a proprio canonice judicetur Episcopo, ut non Ecclesia sibi commissa damnum sustineat.

XXIV. In sacris (1) Canonibus præfixum est, ut Decimæ juxta Episcopi dispositionem distribuantur. Quidam autem laici, qui vel in propriis, vel in beneficiis suis habent Basilicas, contemta Episcopi dispositione, non ad Ecclesiam, ubi Baptismum, & prædicationem, manus impositionem, & alia Christi Sacramenta percipiunt, Decimas suas dant, sed propriis Basilicis pro suo libitu tribuunt; quod omnibus modis divinæ Legi, & sacris Canonibus constat esse contrarium. Unde vestram potestatem, ut eos corrigatis, expetimus.

XXV. Quamquam Sacerdotum testimonium &c. *Vide supra Legem CI. Lotharii I.*

XXVI. Si autem veniente causa &c. *Vide eamdem Legem CI. Lotharii I.*

XXVII. Quia sunt in plerisque locis parricidæ & ceteri homicidæ, vel reliquis criminibus implicati, quia pœnitentiam publicam agere contemnunt, qui utique Reipublicæ utilitatibus inutiles sunt, super quibus necesse est, ut vestra celsitudo Comitibus præcipiat, quatenus Episcopis adjutorium ferant, ut eos Canonicæ pœnitentiæ subdere valeant.

XXVIII. De justitiis Ecclesiarum, viduarum, orphanorum, & pupillorum, ut in publicis judiciis non dispiciantur clamantes, sed diligenter audiantur.

XXIX. De homicidis (2), & ceteris malefactoribus, qui legibus mori debeant, nemo eis ad excusationem in Ecclesiam suam introire permittat. Si absque voluntate patroni ibidem introierint, tunc ipse, cujus Ecclesia fuerit, nullum victum eis donet, nec alii dare permittat.

XXX. Ut nemo præsumat alterius servum ministrum Ecclesiæ constituere, vel benedicere, antequam a domino suo tradatur in manu Pontificis in libertate integra persistendum omnibus diebus, nec possit dominus post illum diem dominationis jus in eum exercere; & tunc sicut domini voluntas est, ad Sacrum Ordinem accedat.

XXXI. Ut Episcopi, & Abbates, & Presbyteri res Ecclesiæ sibi commissas inter parentes & proximos suos, non amplius quam Canonica sanxit licentia, dividant, ut acceptæ plebi, vel eis, qui res suas ibidem offerunt, murmur, vel detractio auferatur.

XXXII. Ut liberi (3) homines nullum obsequium Comitibus faciant, nec Vicariis, neque in pasto, neque in messe, neque in aratura, neque in vinea, & conjectum vel (4) residium non solvant, exceptis (5) aribannatoribus, vel missaticis, qui legationem ducunt.

XXXIII. Statuimus de (6) Presbyteris, & Diaconibus ecclesiastico honore privatis, ut redigantur (7) pœnitentiæ, sicut Canones præcipiunt. Et si Episcopus, aut Abbas in sua Parochia habuerit (8) Monasteria, ibi mittantur; & tunc præcipiat ipsis Episcopus, ut ibi tales judicent ipsam plebem, unde sint, ut si res proprias habuerint, eligant sibi talem patronum, qui de ipsis rebus victum & vestimentum eis ministret; ita tamen ut nullam habeant licentiam vagandi, aut discurrendi, sive per placita, sive ad Palatium, seu ad ipsas res, quas proprias ante habuerint, sine licentia sui Episcopi, & in eodem loco, ubi constitutum est, suam pœnitentiam jugiter agant. Quod si hoc non observaverint, primum verberibus coerceantur. Quod si nec sic se castigaverint, tunc in tali loco ducantur, ubi velut sub pœnitentia vivant.

XXXIV. Ut viduis, & orfanis, & pupillis &c. *Vide Legem II. Ludovici II.*

XXXV.

---

(1) Habes hic eisdem verbis Canonem XII. Concilii Ticinensis habiti Anno 855. sub Ludovico II. Augusto. Vide Labbeum Tom. VIII. Concil. & Baluzium Tom. II. Capitular. Quare iam tandem intelligimus, Capitulare hoc non ad Ludovicum Pium, sed quidem ad ejus nepotem Ludovicum II. esse referendum.

(2) Similem Legem, sed breviorem, a Carolo M. promulgatam supra habes Cap. VIII. inter illius Leges.

(3) Supra in Lege CXXI. Caroli Magni interdicuntur hujusmodi angariæ; & inde expressa videtur ista Lex, quamquam aliis verbis ac sententiis concepta. Sed & eadem Lex a Baluzio adfertur Tom. I. pag. 400. Capitularium, ex duobus Mss. hausta.

(4) Quod olim *conjectum* dicebant, nunc appellamus *contributionem*. Baluziana editio habet: *vel residuum*. Ambrosiani Codicis lectio fortassis anteferenda. *Residium* enim pro *residentia*, seu jure aut actu residendi, usurpatur. Ne quid tamen dissimulem, Hincmarus Remensis Epist. 7. ex Labbeanis apud Du-Cangium in Glossario Latino scribit: *titulus autem ipsius, in quo & residuus erat &c.* pro *residens*. Sed librariis non semper fidendum. Est & *residuatio* eodem sensu.

(5) Baluzius hæc ita legit: *& conjectum ullum, vel residuum eis resolvant; excepto servitio, quod ad Regem pertinet, & ad heribannatores, vel his, qui legationem ducunt.*

(6) Hanc Legem Lothario I. adscriptam exhibet Baluzius Tom. II. pag. 32. Capitular. tamquam ex Langobardicis exceptam. Nisi oculi me fefellerunt, ego inter eas non deprehendi. Quare libentius do illam; neque vero eamdem repetitam habere, flagitium foret.

(7) Baluzius: *sub pœnitentia.* Infra *aut Abbas* non legitur in Baluziana editione, & quidem perperam additum videtur.

(8) Aliter apud Baluzium, nempe: *Et si habet Episcopus in sua Parochia suum ministerium, ibi mittitur.* Atqui sensus ipse poscit, legendum hic *Monasteria*, sive *Monasterium*; in iis enim pœnitentiam agere delinquentes Clerici cogebantur. Emendatiora sunt & reliqua in Ambrosiano Codice, quam apud Baluzium. Sed singulis adnotandis tempero.

XXXV. Volumus ut omnis inquiſitio &c. *Vide Legem VI. Ludovici II.*

XXXVI. Placuit (1) nobis de orfanis, & pauperibus, qui debite vel indebite amiſerint hereditates paterni vel materni juris ad ſe pertinentes, ſi alicubi inventi fuerint, quos patres vel matres propter traditiones illorum, exheredes fecerint, aliorum ſcilicet ſuaſionibus, aut petitionibus, vel aliquo ingenio, omnino volumus, atque decrevimus emendari, quantum ad nos vel ad noſtram pertinet poteſtatem, juxta voluntatem Dei, & veſtram, ſancta admonitione, & conſideratione, ut ſi forte extra officium noſtrorum alicubi inventum fuerit, admonere veſtram clementiam audeamus, ut emendetur.

XXXVII. Sancitum eſt, ut nullus quislibet Eccleſiaſticus &c. *Vide ſupra Legem V. Ludovici II.*

XXXVIII. (2) Si liber homo de furto accuſatus fuerit, & res proprias habuerit, in mallo in præſentia Comitis ſe arramiet. Et ſi res non habuerit, fidejuſſorem donet, qui eum arramire, & in placitum adduci faciat. Et liceat ei prima vice per ſacramentum ſe ſecundum legem idoneare, ſi potuerit. Et ſi alia vice duo vel tres eum de furto accuſaverint, liceat ei contra unum ex eis cum ſcuto & fuſte in campo contendere. Quod ſi ſervus de furto accuſatus fuerit, dominus ejus pro eo emendet, aut eum cum ſacramento excuſet, niſi tale furtum perpetratum habeat, propter quod ad ſupplicium tradi debeat.

XXXIX. Statuimus, ut nullus quislibet Eccleſiaſticus &c. *Vide repetitam Legem V. Ludovici II.*

XL. Statutum (3) eſt, ut nullus Canonica, aut Regulari inſtitutione conſtitutus, aliquem conſecrari propter res adipiſcendas deinceps perſuadeatur. Et qui hoc facere tentaverit, Synodali, vel Imperiali ſententia modis omnibus feriatur.

XLI. Si de una cauſa plures fidejuſſores dati fuerint, & unus ex ipſis fidejuſſoribus mortuus fuerit, ut proinde cauſam ſuam non perdat, ſed pro eo, qui de illis fidejuſſoribus vivi ſunt, ſolvant quod promiſit.

XLII. Sancitum eſt de Villis, & Eccleſiis in eis noviter conſtitutis, ut Decimæ de ipſis Villis ad eaſdem Eccleſias conferantur.

QUÆSTIONES AC MONITA

VETERUM JURISPERITORUM IN LEGES LANGOBARDICAS

Ex Codicibus Mss. Ambroſianæ Bibliothecæ.

MONITUM. CL. MURATORII.

IN geminis Ambroſianis Codicibus Mss., Langobardicas Leges complectentibus, quos una cum editis contulere conſilio meo conjunctiſſimi Palatini Socii, *& una cum eis* Philippus Argelatus, *præponebantur Juridica quædam fragmenta, quorum pars aſpectu primo e Legibus nunquam antea editis conflata videbatur. Ut illa ſub oculis habui, innumeris, pæne dixi, intermixta mendis, quibus Codices ii abundabant, intellexi non Leges illic haberi, ſed Legum interpretationes, quæſtiunculas, & monita, quæ in ſuum, aut tironum uſum Juriſperiti rudium ſeculorum ſcripta reliquerant. Neque hæc abjicienda ſum ratus. Nimia nobis dederunt, & adhuc dant e ſuo penu recentiores Legum periti; adeo vero pauca ex antiquis illis ſuperſunt, ut vel eorum quiſquilias ſervare, cunctorumque oculis ſupponere irridendum minime ſit. En ergo, quæ ex corruptis iis fragmentis ſecernere potui, atque intellexiſſe quodammodo mihi viſus ſum, emendatis dumtaxat manifeſtioribus erratis. Reliqua pro ſuo arbitrio corrigat Lector.*

Quæſtio de Lege Romana.

HOmo, qui ad Placitum wadiam dederit, & non habet fidejuſſores paratos, Comes comprehendat, & faciat mittere in carcerem, quia Lex Romana præcepit.

Si quis fidejuſſores non habuerit, ſic debet jurare juxta judicatum: Poſt deceſſum ill. genitricis meæ meum proprium eſſe debet, & malo ordine non deveſtivi. Tunc vadat ad certamen. Quod ſi utile fuerit, quod ipſa femina adveſtita fuerit, & alter ad captionem venerit, & ſacramentum facere

(1) Deſumta Lex eſt e Can. VI. Concilii Moguntini habiti Anno 813. Relatam quoque reperies Lib. II. Cap. 31. Capitularium. Infra in editis legitur: *juxta voluntatem Dei, & veſtram ſanctam admonitionem & conſiderationem.*

(2) Refert & Baluzius hanc Legem Tom. I. Capitular. pag. 603. ac tribuit Ludovico Pio, a quo ejus nepos Ludovicus II. acceperit. Inlata quoque fuit in Lib. IV. Cap. 29. Capitularium. Jam alibi dixi, quid ſit *adbramire*.

(3) Interdicitur Canonicis & Monachis, ad ſuum inſtitutum quempiam allicere eo conſilio, ut illius fortunas adquirerent Eccleſiæ ſuæ, ſive Monaſterio. Parum laudanda hæc conſuetudo jamdiu inoleverat. Sed canebatur ſurdis, & difficile nimium erat in hujuſmodi venatoribus culpam dignoſcere. Atque utinam noſtris temporibus nullum hujus moris veſtigium ſuperſit.

cere debeat: tunc dicta femina dicat, quia juxta istud judicatum investita fuit. Tamen non debet dicere proprium.

Superceſſio (1) Lege Salica. Si olim homo deceſſerit, & reliquerit filium & filiam, æqualiter ſuccedant. Et ſi reliquerit filium & filiam, & neptum filium de ſuo filio, æqualiter ſuccedant. Si vero iſti non fuerint, & reliquerit patrem, & matrem, ipſi ſuccedant. Si autem non habuerit, & ille moriens reliquerit fratrem, vel ſororem, ſive ſint germani, ſive non, ipſi ſuccedant. Si vero iſtos prædictos non habuerit, & habuerit amitam ſororem de ſuo patre, ipſa ſuccedat. Et ſi iſtam non habuerit, & habuerit ſororem de ſua matre, ipſa ſuccedat. Quod ſi nullus de iſtis perſonis fuerint, tunc quicumque propinquus fuerit, maſculus paterna generatione, ipſe ſuccedat. Sed alias feminas non vocamus ad ſuperceſſionem de homine Salico, niſi illas, quas ſupradiximus.

Superceſſio Lege Romana. Si homo deceſſerit, & reliquerit filium, vel filiam, & neptum filium de ſuo filio, vel filiæ, æqualiter ſuccedant. Similiter omnes ſupercedant illi, qui de inferiori linea venerint, ſive ſint pronepotes, vel pronepotæ, vel inde incœperint, ſive ſint nati, antequam parens fuerit mortuus, ſive ſint poſthumi, qui fuerint nati poſt deceſſum parentis. Quod ſi nulli de ſuperiori linea fuerint, & habuerit patrem, & matrem, & fratrem germanum, & ſororem germanam, omnes æqualiter ſupercedant. Et ſi habuerit tantum matrem, vel patrem, vel fratrem germanum, vel ſororem germanam, & filium, vel filiam de alio fratre, vel ſorore germana, ſimiliter æqualiter ſuccedant. Si vero reliquerit fratrem, vel ſororem germanam, & frater, & ſoror germana, & frater, vel ſoror qui non ſunt germani, ſupercedant. Si autem reliquerit fratrem, vel ſororem, qui non ſunt germani, & filium, vel filiam dicti fratris, aut dictæ ſororis, qui fuerint germani, frater vel ſoror germana ſuccedant. Quod ſi reliquerit fratrem, vel ſororem germanam, aut filios, vel filias dicti fratris, vel ſororis, qui fuerint ſimiliter germani, æqualiter ſupercedant. Et ſi iſtos non habuerit, & habuerit avum, vel aviam, & patrem vel matrem, pater, vel mater ſupercedant, quia proximiores avo ſunt. Quod ſi nullus de perſonis ſupradictis fuerit, tunc quicumque proximior fuerit, ſive maſculus, ſive femina, ſive de paterna generatione, ſive de materna, ipſe ſupercedat. Si vero fuerint parentes æquali gradu de paterna, & de materna generatione, æqualiter ſupercedant. Si autem fuerit plus propinquus de paterna, vel de materna generatione, is, qui fuerit proximior gradu, ipſe ſupercedat, quia ſic præcepit Lex Romana in Libro, qui nominatur *Novella*, quem egit Juſtinianus Imperator temporibus ſuis.

Intentiones, unde per Leges poteſt haberi pugna.

Prima eſt, ſi alicui fuerit miſſum crimen, quod ipſe infidelis Regi ſit. Secunda, ſi homo clamaverit fornicari a muliere, quæ in alterius mundio eſt, & perſeveraverit in ipſo malo. Tertia, ſi homo miſerit crimen ſuæ uxoris, quod tractaſſet in morte ſua. IV. ſi homo miſerit crimen alii de ſua uxore, quod fornicaſſet cum ea. V. ſi quis miſerit crimen ſuæ mulieris, quod fornicaſſet cum alio. VI. ſi quis in alium miſerit crimen de ſua uxore, quod converſaſſet cum . . . . VII. ſi homo appellaverit alium argam, & perſeveraverit in ipſo malo. VIII. ſi quis appellaverit filium, quod pater ejus fuiſſet debitor ſuus. IX. ſi ſurrexerit intentio inter creditorem, & debitorem, atque fidejuſſorem. X. ſi quis mallaverit alium de incendio, quaſi ipſe feciſſet. XI. ſi homo mallaverit alium, quod ipſe occidiſſet ſuum proprium Aldium per venenum. XII. ſi homo noluerit recipere rem intertiatam. XIII. ſi duo teſtimonia ad quamlibet rem dant teſtimonium, & diſcordant inter ſe. XIV. De charta falſa appellata, ſi voluerit ipſe, qui appellavit falſam eam. XV. ſi quis appellaverit alium, quod depoſuiſſet ei aut ipſe, aut per ſuum nuntium, valentem xx. ſolidos, aut amplius. XVI. ſi aliquis appellaverit alium, quod ipſe deveſtiſſet eumdem re immobile. XVII. ſi homo venerit in judicium, & dixerit: Habeo & teneo ad meam proprietatem petiam unam de terra in loco tali & tali. Homo ſimiliter dicat: Ipſa terra, quam tu dicis, ego habeo eam, & teneo ad meam proprietatem. XVIII. ſi quis dixerit de charta facta de pretio, quod fecit eam per virtutem. XIX. ſi homo miſerit crimen alii, quod tuliſſet ei furto valentia plus aliquid de vi. ſolidis. XXI. (*Vigeſimum omittit*) Si homo appellaverit alium de ſcacho valente ultra vi. ſol. XXII. ſi homo mallaverit alium, quod ipſe fuiſſet collega furis de aliqua re furata. XXIII. ſi homo mallaverit, quod in ſua poteſtate veniſſet aliqua res furtiva, ſe ſciente, quod ea fuiſſet furata. XXIV. ſi quis mallaverit alium, quod ſuum ſervum feciſſet, & ei furatus uxorem ſit, vel filium ipſius, qui in ejus poteſtate eſt.

Poſſeſſiones ex Lege Langobardica tales ſunt per xxx. annos; tales ſunt per xl., tales ſunt per lx. Per xxx. ſunt inter duos homines extraneos, aut inter hominem & Ec-

(1) Pro *Succeſſio*, ſive ordine ſuccedendi. Vox inſueta, & librario indoctiſſimo tribuenda.

Ecclesiam. Per XL. sunt inter duos fratres, aut inter barbam & nepotem, vel inter consobrinos, vel inter duas Ecclesias. Et si aliquid habuerit .... unus ex istis parentibus, aut de una Ecclesia, & intentionat cum alio de ipsis parentibus, vel cum alia Ecclesia, & vult stare in locum Warentis. Per LX. sunt illæ, si aliquis habuerit intentionem de rebus mobilibus cum pars publica.

Si homo commendaverit servo aliquas res, & postea ipse servus fuerit dimissus liber, & veniens ille, qui ipsas res commendavit, requirere, respondeat ille: Ab illo die, quando tu mihi commendasti, servus eram, & ipse dominus meus mihi tulit. Quomodo possim contradicere, quia dominus meus erat ille? Lex est, ut postquam ipse manifestat quod commendasset, reddat ei quod dicit Lex ad res alienas commendatas.

Si ille homo aliqua mala fecerit, ..., servus dominum appellat, quando ad sacramentum venerit, si debeat jurare juxta istud judicatum ejus prædecessum, illa genetrix mea meum proprium esse debet, & malo ordine non devestivi, & sacramentum facere debet: dicta femina dicat juxta istud judicatum investita fuerat, tamen non debet dicere proprium.

Si infans intra ætatem sit, & habuerit avium de parre, tutor sit, de matre non.

Si homo invenerit (1) Scazo in terra aliena, medietatem habeat qui invenerit, & medietatem cujus terra est, quia Lex Romana dicit.

Recordare. Si Episcopus commutaverit terram, & prius appellaverit ipse, cum quo commutaverit, & ipse monstraverit chartam, & ipse Episcopus dixerit: nihil impediat, quia contra Legem facta est; & ipse dixerit non, ut si existimatores fuissent, veniant & ipsorum testimonium firment. Si ipsi noluerint firmare, & dixerint, quia nescimus, quando commutatio facta fuerit, nec si pejoratam rem receperit Casa Dei, ut justum est, utrinque componat suum Widrigild. Et liceat ipsi alios testes contra eos apponere, si potuerit, & veraci testimonio dicere. Et si non potuerit approbare per se ipsum, perdat rem. Si non potuerit Episcopus probare, ipse homo juret tunc, quando commutatio facta fuerit, & secundum legem facta fuerit, & melioratam receperit Casa Dei.

Si quis commendaverit aliquas res cuilibet, & ipse perdiderit postea aut per incendium, aut per ..... justum est nihil reddat. Aut si fuerit tultum per ipsius forfactum, a quo commendatum est, nihil reddat. Et si per ipsum, qui recepit, justum est ut reddat, caput tantum.

Recordare de damnoso debito, debet dicere, a quali causa fuit damnosum.

Recordare, quod si frater unus refutaverit ad duos suam portionem, & manifestaverit in ipsa promissione, quod fuisset jure suorum parentum: justum est, ut ipsi fratres nihil molestent ipsum fratrem, qui refutavit de sua portione. Et si manifestaverit ipsam promissionem, quod juris sui fratris fuisset, justum est ut de illa portione permaneat tacitus, & de sua; & si ipse suus frater voluerit, dividat cum ipsis suis fratribus.

Recordare: Si homo mallaverit alium, quod ipse tulisset ad furtum chartam, quæ continebat de tanta re, quæ valebat supra VI. solidos, justum est nihil respondeat, si non appellaverit quod charta ipsa valebat super VI. sol., & homo Romanus ..... Lex est, ut si perdiderit res, quas aliter charta ipsa reddere debet, caput tantum, res.

Si quis fidejussores non habuerit, non despicitur carcere; nam de Langobardo non posuimus, quia Lex præcipit, ut habeat III. dies sine culpa, quando ad sacramentum venerit.

Ille Notarius, qui caput scripsit, & exemplavit, sic debet firmare: *Ego ille Notarius autentico hujus exemplar manibus meis scripsi, & sic inibi continebatur, sicut hic legitur exemplar, litera plus minusve, & hoc exemplar manibus meis exemplavi.* Ille Notarius, qui non scripsit caput, & exemplavit: *Ego ille Notarius autentico hujus exemplar vidi, legi, & sic inibi continebatur, sicut hic legitur, & exemplar manibus meis exemplavi.* Testes sic debent firmare: *Ille autentico hujus exemplar vidi, legi, & sic inibi continebatur, sicut hic legitur exemplar, & me in ipso autentico secundum quod subscripsi.* Ille Notarius, qui scripsit caput, & non exemplavit, sed exempla firmavit: *Ego ille Notarius autentico hujus exemplar manibus meis scripsi: & sic inibi continebatur, sicut hic legitur exemplar litera plus minusve.*

Incipit de Ætate.

PRima ætas est infantia, quæ est VII. annis; secunda pueritia, similiter VII. annis; tertia adolescentia, quæ est XIV. annis; quarta juventus, quæ est XXVIII. annis; quinta senectus; sexta decrepita ætas. Sed secundum Libros Divinos infantia, & pueritia pro una reputabitur, juxta quod dicitur de Christo in Præfatio: *Qui natus est infans, & Deus est*; & Evangelia dicunt: *Octava dies venerat, ut circumcideretur puer*. Similiter adolescentia, vel juventus juxta auctoritatem Sacri ... Postea ve-

(1) Id est, thesaurum. *Scatz* vox Germanica.

venit senectus, quæ incipit ad completos LVIII. annos. Et de ætate dicitur, secundum hic declaratur, & juxta illud, quod dicitur in Lege Romana in libro, qui nominatur *Instituta* in Lege, quæ inchoat sic: *Nunc transeam fideicommissa*. Et in ipsa Lege, quæ sic præcipit, ut supra dictum est, antiquis temporibus firmum esse æstimo, ut homo postquam pervenerit ad ætatem, qua vocatur senectus, quæ incipit LVIII. annis, per se pugnam facere non debeat, sed suum pugnatorem pro se mittere, ideo quia tantis viribus deficit. Ergo si virtus, id est firmitas corporis deficit, infirmus est.

Recordare: Si quis appellaverit aliud ad servitium, & ipse dixerit non servum esse, quod libera matre natus sit: justum est, ut probet quod dicit. Et si ipse non potuerit probare, probet ipsum qui appellat. Et si non potuerit, laxet ipsum, & faciat finem. Et si ipse servus dedit wadia de probare, & non potuerit facere, quod liber sit, Comes debeat dare pro servo illius, qui appellat. Et si produxerit probare, & inter se discordaverint, unusquisque componat suum Widrigild, & ipse pro servo similiter fiat datus. Et si ipse, qui dicit esse suum dominum, non potuerit probare, nihil componat.

Si quis commendaverit aliquas res cuilibet servo, nesciente suo domino, & eos dominus libertaverit postea, & voluerit ipse, cujus res fuerint, appellare, dominus nihil ei reddat; nam ipse, cui res commendiderat, ipse rendat. Et si per consensum domini sui commendaverit, dominus respondeat.

Recordare, quoniam si servus ambulaverit a mansione alterius, & dixerit: *Homo ille mandat vobis domino meo, præsta talem rem*; & præstaverit, & ipse servus fugierit, & ipse qui servo res dederit, pulsaverit dominum: justum est, dominus nihil ei rendat, nisi præbeat sacramentum, nec suæ voluntatis, nec suæ conscientiæ ejus fuisset, quod servus suus hoc malum fecisset, & fiat solutus. Et si voluerit, habet spatium ad requirendum eum habere.

Recordare. Si homo mundiaverit suam mundoaldam, & si avenerit ipsa moriens, justum est, ita maritus succedat in totum, quod ei pertinuerit.

Recordare, quoniam si homo appellaverit alium, quod ipse devestisset de res immobiles, & ipse dixerit, quod de propinquo meo parente sint, si ipse decesserit absque filiis, filiabus, ego volo succedere: justum est, nec refudat, nec pugnam facere inde, nec intromittat, nec intromisit. Et si dixerit, quod devestisset, & ipse dixerit, quod pertinet mihi per libellum, & ego tibi malo ordine non devestivi: justum est, ut faciat pugnam.

Recordare. Si homo vendiderit suas res ad Presbyterum in eo tenore, ut ipse debeat usumfructum habere, & post ejus decessum ad ejus proprietatem debeat venire; & fuerit mortuus sine filiis & filiabus, aut non fecerit aliquid de ipsis rebus: justum est, ita ipse Presbyter veniat ad proprietatem, quia non dederit aliis, & ipse in se retineat.

Justum est, ut homo de adulterio natus, vivat qualem Legem voluerit. Et si ipse mortuus fuerit sine filiis, & filiabus, aut sine testamento, justum est, ut ipse, qui plus propinquus fuerit, sive parte patris, sive parte matris, ipsi succedat. Quod si æquales parentes fuerint, similiter succedant.

GUIDONIS AUGUSTI LEGES.

GUIDO IMPERATOR.

„ *Imperat ista bonis regalis sermo Guidonis.*

CAP. I.

Placuit etiam nobis statuere summopere, ut Episcopi & Comites uniti sint in suis Parochiis, & in Comitatibus, pro pace & salvatione in honoribus suis habitantibus; ita ut nullum prædonem, raptorem, vel incestum, in suis sedibus vel concessis honoribus permittant morari. Et si intellexerint ex aliqua parte per eorum terminos velle aut debere transire exteros, ad istius Regni vastationem, (1) obviam eis missos commonitorios dirigant, ut in pace & sine præda per eorum transeant terram. Vendere autem eis, quæ necessaria sunt faciant,

---

(1) Cod. Esten. *exteros istius Regni vastatores*, &c. Infra: *quidquid alteri rapuerint*.

ciant, non plus caro, ſed ſecundum uſum & conſuetudinem terræ. Si vero noluerint acquieſcere, ſed prædas & rapinas exercuerint, quidquid aliter rapuerint, legaliter cum banno noſtro ab Epiſcopo & Comite ejuſdem loci emendare cogantur. Quod ſi ea exequi noluerint, ſtatim ab Epiſcopo loci excommunicentur. Poſtea vero ſi contigerit, ut Comes loci Populuſque terræ ſupra ipſos prædones venerint, & eos impedierint, & fuerint mortui, neque fayda inde creſcat, neque compoſitio aliqua (1) requiratur, pro his qui ibidem occubuerint. Et ſi Comes ejuſdem loci hoc implere neglexerit, proprio honore privetur. Et ſi oportuerit, & neceſſe fuerit, in ipſo auxilio vicinum ſuum Comitem advocet; & ſi ille ſe ſubtraxerit, ſimiliter proprio privetur honore, & inſuper XXX. libras argenti Comiti componat. II. 53. 3.

II. Quicumque igitur ex laicali ordine, tam liberi quam ſervi homines in Comitatu manentes (2), a proprio Comite, vel a Publica Parte, id eſt, ab his, qui Rempublicam agunt, admoniti fuerint, ſi ſe ſubtraxerint ab adjutorio ſui proprii Comitis, & eum non adjuvaverint infra ipſum Comitatum, contra prædones venientes in ſuo Comitatu, tertiam partem liberi ex ſuis mobilibus componant. Servi autem LX. ictus a propriis dominis accipiant, ſi probatum fuerit, quod eis fuiſſet denuntiatum. III. 13. 2.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu occidiſti ſuum patrem. Non occidi, quod legem emendare debeam. Petre te appellat Martinus, qui eſt Advocatus de Parte Publica, quod tu intellexiſti, quod extranei homines debeant tranſire ad vaſtationem iſtius Regni, & habuiſti negligentiam de tramittere cum tuo Epiſcopo obviam eis Miſſos Communitorios, ut pacifice tranſirent per veſtram terram. Petre Comes te appellat Martinus Comes, quod ipſe invitavit te, quod tu adjuviſſes eum de extraneis, qui veniebant vaſtare ſuum Comitatum, & tu te ſubtraxiſti. Petre te appellat Martinus, qui eſt Advocatus de Parte Publica, quod tu fuiſti ammonitus a tuo Comite, quod tu adjuvares eum infra Comitatum contra ſupervenientes prædones, & te ſubtraxiſti.

III. Nemo Comes, neque loco ejus poſitus (3), neque Sculdaſius, ab Arimannis ſuis aliquid per vim exigat, præter quod conſtitutum legibus eſt. Sed neque per ſuam fortiam in manſione Arimanni ſe applicet, aut placitum teneat, aut aliquam violentiam faciat. Si vero de prædictis perſonis publicis hoc irritum fecerit, honore proprio ſive miniſterio privetur, & ſecundum legem emendet, quod fecit. III. 12. 5.

FORMULÆ VETERES.

Petre Comes te appellat Martinus tuus Erimannus, quod tu albergaſti per virtutem in caſam ſuam, & tuliſti per virtutem ſibi unum porcum, qui valebat ſolidos X. De torto me appellas. Da ſibi vadimonium, ut ſi te recordatus fueris, ut emendes; ſin, ut te exdicas. Cujus placiti Sacramenta ſunt appellatoris. De hoc, unde te appellavi, me ſciente de torto te non appellavi. Si Deus. Appellati: de hoc, unde tu me appellaſti, de torto me appellaſti, ſi Deus &c. Pœna eſt appellatoris quidem decima pars litis aliquando, & appellati victi: ſemper honore aut miniſterio privetur, ut bannum perſolvat, & ſecundum legem appellatoris emendet malum.

IV. Si igitur ex præcepto Imperiali, Comes loci ad defenſionem patriæ ſuos Arimannos hoſtiliter præparare (4) monuerit, aut per ſe, aut per Miſſos ſuos, ſi aliquis eorum remanſerit, exceptis his, quos Epiſcopus elegerit in ſua neceſſitate, aut Comes dimittere voluerit, niſi aliquibus ſumnis (5), aut ceteris impedimentis, quæ legibus continentur, detentus fuerit, widrigilt ſuum componat. Et hoc nullus Comitum, aut Publicus, poteſtatem habeat exigendi, niſi cum Miſſo Palatii Imperatoris. III. 13. 3.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, qui eſt Advocatus de Parte Publica, quod Comes tuus per præceptum Imperiale ammonuerit te, quod hoſtiliter pergeres ad defenſionem patriæ, & ad caſam remanſiſti. Non placet Deo. Tunc appellatus det vadium, ut ſi ſe recordatus fuerit, emendet. Sin autem, quod ſe exdicat. Cujus placiti ſacramenta ſunt ita: ut Advocatus non juret, ſed tantum appellatus: Comes meus per præceptum Impe-

(1) In Cod. Eſten. *compoſitio aliquando*. Infra: *& neceſſe fuerit, ut in ſuo auxilio vicinum advocet Comitem, & ille ſe ſubtraxerit*. In fine: *Comiti perſolvat*.

(2) Cod. Eſten. *quamque ſervi homines in Comitatu commanentes*. Infra: *ſupervenientes in ſuum Comitatum*. In fine: *ſi tamen probatum fuerit*.

(3) Cod. Eſten. *neque loco poſitus*: id eſt, Vicarius, & Locum tenens Comitis. Infra: *ſed neque per ſuam fortiam in manſionem* (unde Italicum *magione*, & Gallicum *maiſon*) *Erimanni applicet*. Infra: *perſonis publicis aliquis hoc irritum fecerit, honore proprio privetur, & ſecundum Legem emendet hoc, quod ei fecerit. Herimanni autem*, ſive *Arimanni*, appellabantur homines liberi, & militares, aliquid Allodii poſſidentes, aut beneficio aliquo a Rege donati.

(4) Cod. Eſten. *ad defenſionem patriæ ſuæ Erimannos ſuos hoſtiliter properare monuerit*. Infra: *& aliquis eorum*.

(5) Cod. Eſten. *niſi aliquibus ſupernis, & cæteris*. Sed retinenda vox *ſonnis*, ſive *ſunnis*, qua ægritudo, ſive excuſatio juſta ſignificabatur, ut ſupra monui ad Legem XXVII. Caroli M. Ac proinde ſcribendum, *aliquibus ſonnis, aut ſunnis, & cæteris*. Infra: *aut Publica poteſtas habeat licentiam exigendi, niſi cum Miſſo de Palatio Imperatoris*.

periale non ammonuit me, nec per se, nec per suos Missos, ut hostiliter pergerem ad defensionem patriæ. Si Deus &c. Aut ego ad casam non remansi, si Deus &c. Pœna quidem est, ut widrigild suum tribuat.

V. De Chartis vero interdicimus, ut nemini liceat alienas res præsumtive invadere, occasione chartulæ ab eo factæ, qui investituram legitimam non habens dinoscitur invasisse. Sed si quis acquisitor extiterit, non antea invadere alienas res Ecclesiæ, vel cujuspiam liberi hominis præsumat, antequam auctor chartulæ legali & judiciali diffinitione eas vindicet: & tunc demum, cui vult, liberam habeat tradendi facultatem. Et si quis ipsas res sine lege invaserit, non solum ipsas res amittat, sed insuper bannum nostrum componat. I. 27. 12.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est. Quid tibi pertinet? Ecce charta, quam mihi fecit Donatus. Ipsa charta nihil mihi nocet; quia ipse, qui fecit tibi ipsam chartam, mihi invasit ipsam terram. Probet ipse, qui appellavit: & ipse, qui tenet, perdat terram, & emendet bannum. Si vero appellator probare non potuerit, nisi falsaret, aut adversa probatione superatus fuit, refutet terram, & camphioni ex parte ejus dextera manus amputetur. Ceteri vero ex parte ejus manus suas redimant; ipse widrigild tribuat. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per successionem mei patris. Et quid tibi pertinet? Ecce charta, quam mihi fecit Marculfus. Vis dare auctorem? an vis stare loco auctoris? In loco auctoris volo stare. Non debes tu stare in loco auctoris, quia ipse, qui tibi vendidit, invasit mihi ipsam terram. Et ita probet. Si vero probare non potuerit, nisi falsaverit chartam, rem perdat, bannum persolvat. At si probare voluerit, & adversa probatione superatus fuerit, terram perdat, bannum solvat. Camphio ejus manu curtetur. Ceteri falsi testes manum redimant. Et ipse, qui duxit falsos testes, widrigild tribuat.

VI. (1) De Chartis etiam, vel quibuscumque scriptionibus, quæ a quibusdam personis falsæ appellantur, statuimus, ut si Notarius supervixerit & testes, ut idem Notarius cum legitimis sacramentalibus suis XII. similiter cum ipsis testibus, qui in eadem charta scripti sunt, ipsam chartam veram & idoneam faciant. Similiter & ostensor chartulæ cum XII. sacramentalibus suis, sicut legitime jurare valeat, ipsam chartam veram & idoneam faciat. Interpellator autem primum juret, quod se sciente nihil aliud, nisi verissimam in omnibus & justam rationem exquirat. Si autem Notarius se subtraxerit, & chartam suo nomine scriptam idoneam minime confirmare potuerit, nulla redemtio ei concedatur, sed manum propriam amittat, & ostensor ipsius chartulæ, post rerum amissionem, widrigild suum componat. (2) Et si Notarius defuerit, & testes supervixerint, ipse ostensor chartulæ cum ipsis testibus, & cum XII. sacramentalibus suis, sex suis propinquis, & septimus sit ipse, & quinque aliis idoneis; ostensis primum aliis duabus chartulis manu (3) ejusdem Notarii scriptis, etiam ipsam suam tertiam chartam per sacramentum veram & idoneam faciant. II. 55. 33.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per chartam, quam mihi fecit Marculfus. Et tibi quid pertinet? Per chartam, quam mihi fecit Marculfus. Ipse, qui habet posteriorem chartam, dicat anteriorem falsam. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine unum suum servum. Ipse servus meus proprius est per chartam, quam tu mihi fecisti. Falsa est ipsa charta. Vis ut clare facta fiat per sacramenta? Volo. Da vadia de facere eam veram, secundum Capitulum Widonis, & terminus constituatur. Et cum venerit terminus, dic: Domne Comes; hoc dicit Petrus, quod in tali die appellavit eum Martinus, quod ipse tenebat sibi malo ordine Marcoardum suum servum. Et ipse dixit, quod suus proprius erat per chartam, quam sibi fecit, & ipse appellavit eam falsam, & ipse dedit vadium de facere veram secundum Capitulum Widonis. Modo est paratus ad implendum, sicut dedit vadium. Dicis tu ita? Sic dico. Et tu recepisti ita vadium? Sic feci.

(1) In editionibus Boherii, & Goldasti, ac in Baluziana Tom. II. pag. 325. & 350. pars prima hujus Legis Lothario I. Augusto tribuitur. Tum apud duos primos integra eadem Lex infra ponitur, & rursus Lothario ipsi adscribitur. Nullam talem habet Cod. Estensis inter Leges Lotharianas; imo, ut vides, unius ejusdemque Legis auctorem facit *Guidonem Augustum*. Infra idem Codex: *statuimus. si Notarius vixerit*. Infra: *Simul cum ipsis testibus*. Infra: *Similiter & chartæ ostensor*.

(2) In Cod. Esten. Glossa hæc interseritur: *Et si ostensor parentes non habuerit, tamen non debet perdere causam suam, sed cum aliis [illegible] mentalibus juret. Si autem Notarius numquam scripserit chartam antea, & sit illa prior, fiat comparatio etiam ex altera sua scriptura, ut legitur in Novellis. Similiter intelligitur de chartis libertatis, & [illegible] Widrigild*

(3) Cod. Esten. *manu [illegible] ab eodem Notario [illegible] ipsam [illegible]* &c. In fine idem Cod. hanc addit Glossam: *Si Notarius est absens, vel aliqua [illegible] in judicium impeditus, venire faciat ostensor, quod debet facere, si Notarius est mortuus per usum.*

feci. Tunc fiant facta sacramenta ita. Appellator juret; de hoc, unde chartam hanc falsam appellavit, me sciente nihil aliud, nisi verissimam, & justam rationem exquiro in omnibus modis. Si Deus &c. Sacramentalis; quod ipse juravit, verum juravit. Si Deus &c. Testis unus; hæc charta vera & idonea est. Si Deus &c. Ceteri; quod ipse juravit, verum juravit. Si Deus. Si dixerit Notarius, quod non scripsit ipsam chartam, aut testis dixerit, quod non fuit testis, probet ostensor eam Notarium scripsisse, & eos fuisse testes. Si probare non potuerit, juret cum suis sacramentalibus, & quæratur alter Notarius, & alius testis. At si se subtraxerit Notarius, fit, ut legitur in lege, & fit similiter, si se subtraxerit ostensor. Et si dixerit ipse, qui appellavit falsam chartam; alius scripsit ipsam chartam, aut alius fuit testis, probet. Pœna vero imminet falsatori, si sibi satisfactum fuerit, & rem refutet, & secundum obligationem chartæ emendet; si ipse fecit, vel si est ejus heredes, qui eam fecit, vel bonorum possessor. Ostensori, si uterque, id est Notarius, & ostensor se subtraxerit, Notarii manu abscissa, testibus widrigild multatis, ostensorem amittat, widrigild tribuat. Et si est rogator falsæ chartæ testis, widrigild tribuat, bannumque persolvat, si est appellatus. Si vero alteruter vel Notarius, vel ostensor se subtraxerit, tunc sapientia Judicis videatur, quis eorum sit melior, & verus, ut ejus sententia præcellat, & malus & mendax constrictus potestate, & boni sententia convictus, aut in sententiam veri vadat, aut bono evadente, vel non, quod justum videtur, malus & mendax suomet gladio feriatur. Similiter de testibus: providendum est de Collatore, si fuerit altercatio, juret collator per usum.

VII. Volumus præterea atque sancimus, ut si quis liber homo (1) legitimæ uxori suæ, dum advixerit, res suas per scriptum ad usumfructum dederit, & filios duos vel plures habuerit, & unus ex ipsis, vel duo mortui fuerint, & filios & filias reliquerit, æqualiter ipsas res, quas usufructuario modo prædicta uxor habuerit, filii defuncti cum patruis, sicut ceteram hereditatem, ita usumfructum dividant. II. 14. 28.

VIII. Concedimus, ut sicut mulieres (2) cum viris suis res suas donare aut venumdare possunt, ita & commutare valeant, ac familiam suam liberam facere. II. 10. 4.

IX. Si quis Judicibus nostris in judicio residentibus minas aut convicia intulerit, eosque verbis aut factis turpiter dehonestaverit, widrigild illi, quem læserit, componat. Si vero aliquis ex ipsis Judicibus nostris pro ipso judicio falsidicos dixerit, aut pro ipsa intentione ex hac caussa (3) quemlibet hominem interfecerit, quinquaginta libras auri optimi componat, medietatem Regi, & medietatem heredibus defuncti. I. 5. 2.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus Judex, quod minatus ei, dum residebat in judicio, aut tu eum conviciando verbis, aut factis turpiter dehonestasti. De torto me appellas. Da sibi vadimonium, si te recordatus fueris, quod emendes. Si non, ut te exdicas secundum tuam legem. Petre te appellat Martinus, quod tu occidisti Donatum suum patrem Judicem in judicio. Cujus placiti sacramenta sint, Judicis, vel propinqui sui requirentis ejus mortem, ita: de hoc, quod ego appellavi, me sciente de torto te non appellavi. Si Deus. Appellati: de hoc unde tu me appellasti, de torto me appellasti. Si Deus. Sacramentalis; hoc quod juravit, verum juravit. Si Deus. Pœna quidem est appellati. Si confessus fuerit, aut non ausus fuerit jurare, ut Judici widrigild suum tribuat, & bannum solvat, & propinquo Regis Cameræ L. libras auri componat, & bannum tribuat potestati.

(1) Cod. Esten. *ut si quislibet Langobardus homo*. Infra: *& filios legitimos, vel filias reliquerit*. Et infra: *filii defuncti cum patruis suis, sicut cæteram hæreditatem, ita ipsum usumfructum dividant*.

(2) Cod. Esten. *Concedimus etiam, ut sicut Langobardæ mulieres*.

(3) Cod. Esten. *& pro ipsa intentione, & causa*. In fine: *medietatem primum hæredibus interfecti Judicis, & alteram medietatem Cameræ nostræ*.

OTTO.

OTTONIS II. AUGUSTI LEGES.

OTHO SECUNDUS.

ANtiquis (1) eſt conſtitutum temporibus, ut ſi chartarum inſcriptio, quæ conſtabat ex prædiis, falſa ab adverſario diceretur, ſacroſanctis Evangeliis tactis veram eſſe ab oſtenſore chartæ probabatur, ſicque prædium ſine deliberatione Judicis vindicabat: qua ex re mos deteſtabilis in Italia, improbuſque non imitandus inolevit, ut ſub legum ſpecie jurejurando acquireret, qui Deum non timendo minime formidaret perjurare. Tempore ergo quo piiſſimus Rex Otto (2) Romæ unctionem ſuſcepit Imperii, reſidente in Synodo ſummo & univerſali Papa Domno Johanne XIII. anno (3), ab Italiæ Proceribus eſt proclamatum, ut Imperator Sanctus mutata lege facinus indignum deſtrueret, per quod, etſi corpore quiſpiam dives fieret, anima pereunte (4) pauper in æternum maneret. Judicio itaque Domni Papæ, & piiſſimi Auguſti, exſtrectatum eſt uſque ad illam (5) Synodum, quæ parva poſt intercapedine habita eſt Ravennæ. Cumque ibidem ex eadem re proclamatio repeteretur, ob quorundam Procerum abſentiam, uſque ad id tempus eſt exſpectatum, quo glorioſiſſimi Ottonis Regis, Otto glorioſiſſimus filius (6), & Conradus Burgundiæ (7) Rex, Italiam properantes, Veronæ (8) colloquium cum omnibus Italiæ Proceribus habuerint. In hoc itaque cum ab omnibus

(1) Non eſt Lex, ſed præfatio ad Leges ſubſequentes. Hic autem innuitur ſimulque abrogatur Lex VI. ſupra evulgata Guidonis Imperatoris. Infra in Cod. Eſten. legitur: *ut ſi Chartarum adſcriptio*. Infra: *jurejurando adquirerent, qui Deum non timendo minime perjurare formidarent.*

(2) Otto I. hic indicatur, cujus Romana coronatio cadit in Annum 962. Ergo Romæ eo anno proclamatum eſt contra Guidonis Legem.

(3) Synodi hujus celebratæ Anno 962. Romæ non meminit Baronius, uti neque Labbeus. Depravata autem hæc ſunt in Cod. Eſten. ubi legitur non notis numericis, ſed literis ſcriptum: *reſidentis in Synodo ſumma & univerſali Papæ Domni Johanni tertio decimo anno*. Anno 962 Romæ floruit Johannes XII. Papa, cui in Pontificatu tunc decurreb.t Annus VII. Num ergo ſcribendum *reſidente* &c. *Domno Johanne XII. I. Anno*, ſcilicet Anno I. Imperii Ottonis Magni?

(4) Cod. Eſten. *anima periret, & pauper in æternum maneret.*

(5) Cod. Eſten. *ad illam uſque Synodum*. Anno 967. habita fuit altera hæc Synodus Ravennæ, præſente Johanne XIII. Papa, atque Ottone M. Auguſto, eamque memorant Baronius, Labbeus, Pagius, & alii. Quum vero *parva poſt intercapedine* a coronatione Romana Ottonis Magni habita dicatur Synodus illa, durum videatur appellari *parvam intercapedinem* quinque annorum ſpatium, ab Anno ſcilicet 962. ad 967. lapſorum. Sed fortaſſe quod raro tunc in Italia haberentur ſacra Concilia, ac præcipue quæ ex ampliſſimo Epiſcoporum numero conſtarent, parva viſa eſt ejuſmodi intercapedo.

(6) Audi Codicem Eſten. *quo glorioſiſſimi Auguſti Ottonis Rex Otto glorioſus filius*. Hic Otto filius Ottonis Auguſti nullus alius dicendus eſt, quam Otto Secundus. Quæ ſequuntur, evincunt, hic agi de illo uno.

(7) Nempe Burgundiæ Transjuranæ Rex Rodulphi Regis filius, & frater Sanctæ Imperatricis Adelheidis, hoc eſt, avunculus ipſius Ottonis II.

(8) Ita quoque in Cod. Eſten. ubi infra, *habuerunt*. Quo vero anno habitus fuerit Veronenſis iſte conventus, cui interfuere omnes etiam Italiæ Proceres, Annales Hildeshemenſes Tom. I. pag. 719. Script. Brunſwic. nos docebunt. Quippe ibi ad Annum DCCCCLXXXIII. hæc referuntur: *Imperator* (hoc eſt, Otto II.) *Veronæ Placitum habuit*. Sub finem Lib. III. Hiſtoriæ Ditmari a Leibnitio reſtituti eodem Tom. I. pag. 347. idem *Veronæ Placitum* habitum dicitur *Anno Incarnationis Domini DCCCCLXXVIII.* Sed locus corrigendus, & ſcribendum *Anno DCCCCLXXXIII.* uti perſuadet ſubſequuta paullo poſt Ottonis II. mors. Pro X. facile librarii ſcribunt V. Ad hæc in Vita Sanctæ Adelheidis, ab Odilone Abbate Cluniacenſi cœævo ſcripta, memoriæ tradit[illegible] eſt, Adelheidem a filio Auguſto Ottone II. indigne habitam ſe recepiſſe in Burgundiam, ibique *a fratre, ſcilicet Rege Chuonrado, [illegible] gne ſuſceptam*. Poſtea vero *Cæſar Otto ductus pœnitentia, direxit Regi avunculo legationem, & ſanctæ recordationis Patri Majolo, ſub celeberrima feſtinatione, obnixius deprecans, ut quantocius poſſent, una cum Auguſta Matre Papiam ei ſtuderent occurrere*: quod & factum eſt. Tum ſubdit Odilo, *non poſt multum temporis* eumdem *Ottonem II.* e vivis exceſſiſſe. Atqui Auguſtus iſte Anno ſupramemorato 983. poſtremo [illegible] ſublatus eſt. Ergo eodem anno ſtatuendum eſt, habitum fuiſſe *Veronenſe colloquium*, in quo ſequentes Leges promulgatæ. Accedit & Chronographus Saxo, ab eodem Leibnitio editus, qui ad memoratum Annum 983. hæc habet: *Imperator itaque ad Placitum Veronæ conventus, Saxonum, Francorum, Lotharingorum, Bawariorum, Italicorum, aliorumque natione, lingua, & habitu diſſimilium, conſenſum glorioſiſſimum habuit*. Atque ex his emendes, quæ doctiſſimus Mabillonius habet in Elogio S. Majoli Abbatis Cluniacenſis pag. 780. Act. Sanctor. Benedictin. Secul. V. & Pagium ad Ann. 980. num. 8. qui *reconciliationem matris cum Ottone II. Agusto* referunt ad Annum 980. Hæc peracta eſt Anno, ut dixi, 983. Idque ex ipſa Sancti Majoli Vita a Syro ejus diſcipulo edita confirmari poteſt, quando ibi legitur, Sanctum Abbatem Ottoni II. *Veronæ de ſuo obitu prædixiſſe*: quod brevi contigit Romæ, nempe eodem Anno 983. Ipſe autem prædixit eodem anno, quo Adelheidem in Italiam eſt comitatus.

bus Imperiales aures magnis quæstionibus (1) pulsarentur, ut mutata lege fraudem hanc tam diram ab Italia tolleret, convenientibus ceteris consentientibus, Legem hujusmodi secundum inferiora promulgavit Capitula. II. 55. 34.

„ *Nos belli dono ditat Rex Maximus Otto.*

CAP. I.

De prædiis si contentio emerserit, & utraque pars sine (2) altera cum chartis seu scriptionibus prædium sibi vindicare voluerit; si ille, qui falsam chartam appellaverit, per pugnam declarare voluerit, ut ita fiat, decernatur: sin aliter, secundum priora capitula determinetur, edicimus. II. 55. 34.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per chartam, quam tu mihi fecisti. Falsa est ipsa charta. Vis ei ardire? Volo. Vadiate pugnam. Petre te appellat Martinus, quod tu tenes sibi malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per chartam, quam mihi fecit Donatus. Et ecce charta, quam mihi fecit ipse Donatus. Tunc qui habet anteriorem chartam, dicat. Tua charta nihil mihi impedit, quia contra legem est, quia postquam fecit mihi unam traditionem, non potuit tibi facere alteram. Tunc ipse, qui habet posteriorem chartam, dicat anteriorem falsam, & faciat pugnam, si voluerit. Sed secundum Valentes ita. Petre te appellat Martinus, quod terra, quæ est in tali loco, sua est, quam tu tenes, sibique contradicis. Quid ad te pertinet? Tu mihi eam vendidisti cum scripta. Ostende scriptum. Ecce. Illud falsum est. Vis ardire? Volo. Et tu vis defendere? Volo. Vadiate pugnam. Petre te appellat Martinus, quod terra, quæ in tali loco est, sua est, quam tu tenes, sibique contradicis. Quid ad se pertinet? Martinus, cujus erat, sibi scripto vendidit. Hoc mihi non nocet, quia prius mihi scripto vendidit eam, & alteri eam post tradere non potuit. Illud scriptum mihi non nocet, quia falsum est. Quomodo vis, ut declaretur? Per pugnam. Cujus placiti sacramenta sunt, ita. Falsatoris: De hoc, quod ego appellavi hanc chartam esse falsam, me sciente nihil aliud nisi verissimam & justam rationem exquiro in omnibus modis. Ostensoris ita: Hæc charta vera & idonea est. Si Deus: Pœna est utrique falsatori .... ut rem refutet, manum perdat aut redimat, & secundum obligationem chartam emendet, si ipse fecit, vel ejus heres, qui fecit, aut successor. Et si chartæ certant inter se, & falsator fuit appellatus, & est convictus, tunc rem refutet, manum perdat, aut redimat, bannum persolvat: & etiam aliquando secundum obligationem chartæ comprobatæ emendet; si forte est heres ejus, qui eam fecit. Ostensori vero, si est appellatus, rem perdat, widrigild tribuat, manum perdat, bannum persolvat. Si est appellator, rem refutet, suum widrigild tribuat, manum perdat. Si vero falsator Langobardus noluerit, ut per bellum res agatur, sed tantum per sacramentum lis finiatur, tunc fit, ut supra diximus in capitulo Widonis.

II. De investitura prædii si contentio fuit, ut per (3) pugnam veritas decernatur, dicimus. II. 55. 34.

FORMULÆ VETERES.

Domne Comes: hoc dicit Petrus, quod de terra, quæ jacet in tali loco, investitus est ad proprium. Hoc dico ego, quod ego sum investitus ad proprium de ipsa terra, non ipse. Jurent, sicut dicunt, & faciant pugnam, & ut nullus alteri debeat audire. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de sexta parte unius petiæ de terra, quæ jacet in tali loco. Et tu malo ordine eum disvestisti. Hoc dicit Petrus: vigesima pars de sexta parte de illa petia de terra, quam tu dicis, sua propria est: & ipse te malo ordine nec de illa vigesima, nec de aliis partibus illius sextæ te non disvestivit. Vis ei adramire? Volo. Et tu vis te defendere? Volo. Vadiate pugnam. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus de petia una de terra, quæ jacet in tali loco, & tu malo ordine eum disvestisti. Hoc dicit Petrus, quod de ipsa terra ipse est investitus, & te malo ordine non disvestivit; vel ipsa terra sua propria est, & te malo ordine non disvestivit. Petre te appellat Martinus, quod pars monasterii sancti Rufini, unde est Advocatus, fuit investita ad proprium de una petia de terra, quæ jacet in tali loco. Et pars mo-

(1) In Cod. Esten. legitur: *Imperatoriæ aures magnis questibus pulsarentur*. Infra: *convenientibus cunctis, & consentientibus*.

(2) Cod. Esten. *sive altera cum chartis, seu scriptionibus*.

(3) In Cod. Esten. *si contentio emerserit, similiter per pugnam* &c. Atque ex tota hac Ottonis II. Lege vide, quam latus apertus fuerit aditus iniquo Duellorum usui sub Germanis Imperatoribus. Et quod mirere, ejusmodi Edictis calculum suum adjecere Præsules, qui in Veronensibus Comitiis adfuere non pauci. Sed ita erant compositi eorum temporum mores, & ut ita dicam, ex falsa credulitate fascinatæ hominum mentes.

monasterii S. Petri, unde tu es Advocatus, disvestivit eam malo ordine. Ipsa petia de terra, quam tu dicis, propria est monasterii partis S. Petri, unde ego sum Advocatus. Et ipsa malo ordine partem S. Ruffini, unde tu es Advocatus, non disvestivit. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de petia una de terra, quæ jacet in tali loco, & tu malo ordine eum disvestisti. Terram habeo in ipso loco, sed nescio de quali tu dicis. Det vadium de consignare, & ipse reus in judicium revertendi. Petre te appellat Martinus, quod de terra, quæ jacet in tali loco, fuit ipse investitus ad proprium & malo ordine eum disvestisti. Ipsa terra mihi concessa est per usumfructum, aut per libellum, & ego malo ordine te non disvestivi. Ita tamen ut ostendat, qualiter sibi sit concessa per usumfructum, & postea bellum faciat de malo ordine. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus de petia una de terra, quæ jacet in tali loco, quæ est per mensuram jugera tanta, & habet coherentias tales. Terram habeo in ipso loco, sed nescio de quali tu dicis. Ego dico tibi, mensuras & coherentias non oportet consignare. Ego habeo duas petias de terra in ipso loco, vel quatuor, quæ habent ipsas coherentias. Nescio de quali tu dicis, non potest evadere, quod non vadat consignare. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus de quanta terra tu tenes in Regabus, & tu malo ordine eum disvestisti. Terram habeo in isto loco, sed nescio de quali tu dicis, quia habeo in ipso loco per allodium, & beneficium, & per libellum. Vadat consignare. Petre te appellat Martinus, quod ipse vel filius suus agendo caussam ejus sui filii, vel suæ uxoris, quod ipsa sua uxor fuit investita, vel filius suus fuit investitus ad proprium de petia una de terra, quæ est in tali loco, & tu malo ordine eum disvestisti, vel uxor tua vel filius tuus, vel servus tuus. Et terra, quam tu dicis, mea propria est, vel uxoris meæ, vel filii mei. Et ego te malo ordine non disvestivi; vel uxor mea, vel filius meus, vel servus meus. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de una petia de terra, quæ jacet in tali loco, & tu malo ordine eum disvestisti. Non tibi respondeo, quia ipsa terra non est mea, sed est de meo barbano. Fac mihi inde finem. Non faciam, quia si ipse fuerit mortuus, ego debeo venire ad successionem. Vel ita. Ipsa terra non est mea, sed est Martini, & ego te malo ordine non disvestivi. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de petiis tribus de terra, quæ jacet in tali loco. Et tu malo ordine eum disvestisti. Non tibi respondeo, quia ecce charta, quam tu mihi fecisti, aut pater tuus. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de una petia de terra, quæ jacet in tali loco. Et tu malo ordine eum disvestisti. Ego habeo ipsam terram venditam ad Martinum. Probet qui habet venditam, & dicat, quod in ipsa hora, quando vendidit, sua propria erat, & malo ordine eum disvestivit. Petre te appellat Martinus, quod ipse fuit investitus ad proprium de una casa solariata cum area, ubi exstat, cum scala petrea juxta se habita cum corte, & puteo, seu broilo, omnia in uno texente, quæ jacet in tali loco. Et tu malo ordine eum disvestisti. Non tibi respondeo, quia tu fuisti judicatus ad mortem aut fecisti raptum, aut furtum, aut incendium, aut perjurium, aut es servus de Donato, aut fecisti homicidium, aut mihi inde finem fecisti. Aut probet, aut emendet bannum, & respondeat. De ceteris quidem emtionibus similiter. Cujus placiti vadimonia per usum debent esse cum fidejussoribus tacita pœna. Sacramenta quidem ita. Appellator juret. De hoc unde te appellavi, quod ego fui investitus ad proprium de una petia de terra, quæ jacet in tali loco, & tu malo ordine me disvestisti. Me sciente de torto te non appellavi. Si Deus. Appellatus ita. Ea terra, unde tu me appellasti, mea propria est, & ego te malo ordine non disvestivi. Si Deus. Vel ita: De hoc unde me appellasti, id est quod ipse Martinus fuisset investitus ad proprium de petia una de terra, quæ jacet in tali loco, & Johannes eum disvestisset malo ordine, me sciente de torto eum non appellavit. Sic Deus. Ea terra, unde Martinus appellavit Johannem propria est Johannis, & ipse Johannes eum Martinum malo ordine non disvestivit. Sic Deus. Pœna quidem est talis. Appellato... si victus fuerit, ut terram refutet, wi... gild solvat, & secundam legem victori emendet. Appellati, ut bannum solvat, widrigild donet, & secundum legem appellatoris ostendat.

III. De ecclesiarum rebus, ut per Advocatos fiat (1), similiter jubemus. II. 55. 34.

FORMULÆ VETERES.

Petre te appellat Martinus, quod pars monasterii sancti Rufini, unde tu es Advocatus, tenet sibi terram malo ordine in tali loco. Ipsa terra propria est de monasterio per chartam, quam fecit pater tuus. Et ecce charta. Falsa est ipsa charta. Petre te appellat Martinus, quod pars monasterii sancti Rufini, unde tu es Advocatus, tenet sibi terram malo ordine in tali loco. Ipsa

terra

(1) Hoc est, pugna. In hunc etiam finem Episcopi, Abbates, & Canonicorum Collegia, sæculares viros sibi Advocatos eligebant, ut si quando pugnandi necessitas foret, eos pro se Campiones darent. Cujus rei monumenta non pauca supersunt.

terra propria est de monasterio per chartam, quam fecit Petrus. Et ecce charta. Et quid tibi pertinet per chartam, quam mihi fecit ipse Petrus? Tunc qui habet anteriorem chartam, dicat: Tua charta contra legem est, quia postquam fecit mihi unam traditionem, non potuit facere alteram. Tunc ipse, qui habet posteriorem, dicat de anteriori: falsa est ipsa charta. Petre te appellat Martinus, quod pars monasterii S. Rufini, unde tu es Advocatus, tenet malo ordine terram in tali loco ad partem ecclesiæ S. Petri, unde ipse est Advocatus. Ipsa terra propria est de monasterio per chartam, quam fecit Donatus. Et quid pertinet ad ecclesiam S. Petri? Per chartam, quam fecit ipse Donatus. Ipse, qui habet posteriorem chartam, dicat anteriorem falsam. Tunc ille, cujus charta falsa vocata est, dicat: Quomodo vis ut clarefacta fiat? Si adversarius responderit: per pugnam: interrogetur. Vis ei adardire, ut illa charta sit falsa? Volo. Et tu vis eam defendere? Volo. Vadiate pugnam. Et quæ vadimonia debent esse tacita pœna cum fidejussoribus. Cujus placiti sacramenta sunt. Falsatoris, ut ponens chartam supra Missale dicat: De hoc, quod ego appellavi hanc chartam esse falsam, me sciente nihil aliud nisi verissimam, & veram rationem exquiro in omnibus modis: Si Deus. Falsati ita quidem: Hæc charta vera & idonea est: Si Deus. Pœna imminet utrique falsatori victo, ut rem refutet, & secundum obligationem chartæ persolvat; nisi aliquando si intentio fuerit inter duas chartas, manum perdat, aut redimat. Et si est appellatus, bannum tribuat falsato victo, ut rem amittat; widrigild suum componat, bannum solvat, quando est appellatus. Si vero falsator voluerit, ut res per sacramentum finiatur, fit; ut superius diximus.

IV. Si quis per se ipsum, aut per suum nuntium, quidquam alicui deposuerit, & depositum, cupiditate victus, negaverit, si xx. solid. pretium fuerit; ut per pugnam veritas decernatur, edicimus. II. 55. 35.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, quod ipse deposuit tibi tanta mobilia quæ valebant solidos CLX. Viginti solid. tantum mihi deposuisti, sed non plus. Hoc sciatis, qualiter in hoc, quod dixit, tantum mihi deposuisti, sed non plus. Si illud, quod negaverit, fuerit pretii XX. solidorum, aut eo amplius, tunc per bellum lis finiatur. Si vero subtus X. solid. fuerit, tunc per sacramenta res currat. Petre te appellat Martinus, quod ipse deposuit tibi per suum Missum tanta sua mobilia, quæ valebant solid. XX. De torto me appellasti. Vis ei adardire? Volo. Vadiate pugnam. Petre te appellat Martinus, quod suus pater Arnaldus, sua uxor Alda, Martinus suus servus, aut Arnulfus suus filius, deposuerint tibi per se ipsos, aut suos nuntios, XX. solidos. De torto me appellasti. Aut .... deposuerunt, plus non. Potes ei probare, ut totos XX. solidos ei deposuisses? Si dixerit: possum; approbet. Si vero: non; tunc appellatus det ei vadimonia, si se recordatus fuerit, quod emendabit, ut rectum est. Si non, ut se exdicat. Quæ vadimonia debent esse cum fidejussoribus tacita pœna. Cujus placiti sacramenta sunt ita. Appellator: De hoc, unde te appellavi, quod ego deposuissem tibi per me, vel per meum nuntium, XX. solidos, vel quod uxor mea, vel filius meus, vel servus meus tibi deposuissent per se ipsos, aut suos nuntios, X. solidos, me sciente de torto te non appellavi. Si Deus. Appellatus juret: De hoc unde appellasti me, quod tu, vel uxor tua, vel filius tuus, vel servus tuus deposuissetis per vos, vel per Missos vestros, XX. solidos mihi, de torto me appellasti. Si Deus. Pœna vero utrisque imminet. Appellatori victo quidem, si Romanus est appellatus, ut multetur decima parte litis. Ceteri quidem, & idem Romanus Appellator victi widrigild per manus incisionem caussa exstante perjurio pœna feriantur. Appellati quidem, si Romanus est victor, ut depositum duplicent .... dolum ex quatuor casibus depositi. Ceteris item & Romano, ut bannum persolvant, widrigild tribuant, & depositum secundum legem victori emendent.

V. Si quis dixerit, quod per vim de prædio chartam alicui fecerit, per pugnam decernatur, (1) edicimus. II. 55. 36.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, quod tu tenes malo ordine terram in tali loco. Ipsa terra mea propria est per chartam, quam tu mihi fecisti. Et ecce charta. Ego feci ipsam chartam, sed per virtutem. Non fecisti. Vis ei probare? Volo. Vadiate pugnam. Quæ vadimonia debent esse cum fidejussoribus tacita pœna. Cujus placiti sacramenta sunt ita. Appellator ita juret. Ponat chartam juxta Missale, & tangens dicat: Ego hanc chartam per virtutem feci: Si Deus. Appellatus ita: Chartam hanc tu per virtutem non fecisti. Si Deus. Interea donec ipsi bellaverint, charta commendetur Potestati ea conditione, ut si appellator vicerit, charta incidatur. Si vero appellatus, appellatoris charta ei reddatur, & ostendens chartam in judicio per notitiam securitatem accipiat, vel per promissionem refutationis. Et si charta perdita apud Potestatem fuerit, tamen

(1) Cod. Esten. *alicui fecisset, per pugnam veritas decernatur, edicimus.*

tamen uterque juſtitiam ſuam conſequatur. Si vero appellator dixerit: Ecce charta, quam pater tuus mihi fecit; & appellatus dixerit: Illa charta nihil mihi impedit, quia pater meus fecit eam per virtutem, approbet appellator hoc ita eſſe. Si vero approbare non potuerit, & appellatus juraverit illam chartam per virtutem non eſſe, vel probare appellator quidem incipiens, & contraria probatione victus fuerit ipſe appellator, ſit, ut ſuperius diximus. At ſi appellator dixerit, chartam eſſe falſam, ſit, ut ſuperius diximus. Pœna quidem utriſque immineat. Appellatori quidem, ut emendet ſecundum obligationem chartæ, & widrigild pœna feriatur pro manus inciſione. Appellato vero, ut rem & pretium perdat, bannum perſolvat, & widrigild tribuat.

VI. De furto aut ſchacho (1), ſi ultra VI. ſolid. fuerit, ſimiliter ut per pugnam veritas inveniatur, præcipimus. II. 55. 37.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, quod ipſe habet certam ſuſpicionem, quod tu fuiſti fur de tanto ſao mobili, quod valebat ſolid. VI. & I. denarium; aut collega furis. Petre te appellat Martinus, quod tu tuliſti ſibi ad ſchacum ſanta ſua mobilia, quæ valebant ſol. VI. & I. denarium. De torto me appellaſti. Vis ei adardire? Volo. Et tu vis te defendere? Volo. Vadiate pugnam. Quæ vadimonia habentur, ſi fidejuſſores tacita pœna. Cujus placiti ſacramenta ita ſunt. Appellator ita juret: De hoc unde ego te appellavi, non quæro te aſtu animo per pugnam fatigare, ſed me ſciente habeo certam ſuſpicionem, quod tu tuliſti mihi furtive tantum, vel quod fuiſti collega furis de tanto. Si Deus. Appellatus; De hoc unde tu me appellaſti, ego tibi furtive non tuli, vel non fui collega. Si Deus. Hcç ſi Langobardus. Ceteri vero omnes de furto, & ſchaco, Langobardus de ſolo ſchaco juret: De hoc unde te appellavi, quod tu fuiſſes fur, aut collega furis de tanta mea ſubſtantia, quæ valebant XX. ſolid., aut quod tu tuliſſes mihi ad ſchacum tanta mea mobilia, quæ valebant X. ſolid. me ſciente, de torto te non appellavi. Si Deus. Appellatus ita; De hoc unde tu me appellaſti, quod ego fuiſſem fur de tanta ſubſtantia tua, quæ valebant decem ſolid. aut collega furis, aut ego ad ſchacum tuliſſem tibi, de torto me appellaſti. Si Deus. Pœna vero talis eſt: Actoris, ſi victus fuerit, widrigild porrigat, & ſecundum legem appellati ſe emendet. Appellati, ſi latro eſt, ut pœnam corporalem ſuſtineat, aut oculi, aut naſi, aut mortis. Uterque & latro, & ſchacator bannum ſolvat, widrigild tribuat, & furtum, & ſchacum ſecundum legem ipſius, cui negligentiam commiſit, emendet.

VII. Si quis equum ſuum, vel cetera animalia, ſive rem ſuam, ſuper aliquem repererit, & ipſe ſe warentem (2) dare dixerit, ſtatim juret, ut ad certum warentem eum conducat, & ſuper tertium warentem, & tertium comitatum non procedat. Et ſi hoc facere noluerit, rem perdat, & ſecundum legem componat. II. 28. 5.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, quod ipſe intertiavit tibi unum ſuum caballum, aut aliam rem. Non mihi intertiaſti. Si poteſt, approbet Appellator. Si non, juret Appellatus, quod ipſe ſibi non intertiavit. Si dixerit; Intertiaſti mihi; ſtatim juret, quod ad certum warentem eum conducat. Interea vadat ad warentem, & dicat ſibi intertiaturam rei, quam ſibi tradiderat. Ille tunc warens det ei vadimonia de ſtando in auctoritate, & reddendo pretio. Hic vero det ei vadimonium de conducendo intertiatorem ad eum ad placitum appellando, & reddendam rem. Et hoc fit, ſi confeſſus fuerit warens ſe tradidiſſe. Si vero non fuerit, tamen hic vadat cum intertiatore ad eum cum re. Et cum venerit ad warentem, interroget: Tradidiſti mihi hanc rem? Si dixerit: non; campo contendat, vel approbet, cui res intertiata eſt. Et poſt vadat placitum, veluti ſi ſtatim confeſſus fuerit, ſe eſſe warentem. Sed campo contendere, vel probare ſi non potuerit, tunc ille, qui warens dicebatur, juret ſe non tradidiſſe. Tunc ille, cui res intertiata eſt, componat, ut latro, niſi alium warentem dederit. Si vero dixerit warens, tunc accipiat rem reddito pretio: tunc intertiator dicat ad warentem: Quid tibi pertinet? Petrus mihi vendidit. Similiter pœnæ perſecutum ſit uſque ad tertium. Poſtea interroget tertium, Quid tibi pertinet? Habeo warentem Martinum. Hoc dico: non debeo ire ſuper tertium warentem, & tertium Comitatum. Tunc Appellator juret, quod ſuus proprius eſt, nec vendidit, nec donavit, quod per legem perdere debet, ſed furtive ei abſtractus eſt. Tunc tertius warens juret, quod nec latro fuerit, nec collega latronis, ſed cum ſuo proprio pretio compara-

(1) *Scach* Teutonicis *Latrocinium* ſonat, ſeu potius, *Raptum*, ac *Rapinam*. In Capitular. Karoli Calvi apud Baluzium Tom. II. pag. 68. memoratur *illud malum, quod ſcacb vocant*. Ibidem etiam occurrit: *qui nunc latro, aut ſcachator eſt*. Atque hinc nonnulli *Scachos* ludum *latrunculorum* appellarunt, quo alludere Martialem quoque putant Lib. XIV. Epig. XVII. verſu illo:

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum.

(2) Atque hinc vox *Garante*, *Guarentia*, ac ſimilia pro *vade*, *cautione*. Quid vero hic ſit *tertius Warens*, *& tertius Comitatus*, circa quod hariolatur vetuſtus ille Legulejus, qui nobis Langobardicarum Legum Commentarium dedit, ſubjecta Formula tibi indicabit.

paravit, & reddat rem. Si vero responderit, equum esse natum de suo jumento, approbet & retineat. Et hoc per usum. Si vero a probatione ceciderit, vel jurare noluerit, teneatur ut latro, nisi reversus fuerit ad warentem. Et tunc fit, ut supra dixi. Hoc omne fit, secundum quosdam vanos.

VIII. Laicorum vero nullum, præter Comitem, in solis ecclesiasticis rebus Advocatum (1) habere permittimus. II. 47. 10.

IX. (2) Si quis alium ad servitium appellaverit, per pugnam veritas inveniatur, edicimus.

X. Quacumque Lege, sive etiam Romana, in omni Regno Italico homo vixerit, hæc omnia (3) ut in his capitulis per pugnam decernimus observare; ita tamen ut si quem eorum juvenilis aut decrepita ætas, seu infirmitas, pugnare prohibuerit, liceat ei pro se pugnatorem ponere, & alteri similiter facere (4). II. 55. 38.

XI. Ut Ecclesiæ, seu Comites, & viduæ, lites suas de his, quæ in suprascriptis capitulis continentur, per consimiles Advocatores (5) per pugnam dirimant. Ceteri vero natura liberi, secundum legem pristinam per semetipsos respondeant & determinent. II. 55. 40.

XII. Si servus propter appetitum libertatis liberum se vocaverit, liceat domino, si sibi (6) melius visum fuerit, propter difficultatem approbationis insidiosæ, aut per se, aut per suum campionem (7), litem dirimere. Liceat autem servo pro se campionem dare, si morbus aut ætas eum pugnare prohibuerit. II. 55. 39.

XIII. Diaconorum, Episcoporum, Presbyterorum (8) filios, Notarios, Sculdasios, Comites, Judices fieri omnibus modis prohibemus. III. 40. 1.

OTTONIS III. AUGUSTI
LEX.
OTTO TERTIUS.

„ *Roma Sindonico Rex Tertius invidet Otto.* (9)

CAP. I.

Quotidie contra Leges agitur, quotide malum mali facere non verentur. Ideo (10) per hanc legem per omne ævum divinitate propitia valituram edicimus, ut toto anni tempore liceat Judicibus caussas agere, lites dirimere, tumultus quæstionum determinare & diffinire; ut qui quotidie legem offendunt, quotidie legis sententia feriantur. Nec enim tempore messis, vel vindemiarum, legis edictum effugere debent, qui in nullo tempore peccare desierunt. Bene enim facere, verum dicere, justitiam amare, rectum ju-

---

(1) In Esten. Cod. legitur: *præter Comes, in solis ecclesiasticis rebus Advocatorem haberi permittimus*. Lex mihi, & aliis fortasse, obscura. Hic *Advocator* videtur esse *Campio*, quem quis adducebat ad pugnam pro se ineundam, ut infra habetur. Advocatum agere Ecclesiarum cuicumque Laico libero homini licuit. Ergo dicendum videtur, Laicis quibusque, præterquam Comiti, interdictum fuisse Advocatum habere, videlicet pro se Campionem dare, dum justam aliquam excusationem non præferrent, quæ infra in Lege X. exprimitur. Sed quid hic intermiscetur, *in solis ecclesiasticis rebus*? Fortasse per subsequentem Legem XI. hæc emendanda est, sive ut rectius loquar, amanuensium sphalma aliquod hinc tollendum. Certe in Lege XI. *secundum Legem pristinam* habetur, quibus verbis hæc eadem innui videtur. Vide ergo & illam.

(2) Legem hanc inter editas Langobardicas non invenio. Habet Codex Estensis.

(3) Accipe quæ habeat Codex Esten. *ei omnia, sicut in his Capitulis per pugnam decrevimus, servare præcipimus. Ita tamen, ut si eorum unum &c.*

(4) In Cod. Esten. additur: *Si dubitatio fuerit de infirmitate, juret, quod talem infirmitatem habet, propter quam pugnare non valet*. Quæ verba num pars Legis sint, an Glossa in textum invecta, definiendum aliis relinquo.

(5) In Cod. Esten. *per consimiles Advocatores pugna dirimant. Cæteri vero homines natura* &c. Explicari potest ex his, ut dixi, superior Lex VIII.

(6) Cod. Esten. *si sibi ita melius visum fuerit*.

(7) Cod. Esten. *Camphionem*, qui idem est ac Campio.

(8) Cod. Esten. *Diaconorum Presbyterorum, Episcoporum*, &c. Baluzius Tom. II. pag. 342. nescio cujus libri auctoritate Legem hanc Lothario I. Augusto tribuat.

(9) Quid sibi velit versus iste, quis Oedipus mihi edisserat? Corrigendum utique video; sed aliis emendationem apponendam relinquo.

(10) Audi Cod. Esten. *Ideo hac Lege omne per ævum divinitate propitia valitura, edicimus*. Infra: *tumultus quæstionem terminare*. Infra: *tempore messium vel vindemiarum*.

dicare, omni tempore licuit, semperque licebit: quia a bonis nunquam, a malis autem operibus semper requiescendum esse, catholice didicimus: & hoc jugiter conservandum Deo auctore, & Imperiali majestate decernimus. David autem Rex & Propheta dicit: *Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore*. In Natali vero Domini, & in Epiphania, & in statutis jejuniorum diebus, in Pascha, & in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Dominicis diebus, & in festis præcipuis, judiciarios motus exequi, publicas quæstiones appeti, ut (1) hæ solemnitates, quæ sunt Christianorum, cum omni vigilantia celebrentur, penitus prohibemus. II. 49. 2.

(*Sequitur in Cod. Estensi sive Legis pars, sive Glossa.*)

Hæ sunt Festivitates præcipuæ in anno, quæ per omnia venerari debent.

Natalimbum (2) *Sancti Stephani*.
Sancti Johannis Evangelistæ.
Innocentium.
Octavæ (3) *Domini*.
Octavæ Epiphaniæ.
Purificationis Sanctæ Mariæ.
Paschæ dierum octo.
Letaniæ Majoris.
Ascensionis Domini.
Pentecostes.
Sancti Johannis Baptistæ.
Octavæ Apostolorum, maxime tamen Sanctorum Petri & Pauli.
Dedicationis S. Archangeli Michaelis.
Sancti Martini.
Assumtionis Sanctæ Mariæ.

HENRICI I. AUGUSTI LEGES.

HENRICUS I.

HEnricus Dei gratiæ miseratione (4) Romanorum Imperator Augustus. Omnibus nostris fidelibus præsentibus etiam & futuris notum fieri volumus, quod semper Reipublicæ providentes, quæ digna sunt, probabilium (5) acceptione disponimus. Cum tempore Autumni in parte Erisantiæ nostri regni pro utilitate multimoda moraremur in civitate Argentina, quæ vulgari nomine Transburg vocatur, multorum prolatum est ad nos, quod plurimi tunc erant, qui sub occasione his periculis laborant, unde etiam digna provisione omnibus succurrentes, attestatione laudis quamplurium nobis adstantium fidelium Archiepiscoporum, Mediolanensis videlicet, & Ravennensis (6), Episcoporum quoque Transburgensis, Placentini, Cumani, Vercellensis, Parmensis, Aquensis, Lunensis, Marchionum quoque & Comitum Italiensium, Nobilium vero multorum, Vasallorum, Sapientium, & Judicum, inter multa, quæ Reipublicæ congruebant, tria capitula inseruimus; quæ ut ab omnibus nostri Imperii observentur, stabilique observatione teneantur, amodo & deinceps statuimus, jubemus, & firmiter præcipimus. Hæc sunt, quæ inviolabiliter observari jubemus.

„ *Re-*

---

(1) Cod. Esten. *Ut omni cum vigilantia solemnitates (quod Christianorum est) celebrentur* &c. *Hæ sunt Festivitates*. An hæc etiam ab Ottone III. manarint, an vero addita a quopiam Glossatore vetusto, non statim decernas. Ego Glossam, sed antiquam, suspicor, quod ex aliquot Festivitatibus hic minime commemoratis intelligere possumus. Illud *venerari debent* non satis consonat cum eleganti ac nobili stilo, quo Lex ista conflata est, Geberto forsitan, qui Silvester II. Papa fuit, eam dictante.

(2) Pro *Natale*, sive *Natalitium* S. Stephani, cujus exemplum alibi non facile reperias, nisi sit vitiatus Codex.

(3) Hoc est, Circumcisionis dies. Quæ infra *Octavæ* dicuntur, re vera quam adhuc appellamus Octavam diem post Festum aliquod sollemne, significant. Anastasius, sive quis alius Auctor Vitæ Leonis IV. Papæ, aperte advenisse ait præclarum, & celeberrimum diem, *quo Beatæ Dei Genitricis Assumtio celebratur*. Tum infra subdit: *Octavam Assumtionis Beatæ Dei Genitricis diem, quæ minime Romæ antea colebatur, Vigiliis sacris* &c. *celebrari præcepit*. Vide Amalarium de Eccles. Offic. Lib. IV. Cap. 36. Micrologum & alios.

(4) Præfationem hanc non habent editi Langobardicarum Legum Libri. Eam nunc do, qualem offert Estens. Codex; sed ante evulgaram ego Tom. II. pag. 207. Anecdot. Latin. ex Codice Ms. Ambrosianæ Bibliothecæ. In eodem Cod. Estensi legitur: *Henricus gratia divinæ miserationis*,

(5) Depravatum textum corrige ope Ambrosiani Codicis: *probabilium personarum nostri Imperii fidelium acceptione disponimus. Cum enim pro excellentia nostri Regni & pro utilitate multimoda demoraremur in Civitate Argentina, quæ vulgari nomine Straburge vocantur, multorum prolatum est ad nos relatione* &c. Infra: *his periculis laborabant*.

(6) Ambrosianus Cod. & *Treverensis*. Infra: *Lunensis, Vulturnensis*. Infra: *nobilium vero multorum Vavassorum*.

„ *Regis Heinrici lætantur lege mariti.*

CAP. I.

QUicumque ex quacumque natione legitimam uxorem acceperit, ſi eam mori contigerit ſine filiis amborum eorum, vir uxori ſuæ ſuccedat & omnia bona ſua (1) percipiat. II. 14. 29.

II. Quicumque propter cupiditatem rerum, patrem aut matrem, aut fratres aut ſorores, vel nepotem, aut aliquem ſuum propinquum per ſe aut per alium interfecerit, hereditas interfecti ad alios ſuos legitimos heredes perveniat: hereditas vero interfectoris in fiſcum redigatur, ipſe vero ordinante Epiſcopo publicæ pœnitentiæ ſubdatur. Quod ſi ille, cui crimen immittitur (2), negare voluerit, per ſe pugnam faciat, nec liceat campionem pro ſe dare, niſi decrepita ætas aut juvenilis, aut infirmitas pugnare prohibuerit. I. 10. 4.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, qui eſt Advocatus de parte publica, quod tu occidiſti Marquardum tuum patrem per cupiditatem, aut interfici feciſti. Non placet Deo. Vis ei adardire? Volo. Vadiate pugnam. Quæ vadimonia debent eſſe cum fidejuſſoribus tacita pœna. Cujus placiti ſacramenta ita eſſe debent. Advocatus juret. De hoc unde te appellavi, me ſciente de torto te non appellavi. Appellatus ita. De hoc, unde tu me appellaſti, de torto me appellaſti. Et hæc reſponſio debet eſſe tantum, dum Advocatus adardiat ei bellum. Si vero Advocatus non vult ei adardire, tunc Appellatus jurejurando ſecundum ſuam legem ſe defendat, ita ut Advocatus antea non juret. Et hoc per uſum. Et hoc debet eſſe in omnibus appellationibus. Ubi utraque eſſe poſſunt. Si vero tantum ſacramenta eſſe debent, tunc Appellatus juret ſecundum ſuam legem abſque ſacramento Advocati. Petre te appellat Martinus, quod occidiſti Marculphum ſuum patrem & tuum per cupiditatem, aut interfici feciſti. De torto me appellaſti. Vis ei adardire? Volo. Et tu vis te defendere? Volo. Vadiate pugnam. Si vero appellator is noluerit adardire, tunc juret, ut ſupra dictum eſt. Et appellatus ſimiliter, ut ſupra. Sacramentales vero jurent. Hoc, quod appellatus juravit, verum juravit: Si Deus. Pœna vero imminet utriſque talis. Advocato victo, ut manum perdat, aut redimat, & propinquo ſimiliter. Appellato, ut non habeat hereditatem interfecti; ſuam quidem perdat, bannum ſolvat, manum amittat, aut redimat, id eſt, ut widrigild tribuat, & ordinante Epiſcopo publicæ pœnitentiæ ſubdetur. Si vero lis per ſacramenta ab utriſque finiatur, nulla pœna eis immineat. Si vero Advocatus, vel parens, juraverint, & reus ſe purificare auſus non fuerit, tunc ſupradictam pœnam ſubſtineat præter widrigild.

III. Qui vero infra treugam, poſt (3) datum oſculum pacis, aliquem hominem interfecerit, & negare voluerit, pugnam pro ſe (4) faciat, nec campionem pro ſe dare debet: niſi ſicut dictum eſt ſupra. Si vero convictus fuerit, manum, quæ homicidium fecit, amittat. I. 9. 38.

FORMULÆ VETERES.

PEtre te appellat Martinus, quod tu occidiſti Donatum ſuum patrem infra trewam, vel infra datum oſculum pacis. De torto me appellaſti. Vis ei adardire? Volo. Et tu vis te defendere? Volo. Vadiate pugnam. Cujus placiti ſacramenta ita ſunt. Appellator juret. De hoc, unde te appellavi, quod tu occidiſti patrem meum Donatum infra trewam, vel infra datum oſculum pacis, me ſciente de torto te non appellavi: Si Deus. Appellatus ita: De hoc, unde tu me appellaſti, quod ego occidiſſem patrem tuum infra trewam, de torto me appellaſti: Si Deus. Si vero appellator noluerit adardire, tunc lis finiatur per ſacramenta, ut ſuperius diximus. Pœna vero utriſque imminet. Appellatori vero, ſi victus fuerit, ut manum perdat, aut redimat. Appellato, ut bannum ſolvat, manum perdat, & homicidium ſecundum legem emendet.

---

(1) Codices Ambroſianus & Eſtenſis: *bona ejus percipiat.*

(2) Iidem Codices: *Quod ſi ille, qui crimine arguitur.* Vide quam leniter adhuc adverſus homines tanto crimine obſtrictos terrenæ Leges procederent. Infra Cod. Eſten. *& ſibi Camphionem pro ſe dare non liceat.* Habes autem hanc eamdem Legem ſupra inter Leges Lotharii I. Cap. CIII. Henricus, ea confirmata, addidit quæ ad pugnam ſpectant.

(3) Codices Ambroſian. & Eſten. *infra trevam, vel datum pacis oſculum.* Infra Cod. Ambroſian. *pugnam per ſe faciat, nec Campionem pro ſe dabit.* Codex Eſten. *pugnam per ſe faciat, nec liceat ei Camphionem pro ſe dare, niſi ut ſupra dictum eſt.*

(4) Cod. Eſten. *pugnam per ſe faciat.* Rurſus animadverte, hic quoque ſingularia certamina permitti, ne dicam, probari; atque hanc Legem prodire ab Imperatore, quem Cælitum albo inſcriptum veneramur; atque in eamdem Legem conſenſiſſe Archiepiſcopos & Epiſcopos, quos Præfatio commemorat. Ergo noſtris temporibus gratulemur, quod ex Chriſtianorum animis adeo falſa perſuaſio & conſuetudo tandem aliquando fuerit abacta.

CONRADI I. AUGUSTI
L E X.

„ *Hæc Lex Conradi circumdata milite vadit.*

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Conradus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus salutem omnibus. Sanctæ Dei (1) ecclesiæ fidelibus, nostrisque, tam præsentibus, quam futuris, notum esse volumus, quod ad reconciliandos animos Seniorum & Militum, ut adinvicem semper inveniantur concordes, & ut fideliter & perseveranter nobis & suis Senioribus serviant devote, præcipimus, & firmiter statuimus, ut nullus Miles Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, Marchionum vel Comitum, vel omnium, qui beneficium de nostris publicis bonis, aut de ecclesiarum prædiis nunc tenent (2), aut tenuerint, aut hactenus injuste perdiderint, tam de nostris majoribus Valvassoribus, quam eorum militibus, sine certa & convicta culpa suum beneficium perdat, nisi secundum consuetudinem Antecessorum nostrorum, & judicium Parium suorum. Et si contentio emerserit inter Seniorem & Militem, quamvis Pares adjudicaverint illum suo beneficio carere debere, & ille dixerit, hoc injuste vel odio factum esse, ipse suum beneficium teneat, donec Senior & ille, quem culpat, cum Paribus (3) ad nostram præsentiam veniant, & ibi caussa juste determinetur. Si autem Pares ejus culpati in judicio Seniorum defecerint, ille qui culpatur, suum beneficium teneat, donec ipse cum suo Seniore & Paribus ad nostram præsentiam veniat. Senior vero & miles ejus (4), qui culpatur, qui ad nos venire debuerint, sex hebdomadas ante, quam iter incipiat, ei cum quo litigaverit, innotescat. Hoc autem de majoribus Valvassoribus observetur. De minoribus vero in Regno nostro (5), aut ante Seniores, aut ante Missum nostrum eorum caussa finiatur. Præcipimus etiam, ut cum aliquis ejus miles, sive de majoribus, sive de minoribus, de hoc sæculo migraverit, filios ejus beneficium tenere. Si vero filios non habuerit, & aviaticum (6) ex masculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat, servato usu majorum Valvassorum, in dandis equis, & armis suis Senioribus. Si vero forte aviaticum (7) ex filio non reliquerit, sed fratrem legitimum ex parte patris reliquerit, & Seniorem offensum habuerit, & sibi vult satisfacere, & miles ejus esse, beneficium quod patris sui fuit, habeat. Insuper & omnibus modis prohibemus, ut nullus Senior de beneficio suorum militum cambium, aut precariam, aut libellum sine eorum consensu facere præsumat. Illa vero quæ tenent proprietario jure, aut per præceptum (8) suum, sive per rectum libellum, sive per precariam, nemo eos injuste devestire audeat. Fodrum vero de castellis, quod nostri Antecessores habuerunt, habere volumus: illud vero quod non habuerunt, nullo modo exigimus. Si quis autem hanc jussionem nostram infregerit, auri optimi libras c. componat, medium Cameræ nostræ, & medium cui damnum illatum fuerit. At si quis aurum non habuerit, nostra sententia feriatur, ut nobis placuerit. III. 8. 4.

---

(1) Cod. Esten. *Omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque Fidelibus tam præsentibus, quamque & futuris, notum esse volumus, quod nos ad* &c. Causam huic Legi dederunt funesti Mediolanensium motus sub Heriberto Archiepiscopo, qui impotenter urbi dominabatur. Vide Landulphi Senioris, Arnulphi, & Gualvanei Flammæ Historias. Hanc eamdem Legem habes, sed mancam Lib. V. Tit. I. Feudorum in editione Dionysii Gothofredi ex additis per Cujacium. Frustra autem eam quæras in vulgaribus Feudalium Constitutionum editionibus. Ejus etiam Legis mentio est Lib. II. Tit. XXIV. & Tit. XXVI. earumdem Constit. Feudalium.

(2) Cod. Esten. *de nostris publicis bonis, aut de Ecclesiarum prædiis nunc tenet, aut tenuerit, aut hactenus injuste perdiderit*. Infra: *Vavassoribus*.

(3) Cod. Esten. *cum Paribus suis veniant ante nostram præsentiam, & ibi causa juste terminetur. Si autem Pares ejus culpati in judicio Senioribus defecerint.*

(4) Cod. Esten. *Senior vero, aut Miles, qui culpatur, qui ad nos venire decreverit.*

(5) Cod. Esten. *in Regno, aut ante Seniores, aut* &c. Infra: *cum aliquis Miles, sive de Majoribus.*

(6) Cod. Esten. *& Abiatico*. Infra: *beneficium habeant*. Durat adhuc in Mediolanensium dialecto vox *Abiaticus* pro nepote ex filio, quod idem est ac *Aviaticus* quasi *Filius Avi*. In chartis quoque eadem occurrit.

(7) Cod. Esten. *Si forte Abiaticum ex filio non reliquerit, & fratrem legitimum ex parte patris habuerit, & Seniorem* &c. Infra: *& Miles ejus effici* &c.

(8) Cod. Esten. *aut per præcepta sive* &c. *Frodum vero, quod nostri Antecessores habuerunt* &c. Hic pro *Frodo* legendum *Fodro*, quo nomine significabatur annona militaris, sive victus, qui equis & copiis militaribus Regis, sive Imperatoris, ab Italici Regni Populo in eorum transitu erat ministrandus.

HEN-

HENRICI II. AUGUSTI LEGES.

HENRICUS SECUNDUS.

„ *Ne Clerici jurent, Lex præcipit ista secundi*
„ *Henrici Regis: huic Regi Clerus dicto pares ....*

Cap. I.

HEnricus divina pietate Secundus Romanorum Imperator Augustus. Quoniam in legibus (1) cautum est, ut nemo Clericorum jurare præsumat; alibi vero reperitur scriptum, ut omnes principales personæ in primo litis exordio subeant jusjurandum calumniæ: nonnullis legis peritis res venit in dubium, utrum Clerici jusjurandum præstare debeant, aut alii personæ hoc officium liceat delegare. Quia enim illius constitutionis edictum, ubi Clerici jurare prohibentur, a Marco (2) Augusto constitutum est, propterea quia de Constantinopolitanis Clericis promulgatum fuisse videtur, idcirco ad alios Clericos pertinere non creditur. Ut ergo hæc dubietas omnibus penitus auferatur, illam Divi Marci (3) constitutionem ita interpretari debere decernimus, ut ad omnium ecclesiarum Clericos generaliter pertinere judicetur. Nam cum Divus Justinianus jure decreverit, ut Canones Patrum vim Legum habere oporteat, & in nonnullis (4) Patrum Canonibus reperitur, ut Clerici jurare non audeant, dignum est, ut totus clericalis ordo a præstando jurejurando immunis esse procul dubio censeatur. Quapropter nos utriusque videlicet divinæ & humanæ legis intentione servata decernimus, & imperiali auctoritate inretractabiliter diffinimus, ut nec Episcopi, nec Presbyteri, nec cujuscunque ordinis clerus, non Abbas, non aliquis Monachus, vel Sanctimonialis, in quacunque controversia, sive criminali, sive civili, jusjurandum qualibet ratione compellatur subire; sed Advocatis suis propriis idoneis hoc officium debeant delegare. II. 47. 11.

II. Henricus divina pietate Secundus Romanorum Imp. August. (5) Decet Imperialem solertiam Reipublicæ curam ita agere, ut sic solicitetur erga præsentia, quatinus ea quoque diligenter provideat, quæ posteris sint utilia atque profutura. Id autem tunc satis competenter agitur, cum bonis virtutis præmium, impiis autem digna ultio, sibi ad vindictam, aliis ad exemplum recompensatur. Sed quoniam omnia, quæ mundus habet, humanum genus excellit, de ejus salute tanto præcipue curandum est, quanto manifestius constat, quod omnipotens quoque Deus pro redemtione eius Unigenitum suum Filium ab æterna sede divinitatis suæ in terram misit. Quapropter quoniam plerosque, proh dolor! veneficio ac diverso genere furtivæ mortis perire audivimus, super hoc, dum in Regno universali (6) conventu Longobardorum sederemus, hu-

(1) Cod. Esten. *Omnibus in Legibus cautum est, ut nemo Clericorum jurare præsumat*. Scilicet in foro, publicisque Sæcularium judiciis. Propterea iis concessum *Advocatos* adhibere, qui pro ipsis jusjurandum calumniæ offerrent. Vide supra Legem XVIII. Lotharii I. Augusti. Infra idem Cod. *Legis peritis venit in dubium*. Infra, *aliæ personæ*, pro *alii* seu *alteri personæ*, in Ms. quoque Estensi habetur.

(2) Locus omnino depravatus emendationem poscit. In Cod. Esten. legitur: *a Theodosio Augusto, Tauro Præfecto Prætorio de Constantinopolitanis Clericis* &c. Atqui in Codicibus Theodosiano & Justinianeo quum nulla talis Lex se mihi offerat, Goldasti conjecturam plane amplector, suspicantis hic legendum, *Marciano Augusto*. Propterea ita sequentia emendes: *Constantino Præfecto Prætorio de Constantinopolitanis* &c. Ejusmodi autem Lex habetur in Codice Justinianeo de Episcop. & Cleric Tit. VI. Lib. I. Lege XXV. *cum Clericis*: & de Clericis Constantinopolitanæ urbis ibi reapse agitur.

(3) Cod. Esten. *Divi Theodosii*. Sed restituendum, *Divi Marciani*. Tunc in Italia Romanorum Lege viventes utebantur Codice Justinianeo, Novellis, atque Institutionibus, quum Pandectæ abditæ forent, & sæculo tantum sequenti in usum revocatæ fuerint.

(4) Cod. Esten. *& in nullis Patrum Canonibus reperitur, ut Clerici jurare audeant, dignum est, ut totus Clericalis Ordo* &c. Infra: *& Imperiali auctoritate inretractabiliter diffinimus, ut non Episcopus, non aliquis Clerus* (id est, *Clericus*) *seu Monachus, vel* &c.

(5) In Cod. Esten. hæc ita efferuntur: *Henricus divina pietate Secundus Romanorum Imperator Augustus omnibus Langobardis*. Goldastus Legem hanc refert ad Annum 1042. Verum quum Henricus iste Anno tantum 1046. Imperiale diadema Romæ susceperit, Legem quoque ab eo jam Augusto constitutam ad posteriora tempora referendam vides.

(6) Et hæc emendanda ex Estensi Codice: *super hoc dum Turegi in universali* &c. Non aliud hic est *Turegum*, nisi ea civitas, quæ in Helvetiis *Zurich* appellatur, & quam *Tigurum* recentiores vocare consueverunt. Ibi non semel versatum Henricum inter Imperatores Se-

hujusmodi legem Episcoporum, Marchionum, Comitum, aliorumque multorum nostrorum fidelium consensu, & auctoritate nostra probari sancimus (1). Quicumque veneficio, seu quolibet modo furtivæ mortis aliquem peremerit aut consentiens fuerit, mortis sententiam incurrat, omniumque suarum rerum mobilium & immobilium facultatem amittat. Ita tamen, ut pretium x. librarum auri pro legitimo widrigild propinquis parentibus peremti præmium (2) detur; reliqua rursus medietas ejus propinquis veniat, altera autem medietas ad Fiscum accedat. Si quis vero prædicti criminis, aut de facto, aut de consensu accusatus negare voluerit, aut per duellum, si liber est, si vero servus, per judicium ferventis aquæ defendat se, aut in similem sententiam incurrat. Ad hoc autem volumus, nostraque Imperiali auctoritate sancimus, ut quicumque hominibus prædicti reatus refugium, aut subsidium aliquod præbuerit, omnis possessio ejus in publicum perveniat: ipse vero in nostram omniumque nostrorum indignationem incurrat. I. 9. 39.

III. Henricus divina pietate Secundus Romanorum Imperator Augustus omnibus hominibus (3). Quoniam nobis divinæ pietatis providentia Imperialis officii curam commissam credimus, nos quoque erga ea, quæ ad christianas religiones pertinent, & ad cultum justitiæ, jugiter solicitari debemus. Quapropter cum in Regni (4) universali conventu nostrorum fidelium Italicorum (5) sederemus, orta quæstione de illicitis conjugiis, consilio nostrorum Principum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Marchionum, Comitum, ac judicio Judicum, seu consensu omnium judicantium, hujusmodi sententiam diffinivimus, omnia scilicet, quæ sancti Canones, & sacræ leges nostrorum prædecessorum inde statuerunt, summa auctoritate confirmamus, & insuper nostro Imperiali jure addimus, ut quicumque seu in legitima ætate, sive infra legitimam ætatem uxorem duxerit, vel desponsaverit, si morte præventus fuerit, nulli propinquorum suorum liceat viduam, vel desponsatam illius uxorem ducere. Quod si quis hoc fecerit, tam mulier, quam vir, ex hac lege exhæredati sint, omniumque bonorum eorum amittant facultatem, & medietas propinquis parentibus hereditario jure, & altera medietas ad fiscum deveniat: & quicumque ex hujusmodi conjugio natus fuerit, ipse quoque, sicut & parentes sui, ex hac lege exheredatus sit. II. 8, 14. (6)

LOTHARII II. AUGUSTI
LEX.
LOTHARIUS II. IMPERATOR.

Divina (7) favente clementia Imperator Hlotharius Romanorum, pius, felix, inclytus, triumphator, semper Augustus, cum universo populo. Imperialis benevolentiæ proprium judicamus, commoda subjectorum investigare, & eorum diligenti cura mederi calamitatibus simul publicum bonum, & statum ac dignitatem Imperii omnibus privatis commodis

Secundum tradit Hermannus Contractus, eius Continuator, Annales Hildeshemenses, aliique Historici. At quoto re vera anno Comitia Regni ibi fuerint habita, neminem scribentem inveni.

(1) Editio Boherian. *probatam sancimus*. Infra Cod. Esten. *Quicumque veneficio, seu quolibet modo furtivæ mortis, aliquem peremerit, aut inde consentiens fuerit* &c. Ut enim supra vidimus, nondum ex Langobardicis Legibus indicta fuerat homicidis pœna capitalis.

(2) Cod. Esten. *primum inde detur; reliqui rursus medietas eisdem propinquis*. In fine: *Ipse vero nostram, omniumque nostrorum indignationem incurrat, nisi se defenderit, ut diximus*.

(3) Cod. Esten. habet tantummodo, *omnibus*. Fortassis addendum *Langobardis*, ut supra.

(4) In Cod. Esten. *Quapropter cum Turegi in universali* &c. Veri videtur simile, hanc etiam Legem, uti in eodem loco ac superior, ita eodem etiam anno ac tempore editam fuisse ab Heinrico Secundo.

(5) Cod. Esten. quoque: *fidelium Italicorum*, Infra: *Canones, vel sacræ Leges nostrorum Præcessorum inde statuunt, summa* &c. Infra: *omniumque bonorum eorum medietas ad Fiscum deveniat; altera vero medietas propinquis parentibus legitimis hereditario jure deveniat*.

(6) (*Nota Collect.*) Præter leges, quæ hic exhibentur, aliam quoque legem Henrico II. tribuit Lindenbrogiana editio, quam tamen ipse Lindenbrogius in castigationibus fatetur ab aliis Mss. deesse. Abest etiam a Codice Bibliothecæ Ducalis D. Marci. Lex autem ita se habet: *Henricus divina pietate II. Romanorum Imperator Augustus, omnibus. Decet Imperialem solertiam contemptorem suæ præsentiæ capitali damnare sententia*. II. 54. 3.

(7) Legem hanc minime exhibet Codex Estensis. Atque inde intelligas Legum Langobar-

dis præponere. Quocirca omnium fidelium nostrorum, tam futurorum, quam præsentium, noverit universitas, qualiter dum apud Roncalias (1) secundum Imperatorum antiquorum consuetudinem, pro justitia ac pace Regni componenda consederemus, omnia, quæ ad honorem Imperii Romani spectare videntur, solicite indagantes, perniciosam pestem, & Reipublicæ non mediocre detrimentum inferentem, resecare proposuimus. Per multas enim interpellationes factas ad nos didicimus, milites beneficia sua passim distrahere, ac ita omnibus exhaustis suorum Seniorum servitia subterfugere; per quod vires Imperii maxime attenuatas esse cognovimus, dum proceres nostri milites suos omnibus beneficiis suis exutos, ad felicem nostri nominis expeditionem minime transducere valeant. Hortatu itaque & consilio Archiepiscoporum, Ducum, Marchionum, Comitum Palatinorum, ceterorumque Nobilium simul, & Judicum, hac edictali lege in omne ævum Deo propitio valitura decernimus, nemini licere, beneficia, quæ a suis Senioribus habet, absque ipsorum permissione distrahere, vel aliquod commercium adversus tenorem nostræ constitutionis excogitare, per quod Imperii, vel Dominorum minuatur utilitas. Si quis vero contra saluberrima nostræ legis præcepta ad hujusmodi illicitum commercium accesserit, vel aliquid in fraudem legis machinari tentaverit, pretio ac beneficio se cariturum agnoscat. Notarium vero, qui super tali contractu libellum, vel aliud instrumentum conscripserit, post amissionem officii, infamiæ periculum sustinere sancimus. Datum VI. die mensis Novembris, Indict. XV. MCXXXVI. (2) III. 9. 9.

---

bardicarum collectionem illic descriptam præcedere Lotharii II. Augusti tempora. Verum quia habetur eadem Lex in editionibus Boherii & Goldasti, propterea retinendam duxi. Eam quoque habes editam Lib. II. Tit. LII. Leg. I. Feudorum. Ego descriptam do ex editione Dionysii Gothofredi, quippe reliquæ mendis scatent.

(1) Comitia hæc universi Regni apud *Ronchalias*, celebrem Placentini agri locum, memorat Landulphus a S. Paulo in Histor. Mediolan. & accuratissimus Sigonius Lib. XI. Regn. Italiæ. Habita autem fuere Anno Christi 1136. tum historia teste, tum ipsius chronologicis notis Edicti infra legendis, quæ in reliquis editionibus male se habent.

(2) In editionibus Boheriana & Goldastina desideratur Annus. Non dissimulabo, Sicardum Cremonensem Episcopum, qui sub finem ejusdem sæculi floruit, & Chronicon reliquit, ita scribere: *Anno Domini MCXXXV. idem victoriosus Imperator* (scilicet Lotharius III. inter Augustos II.) *Bassianum ceterasque terras circum depopulatus invasit, & Legem de Feudis edidit edictalem*. Petrus quoque Diaconus Lib. IV. Chron. Casin. in hanc Chronologiam convenire videtur. Nihil tamen immutare audeo, *Indictio XV.* quam editi omnes Libri habent, ad Annum tantummodo MCXXXVI. & ad Novembrem ejus Anni referri potest. Præterea Pagius alia congerit, quibus nonnulla addere mihi quoque liceret, ita ut non alio Anno quam 1136. censenda sit promulgata Lex ista.



TITULI OMNES

Quos Legibus Langobardicis præpoſuit BASILIUS JOANNES HEROLDUS in ſua Collectione Originum ac Antiquitatum Germanicarum Baſileæ apud Henricum Petri;

Et Ordo Legum ab ipſo editarum cum noſtris comparatus.

LEGES ROTHARIS.

Initium facit is Legibus Langobardicis, nullo præmiſſo Regis Rotharis Prologo, a ſequenti titulo:

De publicis criminibus, *ſub quo comprehendit noſtras leges* 1. 2. 3. 4. 5. 6. *&* 7.
De ſcandalo commiſſo *l.* 8. *&* 9.
De conſilio mortis: *a l.* 10. *ad* 12. *incl.*
De domino occiſo *l.* 13.
De Moroth *l.* 14.
De Rapovorfin *l.* 15.
De Rhai Raub *l.* 16.
Ne ad Regem venientibus injuria fiat: *a l.* 17. *ad* 19. *incl.*
De Exercitalibus: *a l.* 20. *ad* 25. *incl.*
De Uneguvorfin, id eſt Corbitaria: *a l.* 26. *ad* 29. *incl.*
De Marahuvorfi *l.* 30.
De Uvalapauz (*ſive, ut in altero Cod. legebat*, Euvalap t) *l.* 31.
De homine libero in nocte in curte alterius invento: *a l.* 32. *ad* 34. *incl. poſt quam Heroldus ſub eodem titulo ſequentes paragraphos edidit, qui non leguntur in noſtris Codicibus.*

Si quis in curtem alienam hoſte animo ingreſſus fuerit, XX. ſolidos componat ei, cujus curtis eſt.

Mulier curtis rupturam facere non poteſt, vel vueguorf, quia abſurdum videtur, ut mulier libera, aut ancilla, quaſi vir cum armis vim facere poſſit.

Si quis peculium ſuum de clauſura aliena tulerit occulte, & non rogaverit, componat curtis rupturam, id eſt vuegoranit ſolid. XX.

De ſcandalo in Eccleſia: *a l.* 35. *ad* 40. *incl.*
De homine libero battuto *l.* 41.
De homine libero ligato *l.* 42.
De ferita, aut percuſſura hominis liberi: *a l.* 43. ad 45. *incl.*
De compoſitione plagarum *l.* 46. *&* 47.
De oculo evulſo *l.* 48.
De naſo abſciſſo *l.* 49.
De labro abſciſſo *l.* 50.
De dentibus excuſſis *l.* 51. *&* 52.
De aure abſciſſa *l.* 53. *Poſt eam legem Heroldus legit alteram a nobis impreſſam numero* 56.
De plaga in facie *l.* 54.
De plaga in naſo *l.* 55.
De brachio transforato *l.* 57. 58. *&* 59.
De plaga in coxa *l.* 60. *&* 61. *art.* 1.
De numero plagarum *l.* 61. *art.* 2.
De inciſione manus *l.* 62. *ad* 67. *incl.*
De inciſione pedum: *a l.* 68. *ad* 74. *incl.*
De infante, qui in utero matris occiſus fuerit *l.* 75.
De aldiis & ſervis, & eorum plagis feritis. Et de illis viris, quos Miniſteriales dicimus, qui docti, & eruditi, & probati ſunt: *a l.* 76. *ad* 80. *incl.*
De oculo evulſo *l.* 82.
De naſo abſciſſo *l.* 81.
De aure abſciſſa *l.* 83.
De labro abſciſſo *l.* 84.
De dentibus excuſſis *l.* 85. *&* 86.
De brachio rupto *l.* 87.
De manu abſciſſa *l.* 88. *ad l.* 93. *incl.*
De coxa rupta *l.* 94.
De pede abſciſſo *l.* 95. *ad* 100. *incl.*
De plaga intra capſam *l.* 101.
De brachio, aut coxa transforata *l.* 102.
De ſervo ruſtico *l.* 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. *uſque ad* 127. *incl.*
De Medico *l.* 128.
De Aldio occiſo *l.* 129.
De ſervo miniſteriali occiſo *l.* 130. *&* 131.
De ſervo maſſario *l.* 132. *& l.* 134.
De paſtore occiſo *l.* 133. 135. *&* 136.
De infante maſſario occiſo *l.* 137.
De arbore communiter inciſo, & homine occiſo *l.* 138.
De veneno temperato: *a l.* 139. *ad* 142. *incl.*
De eo, qui poſt acceptam compoſitionem ſe revendicaverit *l.* 143.
De Magiſtris Comacinis *l.* 144. *&* 145.
De incendio: *a l.* 146. *ad l.* 149. *incl.*
De molino *l.* 150. *&* 151.
Si operarius a caſu moritur *l.* 152.
De gradibus cognationum *l.* 153.
De filiis legitimis, & naturalibus: *a l.* 154. *ad l.* 157. *ſequitu.* 158. 159. 160. 161. 162.
Quibus de cauſis pugna vitatur *l.* 164. 165. 166.
De fratribus, qui in caſa communi remanſerint *l.* 167.
De exhæreditatione: *a l.* 168. *ad* 171. *incl.*
De Thinx, quod eſt donatio: *a l.* 172. *ad* 175. *incl.*
De leproſis *l.* 176.
De eo quod cum Fara migrare permiſſum *l.* 177.
De ſponſalibus, & nuptiis: *a l.* 178. *ad* 182. *incl.*
De traditione puellæ, aut mulieris *l.* 183.
De Exenio nuptiali *l.* 184.
De inceſtis, & illicitis nuptiis *l.* 185.
De violentia facta mulieri *l.* 186. *&* 187.
De iis, quæ ſine voluntate Mundealdi ad maritum ambulant *l.* 188.
De fornicationibus *l.* 189.
De raptu ſponſæ alterius *l.* 190. *ad* 192. *incl.*
De libera ſervum ſequente *l.* 193.
De libero cum ancilla fornicante *l.* 194.
De crimine in puellam injecto *l.* 195. *&* 196.
De mundio retento *l.* 197.
De injuriis mulierum *l.* 198.
De viduarum ſucceſſione *l.* 199.
De Parricidio. *Leges hujus tituli ab Heroldo editæ in editione noſtra leguntur numero* 163.
De occiſione mulieris *l.* 200. *&* 201.
De muliere aſto occiſa *l.* 202.
De muliere maritum occidente *l.* 203. *&* 204.
Mulierem liberam ſine mundio eſſe non poſſe *l.* 205.
De violentia, & raptu ſervili: *a l.* 206. *ad* 211. *incl.*
De adulterio *l.* 212. *&* 213.
De crimine adulterii injecto *l.* 214.
De nuptiis abſque conſenſu parentum *l.* 215. *&* 216.

De

De conjugiis aldiorum, & servorum *l. 217. ad 222. incl.*
De ancilla matrimonio gratiata *l.* 223.
De eo, qui sine hæredibus moritur *l.* 224.
De manumissionibus *l.* 225. *ad* 229. *incl.*
De emptionibus, & venditionibus, & præscriptionibus *l.* 230. *ad* 232. *incl.*
De mancipio comparato *l.* 233. *& seq.*
De caballo comparato *l.* 235.
De servo nihil emendum *l.* 236. *ad* 239. *incl.*
De terminis effossis, & signo moto *l.* 240. *ad* 243. *incl.*
De snaida in sylva alterius facta *l.* 244. *& seq.*
De Falsariis *l.* 246. *& seq.*
De muri religione *l.* 248.
De pignorationibus, & debitis *l.* 249. *ad l.* 257. *incl. sed in edit. Heroldi non legitur l.* 255. *quæ est in nostra.*
De furtis *l.* 258. *ad l.* 307. *incl. sed in editione Heroldi non leguntur nostræ leges* 282. 283. 284. *&* 285.
De damno dato *l.* 308. *ad* 311. *incl.*
De eo, qui cum armis alterius damnum fecerit *l.* 312. *& seq.*
De venatoribus, & damno, quod per eos acciderit *l.* 314. *ad* 326. *incl. postquam Heroldus edidit eam legem, quæ nobis est* 334.
De pauperie *l.* 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 382.
De Porcario battuto *l.* 357. *& seq.*
De campo alieno arato *l.* 359. *ad* 362. *incl.*
De iterantibus *l.* 363.
De sacramentis *l.* 364. *ad l.* 368. *incl.*
De debitis patris mortui *l.* 369. *& seq.*
De Uvaregang, *sub quo titulo legit Heroldus hoc loco legem* 390. *& ultimam Rotharis in editione nostra,*
De Campionibus *l.* 371.
De causis Regalibus *l.* 372.
Si servus Regis morth fecerit *l.* 373. *ad* 376. *incl.*
De Sculdahis *l.* 377. *& seq.*
De conviciis Aldiarum *l.* 379.
De Monoculis *l.* 380.
Si libera mulier in scandalum incurrerit *l.* 381,
De peculio *l.* 383.
De eo, qui alii Arga dixerit *l.* 384.
De injuriis liberorum *l.* 385. *ad* 387. *incl.*
De Mundio puellæ: *sub hoc tit. Heroldus legit unicam legem* 388. *mox addit Perorationem Regis Rotharis, quæ, paucis variantibus, concordat cum editione nostra ex Cod. Mutinensi.*
Sub Additionis tandem nomine subjungit l. 389. *sub titulo*: De homicidio non voluntate facto; *& mox nostram conclusionem legum Rotharis sub alio titulo*: De malis finiendis, & finitis.

LEGES GRIMOALDI.

PROLOGUS.

De triginta annorum usurpatione *l.* 1. 2. *&* 4.
De culpa servorum *l.* 3.
De successione nepotum *l.* 5.
De uxore dimissa *l.* 6. *&* 7.
De nuptiis illicitis *l.* 8.
Ancilla si aliquid furata fuerit *l.* 9.

LEGES LIUTPRANDI.

Prologum Liutprandi Regis uberiorem edidit Heroldus. cujus hæc sunt verba:

Leges, quas Christianus & Catholicus Princeps instituere & prudenter censere disponit, non sua prudentia, sed Dei nutu, & inspiratione eas animo concepit, mente pertractat, & salubriter opere complet, quia cor Regis in manu Dei est, attestante sapientissimo Salomone, qui ait: Sicut impetus aquæ, ita cor Regis in manu Dei: si tenuerit eas, omnia siccabuntur; si autem clementer eas emiserit, universa irrigantur, & replentur suavitate Equidem & Apostolus Domini Jacobus in epistola sua ita edidit dicens: Omne donum optimum, & omne datum perfectum de sursum est descendens a Patre luminum. His ergo expletis recolimus &c. *ut in nostro, paucis variantibus.*

De successione filiarum: *a l.* 1. *usque ad* 4. *incl.*
De potestate parentum in filias *l.* 5.
De ultima voluntate *l.* 6. *&* 7. *post quam Heroldus hæc addit*: Quæ denique universa superius a celsitudine nostra instituta, Prothonotario nostri palatii comprehendenda & ordinanda præcipimus; *quæ in nostra emendatiora leguntur ad calcem lib. II.*

LEGES LIUTPRANDI ANNI REGNI EJUS V.

PROLOGUS.

De Morgincap *l.* 1.
Qualiter se quisque defendat *l.* 2.
De manumissionibus *l.* 3. *&* 4.
De servis *l.* 5.
De illicitis nuptiis *l.* 6.
De homicidiis liberorum *l.* 7.
De successione aliter *l.* 8.

LEGES LIUTPRANDI ANNI REGNI EJUS VIII.

PROLOGUS.

De Wadiis & fidejussoribus *l.* 1. *&* 2.
De Parricidiis *l.* 3.
De negotiatoribus, vel magistris *l.* 4.

LEGES LIUTPRANDI ANNI REGNI EJUS IX.

PROLOGUS.

De ætate legitima *l.* 1.
De homicidiis liberorum *l.* 2. *&* 3.
De muliere vendente res suas, consentiente marito *l.* 4.
De manumissione *l.* 5.
De muliere libera, quæ servum tulerit *l.* 6.
De causa Sculdahis nota facta *l.* 7. 8. *&* 9.
De justitia recusata *l.* 10. *& seq.*

LEGES LIUTPRANDI ANNI REGNI EJUS XI.

PROLOGUS.

De feminis, quæ velamen accipiunt *l.* 1.
De raptu mulierum *l.* 2.
De iis, qui illicito matrimonio nati sunt *l.* 3. 4. *&* 5.
De eo, qui contra judicem seditionem levaverit *l.* 6.
De Wadiis, & pignoribus *l.* 7. *ad* 12. *incl.*
De Triuvis datis, & ruptis *l.* 13.
De donationibus, & emptionibus *l.* 14.
De servis fugacibus *l.* 15.
De stalaria capulata *l.* 16.
De invasionibus *l.* 17. *&* 18.
De non suæ rei venditione *l.* 19. *&* 20.
De servo in sacramentum misso. *l.* 21.
De manumissione *l.* 22. 23. *&* 24.

LEGES LIUTPRANDI ANNI REGNI EJUS XII.

PROLOGUS.

De donationibus *l.* 1.
De servo aamund facto *l.* 2.
De furtis *l.* 3.
De debito *l.* 4.
De infante res suas intra ætatem venundante *l.* 5. *&* 6.
De fornicatione aldii *l.* 7.
De Wadiis de sacramento fugientibus *l.* 8.
De eo, qui se defendendo liberum hominem occiderit *l.* 9.
De testimoniis falsis *l.* 10.
De furtis servi: *sub hoc titulo Heroldus hæc legit, quæ in nostris MSS. desiderantur:*

Hoc etenim rectum nobis paruit eſſe, de his ſervis, qui in furto comprehenduntur, ut in anteriore edicto legitur, quod aut occidatur aut redimat eum dominus ſuus, ut dictum eſt, ſolid. XL. & ſi eum redimere non voluerit, ipſe dominus eum occidat.

Et ſi dominus ejus noluerit eum occidere, occidat eum ille, qui eum comprehenſum tenet.

Et ſi nec ille voluerit, tunc accipiat eum curtis noſtra, & quomodo noſtra juſſio fuerit, de eo debeat ordinare.

Ipſe dominus ejus componat, ſicut edictum continet, cui furtum ipſum fuerit.

Mox habet:

LEGES LIUTPRANDI REGIS DE ANNO REGNI EJUS XIII.

Quibus inſcribitur hic Prologus.

Lutprand in Chriſti nomine Rex gentis Langobardorum, anno Regni mei XIII. die Calendarum Martiarum Indictione VIII. dum rememoraſſem quod venientes homines noſtri in præſentiam noſtram adduxerint cauſas, inter ſe altercantes, quæ nec per uſum fuimus certi ad terminandum, nec in edicti corpore anteriori incerto. Proinde prævidimus eas uſque ad ſupraſcriptum diem Cal. Martiarum ſuſpendere, dum uſque noſtri ad nos conjungerentur Judices, & una cum ipſis aliquid certum & ſtabile deberemus imponere, unde poſtea nulla eſſet intentio.

Quid pater neceſſe habeat filiis relinquere *l.* 11.
De adulterio *l.* 12.
De cautione facta, & nihil obligato *l.* 13. 14. *&* 15.

Poſt hanc Heroldus initium facit legibus Liutprandi anni Regni ejus XIV. præmiſſo ſequenti Prologo.

Jam quidem octies in antiqui edicti corpore aliqua prævidimus augmentare capitula, quæ nobis, & noſtris Judicibus, atque Fidelibus ſecundum Deum recta comparuerunt. Nunc quidem eo quod multæ cauſæ ad efficiendum incognitæ erant, quas alii per conſuetudinem, alii per arbitrium judicare æſtimabant, prævidimus, ut nullus error eſſe deberet, ſed omnibus manifeſta clareſcat lex. Ideoque hoc ſtatuimus, annotare capitula anni ſcilicet Regni noſtri Deo largiente XIV. Calend. Martiarum Indictione IX. Quin etiam Judices & Fideles noſtri de partibus Thuſciæ & Neuſtriæ nobiſcum adfuerunt, & hæc omnia inter ſe collocuti ſunt, & nobis renunciantes nobiſcum pariter ſtatuerunt, atque definierunt, & cum præſentialiter fuiſſent capitula iſta relicta, omnibus placuerunt, & præſentem ad ſenſum ſtatuerunt nobiſcum ut nihilominus per ordinem ſcriberentur.

De quadraginta annorum poſſeſſione fratrum *l.* 16.
De aſto compellato *l.* 17.
Si quis alii conſilium dederit perjurandi *l.* 18.
De Thinx, ſive Launegild *l.* 19.
Si infans res ſuas dividat, aut cauſas agat *l.* 20. *&* 21.
De religioſa fœmina *l.* 22.
De Thinx fratrum *l.* 23.
De poſſeſſione a publico *l.* 24.
De equo empto *l.* 25.
De Furonibus qualiter lex ordinat *l.* 26.
De furtis *l.* 27. *&* 28.
De Exercitalibus *l.* 29.

Sequuntur inde leges Liutprandi anno Regni ejus XV. quibus hic eſt Prologus.

Jam enim novem vicibus illud antiqui Edicti corpus augmentare prævidimus, quæ credimus Deo, & nobis hominibus placita eſſe. Modo quidem una cum noſtris Judicibus, & reliquis Longobardis Fidelibus noſtris die Calendarum Martiarum, anno Chriſto protegente Regni noſtri XV. Indictione X. iterum pro quietudine pauperum, & omnium Longobardorum Fidelium noſtrorum tranquillitate, proſpeximus in Edicti corpore illa adjungere, unde antea erat incerta definitio. Quoniam alii volebant per uſum, alii per arbitrium judicare. Sed melius nunc eſt ut illo imponatur terminus, unde noſtri ſubjecti fatigentur, & qualiter omnium unus fuit una nobiſcum conſenſus, ita amodo, & in futuro debeat permanere. Primum omnium ſtatuere prævidemus pro Chriſtianæ & Catholicæ legis defenſione, quatenus nullus a Fide Chriſti aberrare præſumat, ſed firmiter in ea permaneat, ut Deum poſſemus habere defenſorem, atque propitium.

De iis, qui ad Ariolos ambulaverint *l.* 30. *&* 31.
De caballo in damno invento *l.* 32.
De ſervo, qui res domini ſui naufragaverit *l.* 33.
De ſervo fugaci *l.* 34.
De meta conjugi data *l.* 35.
De rebus alienis malo ordine poſſeſſis *l.* 36.
De ſcribis *l.* 37.
Si liber homo in terra alterius ceciderit *l.* 38.
De Mundiata in ſacramentum miſſa, & Frea alterius mota *l.* 39. *&* 40.
De Ancilla pro religione mutata *l.* 41. *Poſt eam, finem facit Heroldus legibus anni XV. Liutprandi per hanc concluſionem:*

Hæc autem omnia, quæ modo in præſentis Edicti corpore adfiximus, ſi deinceps cauſa emerſerit, ſic debet fieri terminatio, ſicut nunc ſtatuere viſi ſumus. Quæ autem antea emerſerint, ſic determinentur, ſicut anterior inſtitutio fuit.

Incipiunt inde leges anni XVI. præpoſito ſequenti Prologo.

Pluribus jam quidem vicibus in antiqui Edicti corpore ea adjungere curavimus, quæ pro ſalute animæ & gentis noſtræ ſalvatione eſſe proſpeximus. Nunc alia, quæ ſimili modo eam conſiderantes, ſecundum Deum recte eſſe cognovimus, ut nec perjuria, nec jurgia inter noſtros emergant fideles. Prævidentes una cum noſtris Judicibus atque fidelibus Longobardis, die Calendarum Martiarum, anno, Deo favente regni noſtri XVI. Indictione XI. hæc, quæ ſequuntur, addere curavimus.

De his, quæ ob cauſam dantur *l.* 42.
De eo, qui pulſat pro Aldio *l.* 43.
De ſervi nuptiis *l.* 44.
Infantem regi non poſſe donare *l.* 45. *Poſt hanc incipiunt leges anni XIX. nullo præmiſſo Prologo.*
De ſponſalibus infantis prohibitis *l.* 49. *&* 64.
De Sanctimonialibus *l.* 47.
De donatione *l.* 48.
Infra quod tempus permiſſum eſt viduis velum vel maritum accipere *l.* 46. *Hinc incipiunt leges anni regni Liutprandi XVII. niſi Typographus erraverit, cum antea Heroldus ediderit leges anni XIX. Nullus etiam hic Prologus.*
De ſervo, qui aliam uxorem ſuperinduxerit *l.* 50. *cui hanc addit*: ut nec uxor a viro dimiſſa alium accipiat virum vivente viro: nec vir aliam, vivente priore uxore.
De illegitimis hæredibus admiſſis *l.* 51. *&* 52.
De Aldia libero ducta *l.* 53.
De contractibus *l.* 54.
De pignore, & debito *l.* 55.
De animalibus pignoratis *l.* 56.
De ſervo pignori damnum faciente *l.* 57.
De ſervo per colludium deprehenſo *l.* 58.
Puellam ante ætatem legitimam non poſſe nubere *l.* 59.
De licentia filiis teſtandi *l.* 60.
De puella ſine voluntate parentum nupta *l.* 61.
De re falſo poſſeſſa *l.* 62.
De terra commutata *l.* 63.
De Monomachiis *l.* 65.

De

Si servi, per consilium rusticanorum, manu armata in vicum intraverint ad malum faciendum, & quicumque homo liber sub Regni nostri ditione positus cum illis consiliatus fuerit in capite, animæ suæ incurrat periculum, aut certe componat solid. DCCCC. medium Regi, & medium ei, cui injuria illata fuerit.

Servi enim, qui cum ipso sunt ex eodem consilio, unusquisque componat solid. XL. medium Regi, & medium cui supra diximus.

Et si liber homo in capite non fuerit, ille prior servus, qui eos conduxit, moriatur.

Servi vero reliqui, qui cum eo fuerint ex eodem consilio, unusquisque servus XL. solidos pro eo componat, medium Regi, & medium cui malum fecerit.

Si pro quacumque causa homines rusticani se collegerint, id est consilium, & seditionem facere præsumserint, & cuicumque se antepo-suerint, aut mancipium, aut peculium de manu tulerint, quod de casa servi sui dominus tollere voluerit, tunc ille, qui in capite fuerit ex ipsis rusticis, moriatur, aut animam suam redimat, quantum appretiatus fuerit.

Et unusquisque, quod in ipsam seditionem cucurrerit ad malum faciendum, componat solidos XII. medium Regi, & medium cui injuria illata fuerit, aut se anteponere præsumserit.

Et si ille, qui rem suam quærere, aut exigere videatur, ab ipsis rusticis feritas aut plagas factas habuerit, sicut superius statutum est, ei componatur.

Nam pro præsumtione tantum pœnam suprascriptam patiatur.

Et si aliquis ex ipsis rusticis occisus fuerit, non requiratur, quia ille, qui eum occiderit, se defendendo, & res suas vindicando hoc egerit.

Placuit nobis inserere, ubi lex deest, præcellat consuetudo. Nulla consuetudo superponatur legi.

Si Aldius cujuscumque cum libera muliere aut puella fornicatus fuerit, componat sol. L. ei, in cujus mundio fuerit, & illa reputet vitium suum, pro eo quod Aldio consenserit.

LEGES RACHIS,

Quibus Heroldus nullum præmisit Prologum.

LEGES AISTULPHI REGIS;

Quibus etiam nullum Prologum præmisit.



FRIDERICI LINDENBROGII
VARIÆ LECTIONES ET NOTÆ
IN LEGES LANGOBARDORUM.

NB. *Leges juxta Capitulare hic allegatas, ope infra poſiti Elenchi, Lector nullo negotio in Editione noſtra reperiet.*

LIBER I.

Tit. I. L. 4. *Siquis Scameram*) Quidam Mss. *Scameras*. al. *Scaram*. al. *Scamuram*.

Tit. II. L. 7. *Si ſervus in alia civitate ſcand.* Vulg. *Si ſervus in alia civitate in qua ſcand.*

L. 8. *Morth.* Ita 3. Mss. vulg. *morte*.

9. *Vel xenodochia*) deeſt Ms.

Tit. III. L. 1. *Quia poſtquam corda Regum in manu*) Ita Mss. 2. al. *Quia cor Regis, poſtquam in* &c.

Tit. VII. L. 2. *Non ad manus*) Ms. *non ad manum*; forſan verius, *non ad majoris*.

6. *Per hunc numerum*) al. *per hunc modum*.

9. *Intra capſum*) Ms. *intra caſum*.

10. *Si plagæ fuerint*) Hæc uſque ad L. 11. in Mss. 2. deſunt.

Tit. IX. L. 1. *Se adunare ut in unum*) al. *ſe adjuvare in unum ut comp.* Vid. infr. Tit. XXV. L. 12.

3. *Pluslaib*) Mss. 2. *pertub.*

6. *Siquis alii venenum*) Tota hæc Lex in uno Ms. deeſt

7. *Pro quanto appretiati fuerint, ad occidendum tradantur*) Ms. *aut æſtimationem ſolvat, aut morti dedat ſervum.*

Hominem integrum) Vulg. *mortuum integrum.*

9. *Aut materiæ lapſu, aut lapidis mori*) al. *aut materiam, aut lapide lapſo mori.*

12. *Faderphium*) al. vet. *fadelphium*.

19. *Ambulaverit*) Ms. *adſilierit*. *Nam ſi amplius habuerit ſubſtantiæ quam ipſa*) Ms. *Nam ſi amplius habuerit ſubſtantiæ ipſe homicida, quam ipſa* &c.

21. *Ipſa quantitas conſideranda*) Ms. *ipſa qualitas conſid.*

22. *Siquis liber homo*) In uno Ms. hæc lex deeſt.

27. *Si liber eſt natus presbyter*) Tò *presbyter* Mss. 2. deeſt.

Secundum illius nativitatem) Mss. *ſecundum illius nationem*. Sic infra Tit. 16. l. 2.

28. *Ac patricii Romanorum*) Hæc verba Ms. deſunt.

29. *Siquis ex levi cauſa*) Lex eſt Hludovici Imp., quam iiſdem verbis mox poſt repetit Imp. Hlotarius infra l. 35. hoc Tit., quæ & in Mss. omnibus bis poſita fuit.

Tit. XI. L. 3. *Ruſticanum, qui ſub maſſario eſt*) Ms. *ruſticanum maſſarium.*

4. *Bubulcum de ſala*) Ms. *bubulcum ſubmaſſarium.*

5. *Ruſticanum, qui ſub maſſario eſt*) al. *ſervum alienum maſſarium.*

6. *Siquis porcarium*) Ms. *ſiquis pecorarium*, & ita infra l. 7.

9. *Perpetrare viſus fuerit*) Ms. 1. *perpetrare juſſerit*. Vulg. *perpetrare juſſus fuerit.*

Tit. XIV. L. 6. *Regi, & Duci ſuo*) Ms. *Regi ſuo.*

9. *Legem, & ovvam*) Ita Mss. In vulg. *legem, & totum.*

11. *Siquis meſſem*) Ms. *ſiquis meſſem inboneſtam, aut annonam ſuper bannum rap.*

13 *Per vvadiam*) Ms. *per vadimonium.*

Propter heribannum. Ms. *propter bannum in ſervitio traditur.*

16. *Ad palatium*) Ms. *ad placita.*

Tit. XVII. L. 1. *Comp. ſol. DCCC.* Vid. infr. Lib. 2. Tit. 2. L. 5., & Ivonem Carnot. Decret. parte XIII. p. 380.

2. *Conſilium ruſticanorum*) Tò *ruſticanorum* ab uno Ms. abeſt.

Servi vero reliqui) Ms. *reliqui, qui cum ipſo fuerint, componat unuſquiſque, ut ſupra.*

5. *Fuſtare per vicos vicinantes*) Vulg. *fruſtrare per vicos civitatis ipſius loci.*

Mulierum collectionem) Ms. *mulierum compoſitionem.*

7. *Gildoniam*) Ms. *De ſacramentis pro gildoniis* &c. al. *De ſacramentis per gildones.*

8. *Bannum noſtrum ſolvere cogantur, id eſt LX. ſol. comp.*) Ms. *bannum noſtrum ſolvere cogantur, inſuper damnum, & homicid.*

9. *Obligationem, adunationem*) Ms. *obligationem homo adunationem.*

Tit. XVIII. L. 1. *Expellere quæſierint*) Ms. *expellere ſine Regis voluntate quæſierint.*

Blutaverint) Vulg. *brutaverint.*

2. *Zanas*) al. *Tanas*. al. *avas*.

Tit. XIX. L. 1. *Quod eſt ſibi tertia ſub æſt.*) Ms. *quod eſt, ſtertiam ſub.* &c.

2. *Foculare*) Ms. *foculario.*

3. *Sicut appretiatum*) Ms. *ſicut arbitratum.*

4. *Molinum*) Ms. *molendinum.*

5. *Ab ſtoliſatz.*) Ms. *ab aſtolizaz.* al. *abſt-rizat, id eſt, ab infertore.* Vulg. *ab autorizat.*

6. *Ploum*) al. *plonum*.

7. *Scapellaverit*) Ms. *inciderit, vel ſcapellaverit.*

Tranicem) Ms. *travicem.*

8. *Si quis roborem*) Vulg. *ſi quis roborem, cerrum, ſeu quercum, quod eſt* [illegible] &c.

Modo laiſcum) al. Ms. *modo flaiſco.*

Glandem, quod eſt faia Ms. *glandem, quæ eſt fagia*, al. *glande flea.*

10. *Si caballus*, al. *ſiquis caballum, aut quodlibet peculium in clauſura alterius intus ſaliendo ſe impalaverit.* &c.

11. *Quodlibet pecus inciderit*) Ms. *quodlibet pecus ibidem ceciderit* &c.

12. *Communis omnium utilitatib. invenilis eſſe*) Vulg. *communis omnium eſt utilitatis.*

13. *Qui non rugit*) Ms. *qui non ruit*. In vulgatis Codd. neutrum habetur.

Intricaverit) Vulg. *inſtringaverit.*

14. *Cignum*) Ms. *cinnum*, al. *cicinum.*

16. *Die damnum facientem*) Ms. *die in caſa ſua dam. fac.*

17. *Simul & quod in utero ejus mortuum eſt*) Alius cod. Ms. *ſimul & quod in utero eſt.* Vulg. *ſimul & pecus.*

17. *Pro capite*) Ms. *per caput.*

25. *Diſturbaverit*) Ms. *ſtirpaverit.* & infr. *deſtirpaverit* ἀντὶ τοῦ *diſturbaverit.*

Aratraib, id eſt, ſibi tertiam) Editio Germ. *Haritrabib.* Ms. 1. *Vltraip.*

26. *Stallariam*) Ms. *ſtellariam.*

Tit. XXII. L. 1. *Se ab ea tornaverit*) Ms. *ab ea reverſus fuerit.*

2. *Taliola*) Vulg. *tanola*, & ita L. 4.

4. *Armum cum in VII. coſtis*) Vulg. *latus cum*

ſex

sex costis.
Tit. XXIII. L. 1. Sibi alterum similiter reddat) Vulg. sibi nonum red.
5. Si quis carrum) Vulg. si quis currum.
7. Nam si ille homo, qui porcos &c. Vulg. nam si ille homo tollit ipsos porcos, & amplius miserit asto animo suos, aut alienos in defensata sylva.
Ipsius domini reddat) Ms. ipsius domini introiisse, reddat.
Tit. XXV. L. 3. Sibi nonum) Ita Ms. Vulg. semper, sibi novum.
6. Sed vitium suum sibi reputet) Vulg. & vitio suo rep.
12. Adunare) Vulg. adjurare. Vid. supr. Tit. 9. L. 1.
13. Fugere de ligamine præbeat) Ms. fugere de ligamine, fugæ præb. sacr.
18. Sacramentum solus sine aliis sacramentalibus ad Evang.) Vulg. sacramentum singulus ad Evang.
20. Actor Regis post secundam) Ms. actor Regis ipsum mancipium post secund.
23. Cælaverit, & mandare) Ms. cælaverit, aut annonam dederit, & mandare.
27. Scindulas) Mss. scandolas.
29. Sua re) Ms. sua utilitate.
30. Der zen) Ms. Niderz.
33. Bove junctorio) Vulg. bove vinitorio.
Fegangi) Ita Mss. 2. al. finganoli, Vulg. feugandi.
37. De gaio) Ms. gagio, & ita infr. L. 38.
47. Sonopair) Ms. sonorpan, al. sonorphair, al. sonorpair.
54. Cædat per disciplinam) Ms. decalvet eum, & disciplinet, sicut decet, &c.
58. Si quis liber homo) To liber Vulg. deest.
Non eum retulerit) Ms. non eum recollegerit.
59. Fegangi) Ms. fengangi, Vulg. feugangi.
60. Scandalum, aut plagas) Ms. scandalum, aut homicidium, aut plagas.
62. CXXV. ictuum percussionib. vapuletur) Ms. CXX. ictus accipiat. Alius Ms. viginti ictuum percussionibus vapuletur.
64. Non patiantur) Ms. non recipiantur.
68. Pacem faciendam) Ms. pacem confirmandam.
69. Traditus est, comp.) Ms. traditus est, pro larione comp.
70. In præsentia judicis) Ms. in præsentia Comitis.
Vel latro) Ms. deest.
73. Inventi fuerint, una cum misso) Ms. inventi fuerint, ipse, apud quem fuerint inventi, una cum misso.
77. Potestatem, propter) Ms. potestatem, volumus, ut propter hoc nullum, &c.
83. Præcipimus) Tota hæc Lex in Mss. deest.
Tit. XXVI. L. 2. Ruperit) Ms. effoderit. Alius Cod. mutaverit.
Theclatura) Ms. teglatura.
5. Fecerit, & suam) Ms. fecerit aut deleverit, & suam probare non potuerit.
Tit. XXVII. L. 1. Omnem operam) Ms. omnia opera sua.
12. Sine lege) Ms. sine legali judicio.
Tit. XXVIII. L. 2. LX. sol.) Ms. XL. sol.
LX. ictus) Ms. XL. ictus.
Tit. XXX. L. 2. Si virum) Vulg. si unum.
3. Parentibus mulieris, &c.) Ms. parentibus puellæ, aut viduæ, aut ad quem mundium de ea pertin.
10. Et secutus eam dominus fuerit, aut quicumque) Ms. & sequenti domino, & cuicumq. ex, &c.
13. Legem suam comp. & insuper bannum nostrum, id est LX. sol. persolvat) Ms. legem suam comp. id est LX. sol., aut in præsentia, &c.
14. Qualem voluerit) In Vulg., & glossemate interlineari additur, aut potuerit.

15. Alii, cui voluerint) Vulg. & aliis si noluerint, nubant, in glossemate interlineari additur, se si non consenserint.
In viatico non deneg.) Vulg. in viatico pro misericordia non deneg.
Tit. XXXIV. L. 2. Inscriptionis titulo) Ms. alienationis titulo.
Tit. XXXV. L. 1. Judicium Franc. &c.) Ms. judicium Francorum in publicum fuerunt revocatæ, teneat secundum legem in testimonio non suscipiatur, nec inter scabinos ad legem judicandam non teneat. Et si sac.
Tit. XXXVI. L. 2. In via antesteterit) Vulg. ante viam steterit.
3. Fegangi) Mss. feugangi, Vulg. fingandi.
4. Vecorin) Ms. vecorint.
Mervvorphin) Vulg. memorphin. Ms. meripfin.

LIBER II.

Tit. I. L. 8. Per garathinx, id est, per libertatis donationem, vel per gratuitam donationem, id est, morgengab.) Ita Ms., quæ tamen verba in Vulg. desunt.
Tit. IV. L. 3. Methio) Ita Ms. Vulg. mephio. Ms. mphio.
Tit. VI. L. 4. Aliorum religiosorum sacerd.) Vulg. aliorum suorum sac.
Tit. VII. L. 1. Et lege patris vivunt) Ita Ms., quæ tamen verba in Vulg. libb. desunt.
Tit. VIII. L. 1. Matrinam) Ms. matrincam.
2. Ad justum tempus) Ms. ad suprascriptum tempus.
4. Deo annuente) Vulg. Deo adjuvante.
5. Item hoc censemus) Vid. Canon LIII. in Trullo Synodi VI.
6. Colludium) Ms. ingenium.
7. Si quis miser, & insipiens) Vid. infr. Tit. 55. L. 16. supr. lib. 1. Tit. 32. 31. Quæst. 1. c. 2. Illud vero, & seqq.
10. Ita plane ut si contigerit) Mire hic variant Mss. Codd. In uno sic legitur: Ita plane, ut si contigerit puerum adultum esse, & puellam parvulam conjugatam: & contrario, si puella maturæ ætatis sit, & puer sit teneræ, & per virum cogn. &c. Alius Ms. Codex: Ita plane, ut si contigerit puerum adultum esse, & puellam parvulam, per virum cognata, & socrus deprehendantur adulteræ: e contrario, si puella maturæ ætatis, & puer tener; & puerum adultum cognata, & socrus comprehendantur adulteræ, & propter puellam &c. Post hanc Legem interponitur in Ms. Lex Guidonis, ut sponsam alterius nemo recipiat desponsatam.
11. Episcopali autoritate) Ms. apali autoritate.
Tit. IX. L. 3. Ad palatium repl.) Ms. in publicum repl.
Tit. X. L. 1. Potestate viri, aut potestate curtis Regiæ debeat) Ms. potestate virorum, sive minorum, aut certe Regia debeat.
Tit. XI. L. 3. Si quis mundium &c. unus Ms. Cod. Si quis mundium de puella libera, aut muliere habens in potestate, & crimen ei injecerit, quod adultera sit, tunc amittat, &c.
Tit. XII. L. 2. Nam amplius nullam rem consequatur) Ms. Nam amplius non requiratur, sed vitium suum, &c.
6. Amond fecerit) Ms. amond, id est, extraneam fecerit.
Tit. XIII. L. 6. Sola religiosa) Vulg. sola religione.
Tit. XIV. L. 1. Uniuscujusq.) Vulg. unusquisque.
2. Si sex fuerint) Totus hic locus ad finem usque Legis in Vulg. Codd. deest.
5. Quod est threus) Ita Mss. Vulg. qui est trenuis.
8. Pro mundio autem suprascriptarum) To suprascriptarum Vulg. deest.
11. Quando alter uxorem tulerit) Ms. quando alteri fratres uxorem duxerint.

15. Methium) Vulg. mephium.
Faderſio) Ms. feldaſio.
24. Nam de rebus ejus aliud nihil percipiant) Hæc verba Vulg. deſunt.
25. Cadarfreda) Ms. 1. Cadarſida. Vulg. cadarfedra.
Nepotum ſucceſſionem) Ms. nep. poſſeſſionem.
Deceſſerint inteſtati abſque filiis, & filiabus, & ſorores) Vulg. deceſſerint & ſorores, &c.
Tit. XV. L. 2. Lidolaip) Ms. 1. ladolaip. al. Ms. lidopaib.
Thingaverit: Ecce) Ms. thingaverit, & nunciet. Ecce.
4. Launechild) Vulg. lannechild, & ita ſemper.
5. Si ipſi ſuperſtites fuerint. Ms. ſuperſtes fuerit.
In loco ſacro) Vulg. loco ſanctorum.
Tit. XVIII. L. 4. Facere traditiones) Ms. facere donationes.
6. Infra XXX. noctes) Ms. infra XL. noct.
Tit. XX. L. 1. Nullam donationem, ne per launech.) Ms. nullam donationem, nec per thinx, nec per launech.
Tit. XXI. L. 1. Uſque tertio) Vulg. uſque in tertium diem.
2. Antequam eum tertio pulſaverit) Ms. ante trinam conteſtationem.
3. Pro quolibet debito) Hæc verba Vulg. deſunt. Vide Caſſiodor. 4. Variar. cap. 1. C. ne filius pro patre. Conſtit. Neapol. Tit. de cult. pac.
8. Vaccas, aut pecora) Ms. vaccas, aut oves.
22. Cartam convenientiæ) cartam de conventione.
23. Si quis a convenientia) Tota hæc Lex in Mss. 2. deeſt. Vide quæ habentur Inſtitut. Lib. 4. Tit. I.
24. Diebus LX. nam ſi ſuper LX.) Ms. diebus XL. nam ſi ſuper XL.
25. Per LX. ex illa parte) Ms. per XL. ex illa parte. Atque ita infra quoque in hoc nomine variatur.
30. M. publici eos contra Legem audeant pignorare ſcilicet in bubus, quia &c. Ita Mss. at Vulg. miniſtri publici eas res, in quibus non eſt licitum pignorare, contra Legem audeant pignorare, ſcilicet in tribus; quia &c.
Tit. XXII. L. 1. Laudes) Mss. leudo. Vid. Concil. Rhem. can. XLI.
Tit. XXIII. Cadarfredam) Ms. cadalpherdam. Vulg. cadarfedam.
Tit. XXV. L. 4. Intra patriam) Ms. intra provinciam.
Tit. XXIX. L. 2. Legitimam ætatem) Ms. perfectam ætatem.
Tit. XXXII. L. 6. Foras mixtos) Ms. foras mitio. Vid. in additionibus Legis Salicæ.
Tit. XXXIII. L. 1. Si vero &c.) Ms. Si vero liberam fœminam habuerit, infantes ejus liberi permaneant.
Tit. XXXIV. L. 3. A Principe accepit) Ms. a Principe exceperit. al. a Principe expetierit.
4. Aut unum ſol. aut II. aut III. aut VI. tantum habeat mundium) Hæc verba in Ms. optimæ notæ deſunt.
7. Si quis) Tota hæc Lex Ms. deeſt.
8. Voluntatem patroni) Ms. voluntatem domini.
Debeat obedire) Ms. debeat ſervire.
11. Homo denarialis) In Vulg. lib. ſic hæc Lex habetur: Homo denarialis non ante hereditatem in ſuam agnationem acquirere poterit, uſque in tertiam generationem perveniat.
Tit. XXXV. L. 3. Si ſervus, aut ancilla &c. Ms. Si ſervus, aut ancilla per XXX. annos, de quibus rei veritas cognita fuerit, dominis ſuis ſerviſſet, &c.
Nova conditio) Vulg. nova opera.
Habere, quas) Ms. habere, & poſſidere quas, &c.
Tit. XXXVII. L. 2. 3. 4. 5.) In uno Ms. deſunt hæ Leges omnes.

Tit. XXXVIII. L. 1. Arborem, quam ruſtici ſanguinum vocant) Ita Ms. melioris notæ. In alio ſcripto Cod. ruſtici ſanguinem vocant. Editio Baſiliens. ſanctivum. Ut fere habetur in Synod. Antiſſiod. cap. 3. Non licet compenſas in domibus propriis, nec vigilias in feſtivitatibus ſanctorum facere, nec inter ſentes, aut arbores ſacrivos, vel ad fontes vota exolvere, &c.
2. Si quis judex) Tota hæc Lex Mss. duobus deeſt.
Tit. XL. L. 3. Similiter & ſi Baſſi noſtri hoc non adimpleverint, beneficium, & honorem perdant) In uno Ms. hic locus deeſt.
Baſſi noſtri) Ms. Miſſi noſtri.
Vicecomiti, aut qui locum) Ms. vicedomino, vel illi quicunque.
5. In diſcutione in pub. perd.) Ms. ad diſcuſſionem in pub. produc.
Tit. XLI. L. 1. Cauſatores) Vulg. accuſatores.
5. Continetur. Quæ vero amodo &c. Ms. continetur, quemadmodum erant in die primo Kal. Martiarum indictione quarta eveniente, vel fieri contigerit, ſic term. Vulg. continetur, & amodo vero erunt, id eſt, die Kalendarum Martium indictione quarta eveniente, vel fieri contigerit, ſic term. &c.
Tit. XLII. L. 3. Et quicunque &c.) Hæc verba uſque ad finem Legis in uno Ms. deſunt.
Tit. XLIII. L. 1. Noctes XIV.) Ms. noctes XII.
Noctes XIII.) Vulg. noctes XL.
2. De mannitione. Vulg. de mannire.
Per placita opprimant) Ms. ad juſtitiam op.
3. Non adtingat) Vulg. non adquirat.
Tit. XLIV. L. 4. Ad placita trahebantur) Vulg. ad placita trahuntur.
Patrono) Vulg. patronus.
Tit. XLV. L. 1. Se ſciat eſſe conſtitutum) Vulg. ſciat ſibi eſſe vacandum.
Tit. XLVI. L. 1. Ad placitum) Ms. ad palatium.
Tit. XLVII. L. 1. qui ſciant, & volunt) Ms quales eſſe ſciant, & velint.
Et ſi comes pravus) Ms. & ſi aliquis pravus.
4. Ut nullus Epiſc.) Vulg. ut nullus Epiſcopus, nec Albas, nec Abbatia Centenarium Comitis habeat advocatum.
11. Clericalis ordo) Vulg. Catholicus ordo.
Ordinis clerus) Vulg. ordinis clericus.
Tit. XLVIII. L. 3. De viduis, &c.) Tota hæc Lex in uno Ms. deeſt.
Tit. XLIX. L. 1. Ut liberi poſſint haberi) Vulg. ut hæc liberis poſſint fieri mercata.
2. Jejuniorum diebus in Paſcha) Vulg. jejuniorum diebus, in diebus quadrageſimalibus, in Paſcha.
Tit. L. L. 2. Cauſam ipſam deliberet) Vulg. cauſam ipſam finiri debet.
Sint dies XII.) Vulg. ſint dies XV.
3. Sint dies XII.) Vulg. ſint dies XV.
Tit. LI. L. 2. Cauſatore) Vulg. accuſatore.
3. Teſtimonium dare) Vulg. teſtimoniare.
Poſſit indicare) Vulg. inducere.
9. Qui conquirere, aut rogare potuerit) Uni Ms. hæc verba deſunt.
10. Et illi dico) Vulg. & illi duo teſtes diſc.
Qui de ipſa falſitatis) Ms. qui falſitatis.
11. Contra eum producti) Vulg. contra eum per judicium.
Una pars alteri concedere) Ms. ulla pars alteri credere.
Campioni) Vulg. campio.
16. Quod ſi non per ipſos rei veritas cognoſcatur, & duabus partibus) Ms. quod ſi duabus partibus.
Quod ſi nulla pars alteri conceſſerit, jurent, & per pugnam illorum probetur teſtimonium.
Quod ſi una pars ſe ſubtr.) Ms. Quod ſi nulla pars alteri ſe ſubtraxerit, tunc, &c.
17. Quamquam) Tota hæc Lex in Ms. deeſt.

Tit.

Tit. LII. L. 1. *Ad placitum*) Ms. *ad palatium*. *Opprimere curaverit*) Ms. *opprimere quæsierit*.
2. *Sonare faciat*) Vulg. *somniare facit*.
3. *Placitum*) Ms. *palatium*.
6. *Decernent*) Ms. *determinent*.
10. *Redibitione rerum immobilium, & mancipiorum*) Vulg. *excepta redemptione terræ, & mancipiorum*.
13. *Fredam non exig.*) Mss. *freudum non exig.* *Comp. fredam*) Mss. *comp. freudum*.
20. *Placitum non teneant*) Vulg. *planctum non ten.*
24. *Sua discretione*) Ms. 1. *sua descriptione*. Vulg. *sua districtione*.

Tit. LIII. L. 1. *Tractatum perag.*) Ms. *Ecclesiæ protractum perag.* Vulg. *Ecclesiæ pertractatum perag.*
2. *Vastationem obviam eis*, &c.) Vulg. *vastationem dirigant eis missos, ut in pace*, &c.

Tit. LIV. L. 1. *Correpta*) Ita Mss. Vulg. *contemptor*.
L. 3. *Henricus*) Tota hæc Lex Mss. 2. deest.

Tit. LV. L. 7. *Gamalibus*) Ms. *gamallis*.
14. *Sacramentales ipsi jurare noluerint*) Vulg. *sacramentales ipsi ipsum sacramentum audire voluerint*.
22. *Gundebada Lege*) Vulg. *Gugibalda Lege*. *Et qui semel perjuratus*) Totus hic locus ad finem usque Legis in duobus Mss. deest.
29. *Cum fustibus, & scutis pug.*) Ms. *cum fustibus pugnent*.
27. *Schacho*) Ita Mss. 3. Vulg. *aut schalcho*.
39. *Campionem litem dirimere. Liceat autem servo pro se campionem dare, si morbus, aut ætas eum p. p.* Ita Mss. 2.
40. *Advocatores*) Ita Ms. Alius vet. Cod. *advocationes*. Vulg. *advocatos*.

Tit. LVIII. L. 2. *Manum perdat*) Vulg. additur, *& emendare studeat*.
3. *Sicut mos loci*) Vulg. *sicut Lex loci*.

LIBER III.

Tit. I. L. 1. *Mense Maii*) Vulg. *mense Martii*.
3. *Ordinem sanctum*) Vulg. *ordinem suum*.
18. *Ecclesiam suam*) Ms. *Ecclesiam sanctam*.
25. *Jam a dicto patre nostro conf.*) Vulg. *jam ab edicto paterno conf.*
26. *Nullatenus pontes esse debeant*) In Ms. hæc verba desunt.
42. *Juxta æstimationem*) Ms. *juxta examinationem*.
43. *Aliam barniscaram*) Ms. *aliam mulctam*. Vulg. *aliam ariscadam*.
44. *Ita custodire*) Ms. *ita consistere*.
46. *Unus mansus cum* XII. *bunuariis*) Ita Ms. Vulg. *unus mansus cum* XII. *vicaris*.
48. *Karolus Quartus.*) Tota hæc Lex Mss. deest. Extat autem etiam inter privilegia Ecclesiæ Bremensis paucis tantum immutatis.

Tit. III. L. 5. *Restaurationem: operarios.*) Ms. *restaurationem faciendam operarios*.
6. *Sufficere credimus*) Ms. *sufficere credimus præsentes esse. Negligentes*, &c.
8. *Ut nec Episcopum, vel Comitem audire velit, si noster homo fuerit*) Hæc verba in Vulg. desunt.

Tit. IV. L. 1. *Nulli sit licentia*) Vid. Constit. Friderici, De pace confirmanda. *Fossinagar*) Vulg. *fossinegar*.

Tit. VI. L. 1. *De heribanno*) Vid. additiones L. Salicæ. Legem secundam, & tertiam ex Ms. addidimus; nam in Vulg. desunt.

Tit. VII. L. 1. *Tractorias*) Ms. *tractatoria*.

Tit. VIII. L. 2 *Perdonatum*) Vulg. *per donationem*.
3. *Ad cujus potestatem*) Vulg. *in cujus voluntate*.
4. *Beneficium perdat*) Ms. *beneficium non perdit*. Edita etiam hæc Constitutio reperitur una cum libris feudalibus; sed hic correctior.

Tit. IX. L. 7. *Romanis finibus*) Vulg. *Romanæ finib.*

Tit. X. *Pœnam inter se obligatam comp.*) In uno Ms. additur, *pars illa, quæ se removere poscit*.

Tit. XI. *De Pontificibus Capitula, &c.*) Ita Ms. Vulg. *Dominus Lothar addidit ad limen Beati Petri Apostoli juxta civitatem Romanam tempore beati Eugenii Papæ de Pontificibus hæc Capitula*.
L. 1. *fuerunt recepti*) Vulg. *fuerunt suscepti*.

Tit. XV. *Warengangi*) Ita Ms. in alio Ms. *Wargangra*. Vulg. *gargangi*.
De exteris finibus) Vulg. *de extremis finibus*
Seque sub scuto potestatis nostræ subd.) Ita Ms. Vulg. *seque, suosque potestati nostræ subd.*

Tit. XXVII. *Gradu suo expulsus*) Ms. *gradu suo depositus*.

Tit. XXXV. *Ut Imperatoris forest.*) Ms. *Ut Imperatori foresta constituatur, & alia noviter non instituatur*.

Tit. XXXVI. *Judicia, vel potestas*) Ita Mss. 2. Vulg. *judici aliis potestas*. Legendum forsan, *judicialis potestas*.

Tit. XL. *Diaconorum, Episcopor.* &c. Hæc Lex in uno Ms. desideratur; in melioribus tamen Codicibus habetur.

Atque hic finis Legum Longobardicarum; nam quæ in retro Vulgatis editionibus Lex Hlotarii additur, eam nos suo loco sub Titulo IX. *De his, qui se in potestate alterius subdiderint*, ad fidem Mss. exemplarium reposuimus.

Explicit.



ELEN-

ELENCHUS CAPITULARIS

EX EDITIONE FR. LINDENBROGII,

Cum Indice Muratorianæ Editioni respondente.

LIBER PRIMUS.

ſteriali coxam. *Id.* 94.
13. Si pedem excuſſerit. *Id.* 95. 96. 97. 98. 99. 100.
14. Si quis aldio alieno, aut ſervo miniſteriali plagam infra capſum. *Id.* 101.
15. Si quis aldio alieno, aut ſervo miniſteriali brachium, aut coxam. *Id.* 102.
16. Si quis ſervo alieno ruſticano plagam in capite, *Id.* 103.
17. Si quis ſervo alieno ruſticano plagam in facie. *Id.* 104. 105. 106. 107. 108.
18. Si quis ſervo alieno ruſticano aurem, *Id.* 109.
19. Si brachium, aut coxam transforaverit, *Id.* 110.
20. Si intra capſum plagaverit, *Id.* 111.
21. Si brachium, aut coxam, aut tibiam, *Id.* 112.
22. Si quis ſervo alieno ruſticano manum. *Id.* 113. 114. 115. 116. 117. 118.
23. Si pedem abſciderit, medietatem. *Id.* 119. 120. 121. 122. 123. 124.
24. Si battiderit, aut percuſſerit, *Id.* 125.
25. Si de plagis, aut feritis. *Id.* 126.
26. Omnes vero plagæ, aut feritæ. *Id.* 127.
27. Qui plagas fecerit, ipſe quærat medicum. *Id.* 128.
28. Si quis percuſſerit ancillam gravidam. *Id.* 339.
29. Si quis porcarium de libero homine, *Id.* 357.
30. Si duo porcarii inter ſe. *Id.* 358.
31. Si quis aldium, aut aldiam. *Liutpr. lib.* VI. 71.

IX. De homicidiis liberorum hominum.

1. Si duo, aut tres homines, ſeu amplius, *Roth.* 12.
2. Si quis dominum ſuum occiderit. *Id.* 13.
3. Si quis homicidium perpetraverit abſconſe. *Id.* 14.
4. Si infans in utero matris. *Id.* 75.
5. Si duo, aut tres homines liberi, ſeu amplius. *Id.* 138.
6. Si quis alii venenum, *Id.* 141.
7. Si ſervus, aut ancilla venenum, *Id.* 142.
8. Si homo occiſus fuerit, liber, aut ſervus. *Id.* 143.
9. Si magiſter comacinus. *Id.* 144.
10. Si quis magiſtrum comacinum. *Id.* 145.
11. Si quis operarios conduxerit. *Id.* 152.
12. Si maritus uxorem ſuam occiderit. *Id.* 200. 201.
13. Si quis puellam, aut mulierem liberam. *Id.* 202.
14. Si mulier maritum ſuum occiderit. *Id.* 204.
15. Si ſervus Regis morth fecerit, *Id.* 373.
16. Si quis ſculdaſium. *Id.* 377.
17. Si quis hominem liberum caſu. *Id.* 389.
18. Si quis Longobardus ab aliquo. *Liutpr. lib.* II. 7.
19. Si quis liber homo ſe defendendo. *Id.* IV. 2.
20. Si ſervus cum voluntate domini. *Id.* IV. 3.
21. Recolimus qualiter jam ſtatuimus. *Id.* VI. 9.
22. Si quis liber homo in terra aliena. *Id.* VI. 38.
23. Recolimus enim quod ſtatuimus. *Id.* VI. 65.
24. Item annuntiatum eſt nobis. *Id.* VI. 83.
25. Hæc autem rei veritas pervenit. *Id.* V. 85.
26. Si quis Longobardus qualemcumque, *Rach.* 3.
27. Qui Subdiaconum occiderit. *Carol. M.* 101.
28. De advenis, & peregrinis, *Pipin.* 11.
29. Si quis ex levi cauſa. *Ludov. P.* 9.
30. De Eccleſiaſtico, & fiſcalino, & beneficiario ſervo volumus, ut pro una. *Id.* 10.
31. Qui hominem liberum publicam. *Id.* 13.
32. Quicunque liberum hominem, *Id.* 15.
33. In compoſitione Widrigild. *Id.* 16.
34. Si quis aliqua neceſſitate. *Id.* 21.
35. De homicidiis in Eccleſiis. *Lothar. I.* 57.
36. De Eccleſiaſtico, & fiſcalino, & beneficiario ſervo volumus, ut prima vice, *Id.* 58.
37. De homicidio, unde lex, *Id.* 89.
38. Qui vero infra treugam. *Henr. I.* 3.
39. Henricus divina pietate, Decet Imperialem, *Henric. II.* 2.

X. De Parricidiis.

1. Si quis in morte parentis ſui inſidiatus. *Roth.* 163.
2. Si frater ſuum fratrem occiderit. *Liutpr. lib.* III. 5.
3. Si quis de libertate ſua interpellatus. *Carol. M.* 105.
4. Quicunque propter cupiditatem. *Henr. I.* 2.

XI. De homicidiis ſervorum miniſterialium vel aldiorum.

1. Si quis aldium alienum occiderit, componat. *Roth.* 129.
2. Si quis ſervum miniſterialem probatum. *Id.* 130. 131.
3. Si quis ſervum alienum ruſticanum. *Id.* 134.
4. Si quis ſervum alienum bubulcum. *Id.* 133.
5. Si quis ſervum alienum maſſarium. *Id.* 132.
6. Si quis porcarium alienum. *Id.* 135.
7. Si quis porcarium, aut caprarium. *Id.* 136.
8. Si quis infantem parvulum. *Id.* 137.
9. Nullus præſumat aldiam alienam, *Id.* 379.

XII. De ſepulchro violato, & de eo, qui hominem mortuum expoliavit.

1. Si quis hominem mortuum in flumine. *Roth.* 16.
2. Si quis ſepulturam hominis. *Id.* 15.

XIII. Nequis ad Regem venientibus injuriam faciat.

1. Si quis ex baronibus noſtris. *Roth.* 17.
2. Si quis ex adverſariis. *Id.* 18.
3. Si quis liber ſuper miſſum. *Carol. M.* 29.

XIV. De exercitalibus, & his, qui in hoſtem ire contempſerint.

1. Si quis de exercitalibus. *Roth.* 20.
2. Si quis de ipſo exercitu *Id.* 22.

3. Si

3. Si Dux exercitalem suum. Id. 23.
4. Si quis res suas ab alio. Id. 25.
5. Si gastaldius. Id. 24.
6. Si quis in exercitu. Id. 21.
7. De omnibus judicibus. *Liutpr. lib.* VI. 29.
8. Et hoc diffinimus, ut postquam. *Aist.* 13.
9. Si quis domum alienam cuilibet. *Carol. M.* 30.
10. Si quis liber homo aliquod damnum. *Id.* 31.
11. Si quis messem, aut annonam. *Id.* 32.
12. Si quælibet persona. *Id.* 33.
13. Quicumque liber homo. *Id.* 35.
14. Si quis liber homo, contempta: *Id.* 80.
15. Si quis contumax adeo. *Id.* 81.
16. Ut nullus ad palatium. *Ludov. P.* 43.
17. Postquam Comes, & pagenses. *Loth. I.* 36.

XV. De eo, qui alii viam antestetit, vel aliquem de caballo jactaverit, aut walapaurz fecerit.

1. Si quis homini libero viam. *Roth.* 27.
2. Si quis servo alieno, aut ancillæ. *Id.* 28.
3. Si quis messem suam, aut pratum. *Id.* 29.
4. Si quis hominem liberum de caballo. *Id.* 30.
5. Si quis homini libero violentiam. *Id.* 31.

XVI. De injuriis mulierum.

1. Si quis mulieri liberæ. *Roth.* 26.
2. Si quis puellam, aut mulierem. *Id.* 198.
3. Si mulier libera in scandalum. *Id.* 381.
4. Si quis furore accepto battiderit. *Liutpr. lib.* VI. 70.
5. Si quis dolose, aut per superbiam. *Id.* VI. 72.
6. Annuntiatum est nobis. *Id.* VI. 82.
7. Si quis invenerit liberam. *Id.* VI. 93.
8. Pervenit ad nos, quod dum quidam. *Aist.* 6.

XVII. De aggressione in vico facta, & de collectionibus rusticorum.

1. Si quis pro injuria sua vindicanda. *Roth.* 19.
2. Si servi per consilium rusticanorum. *Id.* 284.
3. Si pro quacunque causa homines. *Id.* 285.
4. Si homines in uno vico habitantes. *Liutpr. lib.* VI. 81.
5. Relatum est nobis, quod aliqui. *Id.* VI. 88.
6. Si quidem simpliciter in scandalum. *Id. ibid. in f.*
7. De Sacramentis per gildoniam. *Carol. M.* 13.
8. Si servi per contumaciam. *Ludov. P.* 57.
9. Volumus de obligationibus. *Lothar. I.* 4.
10. Collectam ad malum faciendum. *Id.* 53.
11. De conspirationibus considerandum est. *Id.* 65.

XVIII. De seditione contra judicem, vel civitatem levata.

1. Si quis sine voluntate Regis. *Liutpr. lib.* V. 6.
2. Cognovimus enim, quod per singulas. *Rach.* 6.

XIX. De damno in via dato, & de incendio.

1. Si quis casam alienam asto animo. *Roth.* 146.
2. Si quis focum super novem pedes. *Id.* 147.
3. Si quis focum foris in itinere. *Id.* 148.
4. Si quis molinum alterius asto animo. *Id.* 149.
5. Si quis molinum alterius scapellaverit. *Id.* 150.
6. Si quis ploum, aut aratrum. *Id.* 293.
7. Si quis vitem alienam. *Id.* 299.
8. Si quis roborem, aut quercum. *Id.* 305. 306. 307.
9. Si homo, aut quodlibet peculium. *Id.* 308.
10. Si caballus, aut quodlibet peculium. *Id.* 309.
11. Si quis fossatum circa campum. *Id.* 310.
12. Si animal in puteo alterius. *Id.* 311.
13. Si quis cervum domesticum. *Id.* 320. 321.
14. Si quis accipitrem, gruam. *Id.* 322.
15. Si quis peccatis imminentibus. *Id.* 328.
16. Si quis se vindicando occiderit. *Id.* 335. 336.
17. Si quis percusserit equam. *Id.* 338.
18. Si quis percusserit vaccam. *Id.* 337.
19. Si quis percusserit ancillam gravidam. *Id.* 339.
20. Si quis caballo alieno aurem. *Id.* 342. 343.
21. Si quis caballum alienum plagaverit. *Id.* 344.
22. Si quis caballos, aut armenta. *Id.* 349.
23. Si quis campum alienum. *Id.* 362.
24. Si quis porcos, aut pecora. *Id.* 350.
25. Si quis cassinam, aut tectum. *Id.* 382.
26. Si quis stallariam. *Liutpr. lib.* V. 16.
27. Volumus, ut si quælibet persona. *Lothar. I.* 78.

XX. De eo, qui cum armis alterius damnum fecerit.

1. Si quis alii arma sua. *Rothar.* 312.
2. Si quis sua auctoritate arma. *Id.* 313.

XXI. De pauperie.

1. Si quis canes alienos. *Roth.* 327.
2. Si canis, aut caballus. *Id.* 329. 330.
3. Si caballus cum pede. *Id.* 331.
4. Si quis præstitum, aut conductum. *Id.* 332.
5. Si animal alicujus alienum animal. *Id.* 333.
6. Item relatum est nobis. *Liutpr. lib.* VI. 84.

XXII. De venationibus, & de damno, quod per eas acciderit.

1. Si quæ fera ab homine. *Rothar.* 314.
2. Si in pedica, aut in taliola. *Id.* 315.
3. Si quis super feram. *Id.* 316.
4. Si quis feram ab alio vulneratam. *Id.* 317.
5. Si quis feram ab alio plagatam. *Id.* 318.
6. Si cervus, aut quælibet fera. *Id.* 319.
7. Ut nemo pedicas in foresto. *Carol. M.* 71.

XXIII.

XXVI.

7. Si quis dereliquerit filias. *Id.* 158.
8. Si quis dereliquerit filiam legitimam unam, aut plures. *Id.* 160.
9. Si fuerint filii legitimi, & naturales. *Id.* 161.
10. Si fuerint filii legitimi, & filiæ naturales. *Id.* 162.
11. Si fratres post mortem patris. *Id.* 167.
12. Nulli liceat sine certa culpa. *Id.* 168. 169. 170.
13. Si quis desperaverit. *Id.* 171.
14. Si pater filiam suam, aut frater sororem suam legitimam. *Id.* 181.
15. Si pater filiam suam, aut frater sororem suam alii. *Id.* 199.
16. Si quis sine heredibus. *Id.* 224.
17. Si libertus homo, qui fulfreal. *Id.* 228.
18. Si quis habuerit filios legitimos. *Grim.* 5.
19. Si quis Longobardus sine filiis. *Liut. lib.* I. 1.
20. Si quis Longobardus, se vivente. *Id.* I. 2.
21. Si quis Longobardus sorores. *Id.* I. 3.
22. Si quis Longobardus filias. *Id.* I. 4.
23. Si filiæ, aut sorores. *Id.* I. 5.
24. Si sorores in casa patris. *Id.* II. 8.
25. Si duo fratres, aut si pater. *Id.* VI. 23.
26. Recolimus enim, qualiter. *Id.* VI. 92.
27. Recolimus in anterioris edicti pagina. *Aist.* I.
28. Volumus præterea, atque sancimus. *Guid.* 7.
29. Quicunque ex quacunque natione. *Henr. I.* I.

XV. De donationibus, quæ cum thingatione, vel launechilt fiunt.

1. Si quis res suas alii thingare. *Lothar.* 172.
2. Si quis res suas alii thingaverit. *Id.* 173.
3. Nulli donatori liceat. *Id.* 174.
4. Si quis res suas cuicunque donaverit. *Id.* 175.
5. De donatione, quæ sine thingatione. *Liut. lib.* VI. 19.

XVI. De adoptionibus.

1. Qui filium legitimum non habuerit. *Carol. M.* 94.

XVII. De acquisitionibus actorum Regis.

1. Si gastaldius, aut quislibet. *Rothar.* 378.
2. Concedimus & gastaldiis nostris. *Lothar. I.* 73.

XVIII. De ultimis voluntatibus.

1. Si quis leprosus fuerit. *Rothar.* 176.
2. Si quis liber Longobardus, ut habet. *Liut. lib.* I. 6.
3. Cognovimus multotiens. *Aist.* 3.
4. Si quis Longobardus statum, *Carol. M.* 78.
5. Quicunque res suas pro anima. *Id.* 106.
6. Si cujuscunque res. *Pipin.* 33.
7. Si quis suas res pro salute. *Ludov. P.* 14.
8. Volumus, ut res. *Lothar. I.* 17.

XIX. De eo, qui res alii post delegationem fraudulenter alienaverit.

1. De his, qui proprietates suas. *Lothar. I.* 30.

XX. De eo, quod pater filiis, vel filiabus necesse habeat relinquere.

1. De eo præcipimus. *Liut. lib.* VI. 11.
2. Si quis Longobardus habuerit. *Id.* VI. 48.
3. Si quis Longobardus voluerit. *Id.* VI. 69.
4. A nostris decessoribus. *Aist.* 4.
5. De filia, cujus pater. *Pipin.* 34.

XXI. De debitis, & wadimoniis, & quæ liceat pignorare, vel non.

1. Si quis debitorem habens. *Rothar.* 249.
2. Si quis alium pro quolibet debito. *Id.* 250.
3. Nulli liceat alium pro alio. *Id.* 251.
4. Si quis per errorem alium. *Id.* 252.
5. Si quis greges equarum. *Id.* 253.
6. Si quis caballos domitos. *Id.* 254.
7. Si quis liber homo, qui debitor est. *Id.* 256.
8. Nulli liceat pro quolibet debito. *Id.* 257.
9. Si quis alii wadiam, & fidejussorem. *Id.* 365.
10. Si quis alii wadiam dederit, & eam. *Id.* 255.
11. Si mundium de puella libera. *Id.* 388.
12. Quicunque liber homo sub regni. *Liutpr. lib.* III. 1.
13. Si quis mutuaverit. *Id.* III. 2.
14. Si quis dederit wadiam, & eam. *Id.* V. 7.
15. Si quis alii homini wadiam dederit, & antequam. *Id.* V. 8.
16. Si quis alii wadiam dederit, & voluerit. *Id.* V. 9.
17. Si quis alii homini wadiam dederit pro quacunque. *Id.* V. 10.
18. Si quis alii homini wadiam dederit, & fidejussorem. *Id.* V. 11.
19. Si quis alium ante constitutum. *Id.* V. 12.
20. Si quis debitum fecerit. *Id.* VI. 4.
21. Si quis alii cautionem. *Id.* VI. 13.
22. Si plures homines cartam. *Id.* VI. 54.
23. Si quis a convenientia. *Id.* VI. 102.
24. Si quis fidejussorem. *Id.* VI. 55.
25. Si quis permissum habuerit. *Id.* VI. 56.
26. Si quis servum, aut ancillam. *Id.* VI. 57.
27. In anteriori Edicti nostri Capitulo. *Id.* VI. 75.
28. Si quis amodo in præsentia Regis. *Rachis* I.
29. Ut omnia, quæ wadiari debent. *Carol. M.* 126.
30. Similiter concedere volumus. *Lothar. I.* 74.

XXII. De quantitate solidorum.

1. De omnibus debitis. *Carol. M.* 76.
2. Omnia debita, quæ ad partem Regis. *Id.* 91.
3. Ut omnis solutio. *Ludov. P.* 2.

16. De-

XII.

(*) Quam hic Lindenbr. exhibet Caroli IV. Imp. constitutionem datam Tangerimundæ a. 1377., deleri debere monet idem *in corrigendis* pag. ult. Cod. LL. Ant., *cum in omnibus Codd. Mss. desideretur*.

F I N I S.

AD LEGES LANGOBARDICAS
APPENDIX PRIMA.
CAPITULARIA
PRINCIPUM BENEVENTI.

C A P I T U L A R E
ARECHIS PRINCIPIS BENEVENTI.

Index Capitulorum.

C A P I T U L A R E.

I. SI quis homo pauper absque parentibus, nihil etiam habens, ex quocumque negotium secundum Legem potenti homini juratus (2) fuerit, ita decernimus, ut solus preveru sacramentum, quin etiam modo simili potens juramentum, quando ei contigerit, pauperi singulari exhibeat. Si vero pauper aliquantula substantiola habuerit, cum quinque secum juret: similiter & hoc quinario numero potens pauperi satisfaciat.

II. (3) Si germanus alterum germanum aborta lite primum percusserit, posteaque percussus dolore stimulatus se defendendo, percussorem occiderit, hoc itaque censimus, ut justa persone interfecti qualitate talem fratricidium componatur.

III. Si quis filium post mortem patris ejus pulsaverit, ut assolet; dicendo, quod ei aliquid premii nomine pro qualibet causam dedisset; aut forsitan dum pater ejus adviveret per vim aliquid attulisset, de his propositis causis ostensio dumtaxat fieri non pó-

---

(1) Princeps iste Arichis præter summi Dynastæ insignia, nimirum Principis nomen, & coronæ usum, Legis etiam condendæ potestatem, deleto Rege Langobardorum Desiderio, videtur usurpasse, & post An. Chr. DCCLXXIV. hoc edidisse Capitulare: nostrates enim Langobardi etsi in Regno non censebantur, cujus pars *Tuscia* posita dicitur *in longinquo* Leg. Lang. Lib. II. tit. 55. l. 14., Leges tamen servarunt cæteris communes. *Peregrinius.*

(2) For. *junctus*, unde litium, sicut bellorum certamina, passim *conjunctiones*: cætera menda tute corriges. *Per.*

(3) Parem omnino Legem de quocumque alterius percussore ad sui defensionem Rex tulerat Luitpr. Leg. Lang. Lib. I. tit. 9. l. 19. *Per.*

poteſt ; nec non & ipſe filius reſponderit, nequaquam talia ſciſſet, idcirco juratus dicat, quod nec non neglexiſſet perquirere, nec de ipſis rebus, unde pulſatus eſt, aliquid ſignum apud ſe reperiſſet (1).

IV. Nonnulla flagitiorum veteres Juriſperiti, dum fieri poſſe non crederent, decernere precaventes, poſteritati erronea reliquere veſtigia. Ad nunc creveſcentibus malis, & fieri poſſe creduntur, & quod dictum nephas eſt, facta videntur. Actenus religioſorum homicidia, eo quod pote, aut inerme genus, aut in omnibus venerandum haberetur, nullus compoſitionis, & aperta Lex judicialia calculo claruit. Et ſi quondam, forſitan, contigiſſet, aut ſub oſtenſu legalis negligentie, vel oblite rationis obmittebatur (2), aut certe cenſorum opinatione, aut illud, ut cuique libitum erant, decernebatur. Ideo ſicut omnibus ſimul equiſſime placuit, ſancimus, id (3) precepimus, ut ſi quis deinceps occiderit Monachum, vel Presbyterum, aut Diaconem, primatum tenentem, componat ſoli. (4) CC. vel ſupra (5), ut Principi patrie placuerit uſque trecentos. De ceteris vero perſonis inferioris gradus, que in Palatio deſerviunt, ducentorum ſolidorum compoſitio preveniat. De reliquis aũt Eccleſiaſticis, qui extra Palatium degunt CL. ſicut de Laicis, qui exercitalibus militant armis.

V. Si pater filie non habentis germanum, aut germanus ſorori occiſi fuerint, ita nobis rationis judicio complacuit, ut ſicut in rebus patris, vel germani sm̃ (6) lege hereditates poſſeſſure ſunt, ita & occiſorum compoſitiones hereditarie ſibimed ipſe exigant (7).

VI. Si liber homo habens uxorem liberam, nichilque proprium poſſidens, talem culpam perpetraverit, per (8) qua damnatus, queſtori sm̃ legem in manu pro ſervo tradendus fuerit, ipſa uxor maritum taptum cuſtodiat : ille vero, qui eum in ſervitio acceperit, de marito ejuſdem infra ſeptimanam duos dies, ſicut propriis ſervis, quatenus eam poſſet nutrire. Sin autem minorem culpam perpetraverit, unde mox Legis tradendi deeſt, ſub extimatione juſtiſſima vir, & conjunx deſerviat ei, cui culpatum eſt uſque ad prefinitum tempus. Poſt conſtitutionis autem dies liberantur in priſtinam libertatem : Et ſi ipſa uxor tantum culpata fuerit, eiſdemque modis, ut de viro ſuperius cenſuimus, ſimul de utroque equalitate ſententia detur : Ita tamen, ut ejus, qui eos acceperit, diſciplinis, & imperii, ſicuti ſervi ſubjaceat. Si vero infra conſtitutum ſupradicti ſervitii tempus alteram alteri homini ingeſſerunt culpa, vir, aut conjunx imperpetuum ſervi tradantur, & reus per dies, ut ſupra ſibi conceſſum, uxorem nutriant ; ipſe vero dñs (9) traditi, unde prior ſervo ſi contigerit, pro injuria ab eo illa juſtitiam querenti perſolvant (10).

VII. Et hoc conſtituimus, adoleſcentem ante x. & octo annos etatis non poſſe ſolius oris ſui manifeſtationem condemnari.

VIII. Nullus homo habens uxor. (11) legitimam, filiis, vel filiabus, qui ex altera inlicita conjuge procreantur, legitima vivente, per quolibet ingenium aliquid donatione facere poſſe. Maxime dumtaxat, qui de incerto coitu naſcuntur, ex nuverca, id. matrinia, aut previgna, id. filiaſtra (12), vel cognata, que eſt uxor fratris, aut ex germana uxoris, vel etiam ex conſobrina generantur, omni modo prohibemus nullo quolibet argumento, quod contingaverit, vel dici humana verſutia poteſt, his donationem facere poſſe, qui hoc facinus contraxit (13).

IX. Si quis liberorum, ſeu liberti natum oſtenderit Preceptum libertatis quondam ſcriptum ante reverſionem Dom. Giſolfi de tras Pado, & falſum procul dubio apparuerit, propterea ſi manifeſtare potuerit illis diebus ſcriptum fuiſſe, quos prediximus, in libertate permanſiſſe ; ita profecto cenſemus, ut quodquod ex tali libertate ſuperſtites ſunt, ſive homines, ſive mulieres, in priſtinam ſervitutem revertantur. Filii vero, vel filie eorum, qui de genus uxoribus procreati ſunt, libertatem cum matribus permaneant (14).

X. Pervenit ad aures Sublimitatis noſtre, quod quidam hominum verſuta calliditate inbuti, propter obligationes, vel debita,

que

(1) Iis inſiſtit, quæ ſancita a Rege fuerant Rothari Leg. Lang. Lib. II. tit. 55. l. 9. *Per.*

(2) Ita quidem ; nam quæ habetur Leg. Lang. Lib. I. tit. 9. l. 27., recentius a Carolo edita eſt Imp. *Per.*

(3) For. *idem*. Pratillus.

(4) I. *ſolidos*. Prat.

(5) Confer Legem Lang. Lib. I. tit. 9. l. 21. *Per.*

(6) I. *ſecundum*. Prat.

(7) Legem abrogat deſcriptam Lib. I. Leg. Lang. tit. 9. l. 18. *Per.*

(8) I. *pro*. Prat.

(9) I. *Dominus*. Prat.

(10) Qui ex patrato damno, vel crimine debitam, vel privato, vel Fiſco compoſitionem, ſive creditori pecuniam ſolvendo non erant, perpetua, vel temporaria ſervitute eam compenſabant ex Lege Lang. Lib. I. tit. 25. l. 68. Lib. II. tit. 33. l. 4. & alibi ; a Judæis obſervata Reg. Lib. IV. cap. 4. quos Langobardi habuere aliarum etiam legum auctores. *Per.*
Ex Langob. Scriptor. phraſi apparet, eos vix alium quam Scripturas legiſſe. Pratill.

(11) I. *uxorem*. Prat.

(12) *Filiaſtrum etiam in inſcriptionibus Patavinis invenies*. Prat.

(13) De his loquitur Lex Lang. Lib. II. tit. 8. l. 3. & 6. nam alii naturales adibant patris hæreditatem, ut Lib. II. tit. 14. l. 2. *Per.*

(14) Ad ſervitutem revocat manumiſſos *per impans*, ut loquitur Lex Lang. Lib. II. tit. 34. l. 1. hoc eſt, *per votum* illegitimi Ducis Godeſcalchi, iſtius Giſulfi II. anteceſſoris, de quo nos alibi, & Paulus Diac. Lib. VI. cap. 17. ſive 57. *Per.*

que fecerant, propinquioribus parentibus, qui justa Legem heredes eorum futuri sunt, testamentum donationis amittant, ut questores eorum creditas res facile perdant; propterea sic namq; decernimus, ut primi heredes obligatione, vel debita propinquorum persolvant, dehinc, quod residuum fuerit de rebus eorum, sibimet assumant.

XI. Si quis in silva propria plaustrum, quod vulgo dicitur Carrum, honustum lignis cum bubulis deprehenderit, & fortasse ad domum suam (1) perduxerit, per unumquoq; lignum, que imposita sunt plaustro, his cujus bobes, & veiculum fuerint, novem ligna componat. De plaustro vero, sicut Lex testatur, justitiam preveniant.

XII. Satis infamis, & inlicita consuetudo temporibus istis hinnolevit; dum quedam muliercule defunctis viris, maritalis dominature solute, licentius proprii arbitrii libertatem fruantur. Abitum Sanctimonialis in secrete domi suscipiunt, ne vim nuptialem perpatiantur; quippe tuta sibi cuncta fore arbitrantur, si conjugalis dominatui non subiciantur (2). Sicque fecit, ut sub optentu regionis (3), demta omni formidine, quicquid animo delectantur, licentius assequantur. Namque deliciis affluunt, commessationibus student, potibis (4) vineis ingurgitantur, lavacra (5) frequentant, & quanto magis assequi possunt, tanto eodem habitu immollitie, delectationemq; vestimentorum habutuntur. Igitur siquando in plateas processure sunt, facies poliunt, manus candidant, incendunt lividinem, ut vescentibus incendia misceant; sepe etiam formosus videre, atq; videri impudentius appetunt, & ut brebiter dicat, ad omnem lasciviam, voluntatemque animi frena relaxant. Hoc quoque procul dubio luxuriante vite fomite succense, exurunt eas carnis incentiba, adeo ut non solum unius, set quod dici nefas est, plurimorum prostitutionibus clanculo substernuntur; & nisi uterus intumuerit, non facile comprobatur. Talem itaque pestem execrandam modis omnibus contestantes, instituimus, ut cujuslivet affinitate juncta, innupte, vel vidue velamen scē religionis induerunt, & intra anni circulum eas quatenus voluerit, vel potuerit in Monasterium trudi dilataverit, propterea si stupri crimine detecte fuerint, componat Guidrigild suum in Palatium; Princeps videlicet ejusdem temporis cum ipso Guidrigild, rebusque propriis retrudat eas in Monasterium.

XIII. Divine Legis auctoritas communans testatur, *siquis in captivitatem duxerit, in captivitatem (6) vadat*. Hactenus adeo hec patria crudelis limine perviciem perpetitur, ut etiam transmarinis paganitatis gentibus ejus habitatores indifferenter vendant (7). Propterea presenti judicio sententia damus, ut si quis hominem furtiva arte, vel quolibet modo extra Provinciam vendiderit, sic eum componat, sicut his, qui infra venundant; ita tamen, ut venditoris persona ultra mare venundetur (8). Si vero pauperrimus fuerit, nichil habens, unde compositione procedant, quod superest persona ejus, ut supra, trans mare venalis vadant.

XIV. Quecumque mulier propria res habens, mortui mariti lectum caste servaverit, & de rebus suis aliquid pro aia (9) sua judicare voluerit, que ejus minime consenserint, sicque prospeximus; si duos filios habuerit, tertiam partem de rebus suis disponere liceat; si quidem tres, septimam partem; si quatuor habuerit, nonam: si vero amplius, per hanc numerum ratiocinationem, ut contigerit, sorte dividantur (10).

XV. Si quis terram, vel mancipium per triginta annorum circulos absque pulsationem possederit, & certa manifestatio dumtaxat patuit; sic namque censemus, ut quicquid edificii, vel incrementis ex his rebus possessor optinuerit, absque molestationem, & depulsationem, sicut ipsa predicta initia, ulterius possideant (11).

XVI. Si quispiam rem propriam inspiratus pro anima sua locis venerabilibus decrevit, non reputetur extraneus, vel inimicus parentibus, sicut in lege nefas scriptum est; sed sit sacramentum talis, si opportunitas incumbit; & heredes proximorum modis omnibus habeatur.

XVII. Si quis hominum causa temerario absque permisso Pontificis, vel custodum Ecclesiasticorum, mortuum in Basilica sepelierit, hac ratione perpendimus, componat sol. quatraginta ejusdem venerabili loci Rectoribus; de sepulto quidem supradictis personis, ut libeat, conveniatur (12).

EXPLICIT CAP. (13) DOMNI AREGIS.

(1) Lex testatur Lib. I. tit. 23. l. 1. *Qui currum &c. ad propriam domum suam duxerit, non sit culpabilis &c.* Per.

(2) Has permiserat Rex Luitpr. Leg. Lang. Lib. II. tit. 37. l. 1. quarum malitia tunc latebat. *Per.*

(3) Legendum *religionis*. Prat.

(4) *A potu*. Prat.

(5) I. *balnea*. Prat.

(6) Apocalyp. cap. 13. *Per.*

(7) Confer Capitul. Princ. Sicardi num. 3. & 4. hancque inhumanam mercaturam non tantum nostratibus usu receptam; vide in Erchemp. n. 81. & Anast. Bibl. pag. 113. *Per.*

(8) *Jus talionis*. Prat.

(9) *Anima*. Prat.

(10) Eamdem in hac Lege servat proportionem mater ad filios, quam in Leg. Lang. Lib. II, tit. 14. l. 2. filii naturales ad legitimos. *Per.*

(11) In Leg. Lang. Lib. II. tit. 35. l. 5. idem cautum, sed nil de incrementis ibi, quia certe nil opus. *Per.*

(12) In Basilica ne dumtaxat, quod communitus tunc vetitum; an etiam in ejus atrio, & cœmeterio, in quo frequentius humabantur? *Per.*

(13) *Capitulare*, Prat.

P A-

PACTUM
ARICHIS PRINCIPIS BENEVENTI
Cum Judice Neapolitanorum de campo Leburiæ &c.

ITem Consuetudo Leburiæ (1), & Pactum,

INcipit Pactum, quod constituit Doms Arechisi gloriosus Princeps cum Judex Neapolitanorum de servis, & ancillis, & de terris, & de Legurias, & de Tertiatoribus, que communes (2) est inter partes.

In primis de Liguria, ut quantum Neapolitani per xx. annos (3) usque modo in dominicatu tenuerunt, nec censum inde in partes Langobardorum persolverunt, securiter possideant. Similiter Langobardi quantum per xx. annos usque modo in dominicatu tenuerunt, nec censum iisdem in partes Neapolitanorum persolverunt, securiter possideant. Alia vero omnia fundora fundata (4), sive exfundatas, homines, & terras, quibus solidi non sunt dati, dividimus per medium. Terras autem, in quibus solidi dati sunt, per scripta firmantes ipsas cartas inter partes per sacramenta cum tribus personis intus domum suam si voluerimus ipsas terras inter partes recolligere, licentiam habeant Neapolitani reddere medium ex ipsi solidi; & Langobardi similiter, & dividere ipsas terras per medietatem. Sin autem, dividantur in tres partes: unam partem tollant Langobardi, aliam Neapolitani, & aliam qui ipsos solidos datos habent; facientes inter utrasque partes talem firmatione in scriptis, ut a tunc securiter Langobardi tertiam partem, & Neapolitani tertiam, & ipsi homines, qui ipsos solidos habent, tertiam partem securiter possideant. Et fundora, vel terras, que in partes Langobardorum venerint in sortem, nullo modo ipsi homines, qui habitant in ipsa fundora, possint infiduciare (5), vel vendere, aut per qualecunque argumentum alienare in parte Neapolitanorum: & si factum fuerit, ipsos solidos pereant, & ipsas res revertatur in parte Langobardorum. Similiter & parte Neapolitanorum perficiatur. Exceptuamus ex his omnia fundora de Liburias, qui pertinent ad ipsum Principatum (6)* Capuanum fundata, & exfundata; & homines, & terras, que vobis per Capetularem dedimus, que vos nobis aliquandiu relaxastis. Et omnia, que in parte (7)* Langobardorum venerint, per nullum modum, aut per qualecumque ingenium querant habere dominationem Langobardi. Et terras, seu servos, quos Langobardi divisos habent cum Neapolitanis per scripta, vel quocumque modo definitum habent inter se, si comprehenserit qualiscumque Neapolitan. exinde servum ad partem Langobardorum, componat sol. c. Et si alias qualescumque res exinde pigneraverit, componat de una causa novem: similiter & a parte Langobardorum perficiat.

Quando institutum fuit pacto a D. Arechis Gloriosissimo primo Princeps Langobardorum cum partem de Neapolim, & firmatum est qualiter inter partes esse deberent de terris in Liburia, de servis, & de ancillis, & de Tertiatoribus, & de omnibus causis, transgressi sunt Neapolitani ipsum Pactum, & noluerunt de omnibus predictis rebus vivere secundum Pacti tinorem, nullo modo consensimus ei illud.

Si quis Langobardus habet comparatas terras in Liburia, & cār (8) emptionis exinde ostenderit, & pars Neapolitanorum intentionem inde miserit, jurent a parte Langobardorum tres homines de sex hominibus, quales pars Neapolitanorum quesierint, dicentes per sacramentum. *Quia iste cār veraces sunt*. Et deinde pars Langobardorum retineat sibi duas sortes de hisdem terris; unam pars Langobardorum, aliam pro ipsis soli-

---

(1) *Vid. Ostiens. Lib. I. cap. 18. pag. 292.* Prat.

(2) *Communis igitur tunc erat Liburia Langobardis, & Neapolitanis, ut supra*. Prat.

(3) Ex communi vero jure Langobardorum Lib. II. tit. 35. l. 3. & seqq. admittebatur præscriptio post annos xxx. *Per.*

(4) *Fort. Agri vel culti, vel exculti cum casis, vel exstantibus, vel destructis. Seu potius qui fundi jam adfixi erant alterutri nationi. Vid. infra in fin. hujus Pacti*. Prat.

(5) I. *pignerare*. Prat.

(6) Alto somno tenebatur priscus iste, sed nimis ignavus librarius, qui ex sui temporis usu *Principatum* hic supposuit pro *Comitatum*. Nam longe post Principem Arichim cœpit audiri nomen Principatus Capuæ, de quo vide sup. & alibi etiam. Attentius autem pag. seq. nomen retinuit *Comitatus*. Per.

(7) Sed per summam quoque oscitantiam vocabulum, quod asterisco notavi, *Langobardorum*, videtur substituisse pro *Neapolitanorum*. Per.

(8) I. chartam, & *sic semper*. Prat.

solidis datis; tertiam vero partem consentit inde habere partem Neapolitanorum car (1) ostenderit, quas ei quiscumque homo fecisset de terris in Liburia; si audet prior de Capua facere jurare tres homines de sex, quales pars de Neapolim quæsierit, dicente per sacramentum: *Quia iste terre, quas emptas habere dicitis, de illis hominibus fuerunt, qui censum reddiderunt in Capua. Et sic eos habuerunt Comitatus Capuanus, sicut alios Massarios de Liburias abberentur* ipse (2)* cartule a tribus hominibus de sex quales pars de Capua quesierit, & si noluerit pars de Capua reddere medium de ipsi solidi, quas ipse cartule continunt, dividantur ipse terre pro med., & si noluerit reddere medium de ipsi sol. dividantur ipse terre in tertiam partem: unam partem tollat exinde pars de Neapolim pro ipsa hospitatica (3), & aliam pro ipsi solidi tertiam partem tollat exinde pars de Capua.

Si horta fuerit intentio (4) de fundis exfundatis; & dixerit una pars, quia ista fundora de talibus Tertiatoribus fuerunt: & alia pars dixerit, quia non fuerunt de his Tertiatoriis, quos dicitis; sed de istis fuerunt, quos nos dicimus; non sit inde sacramentum, ut una quelibet pars in perjurium exinde incurrat. Inquiratur diligenter ad qualia hospitatica fuerunt pertinentia antiquitus, & tunc sine sacramentum, & perjurio poterit inde esse finis.

Si censiles (5) homo de Liburia patitur oppressiones a parte de Neapolim, & noluet exfundare se de ipso fundo, ponit post Regiam domus sue ipsum fustem, sicut antiqua fuit consuetudo, & vadit ubi voluerit. Si autem pars de Neapolim cum parte Langobardorum potuerit revocare ipsum Tertiatorem in ipsum fundum, & fundare illum ibi, potestatem habeant, & serviat ambobus partes, sicut antea servivit. Et si aliunde voluerit ibi hominem fundare, potestatem habeant. Et si hoc facere non potuerint, aut non voluerint, dividant inter se fundum, & terris ipsius.

Si Liburianus serbus de Langobardis mortuus fuerit, habeat ipse Langobardus in potestate sua omnes res illius.

De servis communibus ita fiat. Si exierit de ipso fundo servus ipse, & intentio de eo horta fuerit, ut ipse Langobardus eum inde mobuisset, aut ad manum eum apprehendisset; si non audet jurare ipse Langobardus, quod ille eum de ipso fundo non mobuisset, aut ad manum eum non apprehendisset, inveniat illum, & revocet eum in ipso fundo. Alia talem faciat ipse Neapolitanus ad ipsum Langobardum, si eum inde quesierit. Nam sua voluntate, sine consilio de ipso Langobardo, aut de ipso Neapolitano motus fuerit ipse servus de ipso fundo, & vadit in terram aliam; tunc dividant ipse Langobardus, & ipse Neapolitanus ipsum fundum per medietatem cum omnibus pertinentibus de eodem fundo. Tamen quandocumque extra dominationem de Neapolim invenerit ipse Langobardus eundem servum, apprehendat eum, & habeat eum sue potestatis, sicut suum proprium.

CAPITULARE

SICARDI PRINCIPIS BENEVENTI

Quo pacem dedit Joanni Electo Ecclesiæ Neapolitanæ, Andreæ Magistro Militum, & Populo illis subjecto ab An. DCCCXXXVI. ad annos quinque.

INDEX CAPITULORUM EX PAPYRACEIS CODICIBUS.

---

(1) Legum Lang. Lib. II. tit. 55. l. 5. exponitur modus, quo partiarii hi adhibendi erant testes. *Per.*

(2) Mutila credidi loca, quæ notavi asteriscis. *Per.*

(3) *Hospitatica ab Hospitatione, i. servitute, quæ ab hospitatione domicilii sui quotannis domino præstatur. Hinc Hospitatus (de fundo vel domo dici videtur, quæ hospiti sub certis servitiis conceditur) quod forte erit* Jus dello stallaggio. *Prat.*

(4) I. *contentio.* Prat.

(5) *Censilis*, qui censum solvit, idem ac *Tertiator*. Qui vero subducebant se de aliquo Municipio, vel Pago, in alias sedes migraturi, portam domus (id namque valet τὸ *Regiam*) posita, immissaque post eam fuste, seu baculo, ne statim de fuga appareret, caute obserabant. Sed vide num tacitæ *exfestucationis*, & *exfundationis* hic lateat priscus ritus. *Per.*

(6) *Scamaræ*, & *Scamares*, de quibus Scriptores, & Langob. Leges, sunt prædones, & exploratores Principum. Ducangius. Unde Lex illa

II. De Collata (1), *& pensione*, *& ut ante pignus stare non debeatis.*

III. Ut Langobardus, *nec* (2) *Langobarda nullatenus comparentur* (3), *nec in mare venundentur.*

IV. Ut Tertiator (4) *si a Langobardo venditus fuerit*, *comparetur*, *& super mare non vendantur.*

V. Ut negotiatores ab utrisque partibus illæsi permaneant.

VI. De fugacibus liberis, *vel servis.*

VII. De homicida, *qui exercitalem* (5), *vel militem*, *aut simpliciter ambulantem occiderit.*

VIII. De iis, *qui justitiam exquisiverunt*, *& non receperunt*, *qualiter pignorare debeant.*

IX. Ut si quispiam militem, *aut aliam personam battere* (6), *aut ligare præsumpserit.*

X. De eo, *qui in furtum deprehensus est.*

XI. De furone (7), *& homicida*, *ut a partibus ambarum reddantur.*

XII. De Actionariis (8) *qualiter peragatur.*

XIII. De hominibus qui per flumina transierint; *& ut non detineantur navigia in partibus nostris.*

XIV. De Tertiatoribus, *& conjectionibus* (9) *illorum.*

XV. Ut Cavallus, *& Bos extra civitatem nullatenus comparentur.*

XVI. Ut ante tertiam, *& quartam contestationem Barbaricum* (10) *pro quolibet casu non faciamus.*

XVII. Ut pro pignore nullus audeat pignorare.

XVIII. Ut pro causa, *causa non anteponatur.*

XIX. Ut ubi exercitare volueritis a nobis nullam læsionem habeatis.

XX. Ut non præsumat aliquis Tertiatorem exercitalem, *aut militem facere.*

XXI. Ut si Tertiator absconse exercitalis factus fuerit, *aut miles.*

XXII. Ut si quis homo liber uxorem duxerit Tertiatricem (11).

XXIII. De Legatariis qualiter illæsi permaneant.

XXIV. De (12) *fructa* (13).

XXV. De nefandis criminibus, *vel aliis causis*, *si in Tertiatores devenerunt.*

XXVI. Ut si aliquis cum Tertiatore causam habuerit a parte Reipublicæ.

XXVII. De Sigillatico (14), *& Nuptiatico* (15).

XXVIII. Ut non præsumat aliquis absque consilio Principis lignum excidere a parte Reipublicæ.

XXIX. Ut non tollatur a Tertiatoribus excusaticum, (16) *& porcos.*

XXX. Ut invito non detur pretium a Tertiatore pro tritico, *aut vino.*

XXXI. Ut singula Castella non tollant (17) *Re-*

---

illa tit. 1. §. 4. *Si quis Scameram intra Provinciam celaverit*, *aut annonam dederit*, *animæ incurrat periculum*. Mentio hujus verbi habetur etiam in Epist. PP. Stephani ad Pipinum Regem apud Baronium A. DCCLV. Hinc est *Scamarare*, id est deprædari, aut devastare; & *Scamaratores*, seu *Scamari*, & *Scarani*, id est prædatores, de quibus verba facit Muratorius Tom. II. & Tom. VI. in Hist. Morenæ col. 487. & Tom. XVI. Coll. Ital. col. 413. quem vide. *Prat.*

(1) *Collata* apud Ducang. & Lindenbrog. dicitur vectigal, sive tributum, quod ab universis subditis domino *confertur*. Unde aliquando etiam eleemosyna dicitur *collata*, seu *oblata* Ecclesiis. At quænam fuerit tributi species, ignoramus. Conjicere mihi liceat, *collatam* iis ex rebus exigi posse, quæ in fasciculos colligatæ adsportabantur: scilicet frumentum, hordeum, far, fabæ, pisum, aliaque legumina, aut herbæ, quas vel falx messuit, aut manus exstirpavit, collegitque: ii enim fasciculi (sicuti & sarmentorum quorumcunque, vel fœni, paleæ, & similium) adhuc *Collatæ* vulgo adpellantur; & fortasse ab Langobardorum ætate. *Prat.*

(2) *In Vat. Cod. deest* nec. *Per.*

(3) *Comparentur*, videlicet *emantur*: unde *comprare* apud Italos. *Prat.*

(4) *Tertiator* dicebatur colonus ille, qui *ad tertiam* tenetur, seu qui *tertiam* fructuum agri domino pensitat. *Ducang.* Hi servi erant, ut infra num. XXII. *Prat.*

(5) *Exercitalem*, Qui actu in exercitu militaverat, *exercitalis*; qui vero arcibus, vel Principum custodiæ addictus erat, *miles* vocitabatur. Hinc *exercitare*, i. bellum gerere, vel exercitum ducere, ut infra. *Prat.*

(6) *Battere*, Italicum verbum. *Prat.*

(7) *Furone*. *Furones* iidem ac *Fures*. Ducang. In Legibus Liutprandi tit. 57. §. 1. tit. 94. & tit. 101. §. 21. & apud Balutium in Not. ad Capit. fol. 1000. & 1017. *Prat.*

(8) *Actionarius* idem qui *Actor*, *Agens*, vel cui *Actio*, seu provincia aliqua demandata sit. Lex Langob. Lib. I. tit. 9. §. 28. & alibi. Ducang. *Prat.*

(9) *Condictionibus*. Per.

(10) *Barbaricum*, nempe expeditio bellica quævis, & bellum quod subsequitur, vulgo nunc *rappresaglie*. Prat.

(11) Hinc deducitur, *Tertiatores*, & *Tertiatrices* apud Langobardos non liberos, sed servos fuisse. *Prat.*

(12) *Fracta*. Per.

(13) Lege *Fracta*, id est, destructione, a verbo *frangere*, seu destruere. *Prat.*

(14) *Sigillaticum* a *Sigilla*, quæ erat pensio quædam, quæ præstabatur. Ducang. *Prat.*

(15) *Nuptiaticum* erat tributum, seu vectigal, quod pro nuptiarum facultate domino solvebatur. Adhuc XIII. seculo *Nuptiaticum* præstabatur, ut ex veteribus chartis colligitur, *Prat.*

(16) *Excusaticum*, sive *Exclusaticum* ab clausura, seu *exclusa* animalium dicta. Vel *excussaticum* ab excussione glandium ad porcorum nutritionem. Ducang. & Lindenbrog. At legerem potius, *escaticum*, cum Cl. Murator. nam esca pro glande a veteribus usurpatur. Chr. Vulturn. pag. 435. habet: *Qui porcos habuerit dent escaticum de undecimo porcos unum*. In part. 2. Tom. II. pag. 380. *sine Datico*, *Herbatico*, *Escatico*, vel *Glandatico*. Vid. eund. Murat. Diss. de Tributis. *Prat.*

(17) *Responsaticum*, nempe pensio, & onus quoddam tam super rebus, & prædiis, quam personis: quod deinde fort. *capitatio* dicta fuit; de quo tamen dubitat Murat. Diss. cit. *Prat.*

Responsaticum, *nisi de locis sibi pertinentibus*.

XXXII. Ut coloni Tertiatores non dent in Collata, nec in Pactum.

XXXIII. Ut non liceat piscare Militem, & (1) ideo (2) patientem absque conscientia Principis.

XXXIV. De Modiatico (3).

XXXV. De Responsatico, & Modiatico.

XXXVI. De (4) Lavari (5), vel de aliis Massis.

XXXVII. Ut si Miles absconse in lacu Patriense piscaverit.

XXXVIII. De Angre (6).

XXXIX. De Stabi (7).

XL. De Ponte Lapideo, & de Plagia (8).

XLI. De Fluvio diu (9) concello (10).

XLII. De Monte Vesubio, & de Colonis (11).

XLIII. De Colonis (12) Transmontanis (13); ut a partibus revocentur.

XLIV. De (14) Amalfinis; qualiter pagantur (15).

XLV. De Aqua, Herba, & Collata.

XLVI. De pravis hominibus, qui illicite per partes ambulaverint.

XLVII. De Tertiatoribus, qui inter partes vagantur.

XLVIII. De servis, & ancillis utriusque partibus.

XLIX. Constitutio Juramenti.

CAPITULARE.

In nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, & Beatæ, & Gloriosæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ. Dum ea, quæ Dei præcepta sunt partes obaudiunt, tunc ipsius adimplere probantur mandata, & ad pacis concordiam pro salute Christianarum animarum pervenisse monstrantur. Pro quo promittimus Nos Dominus vir Gloriosissimus Sicardus Langobardorum gentis Princeps vobis Joanni Electo Sanctæ Ecclesiæ Neapolitanæ, & Andreæ Magistro Militum, vel Populo vobis subjecto Ducatus Neapolitani, & Surrenti, & Amalfi, & cæteris Castellis, vel locis, in quibus dominium tenetis, terra, marique pacem veram, & gratiam nostram vobis daturos ab hac quarta die mensis Julii (16) Indictione XIV. usque ad annos quinque expletos. Unde pro stabilitate promissionis nostræ, ut nobis sine aliqua dubitatione credere possitis, & in nostra concordia firmius permanere, de istis Capitulis omnibus subscriptis de præsenti Judices nostros, qui subtus notati sunt, quales nobis quæsistis, jurare fecimus per nostram jussionem, quatenus si a parte vestra remissio, quam nobis voluntarie fecistis, in omnibus fuerit adimpleta, hæc, quæ a Nobis parti vestræ promissa, & scripta sunt, impleantur tam vobis, quam omnibus civitatibus, vel Surrento, vel Amalfi, & cæteris Castellis vobis subjectis terra, marique; & nullam læsionem, neque in hominibus vestris, neque in rebus eorum a nobis, vel ab his, qui nobiscum sunt, vel fuerint, gravabuntur. Neque per exercita, aut cursas, neque per Scameras, neque per (17) pertradicios (18), qui a partibus vestris no-

(1) Legerem cum Peregrinio: *piscare militem in Lacu Patriense absque conscientia* (id est *venia*) *Principis* Benev. Igitur in Lacu Patriensi iam actio piscandi promiscua erat Langobardis, & Neapolitibus: qui profecto piscari ubicumque voluerint, nequibant absque Principum Langob. scientia, sive facultate. Vide infra num. XXXVII. *Prat.*

(2) *Patientem*. An *in Lacu Patriense?* Per.

(3) *Modiaticum*, *Modiatio*, *Modiagium*, mensura quæ fit per modios. Item pensio pro quolibet modio. Rursus pensitatio frumentaria pro quolibet modio annonæ. Charta Rogerii Regis An. MCXXXVII. apud Ughell. Tom. VII. pag. 84. *Ut deinceps Salernitani pro Modiatico aliquod non persolvant &c.* Charta Monast. Monial. S. Mariæ Capuæ An. MCXCVII. *itaut Modiagium in annos singulos exsolvant &c.* Prat

(4) For. *Lactari*, vulgo *Lettere*. Per.

(5) Legit Peregrin. *Lactari*, fort. *Lettere*. a Monte Lactario, de quo pluries mentio in Tabulario Cavensis Cœnobii, & S. Mariæ Matris Domini Nuceriæ. Posset etiam inter Massas, seu pagos & villas, pro *Lavari* intelligi fort. *Livari*, aut *Livardi* prope Nolam. Alii melius rem expendant, si lubet. *Prat.*

(6) *Angre*. Nomen suum adhuc servat *Angri* prope Nuceriam, & Principatus titulo decoratur. *Prat.*

(7) *Stabi*, scil. *Stabiis*, nunc *Castell' a Mare di Stabia*, a veteribus *Stabiarum* ruinis parum dissita mari proximior nova urbs, quam antiqua; cujus modo rudera effodiuntur, ibique plura monumenta, aquæductus, marmora, æneaque eruuntur insignia, quæ typis fort. dabuntur. *Prat.*

(8) *Pons iste Lapideus*, ille profecto erat, qui non longe a Sarno urbe etiamnum visitur, ex quo in Nolanum agrum iter, in quo *Plagia*, sive *Playanum*, ut ex Chartis Nolani Tabularii patet. *Prat.*

(9) *Concello*: for. *Draconcello*, qui Procopio de bello Goth. Lib. ult. dicitur *Draco*. Per.

(10) *Fluvius Draconcellus*, sive *Draco*, nunc *il fiume di Sarno*, qui ad Turrem XII. vulgo *Torre della Nunziata* in mare se exonerat in loco *Bottaro* vocitato. Vid. Peregr. in Camp. *Prat.*

(11) *De Monte Vesubio*, nunc *Monte di Somma*, ignivomo, alibi dictum est. *De Colonis*, qui circa ipsum incolebant, erant fort. *Troclea*, *Summa*, *S. Georgius ad Cremanum*. *Turres VIII. Leucopetra*, *Porticus*, *Rætina*, *Theoducium*, de quibus alibi. *Prat.*

(12) *Transpontanis*. Per.

(13) Vulgo *Tramunti*, *locus inter Nuceriam*, *& Cavas*. Prat.

(14) For. *Amalfitanis*. Per.

(15) *Peragantur*. Per.

(16) *An. DCCCXXXVI*. Per.

(17) *Per Tradicios*. *Petradicics*. Per.

(18) *Per Tradicios*, i. *per hostes*, *& prædones*. Prat.

nobiscum sunt, vel fuerint, nobis volentibus, aut consentientibus, aut per nostram voluntatem contra vos submissos. Et si contigerit, quod minime credimus, ut fiat hoc, repromittimus, quod secundum hujus Pacti continentiam, sicut subjicitur confirmatum paruit, justitiam vobis de omnibus Capitulis conservaturi per omnia sumus.

I. Et hoc promittimus, ut si quis Hostis, aut Scamaras per nostros fines ad læsionem contra vos venire tentaverint, & ad nostram pervenerit notitiam, nos secundum possibilitatem nostram vobis eos lædere non permittimus. Et si cognoverimus alia die facta Langobardorum venire ad læsionem Ducatus vestri Neapolitani, vobis nunciamus, aut certe in tertio die usque ad virtutem, & possibilitatem nostram eis resistere. Hoc enim stetit, ut si aliqua clasma (1) facta fuerit in finibus vestri Ducatus Neapolitani terra, marique a quacumque alia Provincia, ut nulla requisitio a nobis fiat in Ducatu vestro Neapolitano, sicut tantum, ut in finibus Principatus nostri Beneventani nec panem, nec aquam a quopiam homine bonæ voluntatis accipiat: excepto si brachio forti, hostili more, tollere potuerit. Si autem ea suspicio fuerit, quia per loca Principatus nostri Beneventani, aut per consilium, & conscientiam nostram aliqua clasma a vestris hominibus facta fuerit, ut sacramenta perveniant a partibus purificantes vos per personas quantas, & quales volueritis, quia nec per consilium, nec panem, nec aquam cum nostra voluntate de nostris finibus susceperunt, & sit causa finita. Si autem approbatum fuerit, quia cum consilio Principatus nostri ipsa læsio facta est in Ducatu vestro Neapolitano, tunc subjaceat pars nostra parti vestræ Romanorum (2) ipsum damnum in duplo reddere; postquam desiderantes concordia pacis, Domino permittente, a nobis Dopno viro gloriosissimo Sicardo Principe percipere meruistis digne, & voluntarie nullo contradicente ex nostris civibus.

II. Sed ad firmandam vobis libertatis, & pacis caritatem, per quam vos creditis illæso gubernari, spopondistis nobis, cui supradicto eximio Principi Sicardo a modo (3), id est quarta die mensis Julii Indictione XIV. per unumquemque annum dare nobis Collatam (4) & Pristinam, quam consueti fuistis dare. Si vero ante quinque annos expletos, sicut superius scriptum est, Pactum nostræ gloriæ irritum feceritis, nos licentiam habeamus omnibus modis pignorare infra civitatem. Et si anteftare (5) nostris hominibus præsumpseritis antequam tanta pignora apud nos habeamus, per quæ ad nostram plenam justitiam pervenire possimus, tum de istius Pacti corruptione nostri ante quinque annos expletos, vel si ante pignus steteritis de istis supradictis Capitulis componere nobis debeatis secundum vestram promissionem auri solidos Beneventanos numero tria millia. Et insuper per Scamaratores, seu Cursas, & publicum exercitum oppressionem facere usque ad nostram satisfactionem. Quod si, Domino juvante, & nostra gratia comitante, in his, quæ nobis pacti estis, immobiles steteritis usque ad prædictos quinque annos expletos, & hæc nobis supradicta singulos annos persolveritis, hoc repromittimus, ut securi, & illæsi a nostra parte in nostris finibus permaneatis.

III. Hoc stetit (6), ut Langobardum nullatenus comparetis, nec super mare venundetis. Quod si factum fuerit, ipsa persona nobis tradatur, qui comparavit cum illo, quem comparavit; ut simul qui comparavit, quam etiam, qui venundavit, ambo nobis tradantur. Et si non hæc dilatatio pervenerit, componat solidos centum, & supradictæ personæ tradantur; & si super mare venti (7) fuerint, componat solidos ducentos, qui hoc malum perpatravit.

IV. Et hoc promittimus de Tertiatoribus; ut si a Langobardo venditi fuerint, comparentur, & nullatenus in nave imponantur, aut trans mare venundentur: excepto si homicidium fecerit, aut facere voluerit, habeat sibi licentiam eum vendere; ita tm (8), ut quinque personæ præbeant sacramentum, quod ipse homicidium fecit, aut facere voluit, & si ipsa sacramenta deducere minime ausus fuerit, ipsa persona tradatur, & componat solidos centum.

V. De negotiatoribus vero ambarum partium stetit; ut liceat per fines nostros Principatus nostri Beneventani negotium suum peragere, & pro quovis accessu, quod inter partes pervenerit, non debeantur lædi, vel detineri, aut pignorari; sed illæsi absque aliquo damno ad propria revertantur. Si enim & pro qualibet occasione pignorati fuerint, ut ipsum pignus in integrum restituatur eis, & componat, qui hoc facere præsumpserit, cui injuriam fecerit, solidos viginti quatuor.

(1) I. *Vindicta*, *seu irruptio*, *&* *represalia*. Prat.
(2) I. *Græcorum*. Prat.
(3) I. *nunc*. Prat.
(4) *Collatam*, *&* *Pristinam*. De *Collata* superius dictum est. *Pristinam* tributum intelligo, quod a *pristinis* temporibus dari fort. consueverat (& cujus aliquid lucis in Erchemp. effulget); cujus initium ignoratur, & a quo inductum; idem proinde ac *consuetudo*. Ducang. Murat. Aliis rem melius expendendam relinquo. *Prat.*
(5) I. *contradicere*. Prat.
(6) I. *Definitur*. Prat.
(7) For. *venditi*. Per.
(8) *tm*, & sic semper, quoties in altero Codice est *tamen*. Per.

VI. De fugacibus ita ftetit ; ut fi liberi, aut liberæ fugient a partibus veftris, & vobis fuaicentibus (1) res alienas fecum detulerint, res ipfæ in integrum reftituantur, & illi fint, ubi voluerint. Servi vero, & ancillæ, fi a partibus fugerint, a præfenti die reddantur dominis fuis cum rebus fuis in integrum, quæ fecum detulerint : accipiente Judice loci per unamquamque perfonam auri folidum unum, juxta antiquam confuetudinem, nam non habeat Judex licentiam amplius accipere : fi autem præfumpferit amplius accipere, reddat quod tulit in duplum. Si enim cognitus fuerit fervus a fuo domino, & venerit cum epiftola, & noluerit eum reddere Judex loci, & effugerit, aut mortuus fuerit ipfe fervus, tunc ille Judex loci, qui noluit eum reddere, det pretium ejus folidos XXIV. Sic tamen, ut fi quo tempore ubique in Principatu noftro Beneventano inventus fuerit ipfe fervus, ut ille Judex, vel alia perfona, quæ ejus pretium dedit, recipiat quod dedit, & fervus revertatur ad anteriorem dominum fuum. Si enim & aliquis a partibus venerit fervos, & ancillas quærendo, & Judex loci illius dixerit non ibidem fuiffe, tunc tres perfonæ præbeant facramenta, quia nec fufcepit, nec in confcientia habet, ubi ipfe fervus eft; & fit ipfe folutus.

VII. De homicida vero ita ftetit; ut fi quifpiam exercitalem, aut militem, vel quamlibet aliam perfonam fimpliciter ambulantem præfumpferit occidere tempore pacis, ipfa perfona modis omnibus tradatur, audita caufa infra triginta dies non liceat pignorare.

VIII. De juftitia autem ita ftetit; ut fi quifcumque homo caufam habuerit pro qualibet re, ut vadat femel, & bis cum epiftola Principis, vel Judicis fui; & fi minime ei juftitia fuerit facta, pignorare (2) infra civitatem; & fi fic ei juftitia fiat minus, nec (3) tunc habeat licentiam foris civitatem qualiter pignus facere, tam in Langobardos, quam etiam in inquilinos, vel qualibet perfona prætendere potuerit, excepto negotiante, non habeat licentiam pignorandi: & fi factum fuerit, componat, ficut fuperius affictum eft. De aliis vero perfonis, vel rebus habeat ficut proprium fuum menandum (4), & gubernandum ufque ad menfes tres. Et fi neglexerit Judex loci juftitiam facere, habeat iterum licentiam quæftor pignorare de loco, ubi caufa quæritur. Et fi contigerit ante juftitiam factam, ut ipfum pignus moriatur, aut perierit, non calumnietur ille, apud quem ipfum pignus fuerit, fed reputet fibi ille, qui juftitiam facere neglexit : tamen ille, apud quem pignus fuerit, præbeat facramentum, quia eum nec donavit, nec venundavit, nec alienavit; fed tanquam fuum proprium habere, & gubernare voluit, & quid factum eft nefcio; & fit caufa finita. Si autem vivum, & fanum fuerit inventum ipfum pignus, in integrum reddatur (5) domino fuo; ita tamen, ut refideant Judices a partibus in loco, ubi ea caufa quæritur; & fi claruerit, quia jufte pignoravit, accipiat juftitiam fuam, & componat ei debitos (6) folidos fex, pro eo quod ante pignus juftitiam ei minime fecit : fi enim & claruerit, quia injufte pignoravit, componat folidos fex, & pignus falvum reddat.

IX. Si autem quifpiam militem, vel quamlibet aliam perfonam fimpliciter ambulantem ligare, aut battere præfumpferit, tempore pacis, componat, cui injuria facta fuerit, folidos centum. Si autem ad fervi quifpiam perfonam hoc facere præfumpferit, componat folidos XXIV.

X. Et fi quifpiam homo fuper furtum (7) inventus fuerit, & non dederit manum ad prendendum fe, & mortuus fuerit, non requirantur; tamen tres perfonæ bonæ de loco, ubi factum fuerit, quales quæfierint parentes, aut patronus mortui, dent facramentum, quia mortuus ille in furto inventus eft, & non dedit manum ad ligandum, & amplius non quæratur, minus nec homicida ipfe tradatur. Quod fi vivus deprehenfus fuerit ipfe fur, in hoc modo, ficut fuperius legitur, tres perfonæ præbeant facramentum, quia fuper furtum deprehenfus eft, & de præfenti tollantur ei oculi, & poft datam fententiam recipiant eum parentes, aut dominus ejus.

XI. De furone vero, & homicida ita ftetit, ut fi quifcumque homo homicidium, aut furtum in fua patria facere præfumpferit, & fuga lapfus fuerit, modo de præfenti a partibus reddantur.

XII. De Actionariis vero ambarum partium ita ftetit; ut illæfi debeant ambulare per actiones fuas, utilitates fuas peragendo, & nullus præfumat eis injuriam, aut læfionem facere; fi enim injuriatus fuerit verbo tantum, componat folidos duodecim. Quod fi manum fuper eum miferit, componat folidos centum. Si autem aliquis præfumpferit Actorem occidere utilitatem fuam peragentem, ipfa perfona omnibus modis tradatur.

XIII. Item ftetit de fluminibus, qui in fine Capuana funt; hoc eft Patria, Volturnus, atque Minturnus: ut in ipfa Trajecta (8) fit licentia tranfeundi, tam negotiantibus, quam etiam refponfalibus, vel militibus,

(1) I. *Suadentibus*. Prat.
(2) For. deeft, *liceat*. Per.
(3) *In Cod. Vat. leg.* ne. *Per.*
(4) I. *Ducendum*, & *adfportandum*. Prat.
(5) *Cod. Vat.* dedatur. *Per.*
(6) *Cod. Vat.* debitor. *Per.*
(7) I. *Infragranti*. Prat.
(8) I. *Scapha, per quam trajiciebatur*. *Mon. Sangall. Lib. I. de Carolo M. cap.* 32. fi quidem Pontes, vel Naves, aut Trajecti &c. *Prat.*

tibus, seu aliis personis de Ducatu vestro Neapolitano, salva consuetudine nostra, illæsi debeant transire: Barcas enim, quæ ibidem ad oram (1) advenerint, vel pro tempestate subduxerint, aut applicaverint per totam ipsam plagiam, vel ubicumque in fine Principatus nostri venerint, securæ, & illæsæ, sicut superius legitur, debeant esse; si autem voluerint negotiare ibidem, persolvant secundum antiquam consuetudinem tantum. Ut si, peccato faciente, navis rupta fuerit, res, quæ in ea inventæ fuerint, eis reddantur, cujus fuerint, & cujus sunt; homines autem sani, & illæsi ad propria sua revertantur. Et hoc stetit, ut deinceps pro quavis occasione navigia vestra in partibus Lucaniæ, (2) vel ubicumque in finibus nostris non detineantur.

XIV. De Tertiaroribus vero hoc stetit, ut nulla nova eis (3) a parte Reipublicæ imponatur, excepto antiqua consuetudine, hoc responsaticum solum, & angarias (4), & (5) calcarias (6); simul & ad dominos suos angarias, & (7) pensiones secundum antiquam consuetudinem, nec non & exenium (8) ad invicem (9) unum semel in anno, quod fuit prisca consuetudo; nam nulla alia nova imponatur (10) a parte Reipublicæ ad eos, qui se dividunt, nisi tantummodo responsaticum, & angarias suprascriptas; & si quis hoc præsumpserit facere Reipublicæ, ut ad Tertiatores amplius imponantur, nisi suprascripta Capitula, nam nulli alii homini. Et si quis insuper hoc facere præsumpserit, componat solidos (11) xxiv. & quod tulit reddat.

XV. Item stetit, ut non habeat licentiam quispiam a partibus foris Civitatem, Cavallum, aut Bovem comparare, nisi infra Civitatem, vel in Mercato in præsentia de Judicibus, & ab eis ipse venditor cognoscatur; & si venditor a Judicibus co-

gnitus non fuerit, & nullatenus habeat licentiam comparandi; si autem & comparavit foris Civitatem, vel in Mercato, aut in Civitate simul in præsentia de Judicibus, sicut dictum est, & venditor non fuerit cognitus, sit ipse emptor fur, & reddat Cavallum, aut Bovem; si enim liber fuerit, abscindatur ei manus, aut certe, si voluerit, det pretium de ipsa manu solidos quinquaginta; de servo vero, ut ipsa persona tradatur, aut si voluerit ipse dominus ejus, det pretium de ipso servo solidos viginti quatuor. Si autem venditor negaverit, ut non ipsum Cavallum, aut Bovem vendidisset, & illi, in quorum præsentia venditur, fuerint personæ utiles (12), quibus credatur absque crimine, non habeat licentiam venditor negandi; sed illæ tres si non (13) fuerint fide dignæ personæ, præbeant sacramenta, quia in nostra præsentia vendidistis, & tantum pretium tulistis; tunc reddat, quod tulit, & illi tradatur, cui Cavallus, aut Bos fuerit; sic tantum, ut non eum sanum apud se detineat; & si voluerint parentes, aut domini ejus eum liberare, dent pretium ejus, sicut superius affictum est; & ille, cujus Cavallus, aut Bos fuerit, res suas recipiat. Si vero contigerit ante justitiam factam ipsum Cavallum, aut Bovem mori, det pretium pro Cavallo solidos octo, & pro Bove solidos quatuor, & pro hoc Capitulo nihil accipiat Judex loci illius.

XVI. Sed hoc promittimus, ut non pro quovis excessu Barbaricum facere, aut cursas mittere ante primam, secundam, tertiam, & quartam contestationem; & si homicidium a partibus pervenit, & minime justitia a partibus infra trigesimo die facta fuerit, sicut superius scriptum est, sit in hoc pactum solutum. De aliis vero Capitulis, quæ infra hoc pactum affictum est, mi-

(1) *Cod. Vat.* ora causaverint. *Per.*

(2) *Usquequo Beneventi tunc Ducatus extensio*. Prat.

(3) For. deest *conjectio*. Per.

(4) *Angarias*. Aliquando Angariæ pro Veredorum statione, in quam publici cursores divertunt, equosque mutant. Vel pro jumentorum, vel plaustrorum pensitationibus per viam directam; & *Perangariæ* alioversum Leg. 7. C. de Fabricens. Lib. II. Leg. 4. C. Th. de cursu publ. ubi Gothofr. Insuper onera dicuntur agris, aut personis imposita, & dicitur ab Auctoribus *compulsio*, vel *injusta coactio* (a verbo *ango*); & erant onera personalia, seu servitia, quæ quis in se adimplere cogitur, vel propriis sumtibus inservire; vel sunt opera possessionibus imposita, ut in Capitul. Caroli M. & aliorum apud Goldastum, & apud Scriptores: unde *angariare* idem ac compellere. Ducang. Lindenbrog. & pass. Lexicographi. *Prat.*

(5) *Cod. Vat. def.* &. *Per.*

(6) *Calcarias*. Ab Ammiano Lib. XXVII. usurpatur pro ipsamet fornace *calcaria*. Interdum tamen pro ipsa pensitatione, quæ præstabatur *pro calcis coctione*; inde *Calcarienses* Leg. 36. C. Th. de Decurion. qui calcis excoquendæ operibus obstricti erant. Iidem ut sup. *Prat.*

(7) *Def.* &. *Per.*

(8) *Exenium* idem ac *donum*, *oblatio*, *munus*, seu quodcumque sub nomine doni tributum, sive servitium. *Prat.*

(9) *Ad Ducem*. Per.

(10) Deest *conjectio*. Per.

(11) *Solidos*. Solidorum nulla prorsus ante Constantinum M. memoria. Solidus aureus pro temporum ratione diversus erat. In Lege Salica XL. denariis constitisse legitur. Sub Pipino Rege ad XII. denarios taxatus, idque confirmatum a Carolo M. Ann. DCCXCVII. ut a Capit. ejusdem editis ab Holstenio §. 1. *In argento XII. denarios solidum faciant*. At fort. erravit Ducangius solidos aureos XL. denar. cum argenteo confundens XII. denar. Iis, ut putant, *floreni* successere. Vid. Covarr. de veter. Numism. Collat. cap. 3. Scaligerum Lib. de Re Numm. Le Blanc tract. de Monet. pag. 39. seq. aliosque. *Prat.*

(12) I. *boni*, *&* *probi homines*, *ut in Gest. Reg Francor. cap. 7. apud Fredegar. & Aimoin. Lib. I. cap.* 8. Prat.

(13) *Def.* non. *Per.*

minime diſſolvatur; ſed firmus, & ſtabilis uſque in præfinitum tempus debeat permanere, ſi ea, quæ in hunc pactum afficta ſunt, inviolabiliter conſervatum fuerit.

XVII. Sed hoc ſtetit, ut ſi quis a partibus pro pignore pignoraverit ante juſtitiam factam, reddat pignus, & componat ſolidos XII.

XVIII. Sed hoc placuit, atque convenit, ut nullus homo cauſam pro cauſa interponat; ſed ubi prius cauſa quæritur, faciat juſtitiam quæſitori ſine ulla oppoſitione; nam non habeat licentiam dicendi, quia ſi non reddis hoc, non tibi faciam juſtitiam. Et ſi quis pro tali occaſione juſtitiam facere diſtulerit, tunc diſtrictus (1) juſtitiam faciat, & componat negator juſtitiam quærentibus ſolidos ſex.

XIX. Et hoc promittimus, ut ubi volueritis exercitare in alio Ducatu pertinenti Ducatui veſtro Neapolitano per terram nobis ſubjectam, nullam læſionem a Principatu noſtro Beneventano Ducatui veſtro Neapolitano, vel in cunctis finibus, terra, marique pro quavis alia occaſione ab hominibus (2) . . . .

Cætera deſiderantur in ſcriptis Papyraceis Codicibus. At ad hujus oram ſero Leges conferre volui Langobardorum; jam enim Typographus operam ſuam feſtinaverat. Hæ tamen a Muratorio additæ ſunt, & hic adjicere quoque volui. *Prat.*

CAPITULARE
RADELCHISI PRINCIPIS BENEVENTI,

Quo pactum diviſionis Principatus Beneventani firmavit cum Siconulfo Principe Salerni Anno DCCCLI.

I. EGo Radelchiſus Princeps, concedo tibi Siconulfo Principi Salernitano firmiſſimam pacem de integra parte Principatus Beneventanæ Provinciæ, quæ tibi nominatim evenit per ſingularia (3) integra Gaſtaldata, ſeu miniſteria, quæ hic deſcripta ſunt, & ſicut hic fines locorum deſcripti ſunt inter Conſiam, & Salernum, & Capuam a parte Beneventi.

II. Ita quidem, ut a modo, & deinceps per nullum dolum, aut ingenium, vel qualemcumque occaſionem exinde a tua poteſtate ſubtraham tibi, & illi, qui per tuam voluntatem fuerit Princeps electus, qui poſt veſtrum deceſſum in tua portione principandi poteſtatem ſuſceperit in Civitate Salerni.

III. Et neque cum populo mihi ſubjecto, neque Francis, neque cum Saracenis, neque cum alia quacumque generatione exinde de præſenti die ſubtraham, vel impugnabo, aut delebo, neque ſubmittam, qui talia faciant; & talia facere volentibus, ac facientibus adjutorium nullum impendam, & per meam terram non permittam, neque dimittam aliam generationem venire ad contrarietatem terræ, ac populi veſtræ partis, cui generationi ego cum populo, qui in mea terra habitat, vel habitaverit, reſiſtere potero, ſicut ſi in mea terra voluerit facere damnitatem (4), donec (5) cum Francis fidem, & pactum, ſicut promiſiſtis, obſervaveritis; & vos, veſtrumque populum liceat per terram meam tranſire contra illos hoſtiliter, & cum ſcara (6) ad vindicandum abſque homicidio, vel incendio, & deprædatione, ſeu zala (7) de populo, & terra mea, & oppreſſione Caſtellorum portionis meæ, excepta herba, & ligna, & aqua, quas vobis non negabimus. Et ſi contigerit eſſe factum, pax exinde non diſrumpatur, ſed ſit exinde juſtitia.

IV. Omnium rerum Sanctarum Eccleſiarum, Epiſcopatuum videlicet, vel Monaſteriorum ſub regula degentium, ſeu Xenodochiorum, ibi cenſus rationes reddentur de ſuis ſingulis ſubſtantiis, ubi capita ſunt earum: præter Monaſteria Sancti Benedicti, (8) & Sancti Vincentii, quæ ſub defenſione Domini Imperatoris Lutharii, ejuſque filii Domini Ludoguici Regis ſunt, ut ſingulæ

---

(1) *Cod. Vat.* inſtigam. *Per.*
(2) *Recordationem factam a me.* Prat.
(3) *C. V.* ſingulari & integra. *Per.*
(4) I. damnum. *Prat.*
(5) *C. V.* id nec. *Per.*
(6) *Scara*, erant acies, ſeu copiæ militares, ut ex Hincmaro Epiſt. ad Diœc. Rhem. c. 3. & Aimoin. Lib. IV. c. 26. colligit Ducang. Verbum fort. Franco-Langobardicum. Germanis eſt *ſchaar*, unde *ſchiere*, & *ſchierare l'eſercito*; & *ſchera*, ut apud Murator. Ital. Collect. Tom. VIII. col. 1101. Vid. Leibnitium in Collect. etym. pag. 320. *Prat.*
(7) *Zala*, i. depopulatio, a Græco ζάλη, æſtus, unde fortaſſe incendium *Zalatio* dicta: Chron. Barenſ. Ann. MXXXVI. *Zalatæ ſunt Caſæ* &c. & An. MXXXI. *Zalavit Judacum &c.* Prat.
(8) Vide Oſtienſ. Lib. I. cap. 28. *Per.*

gulæ Ecclesiæ suum primitum habeant integrum, sicut semper habuere in omni loco, quemadmodum decet causam Dei: exceptis Canonicis, Abbatibusque ad Palatium pertinentibus; nam Abbatum res, quæ ad Palatium pertinent, in cujus divisione res ipsæ venerint, ille eos habeat, in cujus fuerint parte.

V. Et omnes Monachi, & Monachæ redeant ad sua Monasteria, ubi prius habitaverunt, ut habitent, & militent ibi Deo sub magisterio illic præordinatorum, sicut ratio, & consuetudo est: exceptis illis, qui per virtutem aliorum illuc introierunt, aut in Palatio serviunt.

VI. Episcopi autem, & omnes Clerici de quocumque gradu clericatus, vel sine gradu, redeant ad suos Episcopatus, cujuscumque diœcesis fuerint; & si redire noluerint, & nobis cognitum fuerit, absque omni injusta dilatione, faciemus eos redire invitos, ut sint sub potestate præordinatorum in ipsis Episcopatibus, & habitent, sicut illi eos juste constituerint: exceptis Clericis, qui in Palatio serviunt, & qui per vim clericati fuerint.

VII. Similiter fiat de Clericis singulorum Abbatum; exceptis illis Clericis, qui in rebus Abbatum ad Palatium pertinentium morantur; qui Clerici in illius parte sint, in cujus sorte ipsæ res venerunt.

VIII. Et dimittam omnes homines vestræ potestatis ire ad venerabilem Ecclesiam Beati Archangeli Michaelis (1) recto itinere (2), quomodo (3) temporibus antecessorum nostrorum illuc ibatur, sine omni contrarietate, vel damnitate, atque contradictione mea, & omnium hominum, qui in mea potestate (4) habitant, vel habitaverint, me vivente, & salvi vadant, & redeant a nostra parte per meam voluntatem, excepto Divino judicio.

IX. In parte vestra, quorum supra Siconulfo Principi (5), & qui prædicti estis, sint ista Gastaldata, & loca integra cum omnibus habitatoribus suis, exceptis servis, & ancillis, qui nobis, & nostris hominibus pertinent; & si in istis Gastaldatibus, ac locis subscriptis sunt aliqua Castella, ubi vestri (6) homines habitant, ego vos ibi mittam sine irrationabili dilatione. Tarantum (7), (8) Latinianum, Cassanum, Cusentia (9), Lainus, Lucania (10), Consia, Montella, Rota, Salernum, Sarnum, Cimiterium, Farculum (11), Capua, Teanus (12), Sora, & medius Gastaldatus Acerentinus, qua parte conjunctus est cum Latiniano, & Consia.

X. Inter Beneventum, & Capuam sit finis ad Sanctum Angelum ad Cerros (13), perexiens per Serram Montis Virginis usque ad locum, qui dicitur Fenestrella (14). Inter Beneventum, & Salernum sit finis in loco, qui dicitur ad (15) Pelegrinos (16) ubi ex antiquo xx. milliaria sunt per partes. Inter Beneventum, & Consiam sit finis ad ipsum Staffilum (17) ad Frequentum, ubi ex antiquo xx. milliaria sunt per partes. De (18) hominibus autem, qui inter partes sunt, si a vestra parte in nostra parte fugerint, si potuerimus eis gratiam rogare, rogabimus; & si non, reddemus eos absque omni injusta dilatione.

XI. Si vero vester homo in substantia in mea terra ad habitandum venerit, & plusquam vestra voluntas est, steterit; ubi cognitum mihi facietis (19), ego eum sine omni injusta dilatione transmittam ad vos.

XII. De waregnangis (20) nobilibus, mediocribus, & rusticis hominibus, qui usque nunc in terra vestra fugiti sunt, habeatis eos.

XIII. Similiter habeatis omnes homines, qui habitant in parte vestra, & qui (21) sunt sub tributo.

XIV. Omnes homines, qui in vestra portio-

---

(1) Ecclesia S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano, quam Langobardi devote dietim visitabant, donaque illi permulta offerebant, votaque, & peregrinationem persolvebant, ut alibi notavi. *Prat.*

(2) *Recto itinere*, scil. per Beneventum, ejusque urbis viciniam, qua rectum iter Salerno Garganum. *Prat.*

(3) *C. V.* per quod. *Per.*

(4) *Terra*, S. Cass. Cod. ex quo omnis hæc varia, & melior lectio. *Per.*

(5) Deest *Principi*. Per.

(6) *C. V.* nostri. *Per.*

(7) *Tarantus*. Per.

(8) *Tarenti* finis erat Principatus Salerni Ortum versus. *Prat.*

(9) Consentiæ finis usque ad Tyrrheni oram, ubi nunc *Paulæ* oppidum meridiem versus. *Prat.*

(10) *Lucania*, scil. Pæstum urbs, nunc solo æquata, quod ejus Provinciæ caput: alibi dictum. Vide Ostiens. pag. 78. *Prat.*

(11) *Furcule*. Per.

(12) *Teanum*; *Sora*, *Aquinum* finis erat hujus Sal. Princip. a parte Boreali. Sed de Salernitani Principatus extensione, ac finibus in Dissertationibus fusius dicendum erit. *Prat.*

(13) Locus adhuc ita adpellatur non longe a Furculis Caudinis, & *Argentio Castro*, post quem Virginiani montes incipiunt. *Prat.*

(14) *Fenestella*. Prat.

(15) *Peregrinos*. Per.

(16) *Ad Peregrinos* olim dicebatur locus quidam, seu Hospitium prope Oppidum *Atripaldæ*, medium inter Salernum, & Beneventum, ibique etiamnum, ut testantur incolæ, *alli Pellegrini* vocitatur. *Prat.*

(17) Locus parum supra *Frequentum* urbem. Nunc *la Starza Vecchia di Fricento*, ut ajunt. *Prat.*

(18) *De omnibus autem hominibus*. Per.

(19) *C. V.* feceritis. *Per.*

(20) *Waregnangis*, al. *Warengangis*, & *Wareguangis*, i. *advenis* in Gloss. nempe qui non morantur in loco, & continuo huc illuc discurrunt. For. a *Vargis* latrunculi indigenæ. Rotaris Rex in Edicto tit. XV. *Gargangi* apud Murator. Tom. I. Coll. Ital. par. 2. pag. 48. col. 1. emendetur *Vargengus* in edict. ut sup. Capitulari III. An. DCCCXIII. cap. 8. *Si quis Warengum occiderit &c.* Prat.

(21) Deest *qui*. Per.

tione sunt, habeant res suas integras in quocumque loco meæ partis pertinent de illorum substantiis cum servis, & ancillis, & Aldionibus (1), omnique pertinentia sua.

XV. Servi quoque, & ancillæ, atque Aldiones vestræ partis fugaces, & apprehensos, ubicumque fuerint inventi in terra nostra, reddemus vobis absque omni dilatione, & nunquam per nostram voluntatem a quocumque homine nostræ partis contradicentur, aut retollentur; & si sine nostra voluntate fuerit factum, ubi nobis cognitum fuerit, faciemus exinde justitiam, & illos sine injusta dilatione reddere faciemus.

XVI. Et si suspicio fuerit, ut post sacramentum pacis direxerimus eos quocumque, vel infugaverimus, si quæsiti fuerint, cui hoc crimen imminetur (2), de his si non fuerit ausus satisfacere, reddat eos. Et si satisfecerit, & postea eos invenire potuerit, similiter reddat; & si post sacramentum pacis fugerint de terra vestra in vicinas Marchas (3), aut in terram nostræ potestatis, reddemus eum vobis, & si illi inveniri potuerint, & nos potuerimus sine damno; & si ego recolligere non potuero ad prædictos locos, liceat per terram meam ire illuc, ut aut per pignorationem, aut quomodocumque veniatis exinde ad plenam justitiam.

XVII. Similiter si potueritis, faciemus & de illis ante pacis sacramentum in prædicto loco fugierunt. Quod si suspicio fuerit, ut per consensum Marchanorum nostrorum per nostras Marchas extra terram nostram exierint, satisfiat ab his Marchanis. Et si non reddantur ab eis, aut si nullo modo inveniri potuerint, reddantur ferquidi (4) eorum. Præterea si aliquis eorum suam voluerit contemnere libertatem, habeat exinde judicium secundum legem.

XVIII. Et omnes homines, qui sub tua potestate sunt, ex quocumque habent (5) prædicta munimina sua perdita, si contentio fuerit de rebus, aut servis, aut ancillis, seu Aldionibus eorum, si aut per consignationem, aut per pugnam (6) approbare potuerint, quousque ad ipsum tempus quo Barbaricum exortum est inter nos, & vos in sua proprietate legaliter, juxtaque habuerint illa, sine cujuscumqre injusta contradictione habeant ea (7) in antea.

XIX. De nullo homicidio, vel præda, atque zala, seu incendiis retroactis fiat aliqua requisitio, vel vindicta per meam voluntatem; & si absque mea voluntate fuerit inde facta vindicta, dabimus illum hominem in potestate vestra, ut faciatis de eo quodcumque volueritis, & si suspicio fuerit, quod per meam voluntatem fuisset facta, satisfiat illud per tres personas, quales vos quæsieritis a mea parte, & tradant ipsos homicidas in potestate vestra ad faciendum de ejs quodcumque volueritis,

XX. Si vero a modo (8) quicumque homines homicidium fecerint a parte nostra in vestra, & si suspicio fuerit, quod per consilium, seu colludium fuerit factum per meam voluntatem ad vestram contrarietatem, vel damnietatem, de nobilibus satisfaciant illud tres personæ, quales vos quæsieritis a parte mea; & de rusticis tres personæ de ipso loco, ubi homicidium fuerit perpetratum, quales vos quæsieritis, & illos homicidas dabimus, ut prædictum est, in potestate vestra; & si satisfacere non fuerint ausæ, de nobilibus componant vobis tria millia Visantos (9) aureos (10), & de rusticis fiat compositio secundum legem (11); & il-

(1) *Aldiones*, *Aldii*. Lindenbrogius, *statu liber*. *Aldius* est libertus cum impositione operarum factus ex Lege Langob. Lib. I. tit. 25. §. 53. *Si Aldius cujuscumque in casa alterius nesciente domino suo fugerit, cum inventus fuerit, sic debet dare homo ipse, qui eum habuerit, operas, quomodo de servo*; & l. 3. tit. 20. Patronos habebant perinde ac liberti, ut est in l. 2. tit. 35. §. 3. tit. 44. 5. 1. 4. Igitur fuit species servorum peculiaris, ab aliis diversa, qui manumittebantur, seu ab operis eximebantur, non in Ecclesia, ut servi, sed per chartam manumissionis. Lib. II. tit. 34. §. 5. Qui Aldios in suo iure habebant, Domini quidem, sed sæpius Patroni dicebantur. Consule quæ habent Lexicographi, & quæ collegit V. Cl. Murator. in Diss. Med. Ævi hoc titulo, & Tom. I. Collect. Ital. par. 2. fol. 71. *Prat.*

(2) *Cod. Vat.* immittetur. *Per.*

(3) *Marcha*, & *Marchia*, scil. Terminus, Limes, seu Fines cuiuscumque Regionis, sive Provinciæ, aut Gastaldatus. Vide Chartam divisionis Caroli M. Imp. cap. 1. & Marthene Tom. I. Anecdot. col. 586. Aliquando *Marchia* pro ipso *Marchionatus* territorio, & pro quocunque etiam territorio usurpatur, ut pass. apud Scriptores Langob. & Germanicos apud Leiserum in Jure Georgico. Apud veteres etiam erant Fundi *Limitotrophi* vocitati, & *Terræ*, *Paludes*, & *Pascua Limitanea*, de quibus Cujac. Tom. II. tit. 60. Inde fundi illi ita adpellati, quod milites *Limitanei* (iidem, qui postea *Marchiani*) alantur; non tamen quod ad eos pertineant. At fundi *Limitanei* qui dicuntur, ad milites limitaneos pertinent, itemque pascua, & paludes: Fundi autem *Castellorum* ad *Castellanos* milites; quæ consule in Cod. Theod. tit. de Fund Pat. leg. 1. 2. 3. & 8. & Cujac. loco cit. ubi de *Limenarchis* verba facit, qui militibus ad custodiam limitum, seu *Marchiarum* designatis præerant, ne hostes irruerent, quorum etiam mentio in Cod. *Prat.*

(4) *Ferquidi*, i. *similes*, seu *pares*. Lex Langob. Lib. I. tit. 19. §. 2. *Ipse qui focum portavit, damnum ferquidum, id est simile, componat*; & §. 16. *Reddat ferquidum* (canis occisi) *aut similem*. In Reg. Petri Diac. num. 393. *& restaurato nobis ferquidum, id est simile*. Male hoc verbum pluries ab Ughellio usurpatum. *Prat.*

(5) *Cod. Vat.* habeant. *Per.*

(6) Videl. per litis contestationem, sive per judicii cursum. Aliquando pro duello vox eadem accipitur. *Prat.*

(7) *Etiam*. Prat.

(8) I. *ab hodie*. Prat.

(9) *Cod. Vat.* Bicentos. *Per.*

(10 *Visantos aureos*, nempe Bisantios, seu Byzantios aureos, nummi qui Byzantii cusi erant ab Græcis Augg. Erant etiam Bisantii *albi*, id est argentei, de quibus meminit Charta Monast. Monialium S. Joannis Capuæ A. MXI. *centum visanteos albos, seu de argento*. Prat.

(11) L. Lang. Lib. I. tit. 9. l. 21. *Per.*

& illos homicidas si habere potuerimus, trademus vobis ad faciendum de his quodcumque volueritis; & quamdiu eos habere non potuerimus, dabimus in potestate vestra integras substantias eorum, & illos homicidas quandocumque potuerimus habere, pariter dabimus. De homicidio subiti scandali sit, sicut in lege (1) nostra sancitum est.

XXI. Si ego Radelchisus aliquid donavi de causa Palatii infra vestros fines, sit in potestate vestra facere exinde quodcumque volueritis. Et si tu Siconulfus Princeps donasti aliquid de causa Palatii ad illos homines, qui prius fuerint in tua potestate, & modo sunt in mea, quantum exinde in tua portione fuerit, sit in vestra potestate exinde facere, quod volueritis. Et si ego Radelchisus donavi aliquid per Breve, aut per Præceptum ad homines, qui fuerunt mecum, & modo sunt tecum; & illi iterum per quæcumque munimina exinde dederint cuicumque aliquid, non deinde faciant justitiam alicui, nisi tantummodo reddant, quod proinde acceperunt, & illum, quod ego donavi, redeat ad illos, quibus per legem debeat pertinere. Et de omni causa, quæ a modo surrexerit inter homines utriusque partis, judicabimus exinde secundum legem, & justitiam, absque omni injusta dilatione. Sed & de causis anterioribus, quas habuerunt homines utriusque partis inter se, judicabimus exinde secundum legem, & justitiam, absque omni dilatione injusta, vel fraudis argumento; excepto homicidio, & incendio, deprædatione, ac zala, de quibus superius est definitum.

XXII. Omnibus hominibus vestræ partis habentibus uxores, vel sponsas suas in parte nostra, si eas quæsierint, & nos noverimus, reddemus eas absque detinentia cum filiis, & filiabus suis, nullam læsionem membrorum habentes a modo factam a parte nostra, & cum omni causa sua, quam nunquam habentes voluerint (2) secum portare.

XXIII. Et omnes apprehensos quo modo voluerint redire ad vos, dimittemus redire absque læsione membrorum.

XXIV. Et a modo nullum Saracenum in meum, vel populi, ac terræ meæ adjutorium, seu amicitiam habere quærimus, tam de his qui in omni Provincia Beneventani Principatus sunt, quam etiam de illis, qui extra omnem Beneventanam Provinciam sunt; & nunquam eos contra vos irritans irritare faciam, & nullum eis adjutorium impendam, vel impendere faciam; & adjuvabo vos absque omni injusta dilatione usque ad summam virtutem, sicut melius potuero, cum populo meæ partis, ut pariter expellamus de ista Provincia nostra omnes Saracenos quomodocumque potuerimus: & a modo, ut dictum est, nullum Saracenum recipiam, vel recipere permittam, præter illos, qui temporibus DD. Siconis, & Sicardi fuerunt Christiani, si (3) magarizati (4) non sunt. Et præsentialiter antequam Domnus Ludoguicus Rex cum suo exercitu exeat de ista terra, do in vestra potestate Gastaldatum Montellam cum omnibus Castellis ejus, & medium Gastaldatum Acerentinum, sicut supra dictum est, si ullo valuerimus ingenio.

XXV. Ita & a modo nullam læsionem faciemus ego, & populus meus ad ipsum populum, & terram, omnemque facultatem eorum quantum exinde debet venire ad vestram portionem per meam voluntatem. Et a modo de Gastaldatu Montellæ, & medio Gastaldatu Acerentino, qua parte conjunctus cum Latiniano, & Consia, nunquam hominem recipio, neque illuc ego hominem pro suo damno dirigam, præter cum vestra voluntate pro vestra salvatione, ut ipsi redeant ad fidem, & potestatem vestram, & si exinde habeo homines, reddo eos.

XXVI. Hæc omnia vobis, quibus supra Siconulfo Principi, & ei, qui per tuam voluntatem in Salerni civitate Princeps fuerit electus, observare (5) faciam ego Radelchisus Princeps absque omni fraude, vel malo ingenio, vel quocumque argumento, occasione, seu diruptione.

XXVII. Si vero populus portionis meæ cum populo vestræ partis ierint per creventiam (6) in exercitu quocumque; & quolibet modo occiderint, vel apprehenderint vestros honoratos, ac vassallos, & ausæ fuerint duodecim personæ, quales vos quæsieritis, jurare ad Sancta Dei Evangelia, ut neque per consensum meum, neque per contrarietatem talia vobis facta sint, faciam vobis tradere in vindictam quamcunque volueritis solummodo, qui perpetraverint, atque consenserint, si habere potuerint; & si ipsæ duodecim personæ non fuerint ausæ satisfacere de consensu meo, sicut prædictum est, tunc dabimus Domno nostro Imperatori x. millia Vizanteos aureos; eos, qui tale malum egerint, trademus ad vindictam, qualem volueritis.

XXVIII.

(1) L. Lang. Lib. I. tit. 6. De subito surgente rixa. *Per.*
(2) For. *valuerint*. Per.
(3) *Si mazarizati*. Per.
(4) *Magarizati*, *Magarizare* dicebantur Saraceni, quum eamdem sectam post abdicatam Jesu Christi Religionem amplectebantur: sic dictum hoc verbum a græco μαγαρίζειν, quod significat *stercore exspurcari*, ut opinatur Leunclavius in Pandect. Turc. n. 22. Unde *Magarita* idem atque *Apostata*. Prat.
(5) Hinc nosces Langobardos Principatus non ad heredes pertransisse, sed ab electione populi, & Principum concursu dependere. Sed hac de re fusius in Differt. de success. Langob. Princ. *Prat.*
(6) *Per creventiam*, videl. per societatem, seu *associationem*, ut ex Leg. Langob. evincitur. *Prat.*

XXVIII. Et cum pactum istud firmatum fuerit, reddam tibi Siconulfo præsentialiter Petrum filium Landonis, & Poldefrit filium Paldulfi, si tu mihi reddideris Adelgisum, & Ladelgisum filios meos, & Potonem nepotem meum (1).

Hactenus Capitulare Principis Radelchisi, de quo Anonymus Salern. in Hist. Langobardorum non edita sic habet:

Ab illo denique tempore Salernitani peculiarem obtinent Principatum, & ipsum fœderis Scriptum in hac Salernitana urbe adhuc hactenus manet, & sufficienter ab illustrissimis viris nimirum firmatum, & tantum nomina illorum non prætermittam. In primis Radelchisi Princeps propria manu scriptus inibi erat. Id ipsum Maielpoto, Rofrit, Bernardus, Toto, Joannes, Taffilo, Guala, Dauferi, Maienulfus, Poto, Petrus, Caide, Laitu, Gualati (2), Ermengardus, Adelchisi, Taffilo, Rodelsci (3), Joannes, Archisi, Adelchisi, Aduini, Epo, Adelpertus, Guaiferi Comes, Radoalt (4), Radelgari, Radelfrit, Azzo, Adelricus, Adelverto, Saductus (5), Landemari, Pandenulfo, Jugobrandus.

CAPITULARE

ADELCHIS PRINCIPIS BENEVENTI (6).

Index Capitulorum.

CAPITULARE.

I. Si cujuscumque servus liberam uxorem tollere, qui ad Palatium justa Legem pertinebat, utique pessima extitit consuetudo, ut eas personas quisquis vellet experet, a modo autem, & deinceps statuimus, ut tanta perversitas nullum habeat locum; sed ipse solummodo eos habeat semper, cujus primum ille fuerat servus, etiam si illos ad Palatium nunquam repetant. Nam potest fieri, ut ipsum solum habeat dominus suus, quem si hac occasione amiserit, efficietur pauperrimus. Sed si unum, sive plures habuerit famulos, & in uno quolibet eorum istud occiderit, dominus suus, uti decretum est, eum cum illam, quam sibi eam uxorem tulerit, possideat perpetim cum filiis eorum. Et si quis temerarius eos ad Palatio petere deinceps præsumpserit, petitio illius causa permaneant (11).

II. Si quis a quocumque fuerit plagatus, & plagam Judex præsentialiter factam aspexerit, & adversarius illam ei egisse negaverit; preveat sacramentum plagatus, quod certius ipse, super quem proclamavit, illam ei fecerit, quam ostenderit plagam; postea vero improbus persolvat illi justa Edicti tenore justitiam absque tergiversatione aliqua.

III. Si clarum, manifestumque fuerit qualibet

---

(1) Quum jam pacis fœdera firmata fuissent ab utraque bellantium factione, reliquum erat, ut dati obsides suis dominis restituerentur. Quod & in hocce postremo Capitularis numero sancitum est. *Prat.*

(2) *Gualaici*. Per.

(3) *Rodersi*. Per.

(4) *De Radoaldis superius dictum est*. Prat.

(5) Fort. *de genere Saductorum, quos sup. memoravi*. Prat.

(6) Sedit Adelchis ab A. DCCCLIV. ad DCCCLXXXVIII. de quo Erchemp. a n. 20. usq. ad 39. *Per.*

(7) Non de solo *Morgincap*, quod sonat *Matutinale donum*, estque idem ac *quarta*; sed de *octava* etiam loquitur hoc Capitulare infra n. 3. *Per.*

(8) Morgicapud *erat quarta pars bonorum viri, quæ mulieri dabatur post nuptias, & dicebatur donum matutinale*. Prat.

(9) *Monumentum*, libro di memoria. *Prat.*

(10) *Stipulationes, Instrumenta*. Prat.

(11) Tales conjuges Palatio sub quadam conditione adjudicavit Rex Luitpr. Leg. Langob. lib. 2. tit. 9. l. 1. quos postea Lotharius lege 4. ibid. ad anteriorem dominum reverti jussit. Idem nunc statuit Prin. Adelchis. *Per.*

libet feminam consuetudo, & legaliter habuisset maritum, & quartam, seu octabam habuisset ab eo sibi factam, eamque (1) perturbatione temporis perdidisse quomodocumque, vel si etiam, ut accidere solens multotiens, quartam eandem, vel octaba non fuerit scripta, propinquis mariti, vel quilibet aliter eandem quartam, vel octaba eidem mulieri rite competentem contraire minime presumat. De quibus si ulterius altercationem quisquam proposuerit, ejus querelam nullum optineat fructum; quoniam iniquum, & reprehensibilem videtur, ut quod omnes de suis retinent viris aliquante mulieres pro injuria, vel aliqua accidentia amittunt.

IV. Si quis se testem in quocumque munimine propriis manibus subscripserit de rebus, quibus forsitan facto ad se pertinentibus; statuimus, ut postea nullo modo inde valeat movere causationem; devet enim sollicite perquirere, & scire, quod sit illut, ubi rogatur subscribere (2).

V. Si quis rem suam obligaverit cuicumque & denuo illam alteri vendiderit, & emptor ipsam ante faciem, cui obligata fuerit prius anno uno expleto possederit, postea exinde nullam controversiam his, qui eam obligata habuit, valeat movere; quoniam neglectui ejus rite deputabitur, quod emptorem infra tot spatium exinde appellare contempsit, & quod ab illo obligatore nullam prius acceperit firmitatem; quoniam justum videtur, ut magis his, qui illud pretium dedit, eandem rem possideat, quam ille solam obligatione retinent. (3)

VI. Si quis juraverit, & cognitum fuerit certius Judici, quod perjurasset, aut famam habuerit perjurandi; si calumniator intentionem proposuerit, quod tunc perjurasset fallaciter, & postea ipse, qui juravit, persolvat ei justitiam, si ceciderit, juxta Edicti tenorem. (4)

VII. Si quis casam, vel quacumque rem aliquis per munimen (5) habuerit, & illud munimen per ignem, aut depredationem postea amiserit, & causator quicumque dixerit, quoniam eandem casa, vel res, quam possidet, ei debeat pertinere, legaliter preveat sacramentum idem possessor cum parentibus, quod de eandem rem, vel casa veracem habuisset munimina, sed ea per ignem, aut a zalatione (6), seu depredationem perdidisset. Si vero his, qui querela movit, prius elegerit ille velle per pugnam approbare, solus juret, qui ipsam tenuerit, quecumque fuerit res, & sic ad pugna pergatur, etenim considerandum est, & veraciter credendum, fieri potuisse, ut multis ut muniminis, vel ut dictum est, amiserint, & ammittant, dum & oppida, & ville plurime a Paganis (7) cremate sunt, & nostris exigentibus meritis sepius cremantur, & disperduntur. Ideoque iniquum videtur, ut talibus accidentibus amisso munimine aliquis it perdat, si munimen inde non ostenderit, quod jure ei competit has habere.

VIII. Inconveniens usque modo consuetudo extitit, ut jam quisquis voluisset, si nosse scribere, Brevem (8) undecumque opportunitas exegisset. A modo autem decernimus, ut soli Notarii Brevem scribant, sicut & cetera munimina. Et quiscumque deinceps Brebis fuerint absque Notarii subscriptionem ostensus, nullam retineat firmitatem; quoniam multos ex illis deprehendimus fuisse falsos, quod, Deo opitulante, cupimus, ut ulterius non fiat.

---

(1) De *quarta*, sive *Morgincap*, aperte Lex Lang. lib. 2. tit. 4. l. 1. Sed nusquam de *octava*: nisi ea sit *Methium*, alias *Meta*, quæ tamen non est *octava* ibid. l. 2. *Per.*

(2) Minime Legem reprehendit, vel cassat, latam a Rege Luitpr. Leg. Lang. lib. 2. tit. 2. l. 5. quæ est de *puellis sine parentum voluntate nuptis*. Per.

(3) Lotharius hoc ipsum constituit Leg. Lang. lib. 2. tit. 19. l. unica. *Per.*

(4) In hoc Capitulari, sicut etiam alibi, nomine *Edicti* veniunt Leges Regum Lang. Lex autem nunc denotata, habetur lib. 2. tit. 51. l. 1. & tit. 58. l. 1. *Per.*

(5) I. *Stipulationem*. Prat.

(6) I. *Incendio*. Prat.

(7) *Saracenos* dicit, omnem tunc cis-Tyberinam Italiam dire vastantes; quo etiam nomine eos appellat Erch. N. 16. & Joannes Papa VIII. in Epistolis sæpe. *Per.*

(8) I. *Notariorum Instrumenta*. Prat.

PACTUM (1)

A GREGORIO DUCE NEAPOLIS

In Indict. XIV. hoc est anno Christi DCCCCXI. & a Duce JOANNE ejus nepote non ante annum DCCCCXXXIII. rursus initum cum PP. Beneventi Landulfo I. &c.

Repromittimus, & juramus, & jurare faciemus Nos Johannes (2) Consul, & Dux vobis Dom. Landolfo, & Dom. Atenolfo, seu & Dom. Atenolfo (3) Principibus, filiis, & nepos Dom. Atenolfi Principis quia a modo, & semper sumus, & erimus vobis veri amici, absque omni mala deceptione, & absque omni dolo, & fallacia, & malo ingenio; & nullam contrarietatem, aut inimicitiam faciemus vobis in toto Principatu vestro Beneventano cum omnibus suis pertinentiis; nec in toto Comitatu (4) Capuano; nec in Teano cum pertinentiis suis, nec in hominibus vestris, nec vos, nec homines nostris per nostram voluntatem, nec per qualecumque submissionem nostram; & si factum fuerit absque nostra voluntatem, judicavimus vobis exinde secundum Legem Romanorum, aut Langobardorum absque malitiosa occasione.

De Sarracenis autem hoc vobis permittimus, quia sic per omnia, & in omnibus pleno animo vos, & terram vestram contra eos adjuvavimus, ubi necessarium fuerit tamquam nos medipsos, & terram nostram.

De Liburias autem hoc vobis permittimus; ut terras, servos, & ancillas, seu fundora per concessiones habetis vos, & homines vestris in Liburias a singulis Ducibus Neapolitanorum, que possidetis temporibus Dom. Landenolfi (5) patrui vestri, & Dom Sergi (6) abij vestri. Si parte nostra Neapolitanorum exinde requisitionis habueritis intentionem vos, aut homines vestris, si ausi fueritis inde jurare, jurent a parte vestra Langobardorum sex homines vestris quales nos voluerimus ad Sancta Dei Evangelia, dicentes. *Quia iste cessiones, que ostendimus, veraces sunt*. Et tunc fiat vobis a parte nostra firmitatis scriptio, exinde ut amplius non sit vobis requisitionis causatio de ipsis rebus, & servis, & ancillis, quos, & quas predicti continunt cessiones a partibus nostris Neapolitanorum, & liceat vos eas habere securiter. Et que per car. (7) emptionis, seu convenientie, vel divisionis habetis, & homines vestris a partibus nostris Neapolitanorum, si a parte nostra Neapolitanorum exinde requisitionis intentionem habueritis vos, & homines vestris, si ausi fueritis inde jurare, jurent a parte vestra Langobardorum tres homines vestris de sex hominibus, quales nos vobis querimus, ad Sancta Evangelia, dicentes. *Quia iste cartule, quæ ostendimus, veraces sunt, & ipsas terras, quas iste cartule continunt, possidemus eas*. Et tunc fiat vobis exinde a parte nostra firmitatis scriptio de cunctis rebus illius, que predicte emptionis, seu convenientie, vel divisiones continent, & possideatis eas securiter.

De omnibus vero aliis causis, unde intentionem habueritis vos, aut homines vestri nobiscum, aut cum nostris hominibus, judicavimus vobis exinde absque omni dilatione secundum Legem Romanorum, aut Langobardorum absque omni malitiosa occasionem. Si vero vestris hominibus intentionem habuerint cum nostris hominibus Neapolitani, aut aliis hominibus nostris de terris in Liburias, quam comparatas habent, ostendentes eis homines nostris cartulas, quomodo comparatas habent eandem terras a Langobardis, & auctor paruerit, si manifestatum fuerint, & venditio ipsa vera sit, & venditor ille juxta textum cartule defendere potuerit, pars nostra habeat terram illam. Et si defendere non potuerit secundum ipsa carta, aut non voluerit, & negaverit, quod ipse eam non fecisset, & pars nostra terras illas possederit; a triginta (8) autem sol. insuper, juret pars nostra cum sex hominibus, quales vos volueritis, ad Sancta Dei Evangelia, dicentes. *Ut carta ipsa verax sit*. A triginta vero sol. in subtus

---

(1) Sequens Pactum Gregorii subjungitur Pacto Arechis Pr. in exemplari Cavensi nulla prorsus epigraphe, nec nota præfixa distinctionis. *Per.*

(2) De hoc Duce Ostiensis l. 1. cap. 55. & Mss. Acta Sancti Agrippini. *Per.*

(3) Atenulfus iste a patre assumptus est in collegam, & successorem Principatus an. CMXXXIII. postquam Atenulfus eius patruus e Principatu fuerat depulsus. Vide sup. Igitur non antea renovatum hoc fuit Pactum a Duce Joanne. *Per.*

(4) Capuæ itaque Principatus institutus nondum fuerat: quod alibi conjectabam. *Per.*

(5) De hoc Landenulfo in Face dixi ad Erchemp. n. 15. *Per.*

(6) Nempe *Ducis Neapolis*. Cujus filiam cum hinc constet in uxorem ductam ab horum PP. patre Atenulfo I., ipse viderit Anonymus Salern. quo pacto præsens Landulfus I. potuerit conjugem habere Gemmam filiam Athanasii Episc. Neap. fratris antedicti Sergii. Primum sane Atenulfum nil prohibet censere bigamum, quod ex his & ex dictis in Stemm. Principum satis liquet. *Per.*

(7) I. *Chartam*. Prat.

(8) Rotharis Leg. Lang. lib. 2. tit. 55. l. 5. statuerat *duodecim* &c. *Per.*



T.I.Pag



æus jurent tres, quales vos quesieritis, & destringat parte vestra nobis illum venditorem juxta textum ipsius cartule. Nos vero omnem compositionem, & legem, & justitiam, que parti nostre facere debet auctor ille, donamus omnia ea parti vestri Langobardorum per Launegilt (1) receptum a vobis exiguum; & faciendum omnia exinde, que volueritis: & auctor ille defendat parti nostre terram illam absque omni requisitione. Et si pars nostra terras illas possederit per ipsa cār (2) & auctores non paruerit, & aliquid nos a parte vestra exinde quesierint, comberemus parti vestre cār ipsa cum sex hominibus nostris, quales vos nobis quesieritis; & ipsas terras habeamus absque omni intentione. Hec autem omnia superscripta qualiter continent in quantum exinde apparuerit per omnia ita vobis observabimus, & ita vobiscum in antea sedebimus, sicuti sedit Doms Gregorius (3) abius meus vobiscum, ex quo cum illa suprascriptum Capitularium fecistis a secundo die mensis Julii Indic. XIV. (4) usque in obitum ejus, unde solummodo nomina mutabimus. Hec omnia vobis observabimus, salva fidelitate sacrorum Imperatorum (5).

Dom Johs Consul, & Dux. Gregorius thius ejus, Landolfus, Gregorius fil. dom. Johi. Sergius fil. dom. Aligerni. Aligernus. Johs. Cesarius. Johs. Sergius. Gregorius. Gregorius. Johannes. Gregorius. Sergius. Petrus. Aligernus.

APPENDIX SECUNDA.

FORMULÆ RITUALES.

Liturgia ferme ante sexcentos annos in Mediolanensi *Imperatoris* Henrici *coronatione usurpata, atque e Ms. Codice descripta.* Ita Murat. Tomo II. Anecd.

INcipit Ordo ad consecrandum Regem. Veniant cum magna processione in Palatium Regis Episcopi suffraganei Episcopaliter parati, & Chorus Majorum decenter adornatorum cum Crucibus, & incenso, ut mos est in solemnitatibus incedere. Et illi de centum cum Primicerio, qui Primicerius habeat pluvialem, & baculum cum thuribulo, & Cruce. Ipsi vero habeant cottas albas.

Modus Processionis talis est.

Primo incedunt *Vegloni*, & *Veglonæ* decenter ornati, & ornatæ. Secundo incedunt Clerici de numero centum. Tertio Chorus Ordinariorum cum suis officialibus. Quarto incedunt Episcopi suffraganei. Cum autem pervenerint ad Palatium, ubi est Rex, dicat unus Episcoporum hanc Orationem:

Dominus vobiscum. Resp. *Et cum spiritu tuo.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum Henrichum, Regni fastigio dignatus es sublimare, tribue ei quæsumus, ut ita in ejus seculi cursu cunctorum in communem salutem disponat, quatenus a tuæ veritatis tramite non recedat. Per Dominum &c.

Postea suscipiant duo Episcop[i] dextra, lævaque: Clerici autem cantant responsorium:

Dirumpam vincula populi mei, dicit Dominus, & disperdam omnia mala, quæ induxi super eos, ut auferam universum dolorem a facie terræ, & a Civitate ista. Versus. *Israel si me audieris, non erit in te Dominus recens, neque adorabis Dominum alienum.*

Deducitur Rex ab ipsis Episcopis cum processione usque ad Ecclesiam Beati *Ambrosii* Ducibus, Marchionibus, Nobilibusque cum populo ipsos Episcopos, & Regem comitantibus, Clericis autem canentibus Psallendas:

Benedices Coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate. Psalmus. *Te decet hymnus Dominus in Sion, & tibi reddetur votum in Hierusalem.* Antiphona se-

---

(1) Ex Leg. Lang. lib. 2. tit. 15. l. 6. irritæ erant donationes, factæ absque *Launegild*, id est reciproco dono. *Per.*

(2) I. *Chartam*, & sic sup. *Prat.*

(3) De hoc Gregorio Ost. l. 1. c. 49. & 52. *Per.*

(4) Nempe an. CMXI. ac sequenti ab obitu Atenulfi primi, cum e Constantinopoli rediisset Landulfus I. ejus filius. Quo tempore Dynastæ cis Tiberim omnes in Saracenos coivere. Vide Luitpr. l. 2. c. 12, & seqq. Ost. l. 1. c. 51. *Per.*

(5) *Constantini*, & *Romani*. Quibus præfati etiam Principes tunc obtemperabant, ut dicam ad Lupum an. CMXXIX. *Per.*

secunda. *Benedictus homo, Domine, quem erudieris, & de lege tua docueris.* Antiph. III. *Jucundus homo qui disponit sermones suos in judicio, non movebitur in æternum.* Antiphona IV. *In via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini fuit voluntas ejus.* Antiphona V. *Erit justus tanquam lignum fructiferum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Antiphona VI. *Desiderabiliora sunt Deus mandata tua super aurum, & lapidem pretiosum, & dulciora super mel, & favum.* Antiphona VII. *Et si coram hominibus insecutus est, Deus tentavit illum, tanquam aurum in fornace probavit eum, & sicut holocausti hostias accepit illum.* Antiphona VIII. *Dicit Dominus: Super quem requiescam? Super humilem, & mansuetum trementem verba mea.* Antiphona IX. *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, dicit Dominus. Confortare populum tuum, ne timeas, ecce Dominus Deus tuus ante te, & non te derelinquet.* Antiphona X. *Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat semper. Conserva, & audi vocem meam, & præcedat te Angelus meus.*

Ad ostium autem Ecclesiæ Clerus subsistat. Alter Episcopus dicit Orationem hanc: *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.*

Deus, qui scis genus humanum nulla virtute posse subsistere, concede propitius, ut famulus tuus Henrichus, quem populo tuo voluisti præferri, ita tuo fulciatur adjutorio, quatenus quibus potuit præesse, valeat & prodesse. Per Dominum &c.

Introgressi cantent Clerici Antiphonam: *In virtute tua Domine lætabitur Rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine.* Usque ad introitum Chori. Illis autem subsistentibus dicat Dominus Archiepiscopus: *Dominus vobiscum.*

Omnipotens sempiterne Deus cœlestium, terrestriumque moderator, qui famulum tuum Henrichum ad Regni fastigium provehere dignatus es, concede quæsumus, ut a cunctis adversitatibus liberatus, & Ecclesiasticæ pacis dono muniatur, & ad æternæ pacis gaudia te donante pervenire mereatur. Per Dominum &c.

Cantent Clerici Antiphonam post *Kyrie* cum *Gloria. Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in Cathedra seniorum laudent.*

Post hæc inter manus Episcoporum perductus in Chorum usque ad Altaris gradum incedat, cunctoque pavimento tapetibus, & paleolis contecto, ibi afferantur Regalia, & deponatur Corona in Altari. Tunc interrogetur ipse Princeps a Domino Archiepiscopo per hunc modum.

Vultis Sanctas Dei Ecclesias, ac Rectores earum (additiones tempore D. Ludovici Regis Romanorum, *canonice institutos, & secundum Religionem Christianam debitam viventes*) *nec non & cunctum populum sibi, & vobis subjectum juste, ac religiose regali providentia juxta morem patrum defendere, ac regere?*

Responsio Regis. *Profiteor in quantum divino fultus adjutorio, ac solatio omnium Fidelium meorum valuero, ita me per omnia esse acturum.*

Dominus Archiepiscopus coram omnibus addat legens: *A vobis perdonari petimus, & unicuique de nobis, & Ecclesiis nobis commissis Canonicum Privilegium* (additio ejusdem, *Sacro Imperio, nobis, & successoribus nostris non obvians, nec derogans honori Imperiali in aliqua parte*), *ac debitam legem, atque justitiam conservetis, ac defensionem exhibeatis, sicut Rex in suo Regno unicuique Episcopo, & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.*

Ad hoc Rex respondeat, & taliter dicat: *Promitto vobis Sanctissimi Patres, & perdono, quia unicuique de vobis, & Ecclesiis vobis commissis Canonicum Privilegium* (additio ejusdem: *prout jam promissum est*), *& debitam legem, atque justitiam servabo, & defensionem, quantum potuero adjuvante Domino exhibebo, sicut Rex in suo Regno unicuique Episcopo, & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.*

Deinde alloquantur duo Episcopi populum in Ecclesia, inquirentes eorum voluntatem, si tali Principi ac Rectori se subjicere, ipsiusque Regnum firma fide stabilire, atque jussionibus obtemperare velint, & si concordes taliter sunt in consecratione, qualiter fuerint in electione, & si concordes invenerint, agant gratias Deo, & omnis plebs cantet *Kyrie eleison.* Post hæc ante Altare Rex totus in Cruce prostratus cum Episcopis jaceat, & Presbyteris desuper Choro Letanias agentibus. *Domine miserere. Domine miserere. Domine miserere. Christe libera nos. Salvator libera nos. Christe libera nos. Salvator libera nos. Christe libera nos. Salvator libera nos. Sancta Maria. Sancte Michael. Sancte Gabriel. Sancte Raphael. Sancte Joannes. Sancte Petre. Sancte Paule. Sancte Andrea. Sancte Thoma. Sancte Luca. Sancte Stephane. Sancte Clemens. Sancte Nazari. Sancte Celse. Sancte Gervasi. Sancte Protasi. Sancte Grisante. Sancta Daria. Sancte Pantaleon. Sancte Ambrosi. Sancte Satire. Sancta Marcellina. Sancta Candida. Sancta Justina. Sancte Benedicte. Omnes Sancti. Exaudi Christe. Voces nostras. Exaudi Christe. Voces nostras. Exaudi Christe. Voces nostras. Exaudi Deus. Et miserere nobis. Exaudi Deus. Et miserere nobis. Exaudi Deus. Et miserere nobis. Kyrie eleison. Kyrie eleison. Kyrie eleison.*

Finitis Letaniis erigant se Episcopi, & unus eorum dicat. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.*

Te invocamus Domine Sancte Pater omnipotens

potens æterne Deus, ut hunc famulum tuum Henricum, quem tuæ divinæ dispensationis providentia in primordio plasmatum usque in hunc præsentem diem juvenili flore lætantem crescere concessisti, cum tuæ pietatis dono ditatum, plenumque gratia veritatis de die in diem coram Deo, & hominibus ad meliora semper proficere facias, ut summi regiminis solium gloriæ supernæ largitate gaudens suscipiat, & misericordiæ tuæ muro ab hostium adversitate undique munitus plebem sibi commissam cum pace propitiationis, & virtute victoriæ feliciter regere valeat. Per Dominum &c.

Tunc alius Episcopus appropinquans dicet hanc Orationem.

Deus qui populis tuis virtute consulis, & amore dominaris, da huic famulo tuo spiritum sapientiæ cum regimine disciplinæ, ut tibi toto corde devotus in Regni regimine maneat semper idoneus, tuoque munere ipsius temporibus securitas Ecclesiæ dirigatur, & in tranquillitate devotio Christiana permaneat, ut in bonis operibus perseverans ad æternum Regnum te duce valeat pervenire. Per Dominum &c.

Alius Episcopus:

In diebus ejus oriatur omnibus æquitas, & justitia, amicis adjutorium, inimicis obstaculum, humilibus solatium, elatis correptio, divitibus doctrina, pauperibus pietas, peregrinis pacificatio, propriis in patria pax, & securitas unicuique secundum suam mensuram: moderate gubernans se ipsum sedulus discat, ut tua irrigatus compunctione toti populo tibi placita præbere vitæ possit exempla, & per viam veritatis cum grege gradiens sibi subdito opes frugales abundanter acquirat simul, ad salutem non solum corporum, sed etiam cordium, a te concessa cuncta accipiat, sicque vitæ cogitatum animi, consiliumque omne componens plebem gubernare cum pace simul ac sapientia semper invenire videatur, teque auxiliante præsentis vitæ prolixitatem percipiat, & per tempora bona usque ad summam senectutem perveniat, hujusque fragilitatis finem perfectum ab omnibus vitiorum vinculis tuæ pietatis largitate liberatus, & infinitæ prosperitatis præmia perpetua Angelorumque æterna commercia consequatur. Per Dominum &c.

Tunc consecrat eum Metropolitanus in hæc verba:

Omnipotens sempiterne Deus Creator, & Gubernator Cœli, & Terræ, conditor, & dispositor Angelorum & hominum, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hostibus triumphare fecisti; Moysi, & Josue tuo populo prælatis multiplicem victoriam tribuisti; humilem quoque David puerum tuum Regni fastigio sublimasti, eumque de ore leonis, & de manu bestiæ, atque Goliæ, sed & de gladio maligno Saul, & omnium inimicorum ejus liberasti, & Salomonem sapientiæ, pacisque ineffabili munere ditasti, respice propitius ad preces nostræ humilitatis, & super hunc famulum tuum, quem supplici devotione in Regnum pariter elegimus, benedictionum tuarum dona multiplica, atque dextera tuæ potentiæ semper ubique circumda, quatenus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moysi mansuetudine fretus, Josue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, sapientia Salomonis decoratus tibi in omnibus complaceat, & per tramitem justitiæ inoffenso gressu semper incedat, & totius Regni Ecclesiam deinceps cum plebibus sibi annexis ita enutriat, & doceat, muniat, & instruat, contraque omnes visibiles, & invisibiles hostes idem potenter, regaliterque tua virtute regimen Italicorum administret, ut Regale solatium Saxonum... ... que, aliorumque populorum sibi subditorum sceptra non deserat, sed ad pristinæ fidei, & pacis concordiam eorum animos te opitulante reformet, ut uterque horum populorum debita subjectione fultus cum digno amore per longum vitæ spatium paternæ apicem gloriæ tua miseratione unitum stabilire, & gubernare mereatur, tuæ quoque protectionis galea munitus, & scuto insuperabili jugiter protectus, armisque cœlestibus circumdatus optabilis victoriæ triumphum de hostibus feliciter capiat, terrorem suæ potentiæ infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus lætanter reportet: virtutibus necnon quibus præfatos fideles tuos decorasti, multiplici honoris benedictione condecora, & in regimine Regni sublimiter colloca, & oleo gratiæ Spiritus Sancti perunge. Per Christum Dominum nostrum &c.

† Tum ungatur Rex a Domno Archiepiscopo ad modum Crucis in spatulis de Oleo exorcizato, & cantent Clerici Antiphonam.

Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit Deus Dominus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Unxerunt Salomonem Sadoch Sacerdos, & Nachaz Propheta Regem in Geon, & ambulantes læti dixerunt: Vivat Rex in æternum.

Qua finita prosequatur Domnus Archiepiscopus:

Unde unxisti Sacerdotes, Reges, & Prophetas, & Martyres, qui per fidem vicerunt Regna, & operati sunt justitiam, atque adepti sunt promissiones; cujus sacratissima unctio super eum effluat, atque in interiora descendat, & cordis illius intima penetret, & promissionibus, quas adepti sunt victoriosissimi Reges gratia tua, dignus efficiatur, quatenus & in præsenti seculo feliciter regnet, & ad eorum consortium in cœlesti Regno perveniat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui unctus est oleo præ consortibus tuis, & virtute Crucis potestates aereas debellavit, Tartara destruxit, Regnumque Diaboli superavit, & ad Cœlos victor ascendit, in cujus manu victoria omnis, gloria, & potestas

consistunt, & tecum vivit, & regnat in unitate ejusdem Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Post unctionem dicatur:

Dominus Dei Filius Jesus Christus Dominus noster, qui a Patre oleo exultationis unctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sacrati unguinis infusionem Spiritus Paracliti super te effundat benedictionem, eamque denique usque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus visibili, & temporali dono invisibilia percipere, & temporalia regere justis mundaminibus atque æternaliter cum eo regere merearis, qui solus sine peccato Rex Regum vivit, & glorificatur cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus. Per &c.

Heic detur ei anulus a Metropolitano:

Accipe Regiæ dignitatis anulum, & per hunc Catholicæ Fidei in te cognosce signaculum, quia ut hodie ordinaris caput, ac Princeps Regni, ac populi, ita per se veraciter actor, ac stabilitor Christianitatis, & Christianæ Fidei, & per hunc scias triumphali potentia hostes repellere, hæreses destruere, subditos coadunare, & converti perseverabilitati Fidei Catholicæ, ut felix in opere, locuples in fide cum Rege Regum glorificeris in æternitate per eum, cui honor, & gloria per infinita secula seculorum.

Sequitur Oratio:

Deus, cujus est omnis potestas & dignitas, da famulo tuo prosperum suæ dignitatis effectum, ut remunerante te permaneat, semperque te timeat, tibique jugiter placere contendat. Per &c.

Postea ab Episcopis ensem accipiat, dicente Metropolitano:

Accipe gladium per manus Episcoporum, (1) licet indignus, vice tamen, ac auctoritate Sanctorum Apostolorum consecratus, tibi regaliter impositum, nostræque benedictionis officio in defensionem Sanctæ Dei Ecclesiæ divinitus ordinatum, & esto memor, de quo Psalmista prophetavit dicens: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, ut in Henricho per eum vim exerceas æquitatis, molem iniquitatis potenter destruas, & Sanctam Dei Ecclesiam, ejusque fideles propugnes, ac protegas, nec minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes execres, & destruas, viduas, & pupillos clementer adjuves, & defendas, restaures desolata, construas restaurata, ulciscaris injusta, confirmes bene disposita, quatenus hoc agendo virtutum triumpho gloriosus, justitiæque cultor egregius cum Mundi Salvatore typum geras in nomine, sine fine merearis regnare, qui cum Patre &c.

Quo finito sequitur Oratio:

Deus, qui providentia tua cœlestia simul, & terrena moderaris, propitiare Christianissimo Regi, ut omnis hostium suorum fortitudo virtute gladii spiritualis frangatur, ac te pro illo pugnante penitus conteratur per Filium tuum Dominum nostrum &c.

Post hæc Domnus Archiepiscopus Coronam Capiti Regis cum Episcopis suis imponat, & dicat:

Accipe Coronam Regni, quæ licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur, quamque sanctitatis gloriam, & honorem, & opus fortitudinis expresse signare intelligat, & per hanc te participem ministerii nostri non ignores, ita ut sicut nos in interioribus Pastores, Rectoresque animarum intelligimus, tu quoque in exterioribus verus Dei cultor, strenuusque contra omnes adversitates Ecclesiæ Christi defensor Regnique a Deo tibi dati, & per officium nostræ benedictionis vice Apostolorum, omniumque Sanctorum tuo regimini a Deo commissi utilis executor, regnatorque perspicuus semper appareas, ut inter gloriosos athletas virtutum gemmis ornatus, & præmio sempiternæ felicitatis coronatus cum Redemtore, ac Salvatore Jesu Christo, cujus nomen vicemque gestare crederis, sine fine glorieris, qui vivit & imperat Deus cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti.

Oratio: *Deus perpetuitatis, lux virtutum, cunctorum hostium victor benedic hunc famulum tuum tibi caput suum inclinantem, & prolixa sanitate, & prospera cum felicitate conserva, & ubicumque, vel pro quibuscumque auxilium tuum invocaverit, cito adsis, & protegas, ac defendas; tribue quæsumus Domine ei divitias gratiæ tuæ, comple in bonis desiderium ejus, corona cum miseratione, & misericordia, ut tibi Domino Patri pia devotione jugiter famuletur.*

Heic detur ei Sceptrum:

Accipe Sceptrum Regiæ potestatis insigne, virgam, scilicet rectum Regni, virgam virtutis, qua te ipsum bene regas, sanctamque Ecclesiam, & populum Christianum tibi a Deo commissum regia virtute defendas ab improbis, pravos corrigas, rectos pacifices, & ut viam rectam tenere possis, tuo juvamine dirigas, quatenus de temporali Regno ad æternum Regnum pervenias ipso adjuvante, cujus regimen, & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

Oratio sequitur: *Omnium Domine fons bonorum, cunctorum Deus institutor præfectuum, tribue quæsumus famulo tuo adeptam bene regere dignitatem, & a te sibi præstitum honorem corroborare dignare: honorifica eum præ cunctis Regibus Terræ, verbi eum locupleta benedictione, & in solio Regni consolida firma stabilitate, visita eum in sobole, præsta ei prolixitatem vitæ, in diebus ejus semper oriatur justitia, & cum jucunditate, & lætitia æterno glorietur in Regno.*

Tunc detur ei Virga:

Acci-

(1) Aliqua deesse videntur.

Accipe virgam virtutis, atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos, errantes viam docere, lapsisque manum porrigere, disperdasque superbos, & releves humiles, & aperiat tibi Dominus N. J. C. os suum, qui de se ipso ait: Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur; & ipse, qui est clavis David, & sceptrum Domus Israel, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit, sit tibi adjutor, qui eduxit vinctum de domo carceris sedentem in tenebris, & umbra mortis, & in omnibus sequi merearis eum, de quo Propheta David cecinit: Sedes tua Deus in seculum seculi, virga æquitatis, virga Regni tui, & imitando spiritum diligas justitiam, & odio habeas iniquitatem, quia propterea unxit te Deus Dominus tuus oleo lætitiæ ad exemplum illius, quem ante secula unxerat oleo exultationis præ participibus suis Jesum Chr. D. N. &c.

Tunc benedicat eum Archiepiscopus:

Extendat omnipotens Deus dexteram suæ benedictionis, & effundat super te donum suæ protectionis, & circumdet muro felicitatis, ac custodiat, suæ propitiationis Sanctæ Mariæ, & Beati Petri Apostolorum Principis, Sanctique Ambrosii, atque omnium Sanctorum intercedentibus meritis. Amen. Alleluja. Victoriosum te, atque triumphatorem de invisibilibus, atque visibilibus hostibus semper efficiat, & sancti nominis sui timorem pariter & amorem continuo cordi tuo infundat, & in Fide recta, ac bonis operibus perseverabilem reddat, & pace in diebus tuis concessa cum palma victoriæ te ad perpetuum Regnum perducat. Amen. Alleluja. Benedic Domine hunc Regem nostrum, qui Regnum omnium moderaris a seculo, & tali eum benedictione glorifica, ut ... teneat sublimitatis sceptrum, & glorificatus in ejus protinus reperiatur merito. Amen. Alleluja. Honorifica eum præ cunctis Regibus gentium, felix in populo dominetur, & feliciter eum omnes nationes adorent, vivat inter gentium catervas magnanimus, sit in judiciis æquitatis singularis. Amen. Alleluja. Præsta ei prolixitatem vitæ per tempora, & in diebus ejus oriatur justitia, a te robustum regiminis solium teneat, & in æterno Regno glorietur cum jucunditate, & justitia. Amen. Quod ipse præstare &c.

Deinde coronatus honorifice deducatur ad Solium, & accipiat stationem a Domino Archiepiscopo dicente sic:

Sta, & retine amodo locum, quem hucusque paterna successione tenuisti, hæreditario jure tibi delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis, (additio ejusdem: *Tum Dei mysterio mihi cum ceteris Episcopis, devoti, & religiose adsistimus cum ceteris Dei servis,*) *& per præsentem traditionem nostram, omnium scilicet Episcoporum, ceterorumque Dei servorum, & quatenus Clerum sacris altaribus propinquiorem perspicis, tanto potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei, & hominum te mediatorem Cleri, & plebis in hoc Regni solio confirmet, & in Regnum æternum secum regnare faciat Jesus C. D. N. Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui cum Deo &c.*

Post hæc detur sibi Pomum aureum cum Cruce, & dicantur hæc verba:

Accipe Pomum aureum, quod significat Monarchiam omnium Regnorum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Et dicat Domnus Archiepiscopus omnibus audientibus:

Rectitudo Regis est noviter ordinati, & in solium sublimati hæc tria præcepta populo Christiano sibi subdito præcipere. In primis ut Ecclesia Dei, & populus Christianus veram pacem servet in omni tempore. Secundum est, ut rapacitates, & omnes iniquitates omnibus gradibus interdicat. Tertium est, ut omnibus judiciis æquitatem, & misericordiam præcipiat, ut illi, & nobis indulgeat suam misericordiam clemens, & misericors Deus, qui cum &c.

Et dicat Rex tertio: *Sic fiat*. Tunc det Domnus Archiepiscopus pacem Regi, & Rex det pacem omnibus, & Clerici cantent alta voce: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur &c.*

Tunc Domnus Archiepiscopus Missam celebrat cum plena Processione.

Oratio super Populum:

Deus qui miro ordine universa disponis, & ineffabili gubernas præsentia, quæsumus ut famulus tuus Henrichus in hujus seculi cursu implenda decernat, unde tibi in perpetuum placere valeat. Per &c.

Epistola, & Evangelium, Responsorium in Missa pro Rege, & dicto Evangelio Rex offerat panem, & vinum ad manus Domini Archiepiscopi.

Oratio super Syndonem:

Omnipotens sempiterne Deus, qui de plebe tua Regni fastigio famulum tuum Henrichum dignatus es sublimare, fac eum humilitatis, justitiæ, ceterarumque virtutum bono exuberare, ut a tuæ veritatis tramite non recedat, & ad te, qui vita es, gratiosus perveniat. Per &c.

Super Oblationem:

Concede quæsumus omnipotens Deus his sacrificiis salutaribus placatus, ut famulus tuus Henrichus ad peragendum regalis dignitatis officium inveniatur semper idoneus, & cœlesti patriæ reddatur acceptus. Per Dominum &c.

Præfatio:

Æterne Deus, qui es Auctor totius bonitatis, Regum consecrator, bonorum omnium attributor, dignitatumque largitor, cujus ineffabilem clementiam votis omnibus exoramus, ut famulum tuum Henrichum, quem regalis gloriæ culmine voluisti sublimari, sapientiæ, ceterarumque virtutum ornamentis

tis facias decorari, & ut tui est muneris, quod imperat, tuæ sit pietatis, quod id feliciter agat, quatenus de visibilibus, & invisibilibus hostibus triumphator effectus, & transitorii Regni gubernacula inculpabiliter teneat, & ad æterni Regni infinita gaudia te miserante perveniat. Per Dominum &c.

Benedictio Archipræsulis:

Benedicat tibi Dominus, custodiatque te, & sicut voluit te super populum suum esse Regem, ita in præsenti seculo felicem, & æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Amen.

Clerum, & populum, quem sua voluit opitulatione in tua sanctione congregari, sua dispensatione, & sua administratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. Amen.

Quatenus divinis monitis parentes, adversitatibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo Imperio fideli amore obsequentes, & in præsenti seculo tranquillitate fruantur, & tecum æternorum civium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse præstare &c.

Post Communionem:

Hæc Domine salutaris sacrificii perceptio famuli tui Henrici peccatorum maculas diluat, & ad regendum secundum tuam voluntatem populum tuum idoneum reddat, ut hoc salutari mysterio contra visibiles, atque invisibiles hostes reddatur invictus, per quod mundus est divina dispensatione redemtus. Per Dominum &c.

Et finita Missa Rex communicetur, & sic ait. *Deo gratias.*

PRECES RITUSQUE
ADHIBITI IN PURGATIONE VULGARI.

Ordo ad faciendum Judicium ad Aquam frigidam.

Hoc est verum Judicium ad hominem, qui debet exire in aquam frigidam, *quando Romani propter invidentiam tulerunt Domno Leoni Papæ oculos, & linguam, propter thesaurum Sancti Petri. Tunc venit ad Imperatorem Carolum, ut eum adjuvaret de inimicis suis. Tunc Imperator duxit eum Romam, & restituit eum in locum suum, & thesaurum supradictum non potuit invenire aliter, nisi per istud Judicium, quod Judicium fecere Beatus Eugenius, & Leo, & Imperator, ut Episcopi, & Abbates, & Comites firmiter teneant, & credant, quod probatum habuerunt illi sancti viri, quod invenerunt. Quum homines vis dimittere in aquam frigidam ad probationem, ita debes facere. Accipe illos homines, quos vis mittere in aquam, & duc eos ad Ecclesiam coram omnibus. Et cantet Presbyter Missam, & facit illos ad ipsam Missam offerre. Quum autem ad Communionem venerint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos conjuratione ista, & dicat:* Adjuro vos homines per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & per veram Christianitatem, quam vos suscepistis, & per Unigenitum Dei Filium, & Sanctam Trinitatem, & per Sanctum Evangelium, & per istas Reliquias, quæ in hac Ecclesia sancta sunt, ut non præsumatis ullo modo communicare, neque accedere ad hoc sanctum altare, si vos hoc fecistis, aut consensistis, aut scitis, qualiter hoc egerint. *Si autem homines tacuerint, & nemo ullum sermonem dixerit, tunc accedat Sacerdos ad Altare, & communicet ex illis quemcumque vult mittere in aquam. Quum communicant, dicat Sacerdos ad unumquemque per singulos:* Hoc Corpus, & Sanguis Domini nostri Jesu Christi sit tibi acceptum ad probationem hodie. *Expleta Missa faciet ipse Sacerdos aquam benedictam, & accipiat ipsam aquam, & vadant ad locum, ubi homines probati debeant esse. Quum autem venerit ad jam prædictum locum, præbeat illis omnibus de ipsa supra benedicta aqua bibere. Ut autem dederit, dicat ad unumquemque:* Hæc est Aqua benedicta. Sit tibi ad comprobationem fidei. *Postea vero conjuret Sacerdos Aquam, ubi illos mittere debet.* Adjuro, & benedico te, Aqua, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creavit, & jussit ministrari humanis necessitatibus. Qui etiam te jussit segregari ab aquis superioribus. Adjuro te etiam per ineffabile nomen Domini nostri Jesu Christi, Filii Dei omnipotentis, sub cujus pedibus mare elemento aquarum se calcabile præbuit; qui etiam se baptizari in aquarum elemento voluit. Adjuro te etiam per Spiritum Sanctum, cujus voluntate mare divisum est, & Populus Israel per illud siccis vestigiis transivit: ad cujus etiam vestigii invocationem Elias ferrum, quod de manubrio exierat, super Aquas natare fecit: ut nullo modo suscipias hos homines, si in aliquo ex his sunt culpabiles, quod illis objiciat, scilicet aut per opera, aut per consensum, aut per scientiam, aut per ullum ingenium. Sed fac eos natare super te, ut nulla possit esse causa aliqua, aut nulla præstigiatio, quæ

quæ illos possit non manifestare. Adjuro te per nomen ejus obedias, cui omnis creatura servit, quem Cherubin & Seraphin laudant dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*; qui etiam dominatur per infinita sæcula sæculorum. Amen. *Item post conjurationem Aquæ apprehendat ipsos homines, qui ad Judicium debent intrare. Exuat illos vestimentis eorum, & faciat osculari singulos Sanctum Evangelium, & Crucem Christi. Post hæc ista conjuratio fiat per unumquemque:* Adjuro, homo, per invocationem Domini nostri Jesu Christi, & per Judicium aquæ frigidæ.
vos
Adjuro per Patrem & Filium & Spiri-
te
tum Sanctum, & per Trinitatem inseparabilem; & per Dominum nostrum Jesum Christum; & per omnes Angelos, & Archangelos; & per nomen Dei; & per diem tremendum Judicii; & per viginti quatuor Seniores, qui cotidie Deum laudant; & per quatuor Evangelistas Marcum & Matthæum, Lucam & Johannem; & per duodecim Apostolos; & per omnes Sanctos Dei, per Martyres & Confessores atque Virgines, & Principatus & Potestates & Dominationes & Virtutes; & per Thronos, Cherubin & Seraphin; & per omnia secreta cœlestia; & per tres pueros Sidrac, Misac, & Abdenago, qui cotidie Deum laudant; & per centum quadraginta quatuor millia, qui pro Christi nomine passi fuerunt; & per Mariam Matrem Domini nostri Jesu Christi; & per cunctum Populum sanctum Dei;
vos
& per illud Baptismum, quod Sacerdos
te
vos vos
regeneravit: adjuro, ut si hoc
te tu
scitis audistis bajulastis
furtum aut aut
scis audisti bajulasti
domos vestras recepistis consentientes
aut in aut
domum tuam recepisti consentiens
consentanei fuistis habetis
aut aut si cor incras-
consentaneus fuisti habes
inculpabiles estis, eva-
satum vel induratum, aut si
inculpabilis es, eva-
nescant corda vestra, vos
& non suscipiat Aqua,
nescat cor tuum, te
neque ullum maleficium contra prævaleat. Fer &c. *Oratio*. Propterea obnixe te deprecamur, Domine Jesu Christe; tale signum fac, ut
culpabiles sunt hi homines
si nulla-
culpabilis est hic homo
recipiantur
tenus ab Aqua. Hæc Domine
recipiatur
Jesu Christe, ad laudem & gloriam & invocationem nominis tui, ut omnes agnoscant; quia tu es benedictus Deus, qui vivis & regnas in secula seculorum. Amen. *Deinde accipiat modo Presbyter de ipsa Aqua benedicta, quam prius fecerit. Aspergat super unumquemque: & statim illos projiciat in Aquam.*

Benedictio Aquæ frigidæ ad Furtum.

Justum Judicium homines, quia verum est, quod Domnus Papa Eugenius constituit ad faciendum, ut nullum liceat perjurare super sancta sanctorum, justum faciant, Episcopi, Abbates, & Comites, & Vassi Dominci. Et est constitutum in omnem Regionem Romanorum. Adjuro te, homo, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum; per diem tremendum; per viginti quatuor Seniores, qui quotidie laudant Deum; per centum quadraginta quatuor millia, qui Christi Martyres sunt; & per omnes sanctas Virgines; & per beatam Virginem Mariam, quæ Christum portare meruit; & per illum Baptismum, quem Sacerdos super te regeneravit. In hoc tibi supra dico, cum Sanctis tibi invocor, ut tu (ille) de hoc furto aut consensisti, aut bajulasti, aut consentaneus fuisti. Cor incrassatum aut induratum. Si culpabilis es, non suscipiat eum hodie Aqua. Pro hoc Domine, fac signum tale, ut omnes cognoscant, quia tu es Deus benedictus in secula seculorum. Amen. *Incipit Judicium, quod fecit Beatus Eugenius cum Domno Papa Leone, & Domino Karolo Magno Imperatore, & Romani, propter thesaurum Sancti Petri, & invidiam insimul tulerunt Leoni Papæ oculos & linguam. Ille evasit vix de manibus eorum, & venit ad Imperatorem Karolum, ut eum adjuvaret de suis inimicis. Et tunc Imperator reduxit eum Romæ. Et thesaurum supradictum non potuit invenire aliter, nisi per justum Judicium, quod fecit beatus Eugenius, & Leo Papa, & Imperator Karolus, ut Episcopi, & Abbates, seu Comites firmiter teneant & credant, quia probatum habuerunt illi Sancti, quos invenerunt. Istam facere debes, quum hominem vis mittere in Aquam ad probacionem. Tunc accipe illos homines, quos in voluntate habes mittere in Aqua: & duc eos ad Ecclesiam. Et coram omnibus canant Missam, & faciat eos ad ipsam Missam offerre. Quum autem ad Communionem venerint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos, & conjurationem istam dicat. Conjuratio hominis.* Adjuro vos, homines, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, &c. (1)

Si

(1) Formulam hanc conjurationis habes supra in *Ordine ad faciendum Judicium*.

Si autem omnes tacuerint & nullus hoc dixerit, accedat Sacerdos ad altare, & communicet eos, quos vult mittere in Aqua. Quum autem communicat, dicat Sacerdos per ſingulos: Corpus & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi hodie ad probationem. *Poſtea vero conjuret Sacerdos Aquam, ubi homines mittendi ſunt. Conjuratio Aquæ:* Adjuro te, Aqua, in nomine Dei Patris Omnipotentis &c. (1) *Poſt conjurationem autem Aquæ, exuat illos veſtimentis eorum: & faciat illos oſculari ſanctum Evangelium, & Crucem Chriſti. Poſt hæc de ipſa Aqua benedicta aſpergat Presbyter ſuper unumquemque, & projiciat eos ſtatim in Aqua per ſingulos. Hæc autem omnia facere debent jejunando. Neque illi comedant cibos, neque qui pro ipſis mittuntur in Aqua. Conjuratio hominis:* Adjuro vos, homines / te, homo ill. per invocationem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per Judicium Aquæ frigidæ &c. (2)

BENEDICTIO PANIS ET CASEI.

AGios, Agios, Agios. Sancte Pater, qui es inviſibilis, æterne Deus, omnium rerum Creator, Deus ſpiritalium Orator, qui cunctorum conditor es, & arcana conſpicis. Qui ſcrutaris corda & renes, Deus, deprecor te; exaudi verba deprecationis meæ, ut qui hoc furtum admiſerit, Panis vel Caſeus iſte fauces & guttura eorum tranſire non poſſit. Amen. *Alia Benedictio.* Domine qui liberaſti Moiſen & Aaron a dextra Ægypti, Davit de manu Goliæ, Jonam de ventre ceti, Petrum de fluctibus, Paulum de vinculis, Theclam de beſtiis, Suſannam de falſo crimine, tres Pueros de camino ignis ardentis, Danielem de lacu leonum, Paraliticum de grabato, Lazarum de monumento, oſtende miſericordiam tuam, ut qui hoc furtum commiſerunt, Panis vel Caſeus iſte fauces vel guttura eorum tranſire non poſſit. Per &c. *Conjuratio Panis & Caſei:* Te igitur clementiſſime Pater, per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum ſupplices rogamus, & petimus, ut inhæreas linguas gutturibus iſtorum hominum, qui hoc furtum fecerunt vel commiſerunt, aut numquam manducent neque glutiant creaturam tuam Panem & Caſeum iſtum, ut ſciant, quia tu es, & non eſt alius Deus præter te. Summe Deus, qui in cœlis moraris, qui habes ob Trinitatem & majeſtatem tuam juſtos Angelos tuos, emitte, Domine, Angelum tuum Gabrielem, qui ora hæreat gutturibus eorum, qui hoc furtum fecerunt, ut nec manducent nec glutiant creaturam tuam Panem & Caſeum iſtum. Abraam, Iſaac, & Jacob, hos Patriarchas invoco cum duodecim millibus Angelorum & Archangelorum. Invoco quatuor Evangeliſtas Marcum, Matthæum, Lucam, & Johannem. Invoco Moiſen & Aaron, qui mare diviſerunt: ut ligent linguas gutturibus iſtorum hominum, qui hoc furtum fecerunt, aut conſenſerunt. Si hanc creaturam tuam Panem & Caſeum guſtaverint, tremulent ſicut arbor tremulus, & requiem non habeant nec requieſcant in faucibus eorum creaturam Panis & Caſei; ut ſciant omnes, quia tu es Deus, & non eſt alius præter te. Per &c. *Conjuratio hominis:* Conjuro te, *homo*, per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per tremendum Judicii diem, per quatuor Evangeliſtas, per duodecim Apoſtolos, & per ſexdecim Prophetas, & per viginti quatuor Seniores, qui cotidie in laudem Dei adorant, per illum Redemtorem, qui pro noſtris peccatis manus ſuas ſanctas in Cruce ſuſpendere dignatus eſt; ſi in hoc furtum mixtus es, aut feciſti, aut bajulaſti, taliter tibi ordinetur de manu Domini, vel de tanta ſua ſancta gloria & virtute, ut Panem & Caſeum iſtum non poſſis manducare, niſi inflato ore, cum ſpuma & gemitu & dolore & lacrymis; faucibuſque tuis ſis conſtrictus per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, et ſeculum per ignem.

BENEDICTIO SUPER AQUAM FERVENTEM.

DEus Judex juſtus, fortis et patiens, qui auctor pacis es, et judicas æquitatem, judica quod juſtum eſt, Domine, et rectum Judicium tuum. Qui reſpicis ſuper terram, et facis eam tremere. Tu Deus omnipotens qui per adventum Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti Mundum ſalvaſti, et per ſanctiſſimam ejus Paſſionem genus humanum redemiſti: tu hanc Aquam igne ferventem ✠ ſanctifica. Qui tres pueros, id eſt Sidrac, Miſac, et Abdenago, jubente Rege Nabuchodonoſor in camino ignis accenſa fornace ſalvaſti. Tu, clementiſſime Dominator præſta, ut ſi quis innocens de hoc furto, vel ſtupro in hanc Aquam igne ferventem manum miſerit, ſalvam et illæſam educat. Ita, Domine omnipotens, ſi quis eſt culpabilis, incraſſante Diabolo cor induratum, præſumſerit manum ſuam mittere, tu, juſtiſſime, qui es veritas, heic in corpore ſuo veritatem manifeſta, ut anima per pœnitentiam ſalvetur. Et ſi culpabilis eſt, et per aliquod maleficium, aut per herbas peccatum ſuum tegere voluerit, tua dextera evacuare dignetur. Per &c. *Alia Benedi-*

(1) Conjuratio Aquæ hic eſt eadem quam accepiſti in ſupra laudato Ordine.

(2) Vide ſupra formulam Conjurationis hominum.

dictio. Benedico ✠ te, Creatura Aquæ igne ferventis, in nomine Patris, ex quo cuncta procedunt, et Filii, per quem facta sunt omnia, et Spiritus Sancti, in quo universa sociantur. Et adjuro te per Eum, qui te ex quatuor fluminibus totam terram rigare produxit: nam et te in vinum mutavit; etiam in te baptizatus est. Ut nulla insidia Diaboli, neque maleficia hominis inimici te a veritate Judicii separare possint; sed punias noxium, et illæsum purifices innocentem, per Eum, cui nulla latent occulta, et qui misit te per Diluvium super universum Orbem, ut peccatores deleres; et adhuc venturus est judicare vivos et mortuos, et seculum per ignem.

BENEDICTIO FERRI AD JUDICIUM FACIENDUM.

IN *primis benedicatur ignis:* Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus, in nomine tuo, et Filii tui Dei, et Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus Sancti, benedicimus ✠, et sanctificamus ignem hunc. Adjuva nos, qui vivis et regnas, per &c. *Sequuntur Letaniæ. Postea legitur Evangelium:* In illo tempore ductus est Jesus in desertum &c. *Alia Benedictio:* Deus qui tribus pueris mitigasti flammam ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, per &c. *Alia Benedictio:* Deus, quem omnia opera benedicunt, quem cœli glorificant, quæsumus te orantes, ut sicut tres pueros de camino ignis incendio non solum illæsos, sed etiam in tuis laudibus conclamantes liberasti, ita et nos a peccatorum nexibus absolutos, a devoragine ignis eripias. Ut dum te Dominum Deum patrem benedictione laudamus, criminum flammas, operumque carnis incendia superantes, sacrificium tibi debitum fieri mereamur, per Dominum &c. *Alia:* Deus, cui notitiam nullam umquam secreta fugiunt, fidei nostræ tua bonitate resplende, et præsta, ut quisquis purgandi se gratia hoc igni tulerit ferrum, potentiæ tuæ indicio vel absolvatur innocens, vel obnoxius detegatur, per &c. *Alia:* Benedic, Domine, per invocationem sanctissimi nominis tui, ad manifestandum verum Judicium tuum, hoc genus metalli, ut omni Dæmonum falsitate procul remota veritas veri Judicii manifesta fiat, per &c.

GLOSSARIOLA
EX HUGONE GROTIO EXCERPTA.
INDEX
Propriorum Nominum Gotthicorum, Vandalicorum, Langobardicorum.

A

ACHIULF. *Agi-hulf*. Sibi auxiliator. In vocabulario Alemannico: *Eginolfus*. *Agen*, proprius. Inde *Agenhine*, vel *Agenhime*, domesticus.

Adaloaldus. *Adal-wald*. Nobilitate pollens. Idem contracte, ut monet Paulus, *Ado*.

Adelgisus. *Adal-gis*. Nobilitate fortius. Servius: *Viros fortes Galli gesos vocant*. In vocabulario Alemannico: *Adalgis*.

Æstii Tacito, *Æsti* Cassiodoro, *Aisti*, *Haisti* aliis: terra *Estonia*: Bremensi *Estland*. Populi Orientales, terra Orientalis, Suediæ respectu scilicet. Ab eadem vocis origine Wandali *Aistingi*, Dioni: *Aisdingi*, Jornandi.

Agatha, *Haug-ahth*. Sublimiter æstimatus.

Agila. *Agil*, Jornandi *A-geld* liber, immunis, non solvens. *Eigil* in vocabulario Alemannico, & *Hegilo*.

Agilmundus. *Agel-mund*. *Egel-mund*. In vocabulario Alemannico liberum os.

Agilulf. *Agel-hulf*; liber auxiliator. Idem contracte *Ago*, Paulo monente. Sic *Thietmarus* idem & *Timmo*, apud Adamum Bremensem; multaque infra similia. *Hacbburtus* idem, & *Hacho* in Historia Suedica, quod alii pronuntiant *Hugbertus*, & *Hugo*. Sic *Ingemarus*, *Ingo*. Sic *Sigfridus*, *Sicco*. *Theodericus*, *Theodo*, unde *Theodonis villa* Germanice *Ditrichshove*. In vocabulario Alemannico *Egil-olf*.

Ahistulfus. *Haist-hulf*. Celer auxiliator. In Alemannico vocabulario: *Heist-olf*.

Aii. Insulanus. *Ai*, *Ei*, insula ab ovi similitudine.

Alachis. *Al-gis*. Omnino fortis.

Alanowamuthis. *Alan-wal-muth*. Erga Alanos optime affectus. Gotthus erat apud Alanos eductus.

Alaricus, *al-rijch*. Omnibus rebus pollens. In vocabulario Alemannico. *Alarich*, & *Alaricus*.

Alatheus. *Al-athe-wis*. In omni juramento fidelis.

Al-

Albos, *Albisch*, *Alpisch*. Montanus. In vocabulario Alemannico, *Albi*, & *Alpinus*.

Alboin. *Al-bewin*, omnia regens.

Albilas. *Albi-las*. Montium derelictor. In vocabulario Alemannico, *Albolus*.

Aligernus. *Al-gern*. Omnium amans. Pamphilus. In voc. Alem. *Alker*, & *Alcarius*.

Alpsuinda. Fœmininum in voc. Alem. *Alfsuind*. *Halfschunte*. Media forma.

Alsi. *Al-sie*. Cuncta videns.

Amali, cœlestes. Familiæ Gotthicæ nomen. *Amal*. In vocab. Alem. unde *Amalrac*, *Amalsis*, *Amalthruth*, & alia.

Amalafridus. Masculinum. *Amal-fride*. Cœlestis pax. In voc. Alem. *Amalfrid*. *Amilfrid*.

Amalafrida. Fem. idem.

Amalesuenta. Fem. Jornandi. Græcis ἀμαλασοῦνθα, & Marcellino in Chronico Amalasuntha, *Amal-schuente*, cœlestis forma. *Amalasuentha*, Cassiodoro: *Amalasuinth* aliis minus recte.

Amaloberga. Femin. *Amal-berge*. Cœli hospita. In voc. Alem. *Amulberg*.

Amalrichus. *Amal-rijck*. In Cœlo pollens. In voc. Alem. *Amalrib*. *Amalrich*, *Amalricus*.

Amalongus. *Ameling*. Cœlo ortus. In voc. Alem. *Amelongus*: & *Amilinling*. Terminatio plerumque originem notat.

Ambri. In voc. Alem. *Ambricho*. *Ambtreich*. Ministeriis pollens.

Ammatas. *Ambt-hais*. Ministeriis imperans.

Amo. Idem contracte, ut supra alia.

Andagis. *Hand-gis*, manu fortis.

Andala. *Handala*, manu partiens.

Ansfrid. *Ans-frid*. In voc. Alem. *Ansfrid* & *Ansfredus*. Gratiosa pax. *Ans*, vel *Anst* gratia, in novo Testamento, & dictionario: unde *Ansericus*, *Anstgisus*, & alia.

Ansila. *Ans-ile*. Ad gratiam festinans. Festinatione, *ilunge*, in dict. & manet in usu *Ilen*, festinare.

Ansprandus. *Ans-brand*. Gratia fervens.

Ansul. *Ans-huld*. Gratiæ fidelis.

Aordus. *Auward*. Campi custos.

Aoricus. *Au-rijch*. Campi pollens.

Appa. In vocab. *Apa* & *Appo*. Apertus. *Apen* dicunt, pro quo alii *Open*. Inde *Apennis*, relata in publicum. In formulis.

Araricus. *Ara-rijc*, quod alias *Ere-rijch*, ut solent illæ vocales commutari. Honore pollens. *Erich*, & *Ericho* in voc. Germ. Ericus alias. Saxones *Ara* retinuere honoris significatu. Nec minus Dani, unde *Arnfasti* nomen apud Saxonem Sielandicum, quod alia pronuntiarent *Ernfast*, & contracte *Ernst*.

Ardaburis. *Ard-buren*, indigena. In voc. Alem. *Arbirn*.

Ardaricus. *Ard-reich*. Terrarum pollens.

Argaid. *Argaithus*. *Arg-hait*. Ignaviam exosus.

Arioaldus. *Ar-walt*. Honoris tenax. In voc. Aleman.

Arialdus. Contracte *Ario*. In voc.

Arigis. Alias *Arichis*. *Ar-gis*. Honore fortis.

Aripertus. *Ar-preht*. Honoris copiosus.

Ariulf. *Are-ulf*. Honoris auxiliator. In voc. Al. *Arolf*.

Arodus. *Ar-oud*. Honoris vetus.

Arnulfus. *Aren-ulf*. Idem quod *Ariulf*; sed a plurali. Honoris auxiliator.

Asbadus. *Haist-bode*: celer nuntius.

Ascalervus. *Ascal-erf*. Navium possessor. Ex eadem origine. *Askirih*. In voc. Al. idem *Eskerich*, & *Asulf*. Vox diu mansit apud Saxones, quibus *Ascomanni* sunt piratæ, teste Adamo Bremensi.

Ascalrhamus. *Ascbal-rham*, Navibus gloriosus.

Asdingi. *Haist-dingen*. Celer in judicio publico. Sic *Theodinch*, & similia.

Aspar. *Haist-spar*. Cito comparens.

Assi. *Haist-sic*. Celer ad videndum.

Athulfus. Alias *Athaulfus*, & *Athiulfus*: *Atha-ulf*. Juratus auxiliator.

Athalarichus. Aliis *Atalarichus*, & *Athalaricus*. *Athal-rijch*. Nobilitate pollens. Contracte *Atalo*. In voc. *Athal*. Nobilis.

Athanaricus. Aliis *Atanaricus*. *Aten-rijc*. Commeatibus pollens. Contracte *Ato* in voc.

Athanagildus. Aliis *Atanagildus*. *Aten-gild*. Commeatus tribuens.

Atto. Contractum ex aliquo præcedentium, ut supra alia.

Audovin. Græcis αὐδουῖν, aliis *Audoin*. *Audvin*. Vetus vincendi. In voc. Al. *Autoin*: *Aut-vin*.

Ausufus. *Auf-haus*. Patentis domus. Est & in voc. Alem.

Augis. *Aud-gis*. Vetus fortitudinis.

Aurena. Fem. *Au-rna*. Campestris femina. *Runa* femina, unde *Frideiun* in voc.

Autarich, ut habet Abbas Biclariensis Gotthus. Aliis *Aut-rich*. Ab antiquo potens. Al. *Autharis*.

B

BAlthi. Familiæ Gotthicæ nomen. Audaces recte interpretatur Jornandes, & Otto Frisingensis.

Baodolinus. *Baud-lins*. Audax, & mitis.

Baza. Idem quod *Bassa*, *Bassus*, *Bassing*. *Baas*. Custos.

Berig. Idem quod *Berg*. Receptus. In voc. Alem. *Bericho*.

Bertaridus. *Breht-reid*. Late equitans. *Berd*, *Brehd*, *Breed*, idem sunt. *Reita*, equitatus in legibus.

Berto. Idem contractum ex præcedente.

Berimundus. *Ware-mund*. B pro W posito, ut sæpe latinis scriptoribus, veracis oris.

Beza. Idem quod *Baza*.

Blo-

Bledas, frugifer. *Blada* & *Blade* nunc ferme folium, sed olim frugem significabat, ut apparet ex libris Saxonicis, & sermone Francorum.

C

Caco contractum ex *Caganhart*, ut in voc. Al. aut *Cakan-hart*. Libo simile cor, id est dulce.

Chindaswinthus, *Chindaswindus*, *Chindaswinth*. Liberis potens.

Chintila. Plenius *Chintilanus*: sicut in Historiis Hispanicis. Idem *Froyla*, & *Froylanus*. *Chint-lands*: filius regionis. *Chind*, quod nunc *Kind*, infans. Est & alibi, & in dictionario Aleman. ut *Chela Keel*, *Chinsi Kinne*, & similia passim. *Chintilo* in voc. Aleman.

Classo contractum ex *Clas-maer*. Resonantis famæ. Idem alibi *Cleph*.

Cnivida, *Cnijf-da*. Cultro efficax. *Cniva* contracte.

Cocus. Idem quod *Caco*: mutatis vocalibus.

Coniberga. Fem. *Coning-barge*. Regum hospita.

Corvulus. In voc. Al. & sic, & expressius *Ker-volch*. Promptus sequi. *Ker* & *Ger* promiscue ponuntur; ut *Kisal*, *Gisal*, & *Cod* pro *God*.

Crocus. *Krook*, quassator.

Cunibertus. *Cun breet*. Animi abundans. In voc. Al. *Chunibert*: *Cunipertus*.

Cunimundus. *Cun-mund*. Animosus oris.

D

Diethmarus. *Dieth-maar*. Per populos famosus. Idem est *Diet*, *Deot*, *Theod*, *Theot*, *Thiet*, *Theud*, quæ vocalibus & literis cognatis mutantur.

Droctulf. *Drucht-ulf*. Fidelis auxiliator. *Druch*, et *Trud*, *Trouwe*, fides. *Truchtin* dominus, sæpe occurrit in novo Testamento vetere Germano. *Truchtin* in Glossario, et nunc quoque Suedis Regina, *Drot-ning*: puto quod fides ei data sit; ut qui fidem dederunt, *Drudos*, *Drudi*, *Druides*. Scribitur hoc nomen in voc. Al. *Tructolf*, *Truhtolf*, *Thrutolf*, contracte *Truto*.

E

Ebrimur, Græcis ἐβριμύρ. Jornandi *Ebermor*. Transmarinus, natus trans mare; quale cognomen regum quidam in Gallia ab educatione habuit. *Ebir* quod nunc *Over*: unde *Ebirmuot*, *Ebirwin*, et alia in voc.

Ediulf. Idem quod *Atha-ulf*. Alii enim *Atha*, alii *Ede* pronuntiabant.

Egiga. *Egi-gay*. Sua conjuge, scilicet contentus; unius uxoris, ut mos vetus Germaniæ.

Eravichus idem quod *Araricus*, mutata vocali pro varietate dialecti.

Erelieva. Fem. *Ere-lieve*. Honesti amans. In voc. Alem. *Erleve*, *Erlivi*, *Erlevi*, *Erliup*, *Erlieb*.

Ermanarichus. *Erman-rijch*. Militibus pollens. In voc. Al. *Ermenrih*. *Ermenricus*, apud Ammianum. *Ermenrichus*, *Erman*, *Herman*, *Arimani*, *Erimani*, *Ermini* (tot enim modis scribitur) sunt Manipulares, Johannes Abbas Gotthus in Chronico a fine Victoris Tununensis, *Habens secum gentes fortissimas quæ barbaro sermone Herman nuncupantur*. *Her* exercitus, *Man* vir. Nec aliunde Arminio nomen, et statuæ *Irmansul* dictæ.

Erminigildus. *Erman-gild*. Militibus tribuens.

Erwigius. *Er-wig*. Honoris refugium. *Wig* et *Wic* in voc. Alem. promiscue ponuntur.

Evarix, alias *Evaricus*. *Ewa-riich*. Legibus pollens. In Glossis Lex *Ewa*. Sic in Cantico Canticorum vetere Germanico, et in Evangeliis: et passim in legibus Saxonicis aliisque *Eoricus*. Sic scribitur Ennodio in vita Epiphanii.

Ethespamara. Puto *Ethos-pawara*. Juramenti custos.

Evages. *Ewages*. Pro lege fortis.

Evan, aliter *Eva*. Utrumque est in voc. Al. Æquus.

Euricus. *Ew-riich*. Lege pollens.

Eutharicus. *Euther-rijch*. *Either-reich*. Gleba pollens.

F

Faroald, *Faraldus*, et *Faroaldus*. In voc. *Far-wald*. Familiæ potens. *Fara*, familia sive generatio, Paulo interprete. *Faro* idem contracte.

Fastida. *Fasti-da*, constans factis. Ex eadem origine femininum nomen *Fastirada*.

Ferdulfus. *Ferd-ulf*, longe auxilium ferens.

Filimer. In Voc. Al. *Filemarus*. *Filimarus*. *File-mer*. Multorum Princeps. *Mer* Princeps Gregorio Turonensi, et aliis.

Finni. *Fenni*. *Finnon*. Inopes. Vetustissimi populi nomen etiam nunc manens. Tacitus: *Fennis fœda paupertas*.

Frea, libera. Deæ nomen apud veteres Germanos, quæ matrimoniis præerat, per quæ virgines e manu parentum liberabantur.

Fredigerna. *Fridigernus*. *Frid-gern*. Pacis amans. In voc. Alem. *Friduger*.

Fridericus. *Fredericus*. *Frigdaricus*. *Frid-rijch*. Pace pollens.

G

Godaricus. *Gader-reich*. Advenis pollens. *Gader* peregrinus etiam nunc Anglo-Saxonibus. Male alibi *Gandaricus*.

Gai-

Gaidoaldus. *Gaide-wald*. Conjugi imperans.
Gaidul. *Gaid-ulf*. Conjugi auxiliator.
Gailaf. *Gai-lof*. A conjuge laudatus.
Gambara. Fem. *Ganc-baere*. Cito pariens.
Gapt. Dator.
Geberich. *Gebe-rich*. Dando pollens.
Geisferichus. *Gaisericus*. *Gizerichus*. *Gizericus*. *Gesaericus*. *Geis-reich*. Viris fortibus pollens.
Gelilaris. *Gela-wilar*. Pecuniam exspectans.
Gelimer. Aliis *Gelsmer*. *Gilimer*. *Geld-mer*. Pecuniosus princeps.
Genzo, contractum ex *Genz-reich*. Plane pollens.
Gepide, Græcis γήπαιδες, *Gepait*. Cunctari. Pigros interpretatur Procopius, et Jornandes, nomen gentis e Scandinavia.
Geselicus. *Giselichus*. *Gesellich*. Socialis.
Gibal. *Gib-al*. Dans omnia.
Gibamundus. *Gave-mond*. Purum os.
Gisa. In voc. Al. *Giso*. *Gizo* contractum ex *Gisalbreht*. Vide mox.
Giselberga. Fem. *Gisel-berga*. Comitum hospita. G rmani principes suos habebant comites, ut Tacitus docet. Ii Germanis dicti *Gisal*, *Gisel*, *Gesel*, unde corrupte *Vasalli*.
Giselbertus. *Gisel-breht*. Comitum copiosus. In vocabul. Aleman. *Gisalbert*. *Gisalbret*. *Gisalbreht*. *Giselbertus*.
Giselricus. *Gesalricus*. *Gesel-reijch*. Comitibus pollens.
Gisulphus. *Gisel-ulf*. Comitum adjutor.
Goar. *Go-ar*. Regionis honor.
Goda. Bonus. *Guda* apud Cassiodorum.
Godaricus. *Goede-rijch*. Bonis pollens.
Godebertus. *Goede-breht*. Bonorum copiosus. In voc. Al. *Gotabraht*: *Gotapreht*.
Godigiselus. *Goed-gesel*. Bonus comes, id est principi suo fidus.
Godescalcus. *Gode-scalcus*. Dei servus. Nam Deum non aliter quam bonum nominare mos erat Germanis. *Schalck* servus in novo Testamento sæpe; hinc *Marschalk* et alia.
Gonthaaris. Idacio *Gundericus*. *Gontha-rich*. Benevolentia pollens. Simile *Theuderichus*, *Theuderis*: ex duplici scribendi modo Rich, et Rih.
Gotthi, Græcis γότθοι. Ptolemæo γύθωνες, Finnis proximi. Plinio, Saxoni, aliis, *Guttones*: *Gothones* Tacito, adjecta scilicet plurali terminatione, sicut iidem sunt Franci, et Francones; Frisii, Frisones, sive Fresones. *Gutten*, *Guten*, *Goten*, id est boni, id nomen a vicinis accepere ob hospitalitatem, ut a contrariis moribus suum Quadi.
Gotthæus. *Got-hais*. Gotthis imperans.
Gothiscanzia. *Gotte-schans*. Gotthorum castellum. Loci nomen apud Jornandem.
Grasulfus. *Gros-hulf*. Grande auxilium. Est et in voc. Alem.
Grimoaldus. *Grim-wald*. Iræ potens. Est et in voc. Al. et alibi.
Gudehoc. *Gude-hoc*. Bonum latibulum.
Gundamundus. *Gund-mund*. Benevolum os.
Gundbertus. *Gund-breht*. Benevolentia abundans. Voc. Alem. *Gunt-praht*. *Gundebertus*. *Gundpertus*.
Gundemarus. Benevolentia celebratus.
Gundualdus. Benevolentia potens.
Gundiberga. Benevola hospita.
Gundulf. Benevolus adjutor.
Guningi. Benevoli, familiæ nomen.
Guntabundus. *Gunt-bund*. Benevolus in fœderibus.
Guntherichus. *Gundericus*. *Gund-rijch*. Idem quod *Gonthaaris*. Benevolentia pollens. In voc. Alem. *Gunderich*.
Gunthigis. *Gunth-gis*. Benevolus, et fortis.
Guntruda. Fem. *Gun-trude*. Benevola et fida.
Guodan. *Wodan*, *Wœden*. Ferus. Dei nomen apud Germanos, cui humanis hostiis litabatur.

H

H*Aistan*, furor, in manuscripto legum Langobardicarum.
Hamala, idem quod *Amalus*.
Hardericus, idem quod *Ardaricus*. *Herthum* terra Germanis, ut scribit Tacitus.
Helderich. *Hilderich*. *Hildarichus*. Viris eximiis pollens.
Helmichis. *Helm-gis*. Galea fortis.
Herdwich. *Aerd-wijck*. Terræ refugium.
Hermenrich. *Herman-rijck*. Militibus pollens. Idem plane quod *Ermanaricbus* supra.
Herminigildus, idem quod *Erminigildus*.
Hersferme. *Harse-mer*. Equorum princeps.
Hibba. Habens.
Hildechis. *Hilde-gis*. Eximie fortis.
Hilderichus. *Hilderis*. Idem quod *Helderich*.
Hildeprandus. Eximie fervens. *Hildibrand*, in voc. Al.
Hildibaldus, alias *Ildibaldus*. *Hilde-bald*. Eximie audax.
Himmerit. *Him-reit*. Domesticum equitatum habens. *Reita* equitatus in lege Bavara.
Hoberos, Curas ruptura, exponitur in manuscripto legum Langobardicarum. *Hobe-ris*.
Hunilas, alias *Lenilas*. *Hunne-las*. Ab Hunnis liberatus.
Hunimundus. Centuriæ os, sive præpositus, Centuria *Hundreda*, & contracte *Hun*, unde & *Hunni* a Germanicis dicti. Hinc *Humbert*, *Humfrid*, & alia.
Hunulfus. *Hun-ulf*. Centuriis auxiliator. In voc. Alem. *Hunolf*.
Hunerichus, *Hunnericus*, *Hundrichus*, corrupte *Honorichus*. *Hun-rijch*. Centuriis pollens. In vocab. Alem. *Hurich*.

I

I*Bor*. In voc. Al. *Iburc*. *Idaburg*. In voc. Al. *Idaburch*. Familiæ munimentum,

Ida

Ida, *Hida*, Beda interprete, familia. Unde *Hidenen*, qui in familias sparsi vivunt, non in populum collecti. Sumitur & pro fundo. *Burg*, quod & *Burc*, & *Buruc* scribitur, unde *Burgundiones*, *Burgwoners*. Munimentum, castellum. Similis sensus in voc. Alem. *Hebtolff*; & alia scriptione, *Ierad*.

Ildibaldus. Vide *Hildibaldus*. Corrupte *Ildibadus*. *Ildibold*, in voc. Alem.

Ildiges, idem quod *Hildechis*.

Indigisal. *Indigeselus*. *Indigisilus*. *Inde-gisal*. Ultimus comitum.

Indulf, Ἰνδόλφ. *Ind-ulf*. Ultimum auxilium.

Isarna. *Isar-na*. Ferro propinquus.

Itta. Portus. *Aith* Saxonibus. In voc. Alem. *Ito*.

L

Lamissio. *Lamis-sohn*. Piscinæ filius. *Lama*, piscina. Vide Paulum.

Langobardi. *Lang-barden*. Longis barbis. Sic Paulus, Longobardus ipse, interpretatur.

Lappi. *Loppi*. *Lupiones*. In tabula Peutingeriana. Cursores. Gens est cursu valida.

Leuderis. *Leuderichus*. *Lidericbus*. *Liuterich*. In voc. Alem. *Leud-rijch*, Subditis pollens.

Leupichis. *Liup-gis*. Amore fortis. *Liup*, Amor. Hinc *Liupman*, & alia in voc. Germ.

Liutpertus, *Liut-prebt*, vel *Liutbrebt*; nam utrunque idem est. Subditis copiosus. In voc. Al. *Liutpert*. *Liutpret*. *Liutperth*. *Liudepertus*. *Liutpertus*.

Liut-prandus. *Liut-prand*. Subditos accendens. In voc. Alem. *Liut-prand*.

Livva. Leo.

Levvigildus. *Lewigildus*. *Leovigildus*. Leonipar.

Lupus. *Lup*. Alias *Lœf*. Quies. Est & in voc. Al. Hinc *Lupfrid*, *Lupwald*, in eodem voc.

M

Marcias, *Mar-kies*. Equorum dilector.

Massana. Fem. *Masse-na*. Modo congruens. *Masse*, & *Mate*, idem: dialecto differunt: ut *Wasser*, *Water*, & mille alia.

Mathasuenta. Fem. Jornandi aliisque *Mathesuenta*. Ματασόυνθα. *Mate-schuente*. Mediocris pulchritudo.

Maurisco. *Maurisch*. Niger.

Miccas. *Mick-hais*. Multis imperans. *Mich*. *Megen*. *Muck*. Saxonibus multi; hinc *Megingol*, *Meginolf*, & alia nomina in voc. Alem.

Minulf. *Minn-ulf*. Feminis auxiliator. A *man*, femininum, *menne*; unde *Meerminne*, maris femina: & nutrix, femina per excellentiam: & *Minnen*, feminarum amore tangi. Id enim proprie & antiquitus significat.

Mitola. *Mot-las*. Turbæ expers. *Moth*, cœtus etiam nunc Anglo-Saxonibus: & inde *Schiregemotum*, *Burgemotum*, *Folkmotum*.

Morras. *Mor-hais*. Mauris imperans. Natum in Africa nomen.

Munitaurius. *Mun-thaur*. Oris claustrum.

O

Omer. *Oam-mer*. Cognatorum princeps.

Octaris, *Oockt-hari*. Adauctus dominus. *Oocken*, augere. In Glossario Alemannico: augeamus, *auchomes*. *Hari*. *Har*. Dominus.

Ostrigotthi. Gentis nomen. *Oster-Gotthen*, Orientales Gotthi. Et hinc fœminæ nomen *Ostrogottha*. Servat nomen pars Regni Suedici. Corrupte *Austrogotthi*, Vopisco.

Ostrigottha, corrupte *Austrigottha*, & *Austrigosa*, sicut ex *Oost-reich*, imperio Orientali, tum apud Langobardos tum apud Francos factum Austria, & Austrasia.

Ouida. *Ou-ida*. Vetere familia. *Oud*. *Old*. *Ald*. Vetus sæpe in voc. & alibi, & manet in dialectis Germanicis.

P

Paldus, idem quod *Balthus* & *Baldus*. Audax. nam p & b, & d & t sive th permutari in Germanico sermone frequentissimum. *Pald* in voc. Al.

Pemmo. Melius in voc. Al. *penno*. *Penn-hoh*. Vertice eminens. *Penne*, vertex, unde *Penninus* Jupiter. In Alpium vertice. *Hoh*. *Hooch*. Sublimis.

Peredeo. *Pered-eu*. Late patentis legis. Est & in voc. Aleman.

Peret pro *Prebt*. Sæpe in voc. Al. ut *Peretbman*, *Perebterich*, & similia.

Peria. *Perjag*. Ursorum venator. *Per* pro urso in multis nominibus voc. Al. Alii *Ber* dicunt.

Pertarit. *Perth-rith*. Equo vectus.

Petzamin. *Pet-zamin*. Lecti sociator. In dictionario lectulus *Petum*. Belgis *Bed*.

Phuscia. *Fus-ga*. Pedes. In voc. Alem. *Fussio*.

Pitza, Procopio *Pitzia*, Ennodio *Punctor*. In voc. Al. *Piezo*, & *Piso*, & *Piccius*.

R

Radagathus. *Rad-gath*. Celer ire. Idem alibi *Ratehait*.

Radoaldus. *Rad-wald*. Celer & potens.

Raginbertus. *Ragin-brebt*. Puritatis copiosus. *Ragin*, & *Regin*, idem quod *Rein* purus. In voc. Al. *Regimbert*, *Reginbrebt*, *Reginpret*, *Rekinprebt*, *Reinbrebt*, *Reinbreth*.

Ragnares. *Ragin-hare*. Purus dominus. In voc.

voc. Al. *Reginbere*, *Reginheri*, *Reinbere*.

Raligo. *Ralig*. Consilii patiens, Idem cum augmento *Perabtlo*, in voc. Alem.

Ranigunda. Pura benevolentia. In voc. *Regnigund*.

Raptus. *Rast*. Rapax.

Raberga. Fem. *Rat-berga*. Concilii celans. In voc. Al. *Ratbirg*.

Ratcbis, alias *Rat-gis*. Consilio fortis. In voc. Al. *Ratgis* & *Ratkis*, & *Ratgisus*.

Raus. *Rausch*. Streperus.

Recesuindus. *Recessuindus*. *Reke-swind*. Ultione potens. *Swind* in novo Testamento sæpe, Potens; inde *Swin-thibold*, & similia nomina. *Rehchan*, ultor, in dictionario antiquo; inde *Rechinolf*, in voc.

Reccaredus. *Recaredus*. *Ricaredus*. *Rekereden*. Ultor cum ratione. Contracte *Recco*.

Regericus. *Regin-rijck*. Puritate pollens.

Reginbertus. Vide *Raginbertus*.

Respa. *Red-spa*. Loquens tarde.

Rhodanas. *Road-nast*. Quieti proximus. *Road*, *Ruad*, *Rod*, in nominibus Germanicis idem valent, & quietem significant.

Richilanes. *Rich-lands*. Pollens terrarum.

Ricimundus. *Rijc-mund*. Pollens ore. In voc. Al. *Rihmund*. *Richmunt*.

Risiulfus. *Reise-ulf*. Itineris auxiliator.

Rodelinda. Fem. *Rode-linde*. Quies tranquilla. In voc. Al. *Ruadlind*. *Ruoadlind*. *Ruodlind*.

Rodericus. Ῥοδερῖγος. *Rode-rijch*. Quiete pollens. Alibi, & in voc. Al. *Rodericus*; nomen etiamnum Hispanis ex Gotthico frequens.

Rodoaldus. *Rod-vvald*. Quietis compos.

Romoaldus, *Romvvaldus*, *Rumoldus*, & *Rumoaldus*, in vocabulario *Romvvald*, vel *Rum-vvald*. Fama potens.

Rosimunda. Fem. Roseum os.

Rotemer. *Rote-mer*. Quietis princeps. *Ruadmer*, in voc. Aleman.

Rothar. *Rothari*. *Rotharius*. *Rot-hari*. Quietis dominus. In voc. Aleman. *Ruadhari*, *Ruadhere*, *Ruadheri*, *Ruodhere*, *Ruodhiri*.

Rotharie. *Rotha-rijk*. Quiete pollens. In voc. Aleman. *Ruadarih*. *Ruadrich*. Idem quod *Rodericus* supra. Alibi *Ruderichus*.

Rugelant. Terræ nomen, quæ *Rugia* Latinis. *Ruge-lant*. Hirsuta terra.

Rumetruda. Fem. *Rume-trud*. Celebratæ fidei.

Rumilda. *Rumhilda*. Famæ eximia. In voc. Al. *Ruomhilt*. *Rumhilt*.

S

S*Afrais*. *Saft-rais*. Placide iter faciens. Ammiano *Saphrax*.

Sallanes. *Sal-lands*. Salus terræ. *Sal* Germanis *Salus*, unde *Salach*, beatus, *Salefrid*, salutaris pax, & similia.

Sandil. *Sand-heil*. Mittens salutem; ut *Sandolf*, mittens auxilium. In dictionario, Salus *Heily*; unde *Heilfrid*, & similia nomina.

Scanzia. *Scandinavia*. *Schantze*. *Schantzenau*. Castellorum terra; quod in excesis rupibus velut in Castellis habitarent. Vide Jornandem.

Scipuar. Σκιπουάρ. *Scip-vvard*. Navium custos.

Scritofinni, ut habet Paulus: male *Scritobini*. *Scrit-finnen*. *Salientes Finni*, interprete Paulo.

Schoringia, insula. *Scoring*, locus erectis ripis, ubi abluvio est.

Segericus. *Sege-vijc*. Victoriis pollens. Alias *Sigericus*.

Sesvvaldus. *Sits-vvald*. Sedum potens.

Sigibrandus. *Sige-brand*. Victoria incensus. In voc. Al. *Sigeprandus*.

Sigismundus. *Siges-mund*. Vincens os. In voc. Al. *Sigimunt*. Tacito *Sigimundus*.

Sigvvald. *Sig-vvald*. Victoriæ compos. In voc. Aleman. *Sigoaldus*, *Sigvvaldus*.

Silingi. *Sulingen*. Populi nomen. Ad latus positi.

Sinderich. *Sind-rich*. Sensu pollens. *Sind*, sensus, unde *Sindarat*, *Sindpert*, *Sindinand*, & alia in voc. Al.

Sittones. *Sitten*. Sedentarii, nomen oppositum vicinis *Suetonibus*, id est, laboriosis. Ejusdem nominis, credo, & originis *Sitini* ad Vistulam Ptolemæo memorati, & *Sidones* inter Bastarnas Straboni. Sic & in voc. Aleman. nomen viri *Sito*, quod aliter *Sizo* scribitur.

Sisebutus. *Sise-but*. Firma præda. *Sise*, firmus, unde *Saisir*, *Sessen*.

Sisenandus. *Sise-nand*. Constanter celebratus. *Nand* a nomine, ut *Ferdinand*, Procul celebratus. Contracte *Sizo* in voc.

Sisifridus. *Sise-frid*. Firmæ pacis.

Stilicho. Sic in optimis libris, qui corruptius *Stilico*, nobilissimus Romanorum dux, domo Vandalus. *Stillick*, Modestus. In dict. *Stille*, Silentium. Inde *Stillolf* in voc. & *Stillimuor*.

Suartus. Σουαρτύας. *Svvart-auser*. A nigra terra, loco natali: ut *Svvartilab* in vocabulario Alem. Nigro nemore. *Suartau* vetus oppidi nomen non longe Lubeca.

Subo. *Sus-bold*. Suaviter audax. In voc. Alem. *Svvabold*. *Suabolt*.

Suithones. *Suethones*. *Svvithen*. Sudatores, laboriosi. *Suethans*, & *Suethidi* apud Jornandem. *Sueones* corrupte apud Tacitum. *Suedi*, Adamo Bremensi. *Sueti* Saxoni. Unde *Suetia*, & corrupte *Suecia* et *Sueci*, sicut ex Dania Daciam fecere. *Svvitger*, laboris amans. In vocab. Aleman. *Svvidrich*, labore pollens.

Suinthila. *Svvintila*. *Svvint-las*. Potentia exutus.

Sunericus. *Sune-rijc*. Concordia pollens. *Sunen*, pacificare. In confessionis formula *Gisuonthai*, conciliavi. Contracte *Suno* in voc.

Ta-

T

TAso. Tato. Tazo apud Paulum. Trazo apud Procopium. In voc. Al. Tasso, Tatto, coacervator.
Taunasis. Taun-hais. Collibus imperans. Taun, Tun, Dun, collis; et inde Thon, oppidum Anglo-Saxonibus, quod pleraque in collibus sita erant.
Teia. Tuias. Tei. Lentus.
Tetraxitæ. Tetraug-Sitten. Sub induciis sedentes; quod nomen Græca voce ἐκεχειριᾶς reddidit, additque Scylaci, ut multa alia, exscriptor aliquis. Gotthica gens quietis amans ad Pontum Euxinum. Sic dicti ab Vrurgaris. Vide Procopium Gotthicorum quarto.
Theodemir. Theode-mer. Populorum princeps. De utraque voce, unde hæc composita est, dictum supra.
Theudas. Theud-hais. Populis imperans.
Theudatus. Theudathus. Theodahadus. Theodahatus. Theodatus. Theud-aht, vel Theod-aht. Populis æstimatus. Ath, et Acht, idem.
Theudelapius. Theodelappo. Theud-tolapo. Ad populum accurrens.
Theudelinda. Fem. Theude-linda. Populis mollis.
Theudenanta. Fem. Theude-nanta. Per populos celebrata. Vox posterior, et in Gudinandi, apud Cassiodorum, et in Ferdinandi nominibus apparet.
Theuderada. Fem. Theude-rada. Populo consulens.
Theuderedus. Theudoridus. Theud-ered. Populis honoratus.
Theuderichus. Theude-rijch. Populis pollens. Sic scribunt Græci Θευδέριχος. Latinis Theodoricus, Theoderichus, Thioderícus, Theudericus. Ex quo factum Theudoris apud Sidonium. In voc. Al. his modis, Theoterih, Theotirih, Thiotirih, Thiotirihe, Thiorich, Tieterich, Tieterihe, Tehtrich. Contracte Theudo, sive Theodo, ut apud Cassiodorum. Et sic Gregorio Turonensi dicitur Theudericus primus Wisigotthorum Rex.
Theudichusa. Theud-chisa. Populos eligens.
Theudigisilus. Theud-gisil. Populorum comes. Alias Theodigisilus, et corrupte Theudisclus.
Theudigottha. Theudi-gottha. Fem. Populo bona. Scribitur et Theudicoda, g in c mutato, ut sæpe in eadem boni voce, in voc. Al.
Theudis. Thiodis. Theudisch. Popularis.
Thurus. Ferox.
Torisin. Thorisin. Thorisendus. Thori-sind. Ferox sensu. Id enim olim vox Thor significabat, quod nunc pro stolido sumitur.
Torismund. Thorismund. Turismundus. Thoris-mund. Ferox ore.
Torismodus. Thurismodus. Turismodus. Thoris-mod. Ferox animo.
Todascus, idem quod Theudas.
Toto, contractum ex Totilas. Varie scribitur in voc. Al. Totto, Tuto, Tuato, Tuoto, Todo.
Totilas. In voc. Al. Totila. Toutilo. Totlas. Morte liber. Athanasius.
Trasamundus. Trasemundus. Trost-mund. Consolans os. Drasamunt, in voc. Al. et Thrasamunt. Contracte Thruso, Thriuso, ibidem.
Triarius. Tri-har. Trium dominus.
Tulca. Interpres. Alibi Isulca.
Turicus. Turic. Durabilis.
Tzazo. Vide Taso.

V

WAlamer. Scribendum Germanice, Wal-ah-mer. Bene æstimatus, Princeps; ut Walach, in voc. Nam Walemir est Princeps externus sive falsus.
Wachilapus. Wachi-lap. Viæ cursor.
Wacho, idem contracte.
Vaaces. Vacis. Græcis Οὐάκης. Waack-hais. Excubitoribus imperans. Latini vetustiores W Germanicum per V exprimunt: ut Vabalis, Waal: posteriores notam propriam fecere, Wabal, Winida.
Vacimus. Græcis Οὐάκιμος. Waak-him. Excubans domi.
Vaccarus. Græcis Οὐάκκαρος. Waker. Vigil. In voc. Wachar.
Waladamarca. Wal-da-marca. Bene faciens territorio.
Valdarus. Græcis Οὐάλδαρος, aliis Waltari, vulgo Walterus. Wald-har. Nemoris dominus. In voc. Al. Wald-here. Waldheri. Contracte Waldo.
Waleramus. corrupte alibi Valeravaris, alibi Valeranuus, Wale-ram. Bene celebratus.
Walderada. Fem. Wal-rade. Bene consulens. In voc. Al. Walerat, et soni mitioris causa Waldrada.
Wallia. Wal-lia. Bene patiens. Scribitur et Vallia.
Wamba. Ventrosus.
Wandali. Vulgo Vandali. Græce Βανδῆλοι, Procopio. Zonaræ, Οὐάνδηλοι. Obambulatores. Cassiodoro Wandalii.
Wandalarius. Wandal-hari. Wandalorum dominus. Alibi corrupte Wandalaricus.
Warnecautius. In voc. Al. Warnegausus, Warne-gaut. Custos auri. Unde et Gausoaldus, et Gausvvinus, in voc. Al.
Warnefridus. Warne-frid. Custos pacis.
Varus. Waar. Verax.
Wectari. Weckt-hari. Vigiliæ dominus. Wacta alias, Wachta in Capitulari, Ofrido, & alibi.
Vedacus. Ve-dack. Pecuniam tegens. Vee olim pecus, postea res omnis mobilis, ut Latinis pecus. Feh Saxonibus, et Fia.
Vernulfis. Vern-ulf. Longe auxiliator. Alii scri-

ſcriberent *Fern-ulfus*, ut *Ferd-nand*. Ita dialectis differunt.

Widin, *Wijd-win*. Late victor. Ex eadem origine. *Wignant*, Late nominatus, in voc. Al. et *Witbram*, late celeber.

Widigola. *Wijd-gelant*. Late poſſeſſor. Alibi *Widicula*. In voc. Al. *Wialand*. *Wielant*. *Wiolant*.

Widimer. *Widemer*. Late Princeps.

Widericus. *Witrichus*. *Wijd-rijch*. Late pollens. Alibi *Vedericus* corruptius ſcribitur.

Widulf. *Witulf*. *Wijd-ulf*. Late auxiliator. Sic habet Urſpergenſis ex Jornande, ubi nunc male *Wuldulf*. In voc. Al. *Witolf*.

Wigilanda. Fem. In vocabulario Alem. *Wiclind*. *Wic-linde*. Mollis, ac lenis. Molliti, *Kervikbeti*, in dictionario.

Viliaris Οὐϊλιάρις. *Wil-gare*. Volens, prompte. In voc. Al. *Wol-ger*.

Vilas. Græce Οὐίλας. *Wil-las*. Voluntatis expers.

Winberta. Fem. *Wun-brebt*. Partu copioſa. *Bert* pro *Brebt* ſæpe in nominibus, ut *Albrebt*, *Albert*. Apparet in voc. Al. *Wunen*, parere.

Winthavius. In voc. Al. *Wintberi*. *Winthiri*. *Winithiri*.

Wint-hari. Venedorum dominus.

Wiſandus. *Wijs-band*. Sapiens manu.

Wiſegarda. *Wiſe-garda*. Sapientiæ collectio. Sic *Boom-gaerd*, arborum collectio.

Wiſimar. *Wijſe-maar*. Sapientia celebratus. Alibi corruptius *Viſumar*.

Wiſigotthi. *Viſigotthi* vulgo. *Veſegothæ* Jornandi. *Wiſt-Gotten*. Occidentales Gotthi. Servat nomen Suedici regni pars. Conciſe *Viſi* apud Sidonium.

Wittichis. Vulgo, *Vitigis*. Græcis Οὐίττιγος. *Wit-gis*. Sapiens, et fortis. Sic *Witichind*. Sapiens puer. *Witrad* in voc. Al. Sapiens conſilium; nam t et s in hac voce, ut in multis aliis, idem valent. Sic *weten*, ſcire; *wijs*, is qui ſcit.

Wittericus. *Witte-rijc*. Sapientia pollens. Alibi corruptius ſcribitur *Vittericus*. Apud Ammianum *Videricus*.

Witiza. *Wit-iza*. Sapiens in metu. *Izen*, metuere; unde multa nomina.

Vlfarii. *Welf-bari*. Luporum dominus.

Vlias, Οὐλίας. Idem quod *Wallia*; ſed corruptius elatum.

Vliphus. Οὔλιφος. *Welf*. Lupus. Nomen Germanis frequens, ut alia a feris. Eſt & in vocabulario Alemannico.

Vligiſalus, Οὐλιγίσαλος. *Wol-giſal*. Bene comitatus.

Vlitheus, Οὐλίθεος. *Wel-itbe*. Bene familiatus.

Vnilas. Vide *Hunilas*.

Vnilt. *Hun-ild*. In centuriis eximius. *Hild*, & *Ild*, virum eximium, *Hilde* feminam eximiam ſignificat. Vide ſupra ex eadem origine *Vnolf*. *Vnpert*, in vocab. Alem.

Wodan. Sic rectius ſcribitur quam *Guodan*, quod vide.

Vraias. Οὐραίας. *War-jaag*. Belli quæſitor.

Vſdrilas Οὐσδρίλας. *Waſre-las*. Ex aqua liberatus. D interjectum mitigando ſono, ut in *Waldrada*.

Vtbericus. Glebæ pollens. *Vtber*, & *Eitber*. Pinguis gleba.

Wulfilas. *Wulf-las*. A lupo liberatus. Scribitur & *Gulfilas*, W in G mutato, quod frequens Italis, & Gallis.

Z

ZAban. *Zab-an*. Lorica indutus. Gloſſ. *Zaba*, lorica. Scribitur & *Zava* in legibus. Extat & apud Leonem, & Vibicum.

Zaman. *Zaam-man*. In agmine vir. Papias *Zavas* interpretatur *Rusas*, *Rotten*. Legendum *Zamas*; pro quo in lege Langobardica itidem corrupte *Lanas*, id eſt, adunationes.

Zangrulf. *Zangr-ulf*. Infirmis auxiliator.

Zotto. Suavis. Nunc ſtultum ſic vocant, mutata in pejus ſignificatione, ut in multis.

Zuchilo. *Zuch-beilo*. Quærens ſalutem. Inde verbum *Zuch-beilen*, corrupte, *Zuckelen*.

NOMINA APPELLATIVA, ET VERBA

Gotthica, *Vandalica*, & *Langobardica*.

A

A*Ctogild*, in manuscripta Lege Langobardica. Octuplum.
Adalingi. *Athalingi*. Nobiles, Paulo interprete.
Adrhamire. Solemniter condicere. *Ramen*.
Agagula. Lena. Manet in Langobardico sermone *Goochelen*, præstigiis uti, unde & cauculatores.
Aldius. Libertus operas debens. *Halten*. In manuscriptis est *Haltius*, id est nutritus, alumnus.
Alode. *Allodes*. *Allodium*. *Anlod*. Sors hæreditaria, quæ *Allote* in moribus Anglicis.
Aliorumna. *Alrunna*. *Al-runna*. Infernalis mulier. Maga. *Al* olim, nunc *Hel*. *Runa*, mulier, in Glossis.
Amond. *A-mond*. Extra potestatem.
Anagrif. *An-grif*. Aggressio.
Andigavum. *Hand-gave*. Datum manu, ut a sanis fieri solet; inde verbum barbarum *Andigare*.
An-ramscing. Aggressio in via publica. Corrupte pro eo in legibus *Arascild*.
Aratreit. *Har-treit*. Pars tertia. Male *Aratreib*. In manuscripto *bariraib*. Sed scribendum *haritrait*.
Arga. Ignavus; nunc malitiosum significat.
Arimanus. *Her-man*. Miles gregalis, qui publicum munus non habet. Postea pro paupere sumpta vox. Hinc jus *Arimandiæ* in feudis.
Antigavum. *Wort-gave*. Quod voce datur, ut ab ægrotis. Hinc verbum *Artigare*.
Astalium. Deceptio. A latino astus, unde asto animo apud Plautum.

B

B*Andum*. Vexillum. A *binden*, vincire.
Bannum. Jurisdictio: & inde, mulcta.
Barbanus. Patruus. Manet in Langobardico sermone. In manuscriptis *Barbas*.
Bassus. Custos populi. *Baes* manet in Belgicis.
Bellagines. Leges, Gotthis. *By-lagen*. Pagi leges. *Bi*, pagus, *lagen*, leges.
Blutrais. Sanguinis emotio. Male pro eo in lege Langobarda Lib. I. Tit. VIII. Cap. 34. *Plustaib*, quod aliud est. Ex vicino sono nata confusio.
Blutare. *Blooten*. Spoliare, inanire.
Brunia. Lorica.
Bunnarium. *Bunner*. Mensura terræ. Corrupte *bunnuarium*.
Bunna. *Bunda*. *Bodo*. Terminus.

C

C*Adarfida*. Mendose, *Cadarfreda*, *Caderfedra*, *Gederfde*. Usitatum. Nam *Ca* pro augmento hodierno *Ge* frequens, & *derven*, uti in dictionario. Usus, *piderbi*: id est *bederf*.
Campio, pugnator, a *campo*.
Carratium. Palus vitis. *Gard-trun*.
Cassus. In foro Hispaniæ vertitur *pierna*. *Gass*. *natos*. Male *capsum*.
Comacin. Architectus. *Gemachin*. *Gemach*. Domus.

D

D*Erzon*. Sepis ruptura. *Deer-zun*.

E

E*Wa*. Lex, & testamentum, quia vim habet legis. Inde *eu-werd*, legis custos. Sacerdos in dictionario.

F

F*Aderfium*. *Fader-feh*. Paterna pecunia; quod mulier de bonis paternis ad maritum attulit. *Feh* olim pecus, postea res omnis mobilis, ut pecunia Latinis.
Faja. Glans.
Faida. *Faith*. *Fede*. *Feithe*. Inimicitiæ testatæ.
Fara. Generatio, familia. A verbo *faren*, quod est progredi. Post Christianismum dicta sic parœcia, unde *far-her*.
Fegangi. Dum cum re mobili it. Deprehensio furis, dum rem furtivam penes se habet. *Feh-gang*.
Feld. Campus patens.
Ferquidum. *Ferquiit*. Compensatum. *Quiten*, par pari referre. *Fer*, præpositis. *Farfulia*, *verval*, *ferbannitur*, *verbannen*, *forbatitus*, *verboden*.
Fodrum. *Fœder*. Annona militaris. Nunc ferme de pabulo tantum dicitur.
Forbannuus. *Ferbannen*. Extra territorium positus.
Forestum. *Forst*. Nemus. Aliis dialectis, *Hurst*, *Horst*.
Fornacca, in manuscripto legum Langobardicarum. Campus, arvus. *Forn* sulcus.
Frea. Libera femina; inde *fraw*.
Freda, *fredum*. Pax: & inde compositio cum Rege.

Fulboran. *Ful-boren*. Plene natus, id est optimo jure.

Fulfreal. *Ful-fre-al*. Plene, & omnino libera persona, quæ nec operas debet.

G

G*Ajum*. Silva densa. In manuscripto: *Gehagium*. *Gehage*. Silva septa.

Garathinx. *Gar-thinx*. Universitatis donatio in judicio. *Thingen*, judicare. Sed inde sumptum pro actu legitimo omni; qualis cessio in jure.

Gardingi. *Wardingen*. Vulgo *Warders*. Custodes; præfecti judiciis. *G* pro *W* ponunt Itali.

Gargathingi exponitur, secundum qualitatem personæ, compensatio, *vergoething*.

Gamales exponitur Confabulati, a fabula, quod est pactum nuptiale; significat affines, vulgo *gemalen*, conjuges: inde *Gemalischen* per conjuges conjuncti. *Gamahales* in manuscripto legum Langobardicarum.

Gaphans. *Gafandus*. In manuscripto *Gafand*. *Gaf-hand*. Manus donataria. Hæres, quia hæreditatis relictio per modum donationis peragebatur.

Gasindium. *Gesinde*. Familia. Inde *Gasindii*, domestici Regis.

Gastaldus. *Gastalde*. Exponitur qui certum gubernat. Proprie, Positus, qui vicem gerat. *Ga* & *Ge* augmenta pro dialectis variant. Alii *Ca* pro eodem ponunt, unde *Castaldus*.

Gildonia. Sodalitas, adunatio. *Gilden*. Ab arca commune.

Gillonarii. Poculorum ministri. *Gillo*, poculum.

Gisiles. Testes. Item obsides: sed proprie sodales.

Gravio. Comes, sive Judex; unde *Dijcgravii*, aggerum Judices, *Landgravii*, terrarum, &c.

Giusa. *Guipha*. *Wiffa*. Signum ex panno. *Wippe*. Unde verbum *Guifare*, insigne proprietatis apponere.

H

H*Arniscara*. *Harnis-scare*. Armorum ruptura: Gallis *rotture*; & inde mulcta, quæ ea ignominia redimitur. *Scaren*, abscindere. Vide infra *Obscariones*, & *Scariones*. Ab eadem origine *Lidscarti*, membri scissio; *Orscarti*, auris scissio; verbalia in *ti*.

Heribanum. *Her-ban*. Castrense edictum, quo ad exercitum homines vocantur, & inde mulcta in emansores.

Heriliz. *Herisliz*. *Her-liz*. Exercitus desertio. In Glossis exponitur armorum depositio. Item absque licentia principis ab hoste (id est exercitu, Gallice *host*) reverti.

I

I*Mpans*. *In-pand*. Oppignoratus, id est servus Regi traditus sub fiducia, ut eum manumittat.

Inaopa, invasio, a *Top*, vel *Zup* Germanico. Manet apud Langobardos. In Glossario *Herizup*.

L

L*Aiscum*. Cerrus arbor. In manuscripto, *Lahisclo*.

Lama, piscina. *Lada* posterioribus. Paulus Langobardus in Festi compendio *Lacunam* suæ gentis non Romana voce *Lamam* interpretatur.

Largica, coxa supra geniculum, a largitate.

Launchild. In manuscripto *Launigild*. *Loongild*. Pecunia in pretium data. Donationes solemniter fieri in jure debebant. Si quis privatim facere vellet, induebat & venditionis speciem, vel veram vel dicis causa, ut sestertio nummo, sicut Romani loquebantur, rem addicerent. Id est *Launechild*. Inde est quod Glossæ *Launechild* exponunt, sine solemnitate.

Leudum, *Leudis*. Compositio; proprie quæ pro homine *leude* datur. Species Widrigildi.

Lidelaip, *Lido-laip*. In manuscripto *Lidinlaib*. In derelictionem vitæ; donatio mortis causa.

M

M*Allum*. Placitum generale, id est conventus totius Regionis: unde, *Mael-stede*.

Mannire, *Manen*. Citare; nomen a luna nova aut plena, quæ tempora rebus agendis captabant Germani, Tacito teste.

Marchio, contracte, uti pleraque in o. *Marck-Graef*, limitis Judex.

Mar-hais. Strator. Qui equis imperat. Ita meliores codices, pro *Marpahis*.

Marworphin, *Merworphin*, *Mar-worfing*. De equo dejectio.

Masca. Venefica, saga. Manet vox Langobardis in Italia. Proprie est larva.

Methium. *Methe*. *Mede*. Sponsalitia largitas, & generaliter quævis merces. In manuscripto, *Metfio*, dotali pecunia.

Morgengap. *Morgen-gaf*. Matutinum donum, quod post primam noctem novæ nuptæ datur: ἀνακαλυπτήρια, θεώρετρα. Hinc matrimonium *ad Morgengabicam*, minus justum: male *ad Morganiticam* in Feudis.

Morjoc. *Mor-joc*. Major junctura. Brachii pars supra cubitum. *Mor*, pro comparativo passim. *Joc*, Jugum. In dictionario scribitur *Iokle*.

Morth.

Morth. *Mord*. *Murd*. Cœdes latrocinalis. Latinis sequioris ævi *mordrum*, *murdrum*.
Mund. Mundium. Potestas ab ore; quod qui eam haberet, pro alio in jure loqueretur. Inde *Munt-bero*, qui tali potestate est præditus: item *Mund-wald*.
Mundeburd. *Mundbyrd*. *Mundboran*. Unde vulgare *Mamburn*, ad potestatem obtinendam natus.

O

OBscariones. Carcerum custodes, iidemque Carnifices, qui & *Scariones* a *Scaren*, & *obscaren*: quod est abscindere. *Ouescariones* in manuscriptis.

P

PLoum. Vomer cum rotis, Plinio, Gallica voce composita, *plammo-rati*. *Ploug*, vulgo, vomer.
Pluslaib. *Plus-laib*. Despoliatio corporis. *Pluffen*, alia dialecto *Blooten*. Vide *Blutare*. In manuscripto pro *pluslaib* est *plodraub*, spoliatio ad nudum.

R

RApuuorfin. In manuscripto legum Langobardicarum *Graef-roving*: sepulturæ despoliatio.

S

SAjo. Proprie Explorator, minister publicus, qui merces explorat; quod *Sajen* Belgæ & Saxones, Franci *Essayer* vocant. Significatio mox latius fluxit.
Sala. Domus; hodie aula domus.
Scabinus. *Scabineus*. *Scepeno*. Verum nomen *Escepen*, electus, a *Scepen* eligere. *Eschevin* Gallis. Alibi *gesworen*, & *eleus*. Sunt adsessores, ex quorum sententiis Judex pronuntiat, non promiscue, ut in civitatibus magis popularibus, sed ad hoc a principe consensu universitatis electi. Vide Capitulare.
Scacchum. *Schaeken*. Rapina: unde & ludo latrunculorum nomen, quod a Germanis ad Græcos & Persas usque pervenit.
Scamera. Explorator. A *Scemer*, tenebris.
Scariones. Vide *Obscariones*.
Scematio. *Schenden*. Corruptio.
Schala. Patera. Facta olim quidem ex calva interfecti hominis, (quæ *schele*, *hooftschele*); postea ex alia materia ad illius modum.
Schilpor. *Schilt-forer*. Scutiger.
Sculd-Hais. Debiti præfectus. Qui non de capite, sed de pecunia judicat, manente in hunc diem nomine, varie corrupto, *Scultheizo*, *Sculdasius*, *Scultes*, *Scultet*, *Scoutet*, *Scout*.
Sculta, a latino Auscultare. Hoc est in manuscripto: male in editis, *Sculca*. Vocem esse latinam etiam Theophylactus notat. Exponunt Glossæ vigiliam & cavalcatam. Græci Διαφυλαν, Βιγλαν.
Selpmundio. *Selp-mund*. Suæ potestatis arbitrium; in manuscripto Legis Langobardicæ.
Snaida. In manuscripto corrupte *Sinaida*, Sciffio in sylva; latine collucatio, Glossis via. Galli *essartum*, id est exertum vocant.
Soga. Glossis bene, Funis. *Sogen* trahere. Inde in dictionario: Protrahendo *farzechanto*.
Sonopair. Gallicum *Sans-pair*, Verres omnium verrium victor.
Spata. Ensis, latus scilicet, a similitudine ligonis.
Stallarium. *Stalle*. Stabulum. Salicetum Glossæ exponunt.
Stolizaz. *Stoli-zaz*. Solii insessor, nomine Regis scilicet. Missum Regis interpretantur leges.
Strava, *Straba*, *Straffe*, ultio. Eximie dicitur de inferiis ex captivis hostibus.
Sumnis. *Sujmnis*. Impedimentum, mora. Corrupte scribitur *Sunnis*, *Sonnis*, *Sunnia*, unde exsoniare, moram purgare.

T

THeclatura. *Teecken*. Signatura.
Thinx. Solemnis donatio, sive potius in jure cessio, a *Thingen*, quod est judicare, aut rem in judicio peragere. Unde *Thinxdagh*, dies dicatus judiciis. Hinc *thingare*, in jure emancipare. *Hastingum*, domus judicii. *Thanganare*, in Glossis, judicium petere. *Thinc*, Saxonibus esse concilium testatur Adamus Bremensis.
Threus. Dicitur de eo, qui ex filio naturali natus, quasi *Thres*, Tertius: connumerata ipsa femina, in qua fuit culpa.
Tremum. *Trimme*. Redimitum, etiam nunc Saxonice. Sic dicta in legibus pars brachii infra cubitum, quod armillis ornari soleret.
Trotingi. *Trostinge*. Solatia. Ita dicti Ludiones, quod luctum pellant.
Trustis. *Toe-rust*. Expeditio.
Tyuphadi. *Tyf-faden*. Furum captores. Latrunculatores: nomen minoris magistratus. *Ghiulda*, *Thiob*. Furtum.

V

WAd. Latino-barbaris *Vadium*. *Wedde*, pignus. Unde Francis *Gage*.
Wadiare. *Gager*. Pignus dare, obligare.
Walapauz. *Wala-pauz*. Externus, sive falsus ornatus. *Waal*, peregrinus, & inde pro falso, ut in annalibus Francicis *Walamer*, falsus princeps. *Pauzen*, ornare.

Val-

Valvasores: *Waldfester*, nemoris custos. Ea significatione hanc vocem reperies semper in Tabulis, quas Romanas vocant.

Warend. *Waer-band*. Verum faciens manus, id est qui auctoritatem præstat. *Warantus*, Francis *guarand*.

Wardin. *Warding*. Custodia. Vide *Guardingi*.

Warengang. Qui errando ambulat. *Warren*, oberrare.

Vassi, *Vasten*, firmi, minus quam Drudi in beneficiis. Etiam fidejussores, sic dicti, quod alienam obligationem confirment. Alii scriberent *festen*. *Fastermannes*, fidejussores, ab eadem origine Saxonibus.

Vecorin. *Wec-weren*. Via, *wec*. Ita scribitur in dictionario: nunc *wegh*. Leges *vecorin* exponunt, viam antestare. In manuscripto *Wervorin*. Sed scribendum *Wec-worin*. Saxonibus hoc dicitur *Faristel*.

Vestire, non Latino significatu, sed Germanico, *festen*, confirmare, id est jus alicujus solemniter affirmare, ut fine vitio possessionem adipisci possit.


Widerboren. *Wider-borene*. Renata: id est solemni modo manumissa, ita ut nullum servitutis vestigium maneat.

Widrigilt, *Weregilt*, *Weregil*. Contracte *were*, & Saxonibus *Witbe*. *Weder-gelt*, retributio, pretium damni lati. Compositio, more veteri Germanorum, de quo Tacitus: *Pars mulctæ regi, vel civitati: pars ipsi qui vindicatur vel propinquis ejus exsolvitur*. Hoc est *Widrigilt*, illud *freda*.

Wisa. *Wissa*. *Wip*. Vide *Guipha*. Scribitur & *Hiupha*.

Z

Z*Ama*. Adunatio. Corrupte *Zana*, aut *Zacia*. Glossæ bene interpretantur *Rotte*. Hinc *Leudsamium*, subditorum congregatio, in formulis.



CON-

CONSTITUTIONES
REGNI SICULI

EX EDITIONE

FRIDERICI LINDENBROGII

Cum nonnullis caſtigationibus.

ADDITI SUNT

Quamplurimi Tituli Conſtitutionum Sicularum Græce ſcriptarum

Ex Manuſcripto Codice Bibliothecæ Barberinæ
cum Verſione Latina.

IN CONSTITUTIONES
REGNI SICULI

MONITUM COLLECTORIS.

QUo tempore Nortmanni Principes Transtyberinæ Italiæ partibus, adjacentique Siciliæ dominabantur, incolæ adhuc antiquo ritu, alii quidem Romano, aut Græco-Romano, alii Langobardico jure vivebant; Nortmanni vero ipsi, cæterique Franci regebantur jure Francorum.

Robertus autem Guiscardus Apuliæ & Calabriæ Dux novæ Constitutionis fundamenta jecit, territorialibus consuetudinibus invectis, quas ejus quoque frater Rogerius Siciliæ & Calabriæ Comes, Ugone Falcando teste (1), adoptaverat. Quas consuetudines scripto traditas, atque ad formam Statutorum servatas, easque *in consuetudinum libris*, ab eodem Falcando (2) memoratis, quos *Defetarios* appellabant, contentas fuisse, verisimillimum est.

Exinde vero Rogerius Comitis Rogerii filius, qui Regni Siculi conditor, & primus Rex jure appellari potest, leges tulit, quibus novæ Constitutionis architectura promoveretur; quem imitati filius, & ex filio nepos, Guillelmus scilicet primus, & Guillelmus secundus, leges & ipsi addiderunt, ampliorem, solidioremque formam Constitutioni tribuentes. Ita Nortmanni Principes Regni Siculi fundatores novum novo Regno intexuerant politicum & civile systema.

Opus absolvit Fridericus II. Augustus, paterno Svevorum, materno Nortmannorum Principum sanguine genitus, qui jure Constantiæ matris, Rogerii Regis filiæ, in Siciliæ Regnum Nortmannis successerat. Ipse enim quampluribus editis legibus, quibus vel nova edixit, vel vetera pleraque castigavit, tandem exemplo Imperatorum Theodosii II. ac Justiniani jussit, ut tum ex Nortmannorum legibus, tum ex propriis, unum Corpus Juris legali quodam ordine digestum conficeretur.

Codice a Petro de Vineis magnæ Curiæ Judice, qui ipsi Augusto a Consiliis & ab Epistolis erat, concinnato, Leges, sive Constitutiones in Codice ipso contentas ratas habuit Fridericus, atque servandas proposuit in Conventu Melphiensi anno MCCXXXI. celebrato; statuitque ut *cassatis legibus, & consuetudinibus adversantibus antiquatis* (3), Constitutiones illæ in Siciliæ Regno obtinerent. Eo tamen cauto, ut in Constitutionum defectu jus diceretur *secundum consuetudines approbatas, ac demum secundum jura communia, Langobarda videlicet & Romana* (4), prout qualitas litigantium exegisset. Hinc Juris Langobardici in Regno Siculo sera illa duratio, de qua in Præfatione hujus operis actum est.

Constitutiones ipsas Commentariis prosequuti sunt Jurisperiti quamplures; inter quos memorandi sunt *Utriusque juris Monarcha, & Legum Evangelista* (ita enim appellatur) Andreas de Isernia, Matthæus de Afflictis Jurisconsultus sat celebris, & Nicolaus Superantius, qui inscribitur Patritius Venetus, Miles Hierosolymitanus, & Legum Doctor. Sed, ut optime animadvertit Illustrissimus Franciscus Testa Archiepiscopus Montis Regalis (5), *horum ac cæterorum Commentaria, etsi ad forensem usum aliquid valent, tamen ad ipsas Constitutiones intelligendas admodum parvo adjumento sunt. Nam nec abstrusa, & obsoleta vocabula exponunt, nec mores illorum & præteritorum temporum, quæ ad legis sententiam adi-*

(1) Ugo Falcandus apud Murat. R. I. S. Tom. VII. pag. 291.
(2) Ibid. pag. 293.
(3) Procem. Constit.
(4) Constit. *Puritatem*.
(5) Testa, Differt. de Ortu ac progressu Juris Siculi.

aditum aperire possint, explicant; quum enim, ut animadvertit summi judicii vir Hugo Grotius (1), *hæ Constitutiones pene omnes ex Legibus Langobardorum fluxissent, hujus gentis ingenium, res gestas, ac instituta probe itidem callere necesse erat eum, qui ad lucem aliquam illis afferendam animum adjunxisset.*

Sed aliud magis dolendum occurrit. Constitutionum Sicularum Autographa a plurimo jam tempore defecerunt, regnantibus Andegavensibus, ut creditur, expilata. Inde porro evenit, ut quæ in vulgatis Editionibus prodiere, ex exemplaribus deprompta sint, quæ præ privatorum manibus versabantur, amanuensium incuria, & mala verborum contracte scriptorum intelligentia adeo inquinatis, ut genuinum Codicem haud modicum labefactaverint.

Sed & quamplures Constitutiones habemus in editis, quæ in Autographo frustra quærerentur. Cum enim Fridericus II. post editum Codicem alias quoque leges Siculis tulisset, placuit Jurisconsultis, nulla, ut arbitror, publica auctoritate suffultis, neque simul, neque uno in tempore, Extravagantes illas Codici interspersim inserere; sub iis videlicet titulis, illisque in locis, quæ rei magis videbantur accommoda. Ipsas autem *Novas Constitutiones* inscripserunt (2).

Jurisconsultorum facinus id præstitit optimum, ut pleræque Constitutiones ab interitus periculo vindicarentur. Sed hoc exinde incommodum, quod non omnibus ejusmodi legibus præmissa leguntur verba: *Nova Constitutio*: quo fit, ut hæ ægre secernantur ab illis, quæ primitus clausæ fuerant in corpore Juris. Neque in omnibus Codicibus omnes novæ Constitutiones eundem obtinent locum; imo in quibusdam exemplaribus quædam leges occurrunt, quæ in aliis desiderantur. Adde, quod recte quis suspicari potest, leges illas primum sparsim avolantes, facilius interpolationibus, atque alterationibus obnoxias fuisse.

Exemplo sit Constitutio *Capitaneorum*, quæ deest in Lindenbrogiana Editione, adest in cæteris vulgatis, quas ego vidi; neque tamen inscribitur, *Nova Constitutio*. Porro in illam hæc habet Andreas de Isernia: *Glossator non habet hunc ordinem in Glossis suis. Sed ego prosequor ordinem libri mei. Et hæc Constitutio est de novis, & plena additionibus.*

Ex huc usque dictis colligimus, plurimum incuriæ relictum fuisse, plurimum arbitrio; causamque deprehendimus cæterarum varietatum insignium in variis Siculi hujus Codicis exemplaribus occurrentium. Quædam enim exemplaria in ampliorem, quædam in minorem titulorum numerum leges dispescunt; in inscribendo Rege Constitutionis Authore, atque in titulis ipsis (quandoque etiam erronee inscriptis) haud semel inter se non consentiunt; & quod præcipue observandum est, Constitutiones ipsæ talibus aliquando refertæ mendis occurrunt, ut legis sensum omnino confundant, imo & in contrarium a Legislatoris mente sensum detorqueant.

Lege Constitutionem *Prædecessorum*, in quam nuper Commentaria edidere eruditissimi viri Johannes Andreas Serraus, & Dominicus Alfenus Varius. Hæc in vulgatis Editionibus titulum præfert; *De rebus stabilibus Ecclesiasticis non alienandis*. In novissima autem Editione Neapolitana ad fidem alterius antiquæ Editionis, quæ bonæ notæ esse censetur, hic titulus inscriptus est: *De rebus stabilibus non alienandis Ecclesiis*. In illis ita expressa legitur Constitutio, ut enunciet, bona Ecclesiastica alienari non posse; in hac e contra legimus, bona stabilia Ecclesiis alienanda non esse. Alii ita legisse visi sunt, ut de bonis iis intelligerent, ex quibus redditus Curiæ deberetur; alii vero de iis bonis intellexerunt, ex quibus redditus Curiæ *minime* deberetur. Et quod animadversione quoque dignum est, in Constitutionem ipsam antiqui Glossographi nulla Commentaria edidere, non contemnendo argumento, illam in Codicibus, quibus usi sunt, scriptam non fuisse; sicuti re vera & in antiquo Codice Græco Bibliothecæ Regiæ Parisiensis titulus ipse desideratur.

Quæ cum ita sint, Sicularum Constitutionum emendatum Codicem edere ego quidem non valeo. Lindenbrogianum edo, quem novissimum Italiæ decus Carolus Pecchia (3) commendat ut cæteris minus mendosum. Et ego sane jam-

(1) Proleg. ad Hist. Goth. (2) Testa L. c.
(3) Pecchia, *Istoria Civile, e Politica del Regno di Napoli*, Lib. 2. cap. 32.

jampridem parum abesse cogitaveram, quin Lindenbrogiana Siculi Codicis editio inter emendatas recenseri posset: sed quam nudo oculo aspectam pene perpolitam videram, microscopio consideratam nævis & ipsam undique scatere deprehendi.

Cum ergo præsto mihi essent aliæ earundem Constitutionum Editiones duæ vix inter se diversæ, altera Veneta anni MDLXXX., altera Neapolitana anni MDCCLXXIII., atque insuper sub oculis haberem correctiones, quibus laudatus Cl. Pecchia novissimam hanc castigavit, haud inutile judicavi, aliquantulum temporis autumnalibus otiis subtrahere, & cum his omnibus Lindenbrogium conferre, non quidem ut severum pædagogum agerem, sed præcipue, ut quæ mihi visa sunt legum sensum vel confundere, vel intervertere, notularum ope aliquatenus castigarem. Atque hinc factum spero, ut Editio hæc cæteris, quæ præ eruditorum manibus versantur, longe emendatior prodeat.

Animus erat exactiora tentare. Etenim condiscipulus olim meus ornatissimus P. M. Joseph Maria Romano, Beneventanus, Ord. Serv. B. M. V., S. Marcelli de urbe Parochus, antiquitatum scriptorumque patriorum sollers indagator, cujus largam humanitatem ego sæpius expertus sum, significavit mihi, se præ manibus habuisse membranaceum Codicem aliquanto mutilum Constitutionum Regni Siculi, in Bibliotheca Vaticana servatum, & signatum N. 6770., cui additæ leguntur *Constitutiones novæ Domini nostri Regis Caroli*; ex quo colligere mihi visum est, Codicem ipsum sat remotæ antiquitatis esse, & circa tempora Caroli I. Siciliæ Regis fuisse conscriptum. Significavit etiam, exstare in Bibliotheca nobilissimæ Domus Barberinæ earundem Constitutionum Codicem Græce rubris characteribus exaratum in usum illorum, qui in Regno Siculo Græca lingua in publicis actibus utebantur; sed hunc in multis lacerum, ac initio & fine carentem; cum incipiat tantum a Titulo 26. Libri primi, & desinat ad Titulum 4. Libri tertii.

Ex hoc porro Græco Codice a me rogatus quædam exscribere cœperat V. Cl. D. Raphael Vernazza, in Sacro Collegio de Propaganda Fide linguæ Græcæ Professor, & Bibliothecæ Vaticanæ Scriptor. Sed cum manum operi admovisset, violento morbo correptus senex optimus defunctus est.

Inter hæc autem fide dignissimo testimonio accepi, Neapoli jam cogitatum esse de corrigendis, atque ad genuinam lectionem, quam maxime fieri potest, redigendis Regni Siculi Constitutionibus; eamque spartam Regio jussu demandatam fuisse præclaro & perdocto viro D. Francisco Daniele, qui eximiis ad hoc monumentis suffultus est, ac præsertim Græco exemplari transumpto ex integro, atque elegantissimo Codice Bibliothecæ Regiæ Parisiensis, ipsi Friderico II. forte coævo, cujus Titulos Græce & Latine in Palæographia Græca exhibuit Montfauconius.

Ergo a tanto viro egregiam Constitutionum Sicularum editionem literarius orbis expectet; atque interim gratam habeat, quam trado, ne subtraxisse videar præclarum hoc inter medii ævi Constitutiones monumentum.

P. S. Hæc scripseram, cum Roma accepi ea, quæ inter schedas Cl. Vernazza reperta sunt, & quæ ipse mei gratia ex Barberino Codice exscribebat, cum novissimo oppressus morbo opus abrumpere coactus est. Sunt tantum Tituli, & omnes quidem in Codice illo exstantes, ab eodem viro præstantissimo Latine redditi, sed non omnes Græce exscripti. Eos publici juris libentissime facio, præsertim cum in ipsis pleraque variantia occurrant ab illis, quæ Cl. Montfauconius tradidit ex Codice Parisiensi. Hinc porro deprehendere est in Græcis, non secus ac in Latinis Codicibus arbitriis locum minime defuisse. Hi forte & adjumento esse poterunt corrigendis quibusdam Titulis, qui in vulgatis Latinis editionibus inepte Legibus præfixi leguntur.

INCIPIUNT TITULI

Constitutionum Neapolitanarum, sive Sicularum.

LXVI.

LXVI. De sacramento præstando a bajulis.

LXVII. De numero bajulorum per loca,

LXVIII. Ut clerici, vel judices non sint bajuli, & de pœna facientium contra.

LXIX. In quibus rebus petatur trigesima.

LXX. De ordinandis judicibus, & quando, & de quibus rebus possit peti trigesima.

LXXI. De salario bajulorum, judicum, & notariorum curiæ.

LXXII. De pœna contemptorum curiæ imperialis.

LXXIII. De feriis, & salariis judicum, & notariorum instrumenta scribentium, & scribendorum, & de eorum forma servanda.

LXXIV. Infra quod tempus causa debeat determinari.

LXXV. De sententiis in scriptis ferendis.

LXXVI. De summaria cognitione contra gabellotos ferenda.

LXXVII. De judicibus, & notariis, & eorum numero.

LXXVIII. De instrumentis conficiendis.

LXXIX. De judicibus per imperialem celsitudinem promovendis.

LXXX. De fide, & auctoritate instrumentorum, & quot testes debeant subscribere instrumentis.

LXXXI. De advocatis ordinandis.

LXXXII. De præstatione sacramenti ab advocatis.

LXXXIII. De salario advocatorum.

LXXXIV. De officio magistrorum procuratorum curiæ.

LXXXV. Forma qualiter locandæ sunt res fiscales.

LXXXVI. De locatione demanii.

LXXXVII. De officio magistrorum fundicariorum.

LXXXVIII. De probibita Curialium commercione.

LXXXIX. De officio castellanorum, & servientium.

XC. De apparitoribus, & eorum salario.

XCI. Ut nullus officicialis cogat aliquem ad ostendendum titulum suæ possessionis, & quod nullus occupet.

XCII. De numero officialium, & usque ad quod tempus eorum administratio duret.

XCIII. Quanto tempore justitiarii post officium depositum in civitatibus maneant.

XCIV. De in jus vocando.

XCV. De literis citatoriis.

XCVI. De pœna contumaciæ in civilibus causis.

XCVII. De tractatu termini constituti.

XCVIII. De pactionibus inbibitis, & de volentibus a lite discedere.

XCIX. De privilegiis eorum, qui citati extra civitatem non veniebant, & privilegiorum irritatione.

C. De contumacia alicujus universitatis.

LIBRI SECUNDI.

Titulus I. *De pœna contumaciæ in criminalibus causis,*

II. Ut universitas accusata, & mulieres in criminalibus causis possint ordinare procuratorem.

III. De forbannitis, & forjudicatis.

IV. Ut bannito liceat intra duos menses redire, & se justitiario assignare.

V. De exhibendis malefactoribus, & suspectis.

VI. De fisco succedendo forjudicatis.

VII. De pœna forjudicatorum, & balio dando filiis eorumdem.

VIII. De uxoribus forjudicatorum, & parentibus.

IX. Ut pater forjudicati ex delicto filii non teneatur.

X. De his, qui fidejussores dare possunt, ne incarcerentur.

XI. De eo, qui post crimen adulterii intentatum, uxorem recipit.

XII. Si quis petierit aliquem citari, & citatus in termino sibi dato comparuerit, accusatore non comparente, condemnatur in sexta parte mobilium accusato.

XIII. De desistentibus ab accusatione.

XIV. De pœna calumniæ contra calumniantes stabilita.

XV. Si accusator, & reus dolo, vel fraude, dato sibi termino a judicibus, non comparuerint.

XVI. Lite non contestata in criminali judicio, an possit actor, & reus inter se componere, non dato termino aliquo, vel retento.

XVII. De jure Francorum in judiciis sublato.

XVIII. De dilationibus, & exceptionibus in judicio præcedentibus abbreviandis.

XIX. De exceptionibus, & dilationibus proponendis in judicio.

XX. De exceptione hostici ponenda.

XXI. De litis contestatione in criminali, vel in civili ab adversario prosequendo.

XXII. De accusato coram justitiario, & quomodo accusato.

XXIII. De litis contestatione non tardanda exceptionis objectu.

XXIV. De processu judicii.

XXV. De exceptionibus malitiose oppositis.

XXVI. De interrogandis litigatoribus a judice.

XXVII. De fide instrumentorum testium.

XXVIII. De revocatione privilegiorum.

XXIX. De privilegiis a curia Capuana tempore turbationis indultis.

XXX. In quibus casibus audientia testium committatur, & de pœna contravenire volentium, & de dolo ejus, cui audientia committitur.

XXXI. De legibus parilibus sublatis.

XXXII. De pugnis sublatis.

XXXIII. In quibus casibus pugna locum non habeat.

XXXIV. De causa depositi.

XXXV. De probationibus, & testibus ante litem contestatam producendis.

XXXVI. Quæ probationes in causa homagii exigantur.

LIBRI TERTII.

EXPLICIUNT TITULI.

CON-

CONSTITUTIONUM NEAPOLITANARUM SIVE SICULARUM

LIBER PRIMUS.

IMPERATOR FRIDERICUS II. ROMANORUM CÆSAR SEMPER AUGUSTUS, ITALICUS, HIEROSOLYMITANUS, ARELATENSIS, FELIX, VICTOR, AC TRIUMPHATOR.

POst mundi machinam, providentia divina formatam, & primordialem materiam, naturæ melioris officio in rerum effigies distributam, quæ facienda providerat, facta considerans, & considerata commendans, a globo circuli luminaris inferius hominem, dignissimam creaturam ad imaginem propriam, effigiemque formatam, quem paulo minus minuerat ab Angelis, consilio perpenso disposuit præponere ceteris creaturis. Quem de limo terræ transumptum vivificavit in spiritu, ac eidem honoris, & gloriæ diademate coronato uxorem, & sociam, partem sui corporis, aggregavit: eosque tantæ prærogativæ munimine decoravit, ut ambo primitus efficerentur immortales. Ipsos veruntamen sub quadam lege præcepti constituit, quam quia servare tenaciter contempserunt, transgressionis eosdem pœna damnatos, ab ea, quam ipsis ante contulerat, immortalitate proscripsit. Ne tamen in toto, quod ante formaverat, tam ruinose, tam subito divina clementia deformaret; & ne hominis forma destructa sequeretur per consequens destructio ceterorum, dum carerent subjecta præposito, & ipsorum commoditas ullius usibus non serviret; ex amborum semine terram mortalibus fœcundavit, ipsamque subjecit eisdem. Qui paterni discriminis non ignari, scilicet, ipsos a patribus transgressionis vitio propagatos, inter se odia invicem conceperunt, rerumque dominia, jure naturali communia, distinxerunt: & homo, quem Deus rectum, & simplicem procreavit, immiscere se quæstionibus non ambegit. Sicque ipsarum rerum necessitate cogente, nec minus divinæ provisionis instinctu, Principes gentium sunt creati, per quos posset licentia scelerum coerceri: qui vitæ, necisque arbitri, gentibus, qualem quisque fortunam, sortem, statumque haberet, executores quodammodo divinæ providentiæ, stabilirent. De quorum manibus, ut villicationis sibi commissæ perfecte reddere valeant rationem, a Rege Regum, & Principe Principum ista potissime requiruntur, ut sacrosanctam Romanam Ecclesiam, Christianæ Religionis matrem, detractorum fidei maculari clandestinis perfidiis non permittant, et ut ipsam ab hostium publicorum incursibus gladii materialis potentia tueantur, utque pacem populis, eisdemque pacificatis justitiam, quæ velut duæ sorores se ad invicem amplexantur, pro posse conservent. Nos itaque, quos ad Imperii Romani fastigia, et aliorum Regnorum insignia, sola divinæ potentiæ dextra, præter spem hominum, sublimavit, volentes duplicata talenta nobis credita reddere Deo vivo, in reverentia Jesu Christi, a quo cuncta suscepimus, quæ habemus, colendo justitiam, et jura condendo, mactare disponimus vitulum labiorum, ei parti nostrorum regiminum primitus providentes, quæ in præsentiarum provisione nostra circa justitiam magis dignoscitur indigere. Cum igitur Regnum Siciliæ, nostræ Majestatis hereditas pretiosa, plerumque propter imbecillitatem ætatis nostræ, plerumque propter absentiam nostram, præteritarum perturbationum incursibus exterit hactenus lacessitum; dignum fore decrevimus ipsius quieti, atque justitiæ summopere providere, quod ad nostræ Serenitatis obsequia, resistentibus aliquibus, etiam qui non de ovili Regni præfati nostri erant, promptum semper invenimus, et devotum. Præsentes igitur nostri nominis sanctiones in Regno nostro Siciliæ tantum volumus obtinere, quas cassatis in Regno prædicto legibus, & consuetudinibus adversantibus antiquatis his nostris Constitutionibus, inviolabiliter ab omnibus in futurum præcipimus observari. In quas præcedentes omnes Regum Siciliæ sanctiones, & nostras, quas observari decernimus, jussimus esse transfusas; ut ex his, quæ in præsenti Constitutionum nostrarum corpore minime continentur, robur aliquod, nec auctoritas aliqua in judiciis, vel extra judicia possit assumi,

TITULUS PRIMUS.

De Hæreticis, & Patarenis.

INconsutilem tunicam Dei nostri dissuere conantur hæretici, & vocabuli vitio servientes, quod significationem divisionis enuntiat, & ipsius indivisibilis fidei unitati conantur inducere sectionem, & oves a Petri custodia, cui pascendæ a pastore bono sunt creditæ, segregare. Hi sunt lupi rapaces intrinsecus, et eo usque mansuetudinem ovium prætendentes, quousque possint ovile subintrare Dominicum. Hi sunt Angeli pessimi. Hi sunt filii pravitatum, a patre nequitiæ, & fraudis autore ad decipiendas simplices animas destinati. Hi sunt colubri, qui columbas decipiunt. Hi sunt serpentes, qui latenter videntur inserpere, & sub mellis dulcedine virus evomunt, ut dum vitæ cibum ministrare se simulant, cauda feriunt, & mortis poculum, velut quoddam durissimum aconitum immiscent. Horum sectæ veteribus legibus, ne in publicum prodeant, non sunt notatæ nominibus, vel quod est forte nefandius, non contentæ, ut vel ab Arrio Arriani, vel a Nestorio Nestoriani, aut a similibus similes nuncupentur; sed in exemplum Martyrum, qui pro fide Catholica martyria subierunt, Patarenos se nominant, velut expositos passioni hujusmodi. Miseri Patareni, a quibus abest sancta credulitas Trinitatis æternæ, sub uno contextu nequitiæ insimul tres offendunt, Deum videlicet, & proximos, & seipsos. Deum, cum Dei Filium, & fidem non agnoscunt; decipiunt proximos, dum ipsis sub specie spiritualis alimoniæ, hæreticæ pravitatis oblectamentum ministrant. Crudelius etiam sæviunt in seipsos, dum præter animarum dispendium, corpora denique sævæ mortis illecebris, quam per agnitionem veram veræ fidei possint evadere, vitæ prodigi, & necis improvidi, sectatores involvunt, & quod est ipso dicto durissimum, superstites etiam non terrentur exemplo. Contra tales itaque, Deo, et hominibus sic infestos, continere non possumus motus nostros, quin debitæ ultionis in eos gladium exeramus, et tanto ipsos persequamur instantius, quanto in evidentiorem injuriam fidei Christianæ prope Romanam Ecclesiam, quæ caput aliarum Ecclesiarum omnium judicatur, superstitionis suæ scelera latius exercere noscuntur: adeo quod ab Italiæ finibus, præsertim a partibus Longobardiæ, in quibus pro certo perpendimus ipsorum nequitiam amplius abundare, jam usque ad Regnum nostrum Siciliæ suæ perfidiæ rivulos derivarunt. Quod acerbissimum reputantes, statuimus in primis, ut crimen hæreseos, damnatæ sectæ, cujuslibet quocunque nomine censeantur sectatores, prout veteribus legibus est distinctum, inter cetera publica crimina numeretur; imo crimine læsæ Majestatis nostræ debet ab omnibus horribilius judicari, quod in divinæ Majestatis injuriam dignoscitur attentatum; quamquam judicii potestate alter alterum non excedat. Nam sicuti perduellionis crimen personas adimit damnatorum, et bona, et damnat post obitum etiam memoriam defunctorum; sic et in prædicto crimine, quo Patareni vocantur, per omnia volumus observari (1), ut ipsorum nequitia, quia Deum non sequuntur, ac in tenebris ambulant, detegatur. Nemine etiam deferente diligenter investigari volumus hujusmodi scelerum patratores, et per Officiales nostros, sicut et alios malefactores inquiri, ac inquisitione notatos, etiam si levis suspicionis argumento tangantur, a viris ecclesiasticis, et prælatis examinari jubemus: per quos si evidenter inventi fuerint a fide Catholica saltem in uno articulo deviare, ac per ipsos pastorali more commoniti, tenebrosis Diaboli relictis insidiis, noluerint agnoscere Deum lucis, sed in erroris concepti constantia perseverent, præsentis nostræ legis edicto damnatos, mortem pati Patarenos decernimus, quam affectant: ut vivi in conspectu populi comburantur, flammarum commissi judicio. Nec dolemus, quod in hoc ipsorum satisfacimus voluntati, ex quo pœnam solummodo, nec fructum aliquem alium consequuntur erroris. Apud nos pro talibus nullus intervenire præsumat: quod si fecerit, in ipsum nostræ indignationis aculeos non immerito convertemus.

TITULUS II.

De Patarenorum receptatoribus, credentibus, complicibus, & fautoribus.

I. Imperator Fridericus.

PAtarenorum receptatores, credentes, & complices, & quocumque modo fautores, qui ut a pœna possint alios eximere, de se veluti improvidi non formidant, publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum esse censemus. Et ipsorum filii ad honores aliquos nullatenus assumantur, sed infamiæ perpetuæ nota laborent, ut nec in testes, nec in causis, quibus repelluntur infames, aliquatenus admittantur. Si tamen aliquid (2) de filiis receptatorum, vel fautorum detexerint aliquem Patarenum, de cujus

(1) In Edit. Ven. & Neap. rectius hic incipit nova periodus, & jungiter cum subsequenti periodo, *nemine &c.*

(2) Ed. V. & N. *aliquis . . . detexerit*

jus hujusmodi manifeste probetur perfidia, in fidei præmium, quam agnovit, famæ pristinæ de Imperiali clementia restitutionis in integrum beneficium consequatur.

TITULUS III.

De Apostatis.

I. Imperator Fridericus.

Apostatantes a fide Catholica penitus execramus, insequimur ultione, bonis omnibus spoliamus, & a professione, vel voto naufragantes legibus coarctamus, successione tollimus, & omne jus legitimum abdicamus.

TITULUS IV.

Ut nullus se intromittat de factis, seu consiliis Regum.

I. Rex Rogerius.

Disputare de Regis judicio, consiliis, & institutionibus factis, non oportet. Est enim par sacrilegii disputare de ejus judiciis factis in constitutionibus, atque consiliis, et an is dignus sit, quem Rex elegit, & decrevit.

TITULUS V.

De crimine Sacrilegii.

Multæ leges Sacrilegos sævissime puniерunt, sed pœna moderanda est arbitrio judicantis: nisi forte manifeste templa Dei destructa, vel fracta sint violenter, aut dona, & vasa sacra nocte sublata sint. Hic enim casus crimen capitale est.

TITULUS VI.

De Usurariis puniendis.

I. Rex Rogerius.

Statuimus, ut juxta Decretum Domni Papæ de usuris nuper in Romana Curia promulgatum, quæstiones usurariorum, quæ ad curiam nostram adductæ fuerint, in eadem diffiniantur, & terminentur.

II. Imperator Fridericus.

Usurariorum nequitiam, qui non tantum utuntur pecuniis, sed, ut loquamur proprius, abutuntur, sanctorum Patrum sententiis condemnatam, prosequi disponentes, Imperialis Celsitudinis motum, quem nos etiam ex arbitrio cælesti suscepimus, divinæ conjungimus ultioni; hujusmodi nostræ Constitutionis edicto omnibus regni nostri fidelibus, & quibuslibet aliis in regno morantibus, etiam si extra regnum fuerint oriundi, firmiter inhibemus, ut nullus in posterum pecunias suas per se, vel per alios, mutuo sub magnis usuris, vel minimis, dare fœnori audeat publice, vel occulte. Et ut ipsorum audacia, qui suæ salutis immemores sunt, & edicti nostri extiterint temerarii contemptores, inulta non maneat, præsenti lege sancimus, ut quicumque amodo fœnerator in regno inventus fuerit, omnium bonorum suorum, tam mobilium, quam stabilium publicatione damnetur. Omnibus etiam regni nostri fidelibus concedimus liberam potestatem usurariorum nequitiam in publicum deferendi. Nec a delatione propterea aliquis repellatur, quod damnum proprium, vel suorum, vel suam injuriam minime prosequatur; crimen illud præsenti lege sit publicum; ita quod omnibus, qui in accusationibus in criminibus publicis admittuntur, usurarios accusandi licentia tribuatur. A nexu tamen præsentis Constitutionis nostræ Judæos tantum excipimus, in quibus non potest argui fœnus illicitum divina lege prohibitum; quos constat, non esse sub lege a beatissimis Patribus instituta, quos etiam auctoritate nostræ licentiæ improbum fœnus volumus exercere. Sed metam ipsis imponimus, quam eis non licebit transgredi, videlicet, ut pro decem unciis per circulum anni integri, unam ipsis tantummodo lucrari liceat pro usuris. Quidquid autem ultra acceperint, in nonum Curiæ nostræ componant; ut ex abusu licentiæ quam eisdem propter necessitatem hominum coacti relinquimus, commodum ultra licitum non sequantur.

TITULUS VII.

De Decimis.

I. Imperator Fridericus.

Quanto ceteris terræ Principibus munifica dextera Salvatoris in temporalibus nos præfecit, tanto saltem juris naturalis instinctu ad antidora strictius obligamur: cum etiam, veritate dicente, ab eo, cui amplius creditur, amplius exigatur. Quod in nostræ mentis intrinsecus meditatione sollicita revolventes, & illud etiam adtendentes, quod solutio decimarum, quarum debitum ex utriusque Testamenti tabulis confirmatur, tanto in Ecclesiis Dei pretiosior redditur, quanto decimalis oblatio de bonis hominum, velut electum quoddam spirituale peculium, a Domino reputatur: Officialibus nostris universis, & singulis præsentis legis auctoritate mandamus, ut decimas integre, prout Regis Guilelmi tempore, consobrini, & prædecessoris nostri, vel ab antecessoribus Officialibus, & bajulis exsolutæ fuerunt, locorum Prælatis exsolvere absque omni difficultate procurent. Nos enim, qui favente Domino inter homines sumus in præeminenti culmine constituti, quantum sine injuria nostrorum regalium possumus tolerare, Ecclesiarum jura, & præsertim earum, quæ in regno consistunt, & quas sub protectione nostra recipimus, & habemus, in nullo diminuere volumus, sed augere. Subjectis etiam nostris indicimus, ut decimas, quas de feudis, & bonis suis antecessores eorum prædicti Regis Guilelmi tempore præstiterunt, venerabilibus locis, quibus decimæ ipsæ debentur, cum integritate persolvant.

TI-

TITULUS VIII.

De cultu Pacis, & generali Pace in Regno servanda.

I. Imperator Fridericus.

PAcis cultum, qui a justitia, & a quo justitia abesse non potest, per universas, & singulas partes regni nostri præcipimus observari, ut nullus auctoritate propria de injuriis, & excessibus dudum factis, vel faciendis in posterum se debeat vindicare, nec præssalias, seu repræssalias facere, vel guerram in regno movere; sed coram magistro justitiario, & justitiariis regionum, vel locorum camerariis, vel bajulis, & dominis, prout ad unumquemque eorum causæ cognitio pertinet, causam suam ordine judiciario prosequatur. Ceterum si contigerit alicui, violentis injuriis provocato, ob tutelam sui corporis, seu rerum, defensionem necessario adhibere, ipsam eidem in continenti, prius scilicet quam divertat ad alios actus extraneos, non vetamus, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ; ita videlicet, ut similibus, & æqualibus armis se defendere valeat, quibus, & qualibus extiterit impugnatus. Ita ut, si armis molitis impugnatus fuerit, liceat ei armis molitis se defendere: si sive armis molitis, vel quibuslibet armis, adversarius suus eum impugnaverit, eodem impugnationis genere se defendat; dum tamen in continenti hoc faciat, ut est dictum.

II. Idem.

COmes, Baro, miles, seu quicunque alius, qui publice guerram in regno moverit, confiscatis bonis suis omnibus capite puniatur. Qui autem præssalias, seu repræssalias fecerit, medietatis bonorum suorum omnium proscriptione damnetur.

TITULUS IX.

De illicita portatione armorum, & pœna percutientium cum eis.

I. Imperator Fridericus.

INtentionis nostræ salubre propositum, non tam circa punienda maleficia commissa versatur, quam ut in committendis eisdem via, & materia præcludatur. Quia igitur tam violentiis, & (1) homicidiis ipsis armorum interdum prohibitorum portatio causam præstat, occurrere potius eligentes in tempore, quam post exitum vindicare, præsenti lege omnibus regni nostri fidelibus prohibemus, ut nullus arma molita, & prohibita, cultellos, & enses, lanceas, pancereas, scuta, vel loricas, clavas ferreas, & etiam alia omnia, quæ nocendi magis causa, quam alterius cujuscumque liciti operis gratia sunt parata, secum deferre præsumat. Curialibus autem, & servientibus eorum, quousque nobiscum in Curia commorantur, vel domum, aut domo redeunt, vel pro nostris servitiis transmittuntur, arma prædicta prohibita illis deferre permittimus. A tenore etiam præsentis sanctionis edicto eximimus milites, et filios militum, et burgenses, quibus enses deferre, cum ipsos extra loca, quæ inhabitant, pro agendis suis equitare contigerit, minime prohibemus; ita tamen, ut cum ad prædicta loca reversi fuerint, vel alicubi hospitantur, enses ipsos in continenti deponant. Quisquis autem post hæc prohibita arma detulerit, si quidem Comes fuerit, quinque uncias; si Baro, quatuor; si miles simplex, tres; si burgensis, duas; si rusticus fuerit, unam unciam fisco nostro componat. Quam pœnam si egentes propter inopiam forte deludant, publicis operibus deputentur ad tempus. Quæ omnia per magistros Justitiarios debitæ executioni tradantur.

TITULUS X.

De intrantibus Regnum, ut arma in Regno deponant.

I. Imperator Fridericus.

HOmines extra regnum, postquam regnum intraverint, arma prohibita nullatenus deferre permittimus. Qui si scienter detulerint, pœnæ, quam contra delatores armorum edidimus, qui in regno morantur, subjacebunt. Et ut ignorantiam simulare non possint, statim per officiales nostros, cum regnum intraverint, ipsis volumus hæc exponi, ut pancereas, & loricas indutas non deferant, & ut, postquam ad loca destinata pervenerint, omnia arma deponant: dum tamen intra civitates, & villas manserint, cultellos, & enses etiam portare non possint.

TITULUS XI.

De pœna ejus, qui contra aliquem tantum arma extraxerit.

I. Imperator Fridericus.

ASperitatem veterum legum, quæ constringentes gladios, & extrahentes, & percutientes cum eis indubitanter occidendi animum habuisse præsumunt, interpretatione imperialis mansuetudinis lenientes, præsenti lege in perpetuum Deo propitio valitura sancimus: ut siquis arma prohibita contra aliquem extraxerit, nec ipsum offenderit, duplicatam pœnam, quam secundum personarum conditionem super portatione armorum edidimus, nostræ Curiæ se compositurum agnoscat. Nec enim indigne duplicatam pœnam in casu præsenti delator armorum sustinere debebit, utpote qui armis a nemine provocatus, extrahendo ipsa in offensionem alterius, malevolum suæ intentionis propositum publicavit: quod ante per solam delationem eorum, necessariæ defensionis objectu,

(1) *Et*: lege *quam*. Ed. Ven. & Neap.

ctu, dum alicujus insultum timere se diceret, forsitan poterat colorare.

TITULUS XII.

De percussione illicita cum armis.

I. Imperator Fridericus.

SIquis aliquem cum armis prohibitis supra dictis percusserit, ita quod percussus ex percussione ipsa minime moriatur, percussor manum, cum qua percussit, amittat. Æquum est enim in ea parte corporis plecti maleficium, cum qua, legis, & imperii veneratione contempta, maleficium perpetravit.

TITULUS XIII.

De homicidiis puniendis.

I. Imperator Fridericus.

TErminum vitæ hominum a divina nobis providentia commissorum, quantum possibile sit, illius tantummodo judicio reservantes, qui hominem condidit, & redemit, imperialis indignationis aculeis prosequi pro firmo disponimus homicidas; sanctionis præsentis edicto inviolabiliter statuentes, ut quicumque alium protectionis augustæ defensione securum fuerit aggressus, & in aggressu ipso eundem probabitur occidisse, miles, vel in superiori gradu positus, ultore gladio pœnam sustineat capitalem: inferiores furca suspensi ultimo supplicio subjungentur. Qui tamen aggressorem, vel latronem, in dubio vitæ discrimine constitutus, vel nocturnum furem cum clamore, quem aliter comprehendere non valebat, occiderit, juxta divorum parentum nostrorum statuta propterea nullam calumniam sustinere debebit. Infans etiam sine malignitate animi, & furiosus, si hominem occiderit, non tenetur, quia alterum innocentia consilii, alterum infelicitas casus excusat.

TITULUS XIV.

Ut Castellani mittant servientes armatos pro servitio Curiæ.

I. Imperator Fridericus.

CAstellanis, & servientibus castrorum nostrorum, cum (1) magistris Justitiariis, Justitiariis, aut aliis Officialibus nostræ Curiæ, si extiterint requisiti, pro negotiis aliquibus, quæ ex mandato culminis nostri, auctoritate imperiali, vel jurisdictionis eorum ipsis Officialibus nostris incumbunt, extra castra permittimus arma deferre. Alias, tam ipsos, quam alios subjacere disponimus nostræ prohibitionis edicto, ut absque speciali mandato Celsitudinis nostræ, vel licentia, nullus fidelium nostrorum arma prohibita deferre præsumat.

TITULUS XV.

De defensis imponendis, & quis eas imponere possit, & contra quos.

I. Imperator Fridericus.

JUris gentium induxit auctoritas, & naturalis hæc ratio non abhorret, ut tutela cuilibet sui corporis permittatur. Quia tamen sæpe contingit, aggressoris in tantum supereminere potentiam, ut, si oppresso de jure se defendere liceat, tamen de facto se defendere non possit; præsentis legis auctoritate cuilibet licentiam impartimur, ut adversus aggressorem suum per invocationem nostri nominis se defendat, eidemque ex parte imperiali prohibeat, ut ipsum offendere de cetero non præsumat. Quod non tantum in præscripto casu locum habere decernimus, cum is, qui prædictam defensam imponit, offendi forsan metuit in persona; verum etiam, cum rebus, quas possidet, mobilibus, immobilibus, aut se se moventibus, nec non incorporalibus inferri sibi quisque ab aliquo violentiam pertimescit: ne vel res mobiles per vim auferantur ab eo, vel in aliis destitutionis injuriam patiatur. Præsentis nostræ Constitutionis licentiam ad eos etiam prorogamus, qui in personis, aut rebus parentum, quos nostri veteres dixere majores, filiorum nepotes, et ex eis, qui dulci filiorum vocabulo nuncupantur; & in eis, aut rebus eorum denique, qui in eadem familia, & cohabitatione tenentur, vim, vel injuriam pati metuerint, qui defensam imponunt. Eadem licentia prædictis casibus tribuenda vasallis, qui a dominis suis in personis, aut rebus suis, vel suorum offendi verentur injuste. Verum si occasione adjutorii nostri in articulis nostris, & prædecessorum nostrorum constitutionibus comprehensis, aut antiquis consuetudinibus, vel ex aliis causis, ex quibus vasalli dominis suis aliquid dare, vel facere tenentur de jure, vel de consuetudinibus supradictis defensæ dominis imponantur, licebit eis suo jure uti, nihilominus post defensam. Ut tamen, si jure defensæ imponantur pro rebus mobilibus, utpote bove ablato, vel similibus, dominus, qui contra defensam venerit, & id, quod, post defensam abstulit, reddat, & aliud tantum Curiæ nostræ componat. Et hæc tantum sit in casu isto pœna defensæ. Ceterum, si injuste fuerit imposita, tunc ipsam imponens & id, quod petebat, amittat, & aliud tantundem Curiæ nostræ solvat. Statuimus etiam, ut ex defensis hujusmodi factis a vasallis super mobilibus, contra dominos tantum civiliter, & non criminaliter agi possit: & si de his ad magnam nostram Curiam proclamatio deferatur, causæ ipsæ ad regionum Justitiarios remittantur. Si tamen inter duos vasallos defensæ imponantur ex parte nostra, de

---

(1) Corrige. *Cum a Magistris... aut aliis officialibus nostræ curiæ extiterint requisiti*. Ed. V. & N.

de tertia parte mobilium Curiæ nostræ debita tantum domino acquiratur, quantum ei ex qualitate delicti, puta ex violentia, vel similibus, si defensa non fuisset imposita, deberetur, & reliquum nostris largitionibus inferatur. Si vero ob alias causas, puta ob timorem personarum suarum, aut suorum, vel ne in uxorem, filiam, vel sororem raptus crimen, vel adulterium perpetretur, aut in similibus, ex quibus capitalis, et publica accusatio oriri posset, defensæ dominis imponantur: tunc vasalli cum dominis habeant in defensis ipsis jus commune cum ceteris, & eumdem in præscriptis casibus, quem in omnibus aliis, defensæ contemptæ impositæ sortiantur effectum.

TITULUS XVI.

De defensis impositis ab Officialibus, & pœna defensæ.

I. IMPERATOR FRIDERICUS,

FIdelium nostrorum injurias, quæ sola protectionis nostræ post Deum defensione lætantur, pro posse præcidere cupientes, magistris Justitiariis (1), & Justitiariis, camerariis nostri regni, bajulis, & locorum Judicibus, qui vice administrationis nostræ gubernacula susceperunt, imponendi defensas concedimus facultatem; siquando in locis ipsis, aut circa rixas, quæ vulgariter melsetæ dicuntur, injurias, violentias, aut hujusmodi flagitia, forte prænoverint committenda. Ita tamen de contemptoribus defensæ impositæ, ut defensis per camerarios, bajulos, & judices, seu etiam per privatas personas indictis, non ipsi, sed magistri Justitiarii, & Justitiarii nostri cognoscant. Ita enim subjectis nostris non oberit tuitionis nostræ licentia, cum per eos, quibus mansuetudinis nostræ confertur auctoritas, ipsarum defensio procuratur: & sic nos etiam, qui prohibente individuitate personæ ubique præsentialiter esse non possumus, ubique potentialiter adesse credamur.

TITULUS XVII.

De defensis impositis, & contemptis, & de pœna contemnentium ipsas.

I. IMPERATOR FRIDERICUS,

SIquis imposterum, nostri nominis invocatione contempta, post defensam eidem impositam, sub quacunque quantitate, vel forma, per personas publicas, vel privatas, in rebus violentiam, vel in personis eorum injurias, a quibus, vel pro quibus prohibitio fuerit indicta, per testes non pauciores tribus fide dignos, & omni exceptione majores, ac aliis legitimis argumentis probabitur commisisse; siquidem cum armis hoc fecerit, in tertia parte omnium bonorum suorum puniatur, licet ex parte nostra, nulla etiam quantitate adjecta, defensa simpliciter imponatur. Si vero sine armis, in quarta bonorum prædictorum parte omnino contemptorem damnandum esse sancimus. De quibus omnibus camerarios, & bajulos locorum, cum ipsi defensas indicunt, in bonis tantum mobilibus sexagesimam lucrari censemus, reliquis partium prædictarum mobilibus, & immobilibus nostro ærario applicandis. Illud etiam apertissime diffinimus, ut, si quando tres testes, aut plures ad probandam defensam impositam, & contemptam fuerint ab imponente producti, contra ipsorum dicta, videlicet, quod res se aliter habuerit, per testes contrarios probari non possit. Nam si testes, per quos defensa imposita contempta probatur, erunt probatæ fidei, & opinionis bonæ, & tunc promptum est, ipsorum testimonio stari debere; aut pars contra ipsorum personas excipere posse confidit; quo casu parti objectiones contra personas prædictorum testium non negamus (2), defensiones rei judicatæ, pacti conventi, & similes. Quæ non directo contra personas, si dicta ipsorum testium opponantur, quod falsum videlicet deposuisse dicantur, parti, quæ ipsas objecerat, reservamus; ut tantum quæstiones ipsarum personarum, quarum impositionem (3), si contra factum fuerit, jus est nostræ Curiæ acquisitum, per imponentes easdem privata conventione remitti non possunt. Imo imponentibus ipsas specialiter injungimus, & expresse mandamus, ut exactionem magistro justitiario, & justitiariis debeant nuntiare. Pœnas præterea, quæ super aggressuris, violentiis, & injuriis per leges veteres, vel constitutiones divorum parentum nostrorum inductæ noscuntur, ac supradicta præcedente defensa commissa probantur; per pœnas præsenti constitutione statutas imposterum volumus esse novatas, ut, eis sublatis, pœna tantum ex defensa petatur; excepto, si aliquis cum armis percusserit, vel occiderit. Quas pœnas, utpote corporales, præmissa beatitudinis nostræ constitutione sancitas non volumus minorari, sed pro defensæ impositione in tertia, vel quarta parte bonorum, prout superius est expressum, augeri. Judæis, & Saracenis etiam, & pro eis aliis Officialibus nostris, scilicet in præscriptis casibus imponendi defensas concedimus facultatem: quos non propterea quia Judæi, vel Saraceni sunt, arctari volumus innocentes. Prænominatas etiam tertiam, & quartam per magistros justitiarios (4) nostros sic instanter volumus absque alicujus dissimulationis vitio profligari, & eisdem ab imponentibus nuntiari. Quod si ipsos in exigendis eisdem, aut imponentes in denuntiandis invenerimus desides, aut remissos, quidquid aliquibus gratiose dimiserint, de bonis ipsorum proculdubio exigemus.

(1) Edit. V. & N. *Magistro Justitiario, Justitiariis &c.*

(2) Edit. Neap. *non negamus: Defensiones … & similes, quæ non directo &c.*

(3) Corrige: *impositione*. Pecchia.

(4) Ed. V. & N. addit: *& Justitiarium.*

mus. Officiales enim, qui scelera perpetrata non vindicant, tegere ut conscii criminosa festinant.

TITULUS XVIII.

De defensa injuste imposita.

I. Imperator Fridericus,

DEfensas impositas, & contemptas instanter constitutionibus nostris præscripsimus exigendas. Sed ne effrenata licentia defensarum in jure suo alicui fidelium nostrorum possit damnum afferre, statuimus, siquis injuste defensam imponit, veluti creditori suo, qui auctoritate forte conventionis expresse ipsum jure licito pignoravit: vel si Officiali nostro jura nostra forsitan exigenti defensæ hujusmodi imponantur, imponens hujusmodi defensam (si injuste (1) siquidem is, cui defensa imposita est, ob reverentiam culminis nostri a suo jure descendens defensæ obtemperaverit) nominatam pœnam, quam defensæ obediens subire deberet, si contra venisset, subeat, qui ipsam imponit. Ceterum, si nihilominus post defensam, cui imposita est, jure suo, auctoritate legis, vel constitutionis utatur, impunitum utrumque esse censemus. Alterum, quia ex defensa etiam sic injusta nullum omnino commodum reportabit; nec ergo pœnam subire debebit. Alterum, quia contra defensam jure licito veniens jure suo utitur potius, quam contemnat.

TITULUS XIX.

De raptu, & violentia Monialibus illata.

I. Rex Rogerius.

SIquis rapere sacratas Deo virgines, aut nondum velatas, occasione etiam matrimonii jungendi, præsumpserit, capitali pœna feriatur.

TITULUS XX.

De violentia meretricibus illata.

I. Rex Guilielmus.

OMnes nostri regiminis sceptro subjectos decet majestatis nostræ gloria gubernari, & alterum ab altero, tam mares, quam fœminas, vel a majoribus, vel æqualibus, vel minimis defendendo, pacis gloriam confovere, nec pati aliquo modo vim inferri. Miserabiles itaque mulieres, quæ turpi quæstu prostitutæ cernuntur, nostro gaudeant beneficio, gratulantes, ut nullus eas compellat invitas suæ satisfacere voluntati. Contra hoc generale edictum satagentibus confessis, atque convictis ultimo supplicio feriendis. Habito tamen considerationis ordine (2). Quod si in locis habitabilibus fuerit illata, clamor op-pressæ truculenter emissus, quam citius poterit, elucescat. Alioquin non videbitur vis illata, si mora fuerit octo dierum spatio subsecuta; nisi forsitan his diebus invita probabitur fuisse detenta.

TITULUS XXI.

De raptoribus virginum, vel viduarum.

I. Imperator Fridericus.

CApitalem pœnam, quam contra raptores virginum, vel viduarum, sponsarum, vel etiam jam nuptarum, & eorum complices, vel fautores divorum Augustorum statuta sanciverunt, inviolabiliter præcipimus observari. Illis consuetudinibus, quæ in aliquibus partibus Regni nostri Siciliæ hactenus obtinebant, per quas raptores raptam sibi in matrimonio collocando, vel alii eam tradendendo nuptui, se capitali sententia eximebant, omnino sublatis.

II. Idem.

IN quæstionibus violentiarum (3), quibuslibet mulieribus inferuntur, prædecessorum nostrorum Regni Siciliæ sanctiones, sub distinctione quadam, videlicet, si infra tempora eisdem constitutionibus prætaxata ipsarum proclamatio probaretur, pugnæ judicium admittebant: cum tam in casu præsenti, quam in omnibus aliis criminibus, tantum crimine læsæ majestatis excepto, & mortis absconsæ, pugnæ non tam judicium, quam dispendium provisione sancta sancimus admoveri. Non leve periculum accusantibus imminet, qui communibus probationibus vix, aut nunquam probare poterunt intentata; cum hujusmodi scelera a conspectibus hominum, qui veritatis ipsius possint perhibere testimonium, abscondantur; & sic ordinariis probationibus cessantibus de facto, & extraordinariis, pugnæ, scilicet, & legis paribus de jure nostro sublatis, causæ hujusmodi sine remedio permanerent. Nolentes igitur tam grande scelus dimittere ob defectum probationis inultum, decernimus, siquando aliqui de hujusmodi violentiis accusati confessionibus suis, quas in publicum conscientia læsa producit, aut testibus, qui in ipsis venereis actibus invenerint accusatos, quod tamen perraro posset contingere, fuerint forte convicti, nobis etiam inconsultis, capitali pœnæ subjaceant, priscis, & nostris etiam constitutionibus præstitutæ. Quod si non ipsa rei veritas probari valeat, sed hoc solum, quod per mulierem, aut pro parte sua per aliquos nuntiatum ter fuerit alicui, qui signis, aut modis aliquibus pudicitiam mulieris attentet, quod a recitatione (4) hujusmodi illicitæ præsumptionis abstineat, & postea cum muliere clamante, & aliorum auxilium cum vociferationibus invocante, tantum in colluctatione, vel fuga, etiam

(1) Corrige: *defensam injuste (si quidem &c.* Ed. V. & N.

(2) Ed. V. & Neap. conjungit periodum: *ordine, quod si &c.*

(3) Lege: *Violentiarum, quæ quibuslibet &c.*

(4) Lege: *a reiteratione hujusmodi &c.* Ed. V. & N.

etiam in domo, vel prope domum mulieris ejusdem inventus fuerit; aut si denuntiatione prædicta minime præcedente, mulierem clamantem sub se teneat violenter, virginitatis suæ seram satagens aperire, & ipsam corrumpere, aut jam corruptæ violentiam inferre, causam eamdem plene discussam, & probationibus prædictis, aut similibus forsan instructam, ad conscientiam nostram remitti censemus, ut ex sententia motus nostri, quam de manu cœlesti sumpserimus, causa terminum debitum consequatur; accusato tamen interim custodiæ fidejussorum, vel carceris deputato.

TITULUS XXII.

Siquis mulieri violentiam patienti, & clamanti non succurrerit.

I. Imperator Fridericus.

QUicumque mulierem clamantem audierit, cui forte violentia ingeratur, ad currendum, & succurrendum ei volumus audientem esse velocem. Quod si non fecerit, quatuor augustales in pœnam tam nocivæ desidiæ cameræ nostræ componat. Nec ad evitandam pœnam aliquis simulare potuerit ob auditum, qui aut sub eodem tecto, aut loco fuerit, unde vocem audire potuerit, qui surdus, aut mutus, sive dolo malo claudus, aut alias imbecillis, aut vociferationis tempore dormiens non probetur.

TITULUS XXIII.

De pœna mulierum injuste conquerentium.

I. Imperator Fridericus.

PEssimam, & horrendam quæstus materiam, quæ hactenus in grave dispendium subjectorum nostrorum invaluit, resecantes (dum mulieres, quæ raptus injuriam, vel violentiam passæ non erant, de aliquibus per mendacium querebantur; & sic accusationis instituendæ, vel institutæ timore, dum judiciorum strepitus, vel eventus metuunt accusati, imparia matrimonia sortiuntur, interdum etiam stipem turpem a reis velamento prædictæ accusationis acquirunt) volumus, & mandamus, ut quæcunque posthac de tali fuerit falsa delatione convicta, tam per se, quam testes, mortis laqueis irretita in foveam incidisse se sentiat, quam alterius casui præparabat, si ea, quæ detulerat, comprobasset. Quæ si supplicii tempore prægnans inveniatur, usque ad quadraginta dies post partum ipsius pœnam humanitate suadente volumus prorogari; & partum ex ea editum, si non habeat proximos cognatos forsitan, vel affines, quos ad nutriendum ipsum affectio proximitatis inducat, de bonis nostris per officiales nostros, qui tunc temporis in illis partibus præerunt, educari jubemus.

TITULUS XXIV.

De violentiis circa possessionem admissis.

I. Imperator Fridericus.

VIolentias subjectorum nostrorum, quæ turbationem desideratæ pacis inducunt, scilicet (1) communem viam mediam eligentes, pœna legitima volumus coerceri. Statuimus, ut siquis per violentiam destituerit aliquem rei immobilis possessorem, possessione cum legitimis obventionibus omnibus primitus restituta, violentum, vel universalem successorem ejus in medietate æstimationis rei, in qua violentia commissa probatur, mulctandum esse censemus. Derisorium namque credimus, aliquem sex solidorum tantum pœna damnari, & tunc demum, quando suam rem violentus probare non posset; & sic possessorium petitorio, a quo separatum esse dignoscitur, immiscere. Et illud etiam modeste ferre nequimus, ubi pro violentia aliqua in possessione commissa, proprietate rei suæ in totum aliquis, vel æstimatione, si non esset res propria, privaretur: jure Francorum etiam, quod certas pœnas in violentiis statuebat, in hac parte sopito. Raptorem autem rei mobilis, juxta quod jure communi cavetur, in quadruplum, computata re, damnandum esse censemus.

TITULUS XXV.

De restitutione possessionis.

I. Imperator Fridericus.

CIrca violentiarum pœnas, eas patientibus satis credimus sacris constitutionibus prædecessorum nostrorum, & nostris esse provisum. Quemdam juris rigorem circa destitutores violentos inductum, quod destituto contra destituentem tantum, vel ejus heredes restituendæ possessionis beneficio succurrebat, nec contra eum, in quem ab ipso violento, vel ejus heredibus transferebatur possessio, ad recuperandam eamdem aliquod remedium inducebat, imperiali providentia lenire volentes, atque ipsius juris defectum congruo, & necessario supplemento suppleri, disponimus, per violentiam destitutum, non ut olim provisione carere, sed electionem habere, utrum ipsum destituentem, vel ejus heredes, si possessionem in alium transtulit, ad interesse convenire, prout prædicto jure cavetur, vel detentorem, qui ab ejectore causam habet, per quascumque manus possessio ambulaverit, sive sciens, sive ignorans fuerit, possessionem recuperare velit amissam, conditione (2) ex lege præsenti ad recuperandam possessionem ipsi indulta. Sæpe enim contingebat, ut quis a possessione cadebat, dum vel probationes de dominio non habebat, vel, cum dejector erat forsitan non solvendo, omni remedio se inveniebat exclusum.

TI-

(1) *Inducunt, inter utrumque, scilicet jus Longobardum, & Commune, viam mediam &c.* Ed. N.

(2) Ed. V. & N. *condictione*.

TITULUS XXVI.

De maleficiis clandestinis puniendis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

SUper incisionibus arborum, & combustionibus domorum, & ceteris maleficiis, quæ clam nocturnis temporibus committuntur, generalem constitutionem nostris fidelibus promulgamus, ut si commissores inveniri non possint, aut, sicut multoties accidit, per locorum incolas occultantur, homines locorum ipsorum, in quibus maleficia committuntur, ad damnorum restitutionem integre arceantur (1). Qua restitutione tam illos, quibus pro nostris servitiis talia acciderint, quam reliquos, quibus hoc ex inimicitia, seu aliquo odio evenerit, & frui volumus, et gaudere. Nec minus Judæos, et Saracenos, quosque Christianæ sectæ diversitas reddit infestos, omnique alio auxilio destitutos, protectionis nostræ potentia pati non possumus defraudari. Prædicti autem clandestini, et nocturni malefactores, si in ipso facinore deprehensi, vel aliter legitime convicti fuerint, capite puniantur.

TITULUS XXVII.

De homicidiis, & damnis clandestinis, quorum actores inveniri non possunt.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

SI damna clandestina patientibus, quorum actores per probationes dilucidas inveniri non possint, imperialis provisionis remediis merito subvenimus, ut universaliter per possessores locorum, in quorum territoriis hujusmodi scelera sunt commissa, eorum indemnitatibus consulatur; multo fortius expertes provincia (2) nostra relinquere crederemus indignum, quorum patres, aut filii, cognati denique, vel affines, in locis aliquibus per homicidia perimuntur occulta, cum tam horribilis sceleris patratores investigatione qualibet, quamvis exactissima, nequeant experiri (3). Præsenti igitur saluberrima constitutione sancimus, ut si quando hujusmodi maleficia in quorumcunque territoriis locorum, quod abominamur, contigerit imposterum perpetrari, nec ipsorum commissor appareat; ita quod nullus de tali facinore, ab his, qui defuncto attinuerint, vel a quolibet de populo arguatur, quo casu divæ constitutionis nostræ super furtivis, & absconsis (4) homicidiis editæ statuta servamus; tunc inquisitionem de prædicto facinore fieri volumus diligenter, per quam si aliquid certum probabitur, juxta probata inquisitionis ejusdem procedendum esse censemus. Quod si ex inquisitione ipsa leves personæ aliquæ de homicidio ipso notentur, licet per eam contra ipsos non probetur ad plenum, ad tormenta ipsarum personarum levium, & vilium postremo decernimus descendendum; per quæ omnia si de delicto constare non poterit, quod confiteri per nimiam forsan, & solitam potentiam tormentorum intrepidi, quibus ingeruntur tormenta, non velint; vel si ob ipsorum impotentiam, prout accidere novimus in plerisque, ultra modum timidi fateantur, nec in confessione perdurent soluti tormentis, quæ tamen non timeant iterari; tunc illius loci, in quo maleficium hujusmodi commissum esse dignoscitur, possessores (siquidem Christianus fuerit, qui reperitur occisus) centum augustalium mulcta feriendos esse jubemus. Si vero Judæus, vel Saracenus sit, in quibus, prout certo perpendimus, Christianorum persecutio nimis abundat ad præsens, in quinquaginta augustalibus ærario nostro applicandis incolas prædictorum locorum damnandos esse censemus. Quæ post inquisitionis, & probationis ordinem, & tormenta etiam ultimo facienda, in aliis damnis clandestinis, & nocturnis servari mandamus. Quod si constet, universitatem eamdem occultare velle forsitan hujusmodi scelerum commissores, nec ipsos velle Officialibus nostris quærentibus exhibere, pœnam universitati ipsi pro qualitate locorum, & commissi sceleris imponendam nostro judicio reservamus.

TITULUS XXVIII.

De surripientibus aliquid naufragiis, vel incendiis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

RApinas eorum, qui de rebus naufragium, incendium, aut ruinas subitas patientium rapere, invitis dominis, tentaverint aliquid, tanto severius puniri censemus, quanto securius perpetrantur, dum domini personarum aliquando periculis irretiti, circa rerum custodias redduntur incauti, nec ab illis damna pati verentur, quos ad ipsorum desideratum auxilium, & opem necessariam existiment concurrisse. Tales itaque in rapinis hujusmodi deprehensos, aut sponte confessos, capitali sententia feriendos esse censemus, ac de bonis ipsorum, quæ ad legitimos successores pervenire debebunt, rapta in quadruplum restitui dominis debere mandamus. Huic etiam saluberrimæ sanctioni adjiciendum duximus, ut omnes, quibus facultas erit succurrere talibus in tantæ necessitatis articulo constitutis, sine mora, & occasione aliqua subvenire, cum his, quæ ad incidentes casus necessaria viderint, pro posse festinent. Negligentes autem, si probata causa legitime se nequiverint excusare, unius augustalis pœna mulctandos esse censemus.

(1) Id est: *coerceantur*. Verbum *arcere* pro *coercere* alias quoque in hisce Constitutionibus occurrit, quod semel adnotasse sufficiat.
(2) Ed. V. & N. *providentia*.
(3) Ed. V. & N. *reperiri*.
(4) Ed. V. & N. *super furtivis & absconsis maleficiis, vel homicidiis*.

TITULUS XXIX.

De injuriis Curialibus illatis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

UT participatio condecens honoris, & oneris inducatur, statuimus, siquando violentiæ, vel injuriæ in rebus, aut familiis eorum, qui de mandato nostro intra regnum, vel extra regnum in exercitu, vel qui nobiscum, aut Officialibus nostris in Curia nostra commorantur, ab aliquo inferantur, duplicatam pœnam, quam circa defensas, & violentias, & injurias, & alia maleficia sacræ constitutiones nostræ, vel jura communia induxerunt, a committente præstandam esse.

TITULUS XXX.

De observatione Justitiæ.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

NOn sine grandi consilio, & deliberatione perpensa, condendæ legis jus, & imperium in Romanum Principem lege Regia transtulere Quirites, ut ab eodem, qui commissæ sibi Cæsareæ fortunæ fastigio per potentiam populis imperabat, prodiret origo justitiæ, a quo ejusdem defensio procedebat. Ideoque convinci potest, non tam utiliter, quam necessario fuisse provisum, ut in ejusdem persona concurrentibus his duobus, juris origine scilicet, & tutela, & a justitia vigor, & a vigore justitia non abesset. Oportet igitur, Cæsarem fore justitiæ patrem, & filium, dominum, & ministrum, patrem, & dominum in edendo justitiam, & editam conservando; sic & in venerando justitiam sit filius, & in ipsius copiam ministrando minister. Hac igitur consulta ratione commoniti, qui de manu Domini sceptrum imperii, & inter alia regna regni Siciliæ moderamen accepimus, nostris fidelibus omnibus prædicti regni nostræ voluntatis propositum nuntiamus, quia nobis cordi est inter ipsos, absque exceptione qualibet personarum, universis, & singulis prompto zelo justitiam ministrare, ut abunde ipsius copiam per Officiales nostros, quibus ipsam commisimus administrandam, undique valeant invenire. Ipsorum Officialium nostrorum officia volumus esse discreta; civilibus quæstionibus alios, & alios accusationibus criminalibus præponentes.

TITULUS XXXI.

De cultu Justitiæ.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

CUltus Justitiæ silentium reputatur. Eorum igitur insolentiis occurrentes, qui Judiciorum ordinem tumultuosis clamoribus sæpe perturbant, statuimus imposterum litigantes, & quoslibet alios, in judiciis existentes cum reverentia magistratus jura reddentis quietem justitiæ observare; nec priusquam licentiam ab eo, qui judicio præerit, consequantur, jura sua proponere audeant, vel pro alio postulare. Sic modeste partes volumus pro se, vel pro aliis in judiciis perorare, ut etiam si advocato dicenti, quo (1) advocatus ejus, vel pars principalis aliquid ad memoriam de jure, vel de facto reducat, mature sine strepitu aliquo dicere studeat, quod intendit. Nisi forte celeris protestationis necessitas, aut quod in continenti quis advocati corrigere velit errorem, interruptionem inducat, cum inferri sibi præjudicium aliquis ex taciturnitate veretur. Siquis autem, postquam ter per intervalla aliqua a bajulo, vel a judice fuerit admonitus, vel si sit aliquis, prout assolet, judici, & judicio tædiosus, (2) semel, bis, & ter absque intervallis aliquibus interdictus tacere noluerit, si rusticus fuerit, unum augustalem, si burgensis, duos, si miles, quatuor, si Baro, octo, si Comes, sexdecim augustales curiæ nostræ componat. Sciturus pro firmo quibuslibet Officialibus nostris, quod si ob gratiam alicui pœnam dimiserint, nos de bonis suis propriis ipsam integre proculdubio prosequamur.

TITULUS XXXII.

De quibus causis primitus cognoscatur.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

JUsti cultoris partes assumimus, cum justitiæ telam ordinate teximus, ejusque pomerium misericordiæ rivulis irrigamus. Statuimus igitur, ut omnes regni Judices, quemcunque gradum Justitiæ teneant, aut quolibet nomine censeantur, ordinem infrascriptum in audiendis, & decidendis litigiis observare procurent. Causas Ecclesiarum primitus, deinde Fiscales, subsequentes pupillorum, orphanorum, & viduarum, seu quarumlibet debilium personarum, examinandas accipiant, & ad debitum terminum deducendas, priusquam aliorum litigantium causas audiant, & decidant.

TITULUS XXXIII.

De dandis advocatis pupillis, & aliis miserabilibus personis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

LEge præsenti pietatis officio suggerente statuimus, pupillis, viduis, orphanis, pauperibus, seu quibuslibet debilibus, præsertim contra potentes agentibus, aut defendentibus causas suas, seu jura nostræ Curiæ deferentibus, advocatos, & pugiles, si causa poposcerit, de curia nostra gratis, & expensas alias victui necessarias, dum necessariam in curia moram trahunt; nec non iterum

(1) *Quo*: lege, *quod*. Ed. V. & N.

(2) Lege: *qui semel* &c. Pecchia.

rum (1) producendorum impendia per curiæ præsidem largiri debere censemus; nullas ab ipsis propterea sportulas ab apparitoribus, vel tabellionibus nostris, omnino, aut pro sententiarum subscriptionibus aliquid volumus postulari.

TITULUS XXXIV.

Ut causæ prius inchoatæ terminentur.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

PRæsenti lege decernimus omnibus omnino judiciis valitura, ut inchoatis causarum audientiis nullæ penitus aliæ misceantur, priusquam quæstionibus primis per diffinitivæ, vel interlocutoriæ sententiæ calculum finis legitimus imponatur, aut ad eum dilationis terminum, quem causæ natura poposcerit, deducatur.

TITULUS XXXV.

De Officialibus Reipublicæ.

I. REX ROGERIUS.

OFficiales Reipublicæ, vel Judices, qui tempore administrationis pecunias publicas subtraxerint, obnoxii sint crimine peculatus, ac capite puniantur, nisi eis regia pietate indulgeatur.

II. IDEM.

OFficialis, qui sua negligentia bona publica deperire, vel minui permiserit, in persona propria, vel rebus suis constituetur obnoxius, & hoc aspectu regiæ pietatis.

TITULUS XXXVI.

De officio Magistrorum, Camerariorum, & Bajulorum.

I. REX ROGERIUS.

JUstitiarios, camerarios, castellanos, & bajulos, solicitos esse volumus, & devotos, ut ubi necesse fuerit, & pro commodis curiæ nostræ, per duanæ secretos, & quæstorum magistros, vel alios Officiales extiterint requisiti, consilium, & auxilium eisdem debeant impartiri.

TITULUS XXXVII.

De officio Magistri Justitiarii, & Judicis magnæ Curiæ.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

NIhil veterum Principum auctoritati subtrahimus, si juxta novorum temporum qualitatem de nostro gremio nova jura producimus, et novis abusibus nova remedia reperimus. Habet enim illud ex officii necessitate præcipuum imperialis excellentiæ dignitas, ut si per rerum mutationes, et temporum, ad eradicanda vitia, plantandasque virtutes, non videntur hominibus vetera jura sufficere, nova quotidie reperire consilia, per quæ virtuosi ditentur præmiis, et vitiosi continuis pœnarum malleis conterantur. Considerantibus igitur nobis, ad laudabilem hominum regni vitam statuta prædecessorum nostrorum Regum, et Principum quamdam ex longæva guerrarum turbatione quodammodo contraxisse rubiginem, dum uti pacifice statutis eisdem homines nequiverint; in parte etiam (ut igitur salvo prædecessorum nostrorum pudore loquamur) propter sequentium temporum nova discrimina, statutis ipsorum defectu non modico laborantibus; statim post nostri receptum imperii diadema necessaria, nec minus continua nobis oportuit excogitare remedia, per quæ possemus veterum statutorum caliginem provisionis nostræ lima detergere, & consilii plenitudine supplere defectum. Sicque nuperrime diebus istis, dum ab expeditione Ligurum ad regnum nostrum Siciliæ quietem veniremus assumere, licet brevem, istius etiam modici temporis spatium dare nolumus ad requiem; quin etiam præterita nitamur absentiæ nostræ tempore stipendia (2) commissa corrigere (3); & ut secundum ordinem singula tractaremus, curiæ nostræ prævidimus ordinare Justitiam, a qua, velut a fonte rivuli, per regnum undique norma Justitiæ derivetur. (4) Statuimus, ut magnæ curiæ nostræ magister Justitiarius nobiscum in curia commoretur, cui quatuor Judices volumus assidere. Et ut magister Justitiarius curiæ nostræ supradictus de crimine læsæ majestatis nostræ, & de feudis quaternis (5), & de quarta parte ipsorum feudorum, & de appellationibus ordinariorum, seu delegatorum nostrorum ad nostram curiam interjectis, & de quæstionibus nostrorum curialium, qui immediate nobis assistunt, de speciali conscientia nostra in curia commorantium, qui de curia nostra sine speciali mandato nostro non possunt recedere, nec non & miserabilium personarum, quarum est privilegium forum eligere, corporali præstito sacramento, quod adversariorum suorum forte potentiam perhorrescunt, causas audiat, & justitia mediante decidat, consolationes (6) inferiorum judicum pro sua jurisdictione recipiat, de jure consulentibus responsurus. In aliis autem nulli liceat adversarium suum in nostra curia evocare, sed apud civiles, & criminales Judices, prout eorum quilibet ad causam cognoscere ex officio suo potest, adversarios suos citandi licentia concedatur. Hoc addito, quod de crimine læsæ majestatis

(1) *Iterum*: lege, *testium*. Ed. V. & N.
(2) *Stipendia*: lege, *dispendia*. Ed. V. & N.
(3) Ed. V. & N. addit: *& in futurum de statu pacifico nostrorum fidelium cogitare*.
(4) Hinc vulgo incipit nova constitutio; sed una advertitur hanc alias non esse, nisi articulum præcedentis.
(5) Ed. V. & N. *quaternatis, & de quota parte* &c.
(6) *Consolationes*: lege, *consultationes*. Ed. V. & N.

tis nostræ apud justitiarios regionum, si hoc accusator elegerit, causas audiri volumus, & decidi. Advenientibus etiam ad curiam nostram pro quærenda Justitia, seu literis impetrandis, primum inquiri præcipimus, si ad civiles Judices in civilibus causis, vel de majoribus ad majores primum recursum habeant. Quod si forte negaverint, ad ipsos cum rubore, & expensarum factarum dispendio, sine literis remitti jubemus. Ceterum, si per eos denegatam, aut detractam fore sibi justitiam præstito sacramento firmaverint, nomine supplicantis, & judicis, cum adjectione dicti rescripti concessi in memorabilibus actis, quæ super his specialiter fieri mandavimus, annotato, tandem infrascripta forma literas obtinebunt, quæ talis est: *Talis jure* (1) *ad te remittitur, quod desuper intercluso negotio a te petitam justitiam nequiverit obtinere, expediendus infra statuti temporis spatium per novas nostræ munificentiæ sanctiones*. Is autem, ad quem hujusmodi literæ transmittuntur, omnes quotquot in forma præscripta, officio suo durante, acceperit, ab administratione remotus infra mensem continuum curiæ nostræ Judicibus, apud quos gesta de talibus residebunt, priusquam ad alterius ratiocinii calculum admittantur, per se, non per procuratorem præsentare debebit, redditurus de quolibet examine Judicii rationem, ut quilibet vel de negligentia redargutus pœnam legitimam, quam non formidavit, accipiat, vel de diligentia comprobetur in præsentia (2) adversariorum, vel contumaciter fugitivorum, quæ per successorem suum ad instantem requisitionem ipsius peremptorie citari debebunt, cum ipso nostræ curiæ se debeat præsentare, perjurii pœnam probabili ratione refundat. Sane si postquam inferiorum Judicum quæstionem ad se forte delatam ad jurisdictionem suam dubitat probabiliter pertinere, dubitationis suæ causam literis suis, non per partes ad curiam transmittendo, sed certum, infra quem responsionem expectet, partibus terminum profigendo, curiæ nostræ secure rescribat juri, & qualitati negotii a nostra curia responsum idoneum recepturus.

TITULUS XXXVIII.

De impetrandis literis a curia Magistri Justitiarii.

I. Imperator Fridericus.

Literas de remissione prædicta, vel de citatione super causis, & earum processibus ad magnam curiam nostram pertinentibus, nec non super inquisitionibus faciendis, & ad curiam nostram remittendis, & demum de qualibet Justitia, ordine supradicto servato, sub titulo nostri nominis, & speciali sigillo nostro, quod de Justitia fieri mandavimus, & quod apud Judices curiæ nostræ residere jubemus, de consilio prædictorum omnium Judicum scribi volumus, & etiam sigillari. Specialiter autem duobus Judicibus in curia nostra statutis, qui secum unum notarium ad hæc specialiter deputatum habebunt, injunximus, ut inquisitiones factas, & ad curiam nostram missas cum omni diligentia videant, probata discutiant, & demum relatione ad magistrum Justitiarium, & Judices nostros facta, si quæ sunt, quæ conscientia nostra non egeant, causas Inquisitionum ipsarum, data copia partibus, quæ non subterfugii causam quærebant, reclamandi licentia, prædicti magistri Justitiarii, & Judices cum summa celeritate decidant. Denuntiationes autem pro nobis, vel contra curiam nostram factas, quas imposterum, denuntiatoris nomine non expresso, recipi prohibemus, per Judices ante factos discuti volumus, & secundum formam in denuntiationibus ipsis inferiori nostri nominis lege firmatam commissiones de eis factas fieri, causas ipsorum instrui, & ad finem debitum deduci jubemus.

II. Idem.

Nova Constitutio.

Præcipimus offerri magistro Justitiario omnes petitiones, tam de imperio, quam de regno; tam de justitia, quam de gratia. Ipse autem, eodem die consilio habito cum uno Judicum prædictorum, secundo die naturam petitionum omnium examinabit, easque, quæ ad suum officium pertinent, per se expediat, quæ sunt sigillandæ sigillo Justitiæ imperii, & sigillo cameræ, eas videlicet, quæ sunt de forma; alias autem, quæ conscientiam nostram requirunt, remittet ad libellensem nostrum sub sigillo suo per nuntium suum, vel per aliquem ex supplicantibus.

TITULUS XXXIX.

Ut post renuntiationem infra decem dies pronuntietur in causis.

I. Imperator Fridericus.

Hac lege in perpetuum valitura censemus, ut tam magister Justitiarius, quam alii inferiores Judices, intra decendium, postquam renuntiatum est, pronuntient, a renuntiationis tempore numerandum. Et si talis quæstio emerserit, in qua nostra conscientia sit necessario consultanda, vel superiorum Judicum consilium expectandum, magister Justitiarius prædictus per se, vel per unum ex Judicibus, circumspectionis nostræ respon sum exquirat in illis tantum casibus, in quibus

(1) Ed. V. & N. *Talis juratus*.

(2) Ita legendum censet Pecchia: *In præsentia adversariorum, vel contumaciter fugitivorum; qui per successorem suum ad instantem requisitionem citati, cum ipso nostræ Curiæ se debeant præsentare, ut perjurii pœnam probabili ratione refundant*.

bus nobis inconsultis procedi non potest, ut in his, quæ curia tantum (1), vel si novus casus emerserit. Alii vero Judices, & si similis casus emerserit, fideli relatione facta superiorum suorum responsum exquirant. Idem in inquisitionibus, & appellationibus dignoscitur observandum; videlicet ut currat decendium in inquisitionibus, post responsiones factas (2) in appellationibus, post earum receptionem. Nisi ambæ partes sint præsentes, sed appellator tantum: ubi sunt præsentes post renuntiationem factam, ut supra.

II, IDEM.
Nova Constitutio.

MAgnæ curiæ nostræ magistrum Justitiarium, velut justitiæ speculum in cognitionum nostrarum judiciis collocatum, non magis magisterii nomine Justitiarium ceteris præfici volumus, quam exemplo; ut in ipso ceteri gradus inferiores aspiciant, quod in seipsis observent. Quædam tamen ejus in tantum specialiter sunt annexa judicio, ut de eis absque delatione (3) nominis specialius cognoscere non præsumat: de comitatibus, videlicet, baroniis, civitatibus, castris, & magnis feudis, quæ in quaternionibus doanæ nostræ baronum inveniuntur inscripta. Curialium etiam quæstiones, qui a curia nostra discedere sine mandato nostro, vel ordinariorum nostrorum, pro velle non possunt. Qui tamen immediate nobis, vel officialibus nostris, non pro ipsorum servitiis, sed pro nostris assistant in aliquo (4), forsan ab ejus officio constituti, sive agant, sive conveniantur, magistri Justitiarii examinent, & decidant. Qui etiam prærogativa speciali lætantur, ut illic adversarios suos in civilibus, & criminalibus causis valeant evocare. Appellationes, & consultationes inferiorum Judicum, seu etiam delegatorum a nobis, qui ad nostri culminis audientiam deferuntur, dum nobiscum in nostra curia commorantur, pro jurisdictione sua suscipiant audiendas, & fine debito terminandas.

III. IDEM.

HOnorem debitum, atque præcipuum nostræ curiæ reservantes edicimus, ut si quando etiam prædictus magister Justitiarius civitatem aliquam, vel locum intraverit, quousque in eodem loco magister Justitiarius ipse una cum Judicibus nostris curiam nostram tenuerit, Justitiarii regionum, qui illic inventi fuerint, silere debebunt; ut puta minori lumine per luminare majus superveniens obscurato.

TITULUS XL.

Ut magister Justitiarius possit emendare oppositiones Officialium, & revocare.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

MAgister Justitiarius injunctiones, oppressiones, & concussiones inferiorum omnium Judicum, destitutiones etiam sine speciali mandato nostro pro curia nostra factas, faciat emendare, & possessiones restitui destituto, nobis etiam inconsultis, Captivos etiam, nobis non mandantibus, vel inconsultis, per Justitiarios, vel per alios captos, & injuste detentos, faciat liberari.

II. IDEM.
Nova Constitutio.

CAusas per magistros Justitiarios (5), camerarios in regno, vel per capitaneos in imperio, coram eis contra fiscum motas, & ad curiam terminandas, delatas super debitis, & rebus mobilibus, suo jure diffiniat. Item de modicis immobilibus, sicut de domo una, & vinea una, quæ non sunt magni pretii. Super aliis autem conscientiam nostram, quam citius poterit, per se, vel per unum ex Judicibus, consultabit. Hoc autem specialiter super curiæ debitis observato, quod non tantum per instrumenta confessionum, sed per testes, qui naturali numerationi interfuerint, de debito probetur; nisi Judex, & notarius, & testes in instrumento subscripti, non de confessione tantum, sed quod ipsi interfuerint numerationi, testentur.

(6) TITULUS XLI.

De officio Justitiariatus.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

JUstitiarii nomen, & normam, Jus, & Justitiam (7) contulerunt, quibus quanto magis in nomine sunt affines, tanto eorum veri, & soliciti debent esse cultores. Hinc est, quod ipsorum Judiciis causæ capitales maxime reservantur, & quod ipsorum officium debet esse gratuitum, nec ipsum licet alicui pretii venalitate mercari. Quæ igitur ad ipsorum cognitionem pertineant, prædecessorum nostrorum assisiis comprehensa, apertius diffinimus. Latrocinia, scilicet, magna furta, fracturæ domorum, insultus excogitati, incendia, incisiones arborum fructiferarum, & vitium, vis mulieribus illata, duella, crimina majestatis, arma molita, defensæ impositæ, & contemptæ aliis (8), vel pro aliis ab eisdem, & generaliter omnia, de quibus convicti pœnam sui corporis, vel mutilationem membrorum su-

(1) *Tantum*. Lege, *tenet*. Ed. V. & N.
(2) Hinc nova periodus incipit: *In appellationibus post earum receptionem, nisi ambæ partes* &c. Ed. V. & N.
(3) Lege: *nostri nominis*. Ed. V. & N.
(4) Legendum videtur: *in aliquo forsan ab eis officio constituti*. Ed. V. & N.
(5) Ita legit Pecchia: *Causas Magister Justitiarius per Camerarios in Regno* &c.

(6) In Vulgatis adest hic Constitutio, quæ deest in Lindenbrogiana additione. Post hanc altera aderat, a Matthæo de Afflictis in Commentario ad superiorem Constitutionem ex integro transcripta, quæ in omnibus editis deest. Constitutio porro quæ in aliis adest, hæc est p. 370.
(7) *Justitiam*. Lege: *justitia*. Ed. V. & N.
(8) *Aliis*. Lege; *ab aliis*. Ed. V. & N.

stinere deberent. Magnum autem furtum accipimus ultra viginti augustales, etiamsi civiliter de furto ipso agatur; ut etiam tamen de quantitate minori coram Justitiario ad corporalem pœnam criminaliter possit accusatio intentari. Cognitionem civilium etiam causarum, in defectu etiam camerariorum, & bajulorum, ad officium suum pertinere cognoscat. Defectus vero in camerariis, & bajulis, tunc esse videtur, videlicet, cum post duos menses a die proclamationis ad ipsos factæ, causæ eis a superiori commissæ (1) fuerint, nec conquerentibus in rationibus suis satisfaciunt, ut tenentur, & debent, nisi instructionis desideratæ necessitas terminum exigat largiorem. Eodem per omnia observando in dominis, de quibus constiterit infra prædictum tempus ad requisitionem superioris, vel mandatum nostrum, homines (2) nolle facere justitiæ complementum. De feudis etiam, & rebus feudalibus ipsi cognoscant; præter quæstiones de castris, & baroniis, & magnis feudis, quæ in quaternis doanæ nostræ scripta sunt; quæ omnia singulariter cognitioni nostræ curiæ reservamus.

TITULUS XLII.

Ubi Clericus in maleficiis debeat conveniri.

I. Rex Guilelmus.

De personis Clericorum totius regni nostri volumus, & jubemus, quod si de aliquo forisfacto, de quo persona judicari, vel condemnari debeat, appellatus fuerit, non a nobis, vel a curia nostra, sed ab Ecclesia, & in curia Ecclesiæ, de eo, quod ad personam suam pertinet, judicetur, & secundum Canones, & Jus Ecclesiasticum condemnetur. Excepto, si de proditione aliquis fuerit appellatus, vel alio magno hujusmodi maleficio, quod spectat ad majestatem nostram. Quod si acciderit, volumus, & præcipimus, ut de hoc, quod spectat ad curiam nostram, in nostra curia judicetur.

TITULUS XLIII.

De præstatione Sacramenti a magistro Justitiario, & Justitiariis.

I. Imperator Fridericus.

Inter cetera capitula, quæ in sacramento præstando a magistro Justitiario, seu Justitiariis, cum administrationem suscipiunt, continentur, hoc specialiter, & expressius volumus contineri, ut Deum, & Justitiam habendo præ oculis, unicuique conquerenti justitiam faciant sine fraude, & quam citius poterunt, litigantes expedire curabunt.

TITULUS XLIV.

De servando indemnitatem Comitibus, Baronibus, & militibus.

I. Imperator Fridericus.

Ut universis, & singulis regni nostri nobilibus honor debitus integre conservetur, Comitibus, Baronibus, ac ceteris militaribus viris, eorum judicia sibi invicem reservamus; videlicet, ut prædicti criminaliter accusati, vel etiam conventi civiliter, non nisi per Comites, & Barones, & eos, qui a nobis tantum feuda in capite tenent, non qui Comitibus, & Baronibus aliis teneantur, diffinitivas, & interlocutorias sententias, etiam quæ principali negotio præjudicium possint afferre, recipiant, cum proborum virorum judicio, & aliorum nobilium consilio proferendas, & per eosdem Comites, & Barones, interdum etiam de commissione ipsorum per curiæ nostræ Judices decidendas. Et quamquam Comites aliquando examinationi totius negotii non intersint, auditam tamen causam, & plene discussam Justitiarii, & Judices nobilibus, qui sententiam debebunt ferre, seriatim enuntient, ut sicut (3) antedicti Comites, & Barones secundum constitutiones sacras nostras, aut in defectu ipsarum, secundum consuetudines approbatas, & demum secundum jura, quibus constitutiones prædecessorum nostrorum, & nostræ non obviant, ac denique recepto responso celsitudinis nostræ, si causæ dubietas hoc requirat, causam secundum Deum, & Justitiam terminare procurent. A quorum sententiis, si contigerit ad audientiam superiorum judicum, vel nostri culminis provocari, appellationis Judex ordinarius, vel delegatus a nobis (qui Comes similiter sit, aut Baro) de aliorum Comitum & Baronum ac Judicum & proborum virorum consilio, appellationis causas honori nostro, & Justitiæ deferentes, confirmando, vel infirmando priorem sententiam, decidere procurent (4). Quod non solum in judiciis cognitionum nostrarum, sed in aliis etiam generaliter sive delegationis jure, sive ordinarie cognoscatur, inviolabiliter volumus obtineri. Et ut omnis omnino ab antedictis judiciis possit abesse dubietas, Comites, & Barones, & similes, qui vel in magna curia nostra, vel alibi debebunt de cetero interesse sententiis, corporalia volumus sacramenta præstare, de (5) puræ conscientiæ gremio, nihil favori, vel gratiæ deferentes, juxta sacratissimas prædecessorum nostrorum Regum Siciliæ, & nostri nominis sanctiones, ac deinde secundum regni nostri obtentas consuetudines, & jura, & postremo de conscientiæ nostræ consilio sententias formare curabunt. Sententiæ tamen,

(1) *Commissæ fuerint*, id est *remissæ*. Glossa.
(2) Ed. V. & N. *hominibus*.
(3) *Ut sicut*. Lege: *sic*, *ut*. Pecchia.
(4) Lege: *decidere procuret*. Pecchia.
(5) Lege: *quod de puræ* &c. Ed. V. & N.

men, quæ ante tempora præsentis legis, citra prædictam formam, contra Comites, & Barones, & similes latæ sunt, in suo robore perseverent.

TITULUS XLV.

De probibita Officialium nostrorum occasione.

I. Imperator Fridericus.

DUram, & diram pœnam, & qualitati delicti minime congruentem, Regis Guilelmi divæ memoriæ prædecessoris nostri constitutione contentam, qua ordinatores, & ordinati in vicariatus, & justitiariatus officio, & (1) sine nutu, & licentia regiæ potestatis, capitali sententia feriuntur, imperiali mansuetudine mitigantes decernimus, supradictos, publicatis omnibus bonis suis, ab officio, quod sic illicite usurpaverant, removeri.

TITULUS XLVI.

Quod nullus Prælatus, Comes, Baro, officium justitiæ gerat.

I. Imperator Fridericus.

EA, quæ ad speciale decus, & merum imperium celsitudinis nostræ spectare noscuntur, per præsumptiones illicitas volumus a nemine usurpari. Hoc igitur pie nostræ majestatis edicto in perpetuum valituro firmiter inhibemus Prælatis Ecclesiarum, Comitibus, Baronibus, & militibus, locorum universitatibus, ne Justitiariatus officium in terris suis exercere audeant, vel gerendum alicui demandare; sed de (2) magistris Justitiariis, & Justitiariis ab excellentia nostra statutis intendant. Contra præsentem autem prohibitionem nostri culminis satagentes, tam statuentes Justitiarios, quam statutos, totius terræ suæ publicatione multamus.

TITULUS XLVII.

Qua pœna Universitates teneantur, quæ creant Potestates, & alios Officiales.

I. Imperator Fridericus.

CUm satis, abundeque sufficiant Officiales a nostro culmine stabiliti ad hoc, ut tam in civilibus, quam in criminalibus causis unusquisque Justitiam valeat invenire, usurpationem illicitam, quæ in quibusdam partibus regni nostri invaluit, abolentes præcipimus, ut amodo potestates, consules, seu rectores, in locis aliquibus non creentur, nec aliquis sibi auctoritate consuetudinis alicujus, vel ex collatione populi, officium aliquod, aut jurisdictionem usurpet. Sed Officiales tantum nostra majestate statutos, vel de mandato nostro magistros Justitiarios, Justitiarios, camerarios, bajulos, & Judices, ubique per regnum volumus esse, & tam jura nostra, quam nostrorum fidelium ministrare. Quæcumque autem universitas imposterum tales ordinaverit, desolationem perpetuam patiatur, & omnes homines ejusdem civitatis angarii in perpetuum habeantur. Eum vero, qui aliquid (3) de officiis supradictis susceperit, capite puniri censemus.

TITULUS XLVIII.

De Justitiariis, assessoribus, & actorum notariis ordinandis, & de officio Justitiariatus.

I. Imperator Fridericus.

JUstitiarii per provincias statuantur, qui non sint de provinciis, quas sibi munificentia nostra decreverit, oriundi, nec in eis habeant incolatum, nec majorem fortunarum suarum partem statuerint, ut assolet, in eisdem; nec ibidem per se, aut filios suos, præsertim acceptis in dotem rebus immobilibus, contraxerint parentelas. Assessores etiam, & actorum notarios, de decretis sibi provinciis oriundos, vel qui in prædicta causa fuerint, eisdem saluberrima provisione negamus. Et illud adjicimus, ut post assumptum officium originarios, sive municipes, destinatis familiis (4) in familiam non assumant. Nec ante magistratum susceptum assumptus de criminibus, & offensis contra eum ante suum officium perpetratis Justitiam audeat ministrare, nec adversarios eorumdem ad querelam ipsorum coram sua præsentia venire compellat, nullo per hoc præjudicio familiaribus suis conqueri, vel accusare volentibus, in causis, quarum cognitio præsenti nostra constitutione differtur, imposterum generando. De criminibus autem, violentiis, & injuriis illis, post assumptum officium illatis, de quibus ad eos cognitio pertinet, eis, sicut omnibus, de Jurisdictione sua Justitiam ministrare procurent. Deinde generaliter prohibemus, ut in civilibus causis, præterquam de feudis non quaternatis, seu parte feudorum ipsorum, nec principaliter, nec per appellationem officium suum aliquatenus interponant.

TITULUS XLIX.

Qualiter Justitiarii se gerere debeant in provincia sibi decreta.

I. Imperator Fridericus.

JUstitiarii non per Kalendas, ut assolent hactenus, sed continue curias per se, vel per alios Judices suos, quibus nihil aliud, quam audientia quæstionum debebit committi, regere debeant, causas audiant, & decidant. Civitates, & loca suarum jurisdictionum continua discursione perquirant, provin-

(1) Dele particulam *&*. Ed. V. & N.
(2) Dele particulam *de*. Ed. V. & N.
(3) *Aliquid*. Lege, *aliquod*. Pecchia.
(4) Ita Ed. V. & N. *In destinatis sibi provinciis in familia non assumant, nec ante Magistratum susceptum assumptis, de criminibus & offensis contra eum ante suum officium perpetratis justitiam audeant ministrare: nec adversarios eorundem ad querelam ipsorum coram sua præsentia venire compellant. Nullo &c.*

vincialium dispendiis, ipsos ad remota loca propter justitiam non vocando, quanto salubriter poterunt parcituri. Flagrantia maleficia non ulterius protrahant, sed ipsis in locis, in quibus ea perpetrata repererint, punientes maleficos, ut puta famosos latrones, & fures, qui maleficia sua nulla nequeunt tergiversatione celare, publicorum itinerum aggressores, seu quoslibet recentes, & publicos homicidas, per nemora forsitan fugitivos, vel aliter latitantes, ob conscientiam criminum patratorum, per se, interdum per alios, expensa etiam, si viderint expedire, de curiæ nostræ pecunia, diligentissime perquisitos, nullis delationibus, seu accusationum solemnitatibus expectatis, si deferentes, vel accusantes defuerint de provincia, pœna legitimæ severitatis extirpent. Nec (1) præsumptioni temerariæ per nos, nostrorumque officialium credatur attribui id, quod officii sui debito ad plenitudinem fragilitatis adjunxerit.

II. Idem.

Nova Constitutio.

Causas alias ordinario judicio audiant, & examinent, & decidant infra trimestris temporis spatium, nisi forsitan instructionis desideratæ necessitas, veluti si probationes ex longinquo petantur, terminum exigat longiorem. Super hoc specialiter a petente dilationem sacramento præstando, quod non causa differendi judicii, sed ex necessitate præscripta, dilationem exposcat. Nec illud omittimus, quod occasione faciendarum curiæ provisionum pro sententiis proferendis, partes ultra debitum non aggravent, nec ipsos per provincias trahendo post curiam, propter hoc laborum, & sumptuum vexatione fatigent. Sed illas provisiones reputent competentes, quas Judex, & notarius actorum, qui apud eos fuerint, sufficere pro negotiorum qualitate censebunt. Prædicti autem actorum notarii, & non Justitiarii, sicut olim, pecuniam omnem, tam ex provisionibus, quam unumquemque (2) ex Justitiariorum officiis proventuram ad generale pondus recipiant, & conservent. Et de receptis infra diem receptionis gratis faciant apodixas, & ipsi recipiant antapocham de solutis.

TITULUS L.

De inquisitionibus faciendis.

I. Imperator Fridericus.

Inquisitiones generales per provincias, & partes provinciarum, ubi, & quando expedire viderint justitiarii, facere non omittant, de malefactoribus, & hominibus malæ conversationis, & vitæ, per seipsos, judices, & notarios suos, & non per alios simplices, quibus eas hactenus committebant. Comminabuntur autem prædicti justitiarii, & comminationes observent, quod quicunque de his, qui præsentes coram eis fuerint, vel ad quorum notitiam edictum de inquisitione generaliter facienda pervenerit, super injuriis suis querela, aut de mala sua (3) conversatione cujuspiam, vel de aliquo crimine, vel maleficio in provincia patrato, veritatem non deposuerit, vel querelam, donec instantia faciendæ inquisitionis duraverit de maleficiis, usque ad illum diem inantea perpetratis, & injuriis sibi illatis; ut accusator, aut testis nullatenus exaudiatur, nisi justam, & probabilem timoris, vel ignorantiæ causam ostenderit repellendus, propter quem edicti tempore conqueri, vel inquisitionem deponere minime potuisset.

II. Idem.

Nova Constitutio.

Hi, qui per inquisitiones hujusmodi generales inventi fuerint notabiles, si tale quid contra eos probatum appareat, per quod mori non debeant, nec membro aliquo mutilari, & per decem, aut plures, quos justitiarii communi fama & bonæ opinionis invenerint, convicti fuerint, utpote quod rixatores, & frequentes delatores armorum (contra constitutiones nostras), quod lusores publici taxillorum, aut tabernarum frequentatores, quod ultra facultatem suorum proventuum, non ex mercationibus, aut artificiis largiorem, quam debeant, vitam ducant, ad publicum opus deputentur ad tempus per literas justitiarii magistro operum designandum, & ejusdem justitiarii arbitrio juxta probata, & personæ qualitatem, provida deliberatione taxandum. Quo transacto, cum literis suis magister operis teneatur dare gratis licentiam condemnatis ad propria revertendi. Quod generaliter servandum censemus in omnibus, qui ad opera publica deputantur, ut designetur eis condemnationis tempus, & causa. Vel si qualitas delicti poposcerit, quod in perpetuum condemnati, publicis operibus deputentur, hoc ipsum & sententia præsidis manifeste contineat, & literæ super hoc missæ manifeste declarent. Ceterum, si tale quid contra eos probatum extiterit, ex quo personam amittere debeant, vel membrorum mutilationem incurrere, aut perpetuo carceri macerari; tunc si quidem is, contra quem inquisitio facta fuerit, levis vitæ, & malæ conversationis fuisse non probabitur, vel per quoscumque maleficus non probetur, inquisitio-

---

(1) Ita corrigit Pecchia. *Nec præsumptioni temerariæ per nos nostrorum officialium credatur attribui id, quod officii sui debito ad plenitudinem suæ potestatis adjunxerint.*

(2) *Unumquemque*. Lege: *undecumque*. Ed. V. & N.

(3) Lege: *aut de mala fama, seu conversatione cujuspiam*. Ed. V. & N.

tionis ei copia tribuatur. Porro si per ipsam inquisitionem, aut alias contra eum factas, levis conversationis, & vitæ probetur, aut quod propter manifestam fugam ex maleficio fuerit forbannitus, & per decem bonæ opinionis viros, non inimicos delati, probatum fuerit contra eum, facta sibi copia nominum tantum omnium testium, non dictorum, nec eorum specialiter, qui contra ipsum inquisitionem deponunt, ad condemnationem ipsius, juxta qualitatem probati criminis, procedatur. De specialibus autem causis, & ad singularium delationes contra singulares personas factas, ad inquisitionem criminalem faciendam, minime procedatur; præterquam in crimine læsæ majestatis contra personam nostram, vel nostrorum collateralium perpetrato, vel nisi speciale conscientiæ nostræ mandatum super inquisitione facienda habeatur. In quibus causis dandam, vel negandam inquisitionis copiam plene per inquirentem ad nos relatione præmissa certificatum est, nostræ majestatis arbitrium provida deliberatione mandabit. Quæ quidem relatio continebit conditionem deferentis, atque delati, & nomen, & famam ipsius, criminis etiam qualitatem, testium numerum, & ipsas depositiones eorum; famam etiam eorumdem, quatenus ipsam per inquisitionem summariam justitiam (1) scire potest. In prædictis etiam casibus, & omnibus aliis, quibus inquisitio facienda est, secundum jura communia, vel nostri nominis sanctiones, exprimendum est delatoris nomen; & omnes solemnitates servandæ sunt, quæ veteribus legibus, & nostris constitutionibus, super delationibus, & delatoribus editis, continentur. Præterquam in eo tantum crimine læsæ majestatis nostræ, quod personam nostram directo contingit, vel nisi justa, & probabilis per eum, apud quem delatio facta est, videbitur causa timoris, propter quam delator in publicum prodire formidet. Nihilominus tamen inquisitor hoc casu omnia teneatur ex officio suo circumspecte prospicere, tam in personis productorum testium, quam in omnibus circumstantiis aliis, & specialiter quis sit zelus delatoris, aut causa, quæ ipsum ad ipsam delationem inducat; & generaliter sic omnia ex officio suo suppleat inquisitor, quod in aliquo ignorantia prædictorum delato nocere non possit. Quæ si per inquirentem perspicaciter observata non fuerint, inquisitio irritatur denuo facienda; ipso nihilominus de dolo, vel negligentia, prout ex arbitrio nostro processerit, condemnando.

III. Idem.

Item dira, & dura observatio, quæ hactenus obtinebat, videlicet, quod si per inquisitionem contra aliquem factam per decennarium numerum probatur, non dabatur copia reclamandi, volumus, quod de cetero non observetur, sed per quemcumque probetur, copiam habeat accusatus, & in suis defensionibus audiatur.

IV. Idem.

Præsenti lege sancimus, ut nec magister justitiarius curiæ nostræ, nec alii justitiarii regionum, accusatores, aut criminum delatores aliter ad judiciorum ingressum admittant, nisi prius vinculum inscriptionis accipiant, prout veteribus legibus est inductum: ut desistentiæ pœnam, atque calumniæ in calumniantes, & desistentes constanter observent.

TITULUS LI.

Ut justitiarii, & universi officiales, seu ipsorum familia nihil a litigantibus recipiant.

I. Imperator Fridericus.

Apud justitiarios regionum, & omnes alios inferiores magistratus, & judices, difficultas, & ordo cancellariæ, quem specialiter in magna curia nostra servare mandavimus, nullatenus observetur; nisi quo ad hoc, ut nec ipsi, nec officiales, aut familiares eorum, aliquid ab impetrantibus, seu litigantibus, omnino recipiant; nec esculentum, nec poculentum, etiam infra triduum consumendum. Quod si contra præsentem constitutionem nostram aliquid recepisse fuerint dilucida probatione convicti, siquidem pecuniam, equos, aut quælibet animalia, arma, vel hujusmodi pretiosa, litigantibus (2), aut non litigantibus, vel impetrantibus, præter esculentum, & poculentum, quod infra duos dies consumendum proximos, semel tantum, dum in loco permanserint, recepisse sufficiat. Et si a litigantibus, aut impetrantibus esculenta, & poculenta, seu injectas, aut deductionem (3) recepisse, vel promissiones de eis admisisse probentur, spoliati honoris cingulo, cum infamia eorum, quod in donatione, vel promissione receperint, tanquam manifesti fures, quadruplum curiæ nostræ componant.

TITULUS LII.

Ut justitiarii habeant certos advocatos.

I. Imperator Fridericus.

Justitiarios regionum certis, & designatis advocatis in curia sua volumus esse contentos; sed omnibus, qui jurisdictione (4) sua advocationis officium a curia nostra receperint, coram se postulare permittent.

II.

(1) *Justitiam*. Lege: *Justitiarius*. Ed. V. & N.
(2) Lege: *a litigantibus*. Ed. V. & N.
(3) Ed. V. & N. *seu jojectas, aut donationem*.
(4) Forte legendum: *qui in jurisdictione sua* &c.

II. Idem.

Nova Constitutio.

PRæsides provinciarum de feudis non quaternatis, & rebus feudalibus, quæ a curia nostra tenent, nisi destitutiones nobis specialiter mandantibus factæ sint, suo jure cognoscant, instituto procuratore pro parte curiæ nostræ, præsentibus fisci patrono, ac procuratore rerum curiæ nostræ, qui in provincia commorantur, & ipsas usque ad calculum sententiæ diffinitivæ perducant: deinde causas instructas, dato parti petitoris peremptorio termino, ad nostram curiam transmissuri.

III. Idem.

JUstitiarii de cetero non compellant sibi continue bajulos locorum assistere, cum discreta sint eorum officia, nec unius exercitium debeat per alium impediri.

TITULUS LIII.

De transactionibus.

I. Imperator Fridericus.

POstquam citatæ partes coram justitiario compareant, liceat ipsis legitimas conventiones & transactiones inire, præterquam in enormibus injuriis. Ex quibus illas tantum reputari censemus enormes, quæ per jura communia designentur atroces.

TITULUS LIV.

Ne filius pro patre, vel e contra, vel frater pro fratre conveniatur.

I. Imperator Fridericus.

PAtres pro filiis, & e contra, præterquam in crimine læsæ majestatis, fratres pro fratribus, aut pro conjugibus conjuges in dotibus, aut in dotalitiis suis dispendium minime patiantur; nisi forte patribus, filiis, fratribus, aut viris exulibus, vel forsitan fugitivis, aut forjudicatis, præsentes alimoniam subministrent publice, vel occulte; quo quidem casu bona per excellentiam nostram dimissa præsentibus publicentur. Patribus tamen, humanitate nobis suadente, permittimus, ut cum ipsorum filii pauperes pecuniarias pœnas eludunt, & sunt corporaliter puniendi, sicut omnes, qui propter paupertatem pœna pecuniaria puniri non possunt, pœnam pecuniariam exsolvendo filium liberare; non tamen ipsos ad hoc coarctamus invitos.

II. Idem.

JUstitiarios regionum, prout prædecessorum nostrorum Regum Siciliæ constitutionibus est inductum, solicitos esse volumus, & devotos, ut magistris camerariis, bajulis, & aliis officialibus, cum per eos extiterint requisiti, consilium (1), auxilium, prout ad jurisdictionem suam pertinet, debeant impartiri. Ceterum ad hoc, ut justitiarii ipsi, cum personis sibi per nostram curiam deputatis, in dispendium rei familiaris suis laborare impendiis non cogantur, per speciales, & sacros nostræ consuetudinis (2) apices, prout status cujuslibet pro tempore fuerit, statuimus eisdem in expensis annalibus & sufficientibus providere.

TITULUS LV.

Ut justitiarius alium loco sui ordinare non possit.

I. Rex Guilelmus.

OFficia, quæ personis personaliter conferuntur, personas transgredi, quibus sunt collata, ne possint, magistrum justitiarium, justitiarium (3), qui alios hactenus loco suo vicarios statuebant, a licentia prædictæ præsumptionis illicitæ coarctamus. Cum enim causa aliqua singularis, quæ criminalis sit, ab aliquo alii regulariter committi non possit, multo minus prædictarum causarum universitas poterit delegari. Quisquis autem contra prædicta fecerit, ordinator, & ordinatus capitali sententia se noverint subjacere.

TITULUS LVI.

De juramentis non remittendis a bajulis.

I. Rex Guilelmus.

CRebra nostrorum fidelium excellentiæ nostræ relatio patefecit, quod quidam bajuli nostri usque adeo suæ bajulationis extendunt officium, quod sacramentales, quos causarum qualitatibus per sententiam judicum præstari contigerit, bajuli ipsi interdum gratis, & sæpius pecunia recepta remittant. Quod reputantes iniquum, imposterum prohibemus, pœnam unius libræ auri in bajulum, qui contra fecerit, statuentes.

TITULUS LVII.

De officio magistri camerarii.

I. Imperator Fridericus.

OFficiorum periculosa confusio privatorum jura, qui justitiam sitiunt, plurimum confundunt. Sane cum prædecessorum nostrorum discreta provisio ad hæc diligenter intenderit, ut publicarum personarum officia segregaret; provisionem ipsorum effectu debito prosequentes statuimus, magistros camerarios, seu camerarios, qui a curia nostra officium camerariatus in credentiam recipiunt, vel concludunt (4), de cau-

(1) Lege, *& auxilium*. Ed. V. & N.
(2) *Consuetudinis*. Legendum censerem, *mansuetudinis*; Titulo quoque 59. & 73. hujus libri eadem occurrit expressio.
(3) Ed. V. & N. *Magistros justitiarios, & justitiarios*.
(4) *Vel concludunt*. Ed. V. & N. *vel conducunt*.

causis civilibus tantum, præterquam de feudalibus, pro sua jurisdictione ad requisitionem bajulorum, vel in defectu ipsorum, tantum posse cognoscere, & ipsas rationabiliter diffinire causas, quas inter bajulos gabellatos (1), suæ jurisdictioni subjectos, oriri sæpe contingit, ipsos (2) audiri volumus, & finaliter terminare. Appellationes etiam, quas in causis civilibus in præsentia bajulorum, a sententiis judicum ordine judiciario cognoscentium, ad ipsorum audientiam (prout assolet) contigerit interponi, ipsos suscipere volumus. Et susceptis eisdem, ad confirmationem, vel infirmationem sententiarum earum, prout viderint, de jure procedant, a quibus ad nos, & non ad justitiarios, sicut olim, provocationes volumus interponi.

II. Idem.

Magistros camerarios regionum assisias rerum venalium per singulas civitates, & loca volumus ordinare, cum consilio bajulorum, aliorumque nostrorum fidelium loci, quos ad hoc viderint opportunos.

TITULUS LVIII.

De officio secreti.

I. Imperator Fridericus.

Præsenti lege decernimus, ut officium, quod per regias constitutiones, & nostras, dohannæ de secretis, & quæstorum magister hactenus exercebant, a porta Roseti citra, magistri camerarii exerceant in futurum.

II. Idem.
Nova Constitutio.

Dohannæ de secretis, & quæstorum magistri discretum officium ab aliis separantes, super quibus, & de quibus per se, vel per alios, quibus hoc specialiter destinaret, se intromittere debeat, præsentis constitutionis nostræ tenore duximus advertendum; in primis videlicet de thesauris inventis, & de pecunia absconsa ab aliquo, quorum domini per probationes dilucidas reperiri non possunt. Item de his, quæ de naufragiis curiæ nostræ debentur; cum ex naufragio, quorum res sunt, aliqui, vel ex eis successores legitimi non supersunt, intromittere se debebit. Praterea si aliquis clericorum, qui hereditaria possederit, vel laicorum de terra demanii nostri sine herede decesserit, nec filium, vel filiam legitimam, aut aliquem ascendentium, vel descendentium, aut ex latere venientium, qui ad successionem ipsius ab intestato possit de jure venire, reliquerit, nec testamentum fecerit, cum ejus hereditas libera, & absque servitio curiæ fuerit, cum omni juris solemnitate publice subhastata vendatur, & tertia pars pretii, pro quo vendita fuerit, pro morientis anima pauperibus erogetur, & residuum quæstoris (3) officio nostræ curiæ reservetur. Nisi forte prænominatus secretus, & quæstor nobis viderit expedire, ut æstimatione prædictæ tertiæ pro defuncti anima erogata, ipsæ res hereditariæ in fisci nostri possessione serventur.

III. Idem.

Justitiarios, camerarios, castellanos, & bajulos esse volumus sollicitos, & devotos, ut ubi necesse fuerit pro commodis curiæ nostræ, ac per dictum de secretis, & quæstorum magistros, vel officiales alios extiterint requisiti, consilium, & auxilium eisdem debeant impartiri.

TITULUS LIX.

De præstando sacramento bajulis, & camerariis.

I. Imperator Fridericus.

Puritatem, quam nos ipsi sectamur, ab officialibus nostri judicii maxime præstolamur. Et ut in pœnam eorum, qui contra fecerint, ultionis divinæ judicium nostræ indignationis aculeis aggregemus, præsenti lege sancimus, ut omnes camerarii, & bajuli, priusquam in gabellam, vel credentiam bajulationes nostras administrandas susceperint, tactis corporaliter sacrosanctis Evangeliis, in publico corporalia subeant sacramenta, quod pure, sine fraude, non amore, non odio, non prece, non pretio, nec timore, omnibus conquerentibus, absque personarum acceptione, prompto zelo justitiam ministrare curabunt; & quod secundum constitutiones nostras, & in defectu earum secundum consuetudines approbatas, ac demum secundum jura communia, Longobarda videlicet & Romana, prout qualitas litigantium exegerit, judicabunt. Curiæ nostræ demania, & jura quælibet illæsa servabunt, & quod ipsa non negligantur, nec ea in alios nullo alienationis, vel locationis titulo transferant, nec pro se occupabunt, aut occupari permittant; sed occupata, & detenta ab aliis nostræ curiæ nuntiabunt. Illud etiam in sacramento bajulorum expressim inserendum esse volumus, ut pœnas, seu mulctas nostris constitutionibus comprehensas, ab his, qui in eas inciderint, prout ad eorum officium, seu cognitionem causæ pertinere noscuntur, nihil omnino honori, & gratiæ deferentes, & sine diminutione requirant, & recipiant requisita. Nec a partibus pro scriptura sententia-

---

(1) Lege: *& gabellotos.* E. N.
(2) Rectius: *ipsas*. Ed. V. & N.
(3) Ed. V. & N. *& residuum prænominati secreti, & Quæstoris, officio nostræ curiæ reservetur.*

tiarum, præter infra scriptas quantitates taxatas, non plus recipiant, nisi quod est nostra constitutione provisum. Et jurare prædicti faciant gabellatos suos, quod nil ultra veterem formam, & nova statuta requirant, vel ab aliis extorqueant, nisi quod eis constitutio regni, & nostra permiserit.

II. Idem.
Nova Constitutio.

MAgistri camerarii, qui per quorumlibet præsidatuum regiones amodo statuentur, non vendant bajulationum officia, quæ ad administrandam justitiam pertinent, in audiendis, & diffiniendis quæstionibus, quarum ad eos cognitio ex jurisdictione, vel mixto imperio partium, seu veteribus legibus, & nostris constitutionibus demandatur. Indignum namque fore decernimus, ut sacratissimum quidquam justitiæ ministerium pretii venalitate mercetur. Sed bajulationes easdem committant viris fidelibus, & opinionis electæ prudentioribus, & generosioribus, ac ditioribus, prout locorum conditio ministrabit, qui sint de demanio nostro tantum. Per loca quælibet unum tantummodo statuant, non plures; adeo ut nec societatis occultæ velamine, prædictæ bajulationis officium a pluribus administrari permittant. Ex parvis autem civitatibus, locis, & municipiis, in quorum singulis bajulus unus, judex, atque notarius sunt necessarii, ne (1) sine magno curiæ nostræ dispendio causari valeant, plura volumus insimul combinari, unius bajuli, judicis, & notarii, qui non sint de ipsorum locorum aliquo municipes, vel etiam oriundi, jurisdictione regenda; ut tantum non de uno loco ad alium advocent litigantes, sed per vices, & tempora (2) locorum ipsorum sedeant, & ibidem, prout causarum qualitas, & numerus exegerit, commorantes petentibus justitiam subministrent. Bajulorum processus per singulas civitates, & loca frequenti discursione perlustrent, defectus ipsorum, quos frequens, & diligens inquisitio revelabit, suppleant, & emendent: quorum singuli judices (3) unum de fidelioribus, & prudentioribus loci, de creatis a nobis, aut creandis ab eis, continuum adjicient assessorem, & notarium unum actorum similiter fidelem, & cautum ex his, qui a nobis tabellionatus officium susceperunt; qui tam pro se per curiam nostram expensas statutas accipient, quam pro prædictis bajulis, judicibus, atque notariis per loca quælibet ordinatis, ordinata stipendia ministrabunt. Concedimus etiam magistris camerariis supradictis, bajulos, judices, atque notarios, quos in non recipiendis officiis forsitan invenerint pertinaces, pignoribus captis, vel per impositiones, & exactiones mulctarum, prout melius viderint expedire; & demum, si hæc contumacia clarior, & pertinacia durior prædictorum exegerit, per captionem personarum ad præsentiam nostram, nobis in regno morantibus, alioquin ad regionum Justitiarios, sub fida custodia mittendarum, ipsos ad subeunda prædicta publica munera coercere. A quibus etiam bajulis, judicibus, & notariis, in publico sacramentum recipient, secundum formam veteribus legibus, & nostris constitutionibus comprehensam. Doanas autem tam terræ, quam maris, forestagia, plateatica, passagia, & alia tam vetera jura, quam nova curiæ nostræ, nostrorum fidelium fidei committere poterint, vel locare, prout melius fisci nostri profectibus viderint expedire.

TITULUS LX.

De quæstionibus inter fiscum, & privatos movendis.

I. Imperator Fridericus.

Nova Constitutio.

QUæstiones omnes, inter fiscum nostrum, & privatos movendas, tam personales, quam reales, quæ non sint de feudis, vel rebus feudalibus, cognitiones, atque judicia magistri camerarii accipiant, & ipsas, adjunctis Justitiariis, cum contra fiscum agitur, & præsente fisci patrono, & instituto provido, & fideli procuratore, pro parte curiæ nostræ, usque ad sententias examinatas, dato parti alteri peremptorio termino, per nuntium, & literas suas ad curiam nostram mittant. Ut tamen super quibuslibet debitis, quæ a curia nostra petuntur, & quæ consistunt in numero, pondere, & mensura, hanc formam observent; videlicet, quod non per instrumentum tantummodo, sed per testes, qui numerationi naturali, mensuræ, vel ponderi personaliter interfuerint, non pauciores quinque, si petita quantitas auri libram excedat; alioquin per legitimum numerum petita probentur. Ceterum ad hoc, ut ipsi magistri camerarii cum personis sibi per nostram curiam deputatis in dispendium rei familiaris suis laborare stipendiis non cogantur, per speciales sacros nostræ mansuetudinis apices, prout status cujuslibet pro tempore fuerit, statuimus eisdem in expensis annalibus & sufficientibus provideri.

TI-

(1) *Ne*. Lege, *ut*. Pecchia.
(2) Adde *in quolibet*. Ed. V. & N.

(3) Pecchia legendum censet: *quorum singulis judicem unum &c.*

TITULUS LXI.

De cognitione causæ coram bajulis Curiæ Regiæ.

I. Imperator Fridericus.

Locorum bajuli, qui a magistris camerariis, & a curia nostra, quamquam in credentiam vel in extalium bajulationem recipiuntur (1), civiles causas omnes, reales videlicet, & personales, quæ super feudis, & rebus feudalibus minime moveantur, ad jurisdictionem suam noverint pertinere. Super minimis etiam furtis, & aliis offensis, de quibus comprobati pœnam sui corporis, vel ablationem membrorum incurrere non deberent, audientiam suam impartiri debebunt.

TITULUS LXII.

De fure capto per bajulum Justitiario assignando cum re furtiva.

I. Imperator Fridericus.

Bajulus, si furem cœperit, abire ipsum aliquatenus non dimittat: sed, si quidem fur extraneus sit, ipsum cum toto suo, & re furtiva Justitiariis nostris assignet. Si autem civis fuerit, seu villicus fur, cum eo, quod fuerit furatus, Justitiariis similiter nostris assignet; res autem mobiles ipsius furis, quascunque habuerit, per bajulos ejusdem loci fisci juribus vindicentur.

TITULUS LXIII.

De Officio bajuli.

I. Imperator Fridericus.

Ad officium bajulorum præcipue volumus pertinere, contemptas assisiarum pœnas, super ponderibus, & mensuris a venditoribus rerum, & locatoribus operarum exigere, ac irremissibiliter extorquere: quas si in toto, vel in parte dimiserint, de bonis suis proculdubio fisco nostro persolvent. Habebunt autem apud se bajuli prædicti mensuras, pondera, & assisias scriptas, per seipsos, & Judices suos mense quolibet cum summa diligentia perquirendas, ne diu grassari valeant per ipsorum negligentiam transgressores. Pœnas bannorum etiam ab eisdem de consilio Judicum, & aliorum nostrorum regni fidelium non ultra unciam puniendorum exigant, & sine remissione recipere non omittant. De quorum bannorum numero fore censemus pœnas per ipsos partibus coram se litigantibus indicendas, quæ forsan irreverenter ad ipsos, vel invicem insolenniter (2) in judicio litigabunt; quæ tamen pœnæ quantitatem augustalis unius per vices singulas non excedant.

TITULUS LXIV.

De mutatione, & recommendatione pecuniæ.

I. Rex Guilelmus.

Regiæ majestatis prudentia exigit, regni subjectorum consuetudines supervacuas radicitus extirpare. Hac igitur edictali lege sancimus, universos nostræ Jurisdictioni subjectos, qualiscunque sit, qui rem, vel pecuniam mutuo acceptam, vel apud se depositam, commodatamque, vel quamlibet aliam rem, illis, quorum res esse constiterit, invitus (3) ultra terminum, vel legitimum tempus detinere tentaverit, creditore, depositore, sive commodatore illæsis, tertia rei in causam deductæ debere mulctari, & eamdem compendiis bajulationis nostræ acquiri. Sane per præsentis pragmaticæ sanctionis edictum nostris fidelibus duximus distinguendum, quod si debitor non fuerit ad callida argumenta conversus, animumque non habuerit creditorem suum credito, & debito defraudare, & sine dispendio creditoris, & fatigatione aliqua in curia veritatem confessus fuerit, nulla varia exactione debitorem prægravari jubemus. Si autem veritatem debitor negaverit, & suis calliditatibus petitorem circumvenire voluerit, victus de toto eo, in quo fuerit adversario condemnatus, integram tertiam curiæ nostræ persolvat.

TITULUS LXV.

De Clericis conveniendis pro possessionibus, quas non tenent ab Ecclesia.

I. Rex Guilelmus.

Siquis Clericus de hereditate, vel aliquo tenimento, quod non ab Ecclesia, sed ab aliis, vel aliquo per patrimonium, sive aliunde teneat, appellatus fuerit, volumus, ut de hoc in curia illius, in cujus terra possessionem, vel tenimentum habuerit, respondeat, & quod justum fuerit faciat: non tamen ut persona sua exinde capiatur, vel incarceretur.

TITULUS LXVI.

De sacramento præstando a bajulis.

I. Imperator Fridericus.

Bajuli locorum, & Judices publice, super justitia ministranda, sacramenta præstabunt, quæ præstanda per magistros camerarios præmissa constitutio nostra decrevit. Illud tamen sacramento bajulorum expresse vidimus inserendum, ut pœnas, & mulctas veteribus legibus, & nostris constitutionibus comprehensas, ab his, qui in eas inciderint, prout ad ipsorum jurisdictionem &

(1) *Recipiuntur*. Lege: *recipiunt*. Ed. V. & N.

(2) *Insolenniter*. Lege, *insolenter*. Ed. V. & N.

(3) *Invitus*. Lege: *invitis*. Pecchia.

& cognitionem causæ pertinere noscuntur, nihil omnino gratiæ, & honori penitus deferentes, sine diminutione requirant, & recipiant requisitas.

II. Idem.

Nova Constitutio.

DE burgensaticis, petitorio, vel quolibet possessorio adipiscendæ, recuperandæ, vel etiam retinendæ possessionis, Clericum, seu etiam quemvis religiosum pecuniaria actione conventum, in civili volumus examine respondere; rei qualitate potius in hac parte, quæ petitur, quam personæ conditione, seu judicii qualitate pensata.

TITULUS LXVII.

De numero bajulorum per loca.

I. Imperator Fridericus.

SÆpe contingit, quod multitudo officialium, qui de facili conveniri non possunt, litigantibus in ipsorum rationibus impedimentum inducat. Statuimus igitur, ut tres tantummodo (1) bajuli, & non plures, in locis quibuslibet statuantur: & ipsos etiam de demanio, & homines demanii esse præcipimus.

TITULUS LXVIII.

Ut Clerici, vel Judices non sint bajuli; & de pœna facientium contra.

I. Imperator Fridericus.

CLerici quoque, quos a forensibus negotiis ipse ordo clericalis excludit, ad administrationem bajulorum, vel ipsorum officia nullatenus admittantur. Quod etiam ad Judices extendentes, ipsos a bajulationibus, & bajulorum consortiis privatis, & publicis removemus. Eosdem etiam publicatione bonorum suorum, si contra fecerint, condemnantes (2), bajulationes omnes ubique per regnum Kalendis Septembris inchoari præcipimus, sive in extalium, sive ad credentiam collocentur.

TITULUS LXIX.

In quibus rebus petatur trigesima.

I. Imperator Fridericus.

COnstitutionum prædecessorum nostrorum defectum necessario supplemento supplentes, quæ in certis tantum quæstionibus, & personis, commodato videlicet, mutuo, & deposito, bajulos tertiariam recipere statuebant, nec de aliis aliquid, sanctiones ipsis non modicam malignandi materiam offerebant, statuimus, ut de causis aliis tam mobilium, quam immobilium, & quarumcunque rerum, quæ non cadunt in nomen contractuum prædictorum, si personali qualibet, vel alia actione reali petuntur, trigesimam tantum quantitatis, vel æstimationis rei petitæ, bajuli ipsi exigant, & recipiant a damnato, cum causa per sententiam dicitur (3): sic ut Judicibus novella nostri nominis constitutio introduxit. Si vero causa transactionis remedio decidatur, tunc ab utraque parte litigantium recipiant trigesimam supradictam. Bajulus autem contra prædicta, vel aliquid supradictorum veniens, quæ in nostris, & regni assisiis continentur, præter perjurii pœnam in articulis jurisjurandi contentam, de quo divina sententia condemnatur, duas libras auri purissimi ærario nostro se noverit illaturum.

II. Idem.

CIrca tamen compilationes (4) Neapoli, & straticotos Salerni, sed & Messani, (quibus cognoscere licet de criminibus) de speciali, & antiqua prærogativa, & regni nostri observatione dignoscitur esse concessum, ordinatione constitutionis præsentis nihil omnino (5) innovari.

TITULUS LXX.

De ordinandis Judicibus, & quando, & de quibus rebus peti possit trigesima.

I. Imperator Fridericus.

CUm circa justitiæ tramites imperialis clementia oculos suæ provisionis advertit, & sui regiminis extollit fastigium, armando legum munimine imperatoriam majestatem, & subjectorum gravamina, & oppressiones relevat, qui sola post Deum magnificentiæ Principis lenitate respirant. Discreta itaque vicissitudine temporum, dum post bellorum strepitus, obtenta victoria, succederet quies pacis, ad hoc se nostri nominis principalis ingenii erexit provisio, ut paci justitiam sociaret. Ad quod itaque dum perpensæ deliberationis consilio vacaremus, distincta postmodum moderatione præscripsimus, quot, & quales bajuli, Judices, atque notarii, per urbes singulas justitiam ministrarent, videlicet, ut his, quos dudum invasorum regni nostri per diversas provincias concreavit iniquitas, penitus antiquatis, & in ipsorum loco de mandato nostro, aut duobus, aut tribus, aut quinque, in locis aliquibus, qui contractibus tunc intersint, & uno tantummodo, qui una cum bajulo causas examinent, & decidant, viris providis, & fidelibus substitutis, ut in novi Regis victoria novella justitiæ propago consurgat. Qui juxta tenorem nostrarum constitutionum, & jura,

(1) Pecchia legendum censet: *ut tres tantummodo Judices, & unus Bajulus, & non plures.*
(2) Ed. V. & N. addit, *&.*
(3) *Dicitur*, Ed. V. & N. *decidetur.*

(4) *Compilationes.* Ita legendum docet Pecchia: *Circa tamen Compalatios* (seu potius *Compalatium*) *Neapolis, & straticotos . . . . quibus cognoscere etiam de criminibus de speciali &c.*
(5) *Omnino.* Ed. V. et N. *volumus.*

jura, & consuetudines approbatas, causas audiant, auditas examinent, & a gratiarum (1) munerum sordibus abstinentes, de puræ conscientiæ gremio gratuitas sententias proferant, non venales: nihil omnino, præter esculenta, & poculenta, semel tantum in causis, per se, vel per alium a litigatoribus capientes, sed de munificentia nostræ gratiæ salarium a curia nostra recipiant, prout unicuique prædictorum in locis singulis per nostram excellentiam est provisum. Statuimus etiam, ut trigesimam partem quantitatis in petitione deductæ, vel æstimationis petitæ rei, sub sacramento partis, & taxatione Judicum, ex utraque parte litigantium, post diffinitivæ sententiæ calculum, vel causas transactione, vel amicabili compositione decisas, pro Judicaturis suis, & subscriptionibus consequantur. Et statim oblato libello, & parti porrecto, in pecunia vel in pignore, pro curia nostra, pro se demum, lite sententia, vel transactione finita, centesimam (2) inter ipsos æqualiter dividendam bajulus, Judex, atque notarius pro scriptionibus, & subscriptionibus suis consequantur: præterquam in actione injuriarum, in qua de eo tantum, quod in taxatione, & condemnatione deducitur, vigesima persolvatur. Verum si possessionis in Judicio sola restitutio postuletur, tunc sexagesimam tantum recipiant, reliquam trigesimam sub decisione plenissima in petitorio percepturi, æstimatione possessionis cum sacramenti solemnitate præhabita, ut est dictum; ut sic cum qualitate causæ vicissitudo salarii compensetur, & Judices curiæ non cogantur laboribus vacuis laborare. Ex compositionibus maleficiorum etiam, quæ privatis personis, vel parti reipublicæ inferuntur, eamdem partem a partibus, vel officialibus curiæ Judicibus percepturis, circa quasi possessionem jurium, his omnibus, quæ in Judiciis possessionum rerum corporalium diximus, observandis. Ad cujus salarii præstationem partes, aut sponte præstitis, vel suffragio curiæ receptis pignoribus, protinus arceantur.

II. Idem.

Nova Constitutio.

DE quæstionibus, quas inter homines Prælatorum, Comitum, & Baronum, in terris nostri demanii, prout assolet, habitantes moveri contigerit, de quibus iidem Prælati, Comites, & Barones Jurisdictionem, aut curam habere noscuntur, volumus, ut Judex per nostram curiam pro tempore constitutus ad curiam Prælatorum, sive nobilium se conferat requisitus, causas ipsorum audiat, & debito fine decidat: tam trigesima, quam pœna legitima, sive mulcta per officium Judicis inferenda, inter curiæ nostræ (3) Prælatos, & nobiles supradictos, quorum vasalli litigantes extiterint, æqualiter dividendis. Ceterum si contigerit, ex litigantibus alterum hominem esse demanii, tunc trigesima tota, nec non & pœna, quam vasallum nostri demanii debere pati contigerit, ad bajulum nostri demanii redigentur: pœna vero, qua vasallus alterius punietur (prout in superioribus dictum est) inter fiscum nostrum, & dominum condemnati proportionabiliter dividetur. Statuimus etiam, ut si quando Judex super examinandis quæstionibus ordinatus, absens necessario fuerit, vel adversa valetudine præpeditus, tunc si quidem longa futura fuerit infirmitas, vel absentia Judicantis, magister camerarius regionis statuat interim unum ex aliis Judicibus civitatis, & loci, super conficiendis contractibus ordinatis, cui pro rata temporis in statutis expensis valeat provideri.

TITULUS LXXI.

De salario bajulorum, Judicum, & notariorum curiæ.

I. Imperator Fridericus.

CUm juxta providum, & salubre consilium antiquorum, viam præcidere cupiditatibus cupientes, de camera nostra salaria bajulis, Judicibus, atque notariis exhibenda non injusta recompensatione providimus; ut obventiones omnes, quæ de trigesimis pœnis legitimis, seu judicialibus mulctis, bannis, aut quibuslibet similibus aliquibus, nostris fidelibus inferuntur, bajulis, seu Judicibus ipsis obveniunt, integre nostris ærariis applicentur. De quibus omnibus magistri camerarii per singulos menses cum bajulis diligentem rationem expurgent, & relictis sibi pro se Judice, atque notario pro rata temporis statutis expensis, quod superest pro curia nostra servetur. Et ut cujuslibet peculatus via cuilibet præcludatur, modum (4) prævidimus, ut obventiones prædictæ sub infrascripta forma per præfatos bajulum, Judicem, & notarium recipiantur, & receptæ serventur: videlicet, in scrinio uno tres claves diversas, & foramen obliquum ad immissionem auri habente. Quarum prædictorum quilibet unam apud se retineat, ubi percepta pecunia deponatur; quod non nisi in præsentia magistri camerarii per omnes prædictos, aut ipsorum aliquem, valeat aperiri. Per singulos etiam menses quatuor a magistro camerario de bajulis, Judicibus, atque notarii (5) processibus inquiretur, & demum anno perfecto per generales inquisitores a nostra curia destinatos, exactissima fiet inquisitio contra eos. Qui autem inventi fuerint per magistrum camerarium supradictum,

(1) Adde, &. Ed. V. & N.
(2) *Centesimam*. Ed. V. & N. *tricesimam*.
(3) Ed. V. & N. *inter Curiam nostram, Prælatos* &c.
(4) Ed. V. & N. *Et ut cujuslibet peculatus via cuilibet præcludatur, & modus: providimus* &c.
(5) Ed. V. & N. *atque notariis, processibus* &c.

ctum, vel inquisitores culpabiles, videlicet, quod odio, vel amore, prece, vel pretio alicujus justitiam facere petentibus denegassent, aut per fraudem infra statutum tempus justitiam facere petentibus denegassent, vel quod suæ Jurisdictioni subjectos per venales sententias, aut similibus aliis gravaminibus manifestis oppresserint, remissa inquisitione ad magnam curiam nostram, de perjurio manus mutilatione mulctentur. Et si durante officio per camerarios in manifesta desidia inventi fuerint, non in dolo, tertia parte mobilium puniantur. Et ad officium suum bajuli, & Judices prædicti pertinere cognoscant malefactores, in ipsis maleficiis deprehensos, & forbannitos, sine licentia curiæ redeuntes, & scientes receptatores eorum, capere de personis, Justitiæ (1) assignandos. Ab aliis autem malefactoribus in terra præsentibus fidejussores recipiant, si eos dare potuerint, præterquam in criminibus exceptis; aut si ipsos dare non potuerint, eos personaliter capiant, Justitiariis similiter assignandos.

TITULUS LXXII.

De pœna contemptorum Curiæ imperialis.

I. Imperator Fridericus.

CUm justitiæ copiam per Officiales nostros cunctis regnicolis mandaverimus elargiri, pœnam in eos, qui nostra Jurisdictione contempta ad forum aliud, de his, quæ ad curiam nostram pertinent, convolaverint, constitutione præsenti duximus statuendam; videlicet, ut sive clerici, sive laici sint, confiscatione bonorum mobilium, & immobilium, sive sint patrimonialia, sive feudalia, puniantur.

TITULUS LXXIII.

De feriis, & salariis Judicum, & notariorum instrumenta scribentium, & scribendorum, & de eorum forma servanda.

I. Imperator Fridericus.

BAjulos, & omnes Judices, ac actorum notarios, a mane usque ad vesperas, præter necessarias horas comestionis, & somni, sui copiam omnibus præstare præcipimus, officii sui partes petentibus omnibus præbituros. Exceptis diebus nativitatis Domini, Paschalibus, atque Dominicis, ac Beatæ Virginis, & Apostolorum festivitatibus dedicatis; in quibus & Judices alii, qui annales erunt, se de audiendis, & dicendis (2) quæstionibus nullatenus intromittant; sed de contractibus, & instrumentis conficiendis per notarios, prout est juris, & moris, pro scriptionibus & subscriptionibus suis tarenum unum, si libram auri contractus excesserit, alioquin dimidium recepturi. Huic constitutioni salubriter providimus inserendum, ut Judices, atque notarii infra hebdomadam a die, quo fuerint de scribendo rogati, instrumenta scribere & subscribere teneantur, necessitate rogantibus imponenda, statutum pro scribendis & subscribendis a curia nostra salarium exhibere; ac pœna dupli salarii constitutis (3) partibus, nisi priusquam fuerint instrumenta conscripta, de non scribendis eisdem sub attestatione solenni renuntiationem emiserint; & Judicibus, atque notariis imminente, si infra terminum præstitutum notarii, sive Judices instrumenta non fecerint, vel facta per eos non recollegerint, qui rogarunt. Ceterum, si casu contigerit, Judicem, sive notarium prius in fata concedere, quam instrumenta sint (prout ad eorum quemlibet pertinet) consummata, decernimus, ut, si quidem partes supersint, vel ipsarum heredes, quarum rogatu contractus iterum valeant celebrare, per competentis coercitionis modos, indictiones mulctarum videlicet, aut pignorum captiones, ad reficiendos contractus per bajulorum officium compellantur. Quæ partes si forte defuerint, siquidem notarius, qui gesta conscripserit, integræ vitæ, famæ, & opinionis extiterit, & manus ejus, qui schedam conscripserit, nota sit aliis Judicibus, atque notariis civitatis, & loci, placet idoneorum testium, qui interfuerint, duorum ad minus jurata testificatione recepta, per alium ejusdem loci notarium schedam eamdem recipi, & instrumentum, prout est juris, & moris, ab ipso conscribi, a Judice, qui contractui, sive negotio se interfuisse fatebitur, subscribendum, vel ab alio Judice civitatis ejusdem, si forte prius (4) extiterit humana sorte sublatus; qui tamen rei agendæ non se interfuisse describet, & se (5) qualiter inter acta præmortuorum Judicum, atque notariorum testium depositionibus roborata, nec scripti (6) negotii seriem recepisse, testetur. Ceterum ad hoc, ut ipsi bajuli cum personis sibi per nostram curiam deputatis in dispendium rei familiaris suis laborare impendiis non cogantur, per speciales, & sacros nostræ mansuetudinis apices, prout status cujuslibet pro tempore fuerit, statuemus eisdem in expensis annalibus & sufficientibus provideri.

TITULUS LXXIV.

Infra quod tempus causa debet determinari.

I. Imperator Fridericus.

OMnes bajuli locorum, & Judices, causas in eorum Judiciis inchoatas, intra bimestris temporis spatium, a die citationis emissæ, diffiniant; nisi aut probationes ex longinquo petantur, (sacramento specialiter super hoc præstito per petentem) vel alia ma-

(1) *Justitiæ*. Ed. V. & N. *Justitiariis*.
(2) *Et dicendis*. Ed. V. & N. *& decidendis*.
(3) Ed. V. & N. *constituti*.
(4) Lege; *si forte prior*. Pecchia.
(5) *Et se*. Lege, *sed*. Ed. V. & N.
(6) *Nec scripti*. Lege: *descripti*. Ed. V. & N.

manifestissima causa sit, propter quam causa intra prædictum terminum finiri non possit.

TITULUS LXXV.

De sententiis in scriptis ferendis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

AB omnibus regni nostri fidelibus, quemcumque dignitatis gradum, aut jurisdictionis obtineant, observare præcipimus, quod omnes sententias diffinitivas in scriptis proferant. Quod si forte facere neglexerint, nullius momenti verbales, & non scriptæ sententiæ reputentur. Ipsi quoque de suo damnum quodlibet, & expensas litigantibus resarcire cogantur.

TITULUS LXXVI.

De summaria cognitione contra gabellotos ferenda.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

AUctoritatem etiam bajulis impartimur, ut ad querelas nostrorum fidelium summaria cognitione præmissa superexactiones restitui faciant, & rapinas, quas gabelloti, forestarii, platearii, portionarii, seu passagerii, contra veterem formam, aut contra nova nostræ curiæ statuta in fideles nostros exercent; superexactionis, & rapinæ pœna magistris camerariis, qui prædictos officiales instituerint, observata.

TITULUS LXXVII.

De Judicibus, & notariis, & eorum numero.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

IN locis demanii nostri ubique per regnum Judices non plures tribus, & notarios sex, volumus ordinari; civitatibus Neapolis, Salerni, & Capuæ tantum exceptis, in quibus quinque Judices, & octo notarios esse volumus statuendos, in quibus fere contractus omnes coram Judicibus, & notariis celebrentur. Quos non (ut olim) a magistris justitiariis, vel camerariis, sed a nobis tantummodo ordinari sancimus: præter Judicem, & actorum notarium, quos, (ut prædictum est) poterunt magistri camerarii ordinare. Quos omnes etiam sub tali cautela decernimus promovendos, ut nullus Judex, vel notarius publicus, nisi forte sit de demanio, & homo demanii, statuatur; ita quod nulli sit servitio, vel conditioni subjectus, nec alicui alii personæ Ecclesiasticæ, vel seculari, sed immediate nobis tantummodo teneatur. Prædicti autem, tam Judices, quam notarii, cum literis testimonialibus hominum loci illius, in quo statuendi sunt, ad præsentiam nostram, vel ejus, qui vicem nostram in absentia nostra in regno universaliter procurabit, accedant: quæ literæ testimonium fidei, & mores (1) Judicis, & notarii statuendorum continere noscuntur (2), & quod in ipsius loci consuetudinibus sit instructus. Examinationem autem literaturæ, & etiam juris scripti, nostræ curiæ reservamus.

TITULUS LXXVIII.

De instrumentis conficiendis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

COnsuetudinem, quam olim in aliquibus regni nostri partibus audivimus obtinere, dilucida constitutione cassantes decernimus, instrumenta publica, & quaslibet cautiones, per literaturam communem, & legibilem per statutos a nobis notarios scribi debere; scribendi modo, qui in civitate Neapolis, Ducatu Amalfiæ, ac Surrenti, atque eorum pertinentiis hactenus servabatur, omnino sublato. Volumus etiam, & sancimus, ut prædicta instrumenta publica, & aliæ similes cautiones, non nisi in pergamenis imposterum conscribantur. Cum enim eorum fides multis futuris temporibus duratura speretur, justum esse decernimus, ut ex vetustate forsitan destructionis periculo non succumbant. Ex instrumentis in chartis papyri, vel alio modo, quam ut dictum est, scriptis, nisi sint apochæ, vel antapochæ, in judiciis, vel extra judicia nulla omnino probatio assumatur: scripturis tantum præteritis in suo robore duraturis. Quæ tamen in prædictis chartis bombacinis sunt redactæ scripturæ, in prædictis locis, Neapoli, Amalfiæ, & Surrenti, intra biennium a die editæ sanctionis istius, ad communem literaturam, & legibilem redigantur.

TITULUS LXXIX.

De Judicibus per imperialem Celsitudinem promovendis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

Nova Constitutio.

CUm nova nostri nominis sanctione statutum sit, ut Judices de quæstionibus cognoscentes, per nostram celsitudinem debeant promoveri, junctos etiam admezatores, qui per privatorum consensus ad decidendas quæstiones in prædictis locis, Neapoli, Amalfiæ, & Surrenti, & circumstantibus eligebantur hucusque, qui nullam aliam jurisdictionem habebant, nisi quæ ab eligentibus conferebatur eisdem, imposterum eligi prohibemus. Sed per Judices tantum a nobis statutos coram bajulis (3) causas omnes examinari volumus, & per sententiam terminari. A quorum sententiis appellatio-

(1) *Mores*. Lege: *morum*. Ed. V. & N.
(2) *Noscuntur*. Ed. V. & N. *debebunt*.
(3) *Coram bajulis*. Pecchia docet in antiquis Mss. scriptum fuisse, *coram Compal.*; quod Matthæus de Afflictis interpretatus est in plurali numero, sed expedit in singulari intelligere, quoniam unicus erat *Compalatius*, sive Comes Palatii Neapolitani.

nes non ad compares, vel adjunctos, ut dictum est, sed ad celsitudinem nostram, vel officiales nostros camerarios justitiarios, magistrum justitiarium, sicut in reliquis regni partibus, deferantur. Arbitris super rebus, de quibus potest de jure in arbitros compromitti, propterea non negandis.

TITULUS LXXX.

De fide, & auctoritate instrumentorum, & quot testes debeant subscribere in instrumento.

I. Imperator Fridericus.

INstrumentorum robur, & solennitatem augentes, ut de eorum fide nulla omnino imposterum dubietas possit oriri, statuimus, ut si quantitas, quæ in contractu deducitur, infra libram auri subsistat de mobilibus, vel immobilibus, & quibuslibet rebus, aut causis, in instrumento duo testes bonæ, & probatæ opinionis subscribant, præter judicem, & notarium. Si autem libram auri excedat, tres testes probatæ fidei (ut est dictum) præter judicem, & notarium, similiter in eodem instrumento subscribant; qui debent esse (ut dictum est) omni exceptione majores, & scientes literas, in locis, in quibus literati poterunt inveniri: alioquin alii etiam assumantur. Contra prædictam autem formam instrumenta confecta imposterum nullam habeant firmitatem; illo tenaciter observando, ut in aliquo locorum nostri demanii clerici, cujuscunque sint ordinis, in judices, & notarios nullatenus statuantur.

TITULUS LXXXI.

De advocatis ordinandis.

I. Imperator Fridericus.

ADvocatorum officium, qui dubia dirimunt fata causarum, non tam utile, quam necessarium reputantes, nostris constitutionibus duximus inferendum; quos sub tali forma volumus ordinari, ut non nisi examinati per judices curiæ nostræ, & per nostram celsitudinem approbati, in eadem curia nostra audeant postulare. Coram justitiario (1) similiter regionum per judices, qui eis pro tempore assidebunt, examinari, & per eosdem justitiarios postea approbari debebunt.

TITULUS LXXXII.

De præstatione Sacramenti ab advocatis.

I. Imperator Fridericus.

ADvocatos tam in curia nostra, quam etiam coram provinciarum justitiariis, & bajulis statuendos, nec non & per partes singulas regni nostri, ante receptum officium tactis sacrosanctis Evangeliis corporalia volumus sacramenta præstare; quod partes, quarum patrocinium susceperint, cum omni fide, & veritate, sine tergiversatione aliqua, adjuvare curabunt, ipsas de facto non instruant, contra veram conscientiam nullatenus allegabunt; & quod causas non recipiant desperatas; & si quas forte receperint, partis fortasse mendaciis coloratas, quæ justæ sibi in principio videbantur, & in processu judicii, vel de facto, vel de jure compareant ipsis injustæ, ipsarum patrocinium in continenti dimittent, spretæ parti (prout priscis legibus est statutum) licentia convolandi ad alterius patrocinium deneganda. Jurabunt etiam, quod augmentum salarii in processu judicii non requirent, nec de parte litis ineant pactiones. Quod sacramentum non tantum semel præstitisse sufficiat, sed coram magistro justitiæ, & justitiario regionum, anno quolibet renovabunt. Si quis autem advocatorum contra prædictam formam sacramentorum venire tentaverit in aliqua causa parva, vel magna, ab officio cum perpetuæ infamiæ nota remotus, tres libras auri purissimi fisco nostro componat. Denique clericos in secularibus causis, & judiciis omnino præstare patrocinia prohibemus, præterquam in causis suis propriis, consanguineorum, vel affinium: item in causis Ecclesiarum, ac miserabilium personarum; ita ut tunc etiam sine pretio valeant postulare. Si quis autem nostrorum fidelium officium ad advocandum ipsum admiserit, præsenti nostra constitutione contempta, libram unam auri sacro ærario nostro se illaturum agnoscat; advocato nihilominus, qui illicitum patrocinium recipere præsumpserit, eadem pœna mulctando.

TITULUS LXXXIII.

De salario advocatorum.

I. Imperator Fridericus.

HAc edictali lege jubemus, advocatos omnes pro eorum salariis, quandocunque ipsos in privatorum causis oporteat postulare, non amplius exigere, vel a litigantibus stipulari, quam sexagesimam partem causæ, pro qua suffragium spoponderant, si res, quæ petitur, æstimationem recipiat. Ceterum super his, quæ non poterunt æstimari, volumus, advocatorum salaria judicis arbitrio diffiniri, quemadmodum causæ status, & etiam rei sacræ, nec non & hominum, dum contra ipsos accusatio instituitur de tali crimine, de quo convicti capitaliter puniantur, vel alias contra ipsos procedi possit, juxta criminum qualitatem: præterquam in actione injuriarum, in qua volumus, a tempore oblati libelli, bajulos, & ju-

(1) Legendum censeo: *Coram justitiariis &c.*

& judices advocatorum salaria prætaxare, & ceteris aliis his similibus, quæ jura vetera præscripserunt.

TITULUS LXXXIV.

De officio magistrorum procuratorum curiæ.

I. Imperator Fridericus.

INter multas, & arduas sollicitudines nostras, quibus ordinata dispensatione disponere regno nostro satagimus nostrarum (1) rerum fiscalium curam, quæ velut res nostræ quodammodo privatæ censentur, non improbabiliter vidimus collocandas earum procurationibus personas (idoneas præponere cupientes) per quas nobis sic jura nostra reddantur, ut in eorum juribus fideles nostri propterea non graventur. Statuimus igitur, ut per quemlibet præsidatum unus magister procurator rerum nostrarum, & unus magister fundicarius debeat ordinari, qui jura fisci nostri percipiant, & percepta conservent. Qui etiam magister, procurator videlicet, per singulas jurisdictionis suæ partes, ad denuntiationes fidelium delatorum, vel nullis deferentibus, etiam (si viderit expedire) inquisitiones facere studeat diligenter. Et data possessoribus, post inquisitionis copiam, de jure suo contradicendi licentia, quæ ad jus curiæ nostræ pertinere compererit, fisci nostri juribus studeat vindicare. Ut tamen post causam sufficienter instructam, & ad con cientiam nostram fideli relatione deductam, si possessor in contradicendo perstiterit, non aliter ad occupandam possessionem manus extendat, quam si super hoc de curia nostra mandatum receperit speciale. Prædicta autem postquam revocata (2) per curiam nostram reperit possideri; demania etiam, & mortitia, excadentias, granaterias, piscarias, herbas aluminis (3), & generaliter omnia, quæ per nostram curiam procurantur, ad procurationis suæ sollicitudinem revocabit. Animalia autem curiæ nostræ, & omnes bestias massarias (4) per curiam, & alias, quæ præsenti pro tempore fuerint, cum diligentia debita faciat procurari. Et ex eorum proventibus, tam curiæ nostræ, quam castrorum nostrorum necessitatibus, & utilitatibus, ad requisitionem provisorum super castrorum nostrorum provisionibus statutorum, faciat provideri. Stipendia autem, quæ in pecunia numerata consistunt, castellanis, & servientibus, ac personis aliis statutis in castris, per magistros camerarios regionum volumus ministrari.

TITULUS LXXXV.

Forma qualiter locandæ sunt res fiscales.

I. Imperator Fridericus.

Nova Constitutio.

SI quando forte contigerit, a magistris procuratoribus locationes excadentiarum nostrarum per privatos, & fideles nostros pro tempore postulari, in ipsarum locationibus formam hujusmodi volumus observari, videlicet, ut procurator privatus a locatione feudorum militarium, sive sint quaternata, vel non, prorsus abstineat; & ab his, quæ sunt castrorum nostrorum munitionibus, vel nostris solatiis deputata, nisi super hoc de re petita (5) conscientiæ nostræ scrineis mandatum recipiat iteratum. In aliarum autem excadentiarum locationibus sic ipsos procuratores procedere præsenti constitutione sancimus, videlicet, ut de fide, & conversatione petentis conditione, ac valore petitæ rei, quæ scilicet ex eis præventibus (6) proveniat annuatim, per fideles nostros primitus instruantur; & si petentem fidelem nostrum invenerint, eumdemque bonum cultorem, & frugi, ac res suas salubriter, ac perspicaciter disponentem, nec in offensionem, vel malevolentiam alicujus locationem expetere supradictam, placet tam super subhastatione, quam aliis legitimis solennitatibus observatis, quas & cautela juris antiqui, & nostri (7) consuetudo deposcit (consilio magistri camerarii provinciæ nihilominus accedente) expetitas excadentias locationis perpetuo jure concedi, & possessores earum, quibus prædicto modo concessæ fuerint, perpetua securitate gaudere. Aut si eorum aliquis ad cautelam majorem suam, seu successorum suorum, super locationibus ipsis confirmationem a nobis impetrare voluerit, idem magister procurator, una cum magistro camerario supradicto, sub sigillis suis, judicum, aliorumque nostrorum fidelium loci, qui super hoc consilium dederunt, per literas suas curiæ nostræ distincte describant locum, valorem, qualitatem, & quantitatem rei locatæ, quid, & quantum curia nostra de re ipsa perceperat annuatim, cujusmodi censum, sive servitium percipere debeant de eadem, quid denique per locationem ipsam curiæ nostræ utilitatis accrescat, ut ex eorum plena relatione perdocti deliberare possimus, an prædictam confirmationem concedere nobis expediat, an ne-

(1) Hæc ita leguntur in Ed. V. & N. *Nostrarum rerum fiscalium curam, quæ velut res nostræ quodammodo privatæ censentur, non improbabiliter vidimus collocandam: earum procurationibus personas idoneas præponere cupientes, per quas nobis &c.*

(2) Ed. V. & N. *Prædicta autem postquam revocata legitime fuerint, & alia quæ per prædecessores officii revocata per Curiam nostram repererit possideri &c.*

(3) *Herbas aliminis*, id est, pascua. *Pecchia*.

(4) Lege: *Et massarias per curatolos, qui deputati pro tempore fuerint &c.* Ita legebatur in Mss. Matthæi de Afflictis. *Pecchia*.

(5) Pecchia legendum censet: *de repetitæ*.

(6) Pecchia: *ex ejus proventibus*.

(7) Ed. V. & N. *& nostri Regni*.

negare, Ceterum ad hoc, ut magiſtri procuratores cum aliis perſonis ſibi per noſtram curiam deputatis, in diſpendium rei familiaris ſuis laborare impendiis non cogantur, per ſpeciales, & ſacros noſtræ manſuetudinis apices, prout ſtatus cujuslibet pro tempore fuerit, ſtatuimus eiſdem in expenſis annalibus & ſufficientibus provideri.

TITULUS LXXXVI.

De locatione demanii.

I. Imperator Fridericus,

Nova Conſtitutio.

AUctoritatem magiſtris procuratoribus indulgemus, demania noſtræ curiæ fidelibus noſtris ad modicum tempus, non ultra quinquennium ſtatuenda, & ad certam fructuum partem, prout popoſcerit qualitas temporum, & locorum, colenda concedere. Paludes etiam, & nemoroſa loca, quæ defenſis noſtris, & publicis paſcuis, ſeu lignorum incidendorum uſibus deputata non ſint, cum indemnitate noſtra, nec non de conſilio noſtrorum fidelium extirpanda, & colenda concedant. Ceteris ſuper his proventuum parte, vel cenſu, prout melius expedire viderint, conſtitutis, veteri nullatenus diminuto. Quæ ſi ſubhaſtatione, & qualibet alia juris ſolennitate ſervata, prædicto modo fuerint etiam in perpetuum colenda conceſſa, etiam perpetuo jure ſubſiſtant; præſertim cum a nobis, ſeu ſucceſſoribus noſtris iidem procuratores locandum (1) paludes, & nemora ſupradicta nacti fuerint pro tempore poteſtatem, nec auctoritate noſtra deceptos ſe doleant poſſeſſores, & laborum ſuorum & ſumptuum incommoda pertuliſſe triſtentur. Quæ in prædictis (2) locationibus etiam per procuratores noſtros, ſubhaſtationis, & alia debita ſolemnitate ſervata, confectis volumus obſervari.

II. Idem.

MAgiſtris procuratoribus noſtræ curiæ ſpecialiter prohibemus, ne eorum aliquis fideles noſtros compellat invitos jura curiæ noſtræ, vel res alias juſto etiam pretio comparare. Illud tamen eis pro curia noſtra permittimus, quod eſt ubique terrarum generaliter conſuetum, quod eiſdem noſtris fidelibus interdicant, quod non ipſi prius jura ſua, quam noſtra, quæ in loco ipſo fuerint, communi, juſto, & celeri pretio diſtrahant.

TITULUS LXXXVII.

De officio magiſtrorum fundicariorum.

I. Imperator Fridericus.

MAgiſtros fundicarios curiæ noſtræ, ſicut quoslibet officiales noſtros, puritatem omnimodam tam circa nos, quam circa fideles noſtros volumus conſervare. Ideoque præcipimus, ut iidem magiſtri fundicarii nihil emant, aut emptum in fundicis intromittant, ſine teſtimonio bajuli, & judicis civitatis, & loci, publicæ ſcripturæ ſuffragio roborando. Procurabunt autem magiſtri fundicarii fundicos ſalis, ferri, & azarii, & mercium exituras, quæ fundicandæ per curiam noſtram ſunt ſtatutæ: præter victualia, quorum exitus aliis officialibus per noſtram curiam ſpecialiter eſt commiſſus. Volumus autem prædictos fundicarios ab infraſcriptis noſtrorum fidelium gravaminibus abſtinere; quod non compellant eos in majori quantitate ſal emere, quam ipſi voluerint, dummodo prohibeant, & diligenter obſervent, quod extra provinciam ſibi decretam provinciales ſui vel in magna, vel in modica quantitate ſal non emant in provinciam deferendum; pœna publicationis bonorum omnium emptoribus, ſeu quibuslibet alienis (3), ſal præter mandatum ſpeciale curiæ noſtræ deferentibus, præſtituta; niſi ab ultramarinis partibus in navigiis ſal deferatur, quod non alii, ſed curiæ aſſignetur pro pretio, quo cum curia convenire poterunt deferentes. Mercatoribus ementibus ſal ab eis, & ipſis jura curiæ noſtræ ſolventibus permittatur, quo voluerint intra provinciam, & pretio, quo poterunt, diſtrahere, nec certo loco, ſeu a certo venditore tantummodo ſal homines comparare compellant. Mercatores etiam ad civitates, ubi ſunt fundici, venientes, exoneratis, & depoſitis mercibus, quæ fundicari debent in fundicis, ubi, vel quo voluerint per civitatem hoſpitari, permittant. Pœna publicationis mercium mercatoribus imminente, qui alio loco merces fundicandas, ſine ſpeciali mandato fundicarii, depoſuerint, vel modo quolibet jus fundici fraudare, ſeu furari tentabunt: dum tamen fundicarii caveant, quod nullas res alias, præter eas, quæ in novis ſtatutis fundicari, ſeu donari (4) mandavimus, mercatores, ſeu quoslibet diſtrahentes, fundicare, ſeu donare compellant.

TITULUS LXXXVIII.

De prohibita Curialium commercione.

I. Imperator Fridericus.

COmmuniter tam juſtitiarii, quam camerarii, omneſque alii provinciarum annui officiales, ab infraſcriptis abſtinere debebunt. Videlicet, quod durante prædicto tempore magiſtratus eorum, nec ipſi, nec judices, aut notarii, nec familiares eorum, mutuum in provinciis ſibi decretis a ſuis provincialibus in pecunia, vel rebus aliis accipiant. Domos, vel quaſcunque poſſeſſiones ab

(1) Ed. V. & N. *ad locandum.*
(2) Mss. M. de Afflictis: *Quæ in præteritis.* Pecchia.
(3) *Alienis.* Ed. V. & N. *aliunde.*
(4) Ed. V. & N. *dohanari*; & infra, *dohanare.*

ab eis in provincia ipsa nullo prorsus alienationis titulo, etiam in emphyteutico jure accipiant, matrimonia, sive sponsalia, nec etiam contractus ineant cum eisdem; pœna publicationis bonorum omnium, & amissionis officii cum infamia officialibus contra hoc venientibus imminente. Quod (1) præterquam de victui necessariis, quemcumque contractum de mobilibus, vel immobilibus, seu se moventibus, cum hominibus inierint, cum (2) suæ jurisdictioni subjectis: creditoribus autem alienantibus, ac contrahentibus omnibus publicationem pecuniæ mutuatæ, & conventi pretii, dotium etiam præmissarum quarumlibet, deinde rerum in contractu venientium, eis imminere cognoscant.

II. Idem.

Nova Constitutio.

UT officialibus, & procuratoribus nostris quibuslibet propter expensarum defectum negligendi res nostras non sit occasio, vel meliorandi causa non desit, volumus, & mandamus, ut ad requisitionem ipsorum omnes proventuum nostrorum actores pro reparandis castris, & domibus nostris, plantandis, & colendis vineis, seu quibuslibet aliis possessionibus nostræ curiæ procurandis sufficientem pecuniam subministrent. Ceterum, si ad requisitionem ipsorum actores nostri eis petitam pecuniam subministrare noluerint, mandato celsitudinis nostræ nullatenus expectato, volumus, ut castellani, vel procuratores ipsi pecuniam de proventibus administrationis suæ, vel de suo proprio, in necessitates, vel utilitates nostras confidenter expendant, ne (3) occasione mandati nostri, quod super hoc a nobis non habent, aut dispendia vereantur; quin expensam ipsis de ærario nostro restitui faciamus, vel in ratiocinio suo per rationales nostros excomputetur eisdem.

III. Idem.

Nova Constitutio.

OMnes officiales nostros abstinere præcipimus a gravaminibus, quæ nostris fidelibus hactenus inferebant, mittendo ipsos interdum pro deferenda pecunia ad ærarium nostrum, seu pro quibuslibet aliis curiæ nostræ servitiis, interdum ipsorum animalia capiendo, & nec ipsis personis statutis (4) per curiam nostram expensas, nec pro vecturis animalium mercedes similiter diffinitas aliquatenus exsolvebant. Quod qui fecerint, de bonis suis expensas, & mercedes eisdem hominibus (5) curiæ nostræ tantundem exsolvere compellantur.

TITULUS LXXXIX.

De officio castellanorum, & servientium.

I. Rex Guilelmus.

CAstellani, & servientes ab incarceratis, qui ab eadem (6) incarceratione quacunque hora extiterint liberati, nihil omnino recipiant. Si autem in eodem carcere noctem incarceratus fecerit, non plus quam dimidium tarenum pro liberatione ab incarcerato ipso volumus postulari.

II. Imperator Fridericus.

SI quis Castellanorum, vel servientium, ultra id, quod ab incarceratis ipsis recipere regia constitutione permissum est, receperit, in nonuplum id, quod injuste perceperit, fisco nostro componat, simplo, quod a prædictis sic injuste receptum est, ipsis omni modo reddendo.

III. Idem.

CUstodes, de quorum custodia captivi per negligentiam ipsorum evaserint, bonis suis omnibus publicatis, per annum squalore carceris decernimus macerari, ut carcerem incarcerati ipsimet non deferant, qui incarceratis custodiendis aliis negligentiam commiserunt. Hi autem, qui per fraudem incarceratos abire permiserint, juxta antiqua jura capitali sententia feriantur.

IV. Idem.

CUlpam non immerito reputantes, aliquem immiscere se rei ad suum officium minime pertinenti, præsenti constitutione inviolabiliter prohibemus magistris castrorum, Castellanis, & servientibus eorumdem, ut extra castrorum situs sine speciali conscientiæ nostræ mandato, nullo negotio terræ ipsius, in qua castrum situm est, se aliquatenus palam intromittere audeant, vel occulte. Si quis autem de prædictis contra fecerit, ab officio ipso remotus pœna quinquaginta Augustalium, fisco nostro inferenda, mulctetur. Servientibus etiam expressius inhibemus, ut extra castrum non exeant sine licentia speciali Castellani. Et cum ipsos de castellis ob aliquam causam exire contigerit, plures quam quatuor insimul potestatem non habeant exeundi. Servientes autem contra prædicta temere attentantes pœna quatuor Augustalium puniri volumus; aut si non habent de peculio aliquid, per dimidium annum ad opera publica deputari.

V. Idem.

Nova Constitutio.

CAstellanorum civiles excessus per magistros camerarios regionum, criminales

(1) Ed. V. & N. *imminente, qui præterquam* &c.
(2) Ed. V. & N. *cum hominibus inierint suæ jurisdictioni subjectis.*
(3) Pecchia legendum censet: *nec occasione .... ea dispendia vereantur.*
(4) Legendum puto: *statutas.*
(5) Ed. V. & N. *& curiæ nostræ.*
(6) Ed. V. & N. *eodem incarcerationis die.*

les vero per provinciarum justitiarios, durantibus etiam ipsorum Castellanorum officiis, audiri volumus, & secundum justitiam emendari.

TITULUS XC.

De apparitoribus, & eorum salario.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

IN civilibus causis bajulos, & judices regni nostri formam hujusmodi volumus observare; videlicet, quod ad petitionem agere volentis bajulus reum futurum citari faciet per apparitores suos, qui jurent de veritate dicenda, de quibus unum, aut duos, tres, aut plures, prout qualitas loci exiget, habere debebit. Apparitori autem pro qualibet citatione infra civitatem, aut locum facienda granum auri ab actore præbeatur; extra civitatem, aut (1) pro quolibet miliari, granum unum. Et erit quælibet citatio bajuli peremptoria, continens terminum tertii diei in civitate, computatis die citationis, & die, quo sisti debebit in judicio. Extra civitatem vero, si citandus in eadem provincia fuerit, quarti, aut quinti, aut demum octavi; extra provinciam vero mensis unus, prædictis diebus similiter computatis. His, quæ per sacras nostri nominis sanctiones in citationibus per magistrum justitiarium curiæ nostræ, vel justitiarii regionum ediximus, suo robore duraturis.

II. IDEM.
Nova Constitutio.

SIc nostra servitia perfici volumus, ut occasione ipsorum fidelium nostrorum aliquis contra justitiam non gravetur. Ideoque præsenti constitutione decernimus, ut nullus officialis ipse (2) equos habeat, aut occasione servitiorum, vel nuntiorum nostrorum compellat aliquem equum, vel jumentum, asinum, vel quodcunque vehiculum alicui commodare; sed pretio pro servitiis nostris licet (3). Quod si non habet, licentiam habeat aliqua compellendi animalia pro servitiis nostris pretio unius tareni auri per diem cum homine; vel sine homine pro dimidio tareno locare. Ceterum si locata animalia per manifestam ductoris negligentiam, vel quod ipsa ultra statutam diætam per malitiam duxerit, mori contigerit, juxta æstimationem trium, vel quatuor bonorum proborum virorum fidelium, per quos, priusquam locatio fiat, æstimationem locandi vehiculi volumus fieri, per curiam nostram domino resarciri jubemus. Nullus etiam officialis compellat aliquem equos suos vendere, nisi justo pretio curiæ nostræ; quos & per quatuor bonos viros volumus æstimari,

TITULUS XCI.

Ut nullus officialis cogat aliquem ad ostendendum titulum suæ possessionis, & quod nullus occupet.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

AB officialibus nostris fidem exigimus, & industriam expectamus. Cujusdam tamen superstitiosæ solicitudinis causam ab ipsis vidimus removendam, per quam zelo solicitæ fidei, quam non habent, fideles nostros indebitis vexationibus interpellant, quærendo ab eis titulum possessionis suæ, & causam, cum nihil per curiam nostram de speciali, vel communi jure contra pacificos possessores proponatur ab eis, vel propositum approbetur, nisi quod occasione dominii generalis, quod in rebus, & juribus omnium subjectorum nostrorum habemus, speciales ab eis rationes exigimus. Volentes igitur talium versutiis obviare, vexationes hujusmodi fidelibus nostris illatas, vel imposterum inferendas præsenti constitutione nostra, Deo propositio valitura perpetuo, prohibemus: sed siquas rationes, & jura Cæsariani nostri curiam nostram in rem cujuslibet possessoris habere confidunt, privilegiis fisci nostri servatis, illa fideliter, & solicite prosequantur. Nihilominus fidelibus nostris omnibus, sub pœna fidelitatis, qua nobis tenentur astricti, mandamus, rationes, & jura nostra ut de cetero non occultent. Sed nullis aliis delatoribus expectatis, ipsi se deferant, procuratorum nostrorum ignaviam forsitan sua diligentia recludant, & fidelitate compensent. Ceterum siquis imposterum jura nostra scienter quadam occultatione suppresserit, in quadruplum omnium fructuum a die sententiæ perceptorum possessores hujusmodi condemnamus.

TITULUS XCII.

De numero officialium, & usque ad quod tempus eorum administratio duret.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

OCcupatis nobis circa totius rei nostræ publicæ curas, delitiosum nihil, aut modicum cogitantibus, non sunt laborum additamenta, sed requies, quæ de componendo statu regni nostri Siciliæ cogitamus. Utpote cum inter cetera, quæ juribus nostris paternæ successionis reliquerit debitum, vel fortunæ felicitas acquisitionis postmodum aggregavit, regnum Siciliæ præ ceteris, velut electum quoddam viridarium inter agros, cura præcipua colere disponimus; ad illud potissime satagentes, ut eradicatis in totum amaritudinibus, fructibusque nocivis, in eo pacis, & justitiæ robora affluant, & provide

---

(1) Forte legendum: *extra civitatem autem pro quolibet &c.*
(2) Ed. V. & N. *si ipse equos habeat.*
(3) Ed. V. & N. *locet*. Pecchia autem legendum arbitratur: *seu pretio pro servitiis nostris locare.*

vide nutriantur; ut sit admirantibus omnibus similitudinibus speculum, invidia Principum, & norma regnorum. Et cum statum pacificum populorum justitia roboret, & ordo decoret, id ordinarium (1) fore prævidimus ordinare justitiam, quam copiose mandavimus regni nostri fidelibus ministrari, ut non tam ordo, quam copia sacrum, & providum nostræ voluntatis propositum præconizet. Ad cujus consummationem cura perspicua laborantes, necessarium duximus officialium omnium, per quos justitia colitur, & culta petentibus ministratur, taxare tempus officii, & numerum præfinire, ne vel confusione numeri pluribus præstet prædæ materiam, vel infinitas temporis grassandi licentiam tribuat longiorem. Statuimus igitur, ut per provincias singulas, quæ certis justitiariatuum, & camerariatuum terminis limitantur, non plures quam unus Justitiarius, & unus magister camerarius ordinetur; quorum Justitiarius quilibet Judicem unum continuum, & notarium unum actorum habebit: in civitatibus singulis unum tantummodo bajulum, & Judicem unum, qui causarum cognitionibus prosit (2) juxta præmissam nostræ mansuetudinis formam, per magistrum camerarium, & tres Judices, qui gesta conficiant, per nostram excellentiam volumus ordinari: civitatibus Neapoli, Messanæ, & Capuæ tantum exceptis, in quibus propter contractuum multitudinem, quinque Judices, & octo notarii creabuntur, ita quod nullus magister Judex aliquatenus sit in regno. Horum officialium omnium tempora, præter notarios, qui ubique terrarum perpetui statuantur, anni circulo præcipimus terminari; nisi vel eminens administrationis industria, vel substituendi defectus, nobis aliquando, quibus solum ordinationem Justitiariorum (ubicumque fuerimus) reservamus, temporis spatium de necessitate, prout suaserit (3) prorogandum.

II. Idem.

JUdices ubique locorum, remotis perpetuis hactenus ordinatis, ut est dictum, annui viri illustres & fideles, & Jurisperiti, si unquam in regno reperiantur, idonei decernantur. Quod si competitores habeant forsitan promovendum, de utriusque meritis testimonio suorum concivium, & examinatione sollicita doceatur, ita quod in officiali promovendo discretio, & in remoto justitia conservetur. De notariorum, & Judicum manibus in conficiendis publicis documentis veritas intemerata procedat, in quibus si falsitas fuerit, vel corruptela probata, non mutilationis manus, ut olim, sed decapitationis supplicium ultimum temerarius patiatur. Judices secundum formam constitutionum nostrarum, & jura communia, & consuetudines approbatas, quæ constitutionibus non resistunt, de purissima conscientia causas audiant, ut tamen ipsas nec alibi quam apud bajulos civitatum, in curiæ nostræ prætorio, ubi consueverunt jura decerni, vel apud alium, qui jurisdictioni præest, discutiant, & audiant quæstiones. Quod enim Judicibus supradictis ordinariis jurisdictiones concedimus infra annum, non sic accipi volumus, ut apud ipsorum prætoria, ex litigantium forte consensu, quæstiones accipiant, sed in præsentia bajulorum nostrorum ipsas examinent, & fine debito studeant terminare.

TITULUS XCIII.

Quanto tempore Justitiarii post officium depositum in civitatibus maneant.

I. Imperator Fridericus.

VOlumus, & præsentis legis edicto sancimus, ut juxta formam juris antiqui, post finitum officium Justitiarii, & camerarii degradati cum officialibus suis per quinquaginta dies (4) continue commorentur, infra quos omnibus de jurisdictione sua licentia libera tribuatur, defectum ipsorum in publicum producendum (5), quod circa mandata nostra, vel fisci nostri commoda, servatorum (6) jura fraudulenter, aut perperam processissent. Nec minus contra ipsos inquisitiones, juxta solitum morem, cum omni diligentia fieri mandamus; & demum, simul (7) per inquisitionis officium, vel delationes aliquorum, officialis inventus fuerit culpabilis, aut dolosus, propter (8) damna, quæ per ipsum nobis, aut subditis integre volumus resarciri, transgressionis suæ pœnam, quam nostra sententia dictaverit, sustinebit. Nec illud omittimus, quoniam sicut maleficos, & injustos querelarum vocibus accusari, & censuræ nostræ vigore feriri mandamus; sic justissimos, & vigilantissimos Judices publicis acclamationibus collaudari, & munificentiæ nostræ præmiis decorari velimus.

TITULUS XCIV.

De in jus vocando.

I. Imperator Fridericus.

SIquem nostrorum fidelium ad proclamationem (9) de aliquo, coram magistro Justitiario curiæ nostræ, vel regionum Justi-

(1) Ed. V. & N. *ordinatum*.
(2) Ed. V. & N. *præsint*.
(3) Pecchia legendum docet: *de necessitate suaserint prorogandum*.
(4) Ed. V. & N. addit: *apud successores*.
(5) Ed. V. & N. *producendi*.
(6) Ed. V. & N. *seu privatorum jura*.
(7) Ed. V. & N. *& demum si per* &c.
(8) Ed. V. & N. *præter*.
(9) Ed. V. & N. *Si quem nostrorum fidelium ad proclamandum de aliquo coram Magistro Justitiario Curiæ nostræ, vel regionum Justitiariis, necessitas forte compulerit vel voluntas*.

ſtitiario, neceſſitas forte compulerint, vel voluntas; ſi quidem adverſarium ſuum in curia ipſa repetierit, quem ob aliam ſpecialem cauſam, & juſtam non veniſſe conſtiterit, vel quod ibidem ea perfecta ſubſiſtat, de ipſo recepturus juſtitiam, protinus conqueratur. Ob aliam autem cauſam veniens, ſive civiliter, ſive criminaliter impetatur, revocandi domum jus poterit impetrare; verumtamen recepto prius termino peremptorio, quam recedat, in quo ſe debeat curiæ præſentare. Cujus ſpatium, ut omnis omnino fruſtrationis occaſio a judiciis excludatur, præſentis legis ſerie duximus annotari, & pro locorum diverſitate diſtingui. Ut ſi conventi domus a curia diſtet per octo diætas, aut pauciores octo, tanti temporis dilatio concedatur, quod per ſex dies domi moratus, diætis competentibus numeratis, pro qualitate itineris, & perſonæ ad curiam revertatur. Si autem per decem diætas domicilium ejus a curia diſtare noſcatur, per prædictum modum de numeratione dierum, & diætarum habita diligenti ratione, tantum temporis impetret ad regreſſum, quod deducto tempore itineris, & reverſionis ad curiam, per octo dies domi valeat commorari. Ceterum ſi ultra decem diætas diſtat a curia domicilium fugitivi, quantumcunque diſtantia allegetur, dinumeretur temporis (1) ad iter, & reditum competens, ut eſt dictum. Quo ſtudioſe, & diligenter dimiſſo, dato (prout dictum eſt) peremptorio pro reditu, tam in caſu præſenti, quam in omnibus ſupradictis, domi ſibi liceat per dies duodecim commorari. In quibus omnibus dilationibus ſi venire contempſerit impeditus, contra ipſum ex peremptorio, quantum de jure procedi poterit, procedatur.

TITULUS XCV.

De literis citatoriis.

I. Imperator Fridericus.

EDictorum ordinem priſcis legibus ſtabilitum ad breviorem modum reducere cupientes, ut ex eis impoſterum nulla quæſtionis materia poſſit oriri, apertiſſima conſtitutione ſancimus, ut citatoriæ literæ per Judicem, & bajulum deſtinandæ, non ut olim ad ipſum eundem, qui citandus fuerit ab aliquo, per adverſarium ſuum tranſmittantur; ſed per aliquem bonum virum, qui in illis partibus, ubi reus degere dicitur, commoratur, aſſignentur eidem; vel per ſpecialem citantis nuntium eædem literæ deſtinentur, vel per quodlibet edictum aliud citatorium etiam ſine ſcriptis fiat. In quibus literis debet dilucide contineri, coram quo, & a quo, & de qua re, ac cujuſmodi querimonia deferatur; & tempus expreſſum, in quo per ſe tantum, ſi criminalis ſit accuſatio, vel per ſe, vel per alium, ſi civilis quæſtio moveatur, citatus debeat in curia comparere. Citatio fiat una pro omnibus, quæ peremptorium continebit terminum triginta dierum ad plus a die citationis receptæ continue numerandorum, in quacunque parte regni citandus manere dicatur: plerumque etiam brevius ſpatium indicetur, ex qualitate temporum, & proximitate locorum, vel ſi cauſa ſit urgens, propter quam tam longum tempus concedi non poſſit. Si vero extra regnum is, qui citandus eſt, degat, ſexaginta dierum ſpatium citatio continere debebit. In termino autem peremptorio citatus comparere tenebitur per ſe, vel per alium, ſi civilis eſt quæſtio; & legitime principalis cauſa defendi, aut pro ipſo excuſatio legitime allegata probari debet, propter quam in termino prædicto ſibi dato non potuerit, vel non debuerit, in curia præſentari.

II. Idem.

CItationis literæ, tam per Juſtitiarium, quam per bajulum tranſmittendæ, ipſi eidem, qui citandus fuerat, ſi ejus copia haberi poterit, ſub publicæ perſonæ teſtimonio, vel præſentia duorum vel trium teſtium aſſignentur. Quod ſi, ubi ſit, qui citandus fuerit, ignoretur, vel inventus haberi ad ſe aditum non permittat, ſufficere volumus, quod denuntiatio domi fiat, in qua uxor ejus, vel filii, vel alia ſpecialis familia commoretur; recepto a familiaribus ſacramento, quod citationem factam, quam primum poterunt, ad notitiam citati perducant. Si vero domus non aperiatur citare volenti, literas citatorias in limite (2) domus poni jubemus, ſub teſtimonio ſupradicto; & ex tunc triginta, vel quadraginta dierum tempus, quod in ſe literæ continent, continuum numeretur. Quæ omnia per eum, cui fuerit commiſſa citatio, volumus expediri, & ſeriatim citanti reſcribi. Illa impoſterum dubietate ſummota, quod is, cui facienda citatio extiterit denuntiata, mandatum ipſum, tam per ſe, quam per alium fide dignum, cui ſpecialiter hoc commiſerit, exequatur cum hoc (3), non ut Judex cauſæ, ſed ut quilibet miniſter alius ad faciendum aliquid aſſumatur, nec cauſæ cognitionem hoc continet, quod mandatur, ut per libellum non valeat expediri. Quæ omnia volumus impoſterum obtinere, ſive civiliter quis, ſive criminaliter impetatur. Prædictis autem modis, vel quolibet prædictorum citatus, ſi per ſe non compareat, nec ab alio legitime defendatur, vel pro ipſo legitima excuſatio proponatur, a Judicibus contumax reputetur.

TI-

(1) Ed. V. & N. *tempus*.
(2) Ed. V. & N. *in limine*.
(3) Ed. V. & N. *exequatur; cum hic non ut judex* &c.

TITULUS XCVI.

De pœna contumaciæ in civilibus caussis.

I. Imperator Fridericus.

POEnam novem unciarum auri, & tertiæ, quæ contra contumaces hactenus in judiciis obtinebat, a nostra republica proscribentes, contumacem, cujuscunque conditionis sit, conventum civiliter, vel criminaliter accusatum, tertia parte bonorum mobilium nostro ærario inferenda imposterum mulctari censemus. Sic enim & judiciorum vigor augebitur, & personarum competens discretio inducetur. Plerumque etenim contingebat, aliquem vilem, & pauperem in prædictis novem unciis condemnari, qui non tantum aliquando, & aliquando amplius non habebat, in quo mulcta prædicta nedum fines modestiæ, sed severitatis etiam terminos excedebat. Contingebat interdum, nobilem aliquem, & in facultatibus opulentum, pœnam ipsam eludere, dum nihil fere diminui de patrimonio providebat; (1) sed quota detracta mobilium æqualem pro qualitate personarum contumacibus pœnam imponit. Civilibus autem causis coram bajulis agitandis citatus contumax, pro qualibet contumacia, & per quemlibet mensem, quo in ipsa duraverit, augustalem unum curiæ nostræ persolvat.

II. Idem.

COntumacem civili, & personali actione conventum, ex nova constitutione nostra tertia mobilium parte mulctatum, antiqui juris regulis inhærentes, ante litem contestatam, missionem in bonis pro mensura debiti declarati, quod ab ipso exigitur, pati censemus. Si tamen contumax hereditariarum rerum, & feudalium possessor extiterit, in possessionem hereditariarum pri...itus, deinde feudalium actorem inducendum esse censemus.

III. Idem.

SI quis post litem super personali actione in civili judicio contestatam contumax fuerit; si quidem judici ex his, quæ coram eo acta sunt, possit de caussa liquere, ad diffinitivam sententiam contra contumacem, vel pro eo, prout qualitas quæstionis exegerit, procedatur; ei, qui prædictis modis contumax fuerit, quos nova nostri nominis constitutio introduxit, appellationis remedio, juxta divorum Principum prædecessorum nostrorum placita, denegando. Si vero ex his, quæ acta sunt, ad diffinitivam sententiam procedi non possit, secundum ordinem proximæ constitutionis nostræ, in possessionem bonorum contumacis, pro modo debiti declarati, missione secuta, liceat petitori judicem competentem, qui edictum citationis emisit, adire, & de adversario suo, qui ad judicium venire contempsit, latitationem probare: videlicet quod se specialiter animo, & proposito subterfugiendi judicium absentaverit; quo probato, venditionem rerum hereditariarum a judice, quas pro prædicta contumacia possidebat, poterit impetrare. Quod si de latitatione probare actor non velit, forte nec possit, sed absentiam tantum contumacis incusat; tunc usque ad annum integrum a die commissæ contumaciæ ipsum præcipimus expectari; quo transacto, venditionem hereditariarum rerum a judice, quas ob adversarii sui contumaciam prædicto modo possederit, impetrabit. In feudalibus autem, cum hereditaria non supersunt, sive contra latitantem, statim latitatione probata, sive post annum, contra contumacem tantummodo distrahendis, nostræ celsitudinis conscientiam, & mandatum, si nobis hoc mandare placuerit, requiri censemus; ita ut prædicta feudalia ex decreto nostro tantummodo, non alterius judicis distrahantur. Eadem censura, quæ contra latitantes inventa est, de venditione bonorum, latitatione probata, continuo facienda, servanda contra evidentem, & expressum contumacem, qui ad judicium aperte dicat se venire omnino non velle, ita ut nihilominus etiam, si judex viderit commode fieri posse, per eumdem reipsa, & personaliter venire ad judicium compellatur. Captus autem per judicem modo prædicto, in contemptus sui pœnam in tantum debet custodiæ carceris mancipari, quamdiu instantia cœpti judicii, quo impetitur, perseveret. Contra prædictam autem formam, venditionem tam rerum hereditariarum, quam feudalium, per obreptionem, vel gratiam impetratam, ipso jure nullam esse censemus.

IV. Idem.

QUæstiones jurisperitorum, super declaratione debiti facienda, competenti moderamine decidentes sancimus, si quando declaratio debiti, pro cujus mensura missio in possessionem bonorum contumacis est facienda, petatur, mixtam considerationem habere volumus personarum, nec non etiam & quantitatis in judicio declarandæ. Nam si quidem Comes fuerit, qui quantitatem ipsam debeat declarare, sacramento ipsius Comitis tantum usque ad quantitatem centum unciarum auri credatur. Baroni autem de quinquaginta unciis; simplici militi de vigintiquinque; Burgensi autem bonæ opinionis, & diviti, de libra auri una. Aliis autem usque ad tres uncias, jurantibus tantum, nulla alia imposterum probatione quæsita, volumus esse credendum.

(1) A verbo *plerumque* usque ad *providebat* unica periodus. Inde alia incipit a verbo: *Sed quota*. Pecchia.

Ultra autem prædictas singulas quantitates, ab actoribus communis juris probatio exigatur per authentica instrumenta, videlicet, per (1) testes fide dignos, & omni exceptione majores.

V. IDEM.

REi vindicatione conventus, lite nondum in judicio contestata, si contumax fuerit, præter prædictam pœnam tertiæ partis mobilium curiæ nostræ debitam, item missionem in possessionem rei petitæ adversario assignandam causa custodiæ patietur, ita videlicet, ut anno transacto actor verus, & perpetuus possessor, per lapsum temporis spatium, efficiatur. Lite vero contestata super actione reali, si de causa non (2) liquet, rei petitæ possessio petitori vera, & perpetua assignetur. Ceterum si de causa non liquidum, prout in personalibus cautum est, judex ad decisionem causæ, prout viderit de jure, procedat.

VI. IDEM.

SIve reali, sive personali actione conventus, & contumax reputatus, si infra legitima tempora possessionem rerum feudalium ob suam contumaciam assignatam recuperare voluerit, tantum minus nomine fructuum a possessore requirat, quantum pro servitio, quod curiæ nostræ de re possessa debetur, possessor exsolvit. Ad hoc enim, ut servitiorum nostrorum exactio non frustretur, ab illis feudorum servitia debita volumus exigi, qui feuda ipsa quolibet titulo detinere noscuntur. Illud nihilominus præsenti conjungimus sanctioni, quod possessionem citatus contumax nullo modo recuperet assignatam, nisi prius augustali, vel augustalibus debitis curiæ nostræ solutis pro contumacia jam contracta; & siquid de his bajulus citato dimiserit, de proprio suo curiæ nostræ componat.

TITULUS XCVII.

De tractatu termini constituti.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

COntingit interdum actorem simul, & reum civilibus causis, recepto ab eis peremptorio termino, vel per curiam ipsis dato, ad judicium non venire; quo fit, ut eorum dispendium judicii processum impediat, & honori, & auctoritati judiciali illudat. Igitur manifestius diffinimus, utrumque, scilicet actorem, & reum, in decima parte motæ litis pro æqualibus portionibus esse mulctandos, si expresso consensu sine licentia curiæ terminum prorogaverint; vel non veniendo tantummodo desides arguantur.

II. IDEM.

Nova Constitutio.

MUlieres ad curiam nostram, vel alicujus officialis nostri præsentiam venientes, nullatenus admittantur; sed in ipsarum pœnam, quod præsentare se conspectibus publicis non verentur, expediri eas, priusquam ad propria redeant, prohibemus; nisi tanta personarum, vel rerum inopia prægraventur, quod in aliorum defectum ipsas oporteat personaliter laborare.

TITULUS XCVIII.

De pactionibus inhibitis, & de volentibus a lite discedere.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

SPonte volentibus a lite discedere, pacta etiam, vel transactiones inire post citationem emissam ante litem contestatam, tantum in civili judicio, absque ullius contumaciæ pœna, licentiam partibus non negamus: post contestationem vero litis habitam, sine licentia, & jure curiæ expressius hoc partibus inhibemus. Quod si hoc facere in fraudem juris nostri tentaverint, ejus tertiam, quod pro transactione actori exsolvit conventus, absque diminutione aliqua fisco nostro componat. Si autem reus aliquid actori pro prædicta occasione dederit, & nihil, aut minus se dedisse (in dispendium curiæ) mentiatur, in ejusdem infiscationis (3) pœnam duplum tertiæ supradictæ, quam confessus dare debuisset, exsolvat. Quæ omnia diligenter per officiales nostros inquiri volumus, ut sicut cuilibet jus suum inviolate servamus, sic in jure nostro (4) perpeti non possumus.

TITULUS XCIX.

De privilegiis eorum, qui citati extra civitatem non veniebant, & privilegiorum irritatione.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

PRivilegia quibusdam locis a nobis, vel prædecessoribus nostris indulta, nec non consuetudines in locis ipsis obtentas, velut Messanæ, Neapoli, Aversæ, Salerni, vel aliis quibuscunque, per quæ citati a curia nostra, vel a justitiariis regionum super causis, quæ ad eorum jurisdictionem spectare noscuntur, se hactenus tuebantur, ne loca ipsa tenerentur exire, ad justitiam faciendam; ac propterea citationibus spretis pœnam contumaciæ evitabant, & sic licentius maleficia committebant; præsenti constitutione irrita, & inania esse censemus. Sed omni omnino discretione submota, quicunque, & undecunque fuerit a judice competen-

(1) Lege: *vel per testes*. Pecchia.
(2) Delenda omnino particula *non*. Pecchia.
(3) Ed. V. & N. *inficiationis*.
(4) Ed. V. & N. *sic in jure nostro defectum perpeti non possumus*.

tenti citatus, si contumax sit in civilibus, vel in criminalibus causis, pœnis subjaceat nostris constitutionibus introductis.

TITULUS C.

De contumacia alicujus Universitatis.

I. Imperator Fridericus.

Dubitationem jurisperitorum non tam benigna, quam necessaria legum interpretatione tollentes, statuimus, siquando Universitas aliqua regni nostri, personaliter, & civiliter conventa, & citata, contumax apparuerit, nec inveniatur commune ejus aliquid, quod propter ipsius contumaciam ab adversario valeat coerceri, vel super quo diffinitiva sententia valeat executioni mandari, singulos de Universitate prædicta ad collectam compellendos esse jubemus; qui in collecta ipsa conferant pro modo facultatum suarum, ut sic ex eo, quod ex collecta ipsa redactum in commune fuerit, interlocutoriæ, vel diffinitivæ sententiæ satisfiat. Circa pœnam etiam contumaciæ, curiæ nostræ debitam, hanc formam in Universitatibus volumus observari, ut contumacia ab Universitate contracta, pro dinumeratione cujuslibet focularis, dimidius augustalis nostræ curiæ debeatur: ita videlicet, ut si mille focularia ipsa Universitas habeat, quingentos augustales pro pœna contumaciæ Universitas tota fisco nostro persolvat. Quæ quantitas inter habitatores loci ipsius pro modo facultatum proportionaliter dividetur, sicut in collectis aliis hactenus fieri consuevit. Quod etiam in criminalibus causis locum habere censemus, tam circa contumaciæ pœnam, quam etiam circa diffinitivas sententias proferendas in causis, ex quibus condemnatis pecuniaria pœna ex earum qualitatibus, vel ex nostro judicio irrogatur.

Explicit Liber Primus.

CONSTITUTIONUM NEAPOLITANARUM SIVE SICULARUM

LIBER SECUNDUS.

TITULUS PRIMUS.

De pœna contumaciæ in criminalibus causis.

I. Imperator Fridericus.

Grandis utilitas, ac necessitas evidens nos inducunt, ut accusationum ordinem priscis legibus institutum, maleficiorum crescente nequitia, in ea parte potissime corrigamus, qua malefactores interdum contemptus, & contumaciæ vitium, vel pœnam patratis sceleribus aggregantes, sine temporis præfinitione vagari, in ipsorum etiam plerumque dispendium, & aliorum injuria permittebant, defensionem eisdem nullo temporis spatio præcludentes. Quo fiebat, ut ipsi purgare suam innocentiam non curarent, & accusatores arguere eorum nocentiam non valerent. Hac igitur edictali lege nostri nominis titulo præsignata persequimur contumaces, & qualiter contra ipsos in judiciis criminaliter, & capitaliter accusatos, qui sui copiam in jure non faciunt, procedatur, manifestissime declaramus. Eos namque in primis tertia parte bonorum mobilium, sicut in nostris constitutionibus est expressum, mulctandos esse jubemus, quam sacri ærarii nostri compendiis aggregamus: bona reliqua juxta antiquam formam, quæ contra absentes requisitos est prodita, volumus annotari. Quæ anni circulo a die annotationis elapso, cum per annotantis literas publice innotuerit, fisci nostri commoditatibus acquirantur. (1) Si vero habeat liberos annotatus, ipsos denique per magistrum Justitiæ, & Justitiarios, quibus de contumacia eorum contracta liquebit, banniri mandamus, & divulgari publice fore bannitos. Bannum etiam, & causam banni, pro qua bannitus aliquis fuerit, et diem bannitionis etiam in præsentia magistri Justitiarii, et Judicum curiæ nostræ in actis volumus contineri, si quando per magnam curiam nostram citatus, et contumax, bannitionis pœnam incurrit. Humanitate tamen antiquis legibus annotato servata a nostra celsitudine volumus non negari, ut eis scilicet infra annum prædictum redeuntibus bona recuperare liceat annotata, tertia tantum

(1) Hæc ita leguntur in Ed. V. & N. *Quæ anni circulo a die annotationis elapso, cum per annotantis litteras publice innotuerit, fisci nostri commoditatibus acquirantur, si non habeat liberos annotatus. Ipsos denique per Magistrum justitiarium, & justitiarios &c.*

tum parte mobilium in omnem eventum apud nostram curiam remanente, ut impunitam fore contumax suam contumaciam non lætetur.

TITULUS II.

Ut Universitas accusata, & mulieres in criminalibus causis possint ordinare procuratorem.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

GEneralia jura condentes tam in causis (1) contra singulares personas, quam in his, quæ contra Universitates moventur, interdum nostræ celsitudinis studium excitamus. In criminalibus igitur causis, et capitalibus accusationibus, quas contra Universitates locorum a privatis personis, vel Universitatibus contra Universitates alias, vel privatas personas moveri contingit, altercationem jurisperitorum in perpetuum decidentes, syndicum, quemadmodum in civilibus causis, permittimus, & præcipimus etiam ordinari, juris civilis rigore in perpetuum quiescente, quod in publicis judiciis procuratorem frustra intervenire debere præscripserat. Nam cum difficultate, & impossibilitate quadam interveniret, dum Universitas tota per se sine ingenti periculo convenire, vel conveniri non possit, de necessitate oportebat inferri, quod maleficia contra ipsam, vel ab ipsa commissa impunita manerent; quod nec honori nostro, nec subjectorum nostrorum commodis dignoscitur expedire. Hujusmodi etiam nostræ humanitatis gratiam ad mulieres conjugatas extendimus, ut in criminalibus, & capitalibus causis per maritos, & alios, quos voluerint, procuratores legitimos, & sufficienter instructos, si hoc elegerint, valeant in judiciis comparere, sive ipsæ accusent, suam, aut suorum injuriam prosequentes, sive ab aliis accusentur. Sententia tamen in criminalibus tam in præsenti, quam in casu præscripto, contra ipsas principales personas effectum debitum sortiatur.

TITULUS III.

De forbannitis, & forjudicatis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

POEnam eorum, qui in contumacia perseverant, dignis dispendiis prosequi cupientes statuimus; siquis infra annum a die banni edicti numerandum coram magistro Justitiario, (2) & Justitiario, qui eum bannierat, minime comparuerit, vel etiam coram successore ejusdem, bonis suis, ut præscriptum est, infiscatis, post ipsius anni decursum eumdem forjudicari debebit, nulla omnino licentia postea remanente se super principali causa criminis defendendi. Sed perinde habeatur, ac si confessus de crimine, de quo accusatus fuerat, esset per diffinitivam sententiam condemnatus. Sic forjudicatus habebitur, prout in aliquibus nostri imperii partibus nuncupatur, quasi foris omnem aditum judicii constitutus. Interim sibi judicii limina præcludentur, quod se contumacem etiam fuisse negare non possit, qui nec per se tempore tanto comparuit, nec per alium prætendentem legitimam causam suæ absentiæ, & probantem, extitit accusatus. Nulla sibi appellationis, seu supplicationis remedia forjudicatus superesse cognoscat, quo ad omnia fere pro mortuo habeatur, & hostis publicus reputetur, sic ut ab omnibus offendatur impune. Adeo quod si ipsum occiderit aliquis, nullam proinde calumniam vereatur, sed præmium a gratia serenitatis nostræ expectet; ad hoc videlicet, ut si occiderit, aut acceperit bannitum, vel forjudicatum, si quidem ipse bannitus, aut forjudicatus fuerat, qui bannitum, aut forjudicatum prædictis modis offenderit, aut detexerit latitantem, banni, vel forjudicationis pœnam, quam incurrerat, in præmium suæ fidei, & probitatis evitet. Secus autem si forjudicatus bannitum tantum receperit; quo casu, quia eum, qui minori vinculo tenebatur, offenderit, majorem pœnam, forjudicationis sententiam scilicet, non evitet. Sed in casu præsenti pro Comite, quem ceperit aliquis, qui forjudicatus, vel bannitus non fuerat, c. augustales, pro Barone L., pro milite simplici XXV., pro Burgensi XII., pro rustico VI. de liberalitate nostri culminis consequetur; offensionis, vel occisionis etiam, ut dictum est, capienti licentia non negata. De licentia namque legis offenditur, qui subterfugiendo judicium legis præcepta contempserit. Quod si forte motus clementia, qui forjudicatum ceperit, offendere, vel occidere noluerit eumdem, sed ipsius mortem Judici, cujus audientiam fugiendo pœnam promeruit, reservare si voluerit, Justitiario, qui ipsum banniverat, assignet eumdem. Quod si alii Justitiario, vel etiam magistro Justitiario assignatus fuerit, vel si ipse magister Justitiarius, aut Justitia (3) eum receperit, remittatur ad eum Justitiarium sub fida custodia puniendum, qui in ipsum bannitionis, & forjudicationis sententiam promulgavit. Forjudicari autem bannitus debebit per Justitiarium, qui bannitionis, & forjudicationis pœnam edixit, vel si ad ipsum Justitiarium ex locorum forte distantia non possit facilius haberi recursus, auctoritatem istam nostræ præeminentiæ reservamus, ut a nobis, vel ab eo, cui vices nostras propter absentiam nostram gerendas commiserimus, forjudicationis possit sententiam impetrari (4); ut tamen ad ordinarium (ut dictum

---

(1) Ed. V. & N. *in causis, quæ contra* &c.

(2) Ed. V. & N. *coram Magistro Justitiario, vel Justitiario* &c.

(3) Ed. V. & N. *aut Justitiarius.*

(4) Lege, *sententia impetrari*, vel *sententiam impetrare*. Pecchia.

ctum est) recursus primitus habeatur. Simili pœna bannitionis, aut forjudicationis in receptatores, aut occultatores eorum, qui tales occultasse dicantur, proculdubio imminente, si reos hujusmodi exhibere non curaverint requisiti. Quod si Universitas aliqua hoc fecerit, nostro judicio reservetur, ut ex qualitatibus personarum, & locorum ipsorum, in Universitatem ipsam, justitia prævia, procedatur.

TITULUS IV.

Ut bannito liceat intra duos menses redire, & se justitiario assignare.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

Clementiæ imperialis vestigiis inhærentes, præsentis legis auctoritate bannito concedimus potestatem infra duos menses a die bannitionis continue numerandos, absque alicujus offensione, libere auctoritate propria magistro justitiario, vel justitiæ, (1) qui eum banniverat, se conspectui præsentare, omnibus regni nostri fidelibus expressius inhibentes, quod infra prædictum tempus in persona, vel rebus ipsum offendere non præsumant; quod qui fecerit, pro qualitate delicti perinde puniatur, ac si quemlibet alium, qui subiectus banno non esset, per injuriam offendisset. Post prædictum vero temporis spatium liceat bannito intra reliquam partem anni denuntiare cuicunque officiali nostræ curiæ, & officium quodcunque gerenti, cujus opportunitatem majorem habere potuerit, & cui magis exegerit (2) nuntiare, quod paratum se offerat accusatori suo in judicio respondere, & per cujus officialis literas hæc omnia curiæ nostræ, vel justitiario, qui eum bannitum banniverat, nuntientur, sub expensis tamen banniti prædicti. Et sic postea per magistrum justitiæ (3), vel justitiarios literis securitatis obtentis, ac ei, qui prædicta sibi denuntiaverit, destinatis, receptis prius sub certa pœna de facienda justitia fidejussoribus idoneis a bannito per officialem prædictum, qui nuntiaverat omnia prædicta, quorum nomina, & fidejussionis forma per eumdem magistrum justitiæ rescribentur, vel in defectu fidejussorum, sub fideli custodia bannitus præfatus secure redeat ad justitiam faciendam. Dum tamen, antequam ejus defensio admittatur, accusatori satisfaciat in expensis, & damnis omnibus eidem vitio contumaciæ ejus inflictis, sacramento accusatoris ipsius, cum taxatione judicis, declarandis.

TITULUS V.

De exhibendis malefactoribus, & suspectis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

Cordi nobis est per universas partes, & singulas regni nostri viros bonæ opinionis agnoscere, & non ignorare notatos. Ideoque omnibus justitiariis nostris per diversas provincias constitutis præsentis constitutionis nostræ programmate nuntiamus, eisdem sub (4) terminatione gratiæ nostræ firmiter injungentes, ut quoties ipsos contigerit, aliquos ipsorum contumaciam faciendo banniri, banniti nomen, atque cognomen, banni edicti causam, formam, & tempus, curiæ nostræ per eorum literas notarii manu scriptas, ac judicis, qui affederit, subscriptione signatas, nec non sigillorum suorum impressione munitas, mora qualibet, & occasione cessantibus, debeant nuntiare. Eodem etiam observando, quoties aliquos in eorum contumacia perdurantes forjudicarint, juxta nuper editæ nostræ constitutionis tenorem. Quod si forte de banno bannitos infra legitima tempora duxerint extrahendos, hoc ipsum, per eorum literas sub forma præscripta confectas, nostræ curiæ nuntietur. Simili forma per omnia observanda, si quando per diffinitivas sententias infamiæ macula notaverit aliquos, aut ipso jure, vel pœnæ macula pronuntiaverit esse notatos. Nos etiam magistro justitiæ magnæ curiæ nostræ firmiter dedimus in mandatis, ut de his specialiter specialia acta conscribi faciat, quibus bannitorum (5), vel quomodolibet notatorum nomina, & eorum etiam filios, si quos per inquisitionem (6) per se, vel justitiam factam reos, aut suspectos invenerint, scribi faciant, & in archivo nostræ curiæ fideliter custodiri, ut quoties de alicujus fama, vel exigente judicii strepitu, vel conscientia serenitatis nostræ quærente, fuerit forte tractatum, non tam per probationes extrinsecas, quæ moram judiciis, & difficultatem inducunt, quam per monumenta publica curiæ nostræ, & ordinatorum nostrorum fide firmata, probatio efficax, & dilucida possit assumi.

TITULUS VI.

De fisco succedendo forjudicatis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

Forjudicatorum bona, veluti damnatorum, liberos, vel parentes usque ad tertium gradum nisi habeant, fisci nostri com-

(1) Ed. V. & N. *Magistri Justitiarii, vel Justitiarii, qui eum banniverat, se conspectui præsentare.*
(2) *Exegerit*. Lege: *elegerit*. Ed. V. & N.
(3) Ed. V. & N. *Magistrum justitiarium*.
(4) Ed. V. & N. *nuntiamus eisdem sub interminatione gratiæ nostræ firmiter injungentes, ut quoties ipsos contigerit, aliquos ob ipsorum contumaciam banniri facere* &c.
(5) Ed. V. & N. addit: *vel forjudicatorum*
(6) Ed. V. & N. *si quos per inquisitionem a se vel a Justitiario factam reos aut suspectos invenerit, scribi faciat* &c.

modis volumus applicari, nisi feuda sint ex concessione nostra, vel alio justo titulo acquisita, in quibus ascendentes liberis non succedunt. Si autem liberos ante bannum edictum, aut forjudicationem emissam, vel jam natos habeant, vel conceptos, persona forjudicati liberis connumerata, pro rata, & numero liberorum ad bona ipsa fiscum nostrum volumus annotari. Ita videlicet, quod si unicum filium tantum habeat, bona prædicta inter fiscum, & ipsum pro æqualibus portionibus dividantur; si autem duos filios habeat, fiscus noster in tertia admittatur. Et sic per consequens, si plures sint liberi, eadem censura servetur; electione nostræ curiæ reservanda, utrum partem bonorum ipsorum habere voluerit, vel æstimationem ipsius partis, si æstimatio offeratur.

TITULUS VII.

De pœna forjudicatorum, & balio dando filiis eorumdem.

I. Imperator Fridericus.

SI quando aliquem forjudicari contigerit, qui liberos habens inveniatur feudale aliquid possidere, si quidem liberi ejus, vel eorum aliqui in pupillari ætate consistant, qui protectione balii indigere noscantur, ipsorum balium cum administratione bonorum eis contingentium curia nostra suscipiat, quemadmodum in casu mortis balium ipsum habere deberent. Eis autem pubertatis tempus excedentibus, & in tutelam propriam venientibus, fructus partis illius, quæ viventem patrem, licet pro mortuo habitum, secundum prædictum modum, dinumeratione liberorum attenta, si res acquisita de feudo foret, dividua contingere debuisset, patre ipso adhuc superstite, curiam nostram percipere volumus, & habere; pro ea tamen parte de servitio nobis pro feudo ipso debito diminuto, pro qua curiam nostram fructus percepisse constabit. Patre autem forjudicato naturæ debitum exsolvente, pars illa, cujus fructus curia nostra perceperit, ad integritatem feudi libere revertatur. Sane si forjudicatum a Comite, vel Barone feudum habere contigerit, ipso parentes, vel liberos non habente, feudum ad eum, a quo ipse forjudicatus tenebit, sine contradictione aliqua redire debere censemus. Fructus non (1) partis contingentes forjudicatum de eo, quod ab illo tenet, si liberos habeat, pro numero liberorum, forjudicato vivente, curia nostra percipiat secundum modum superius declaratum; quemadmodum & alia bona mobilia damnatorum secundum generalem assisiam regni nostri ad curiam nostram spectarent. Sed (2) homo Comitis, vel Baronis capitalem sententiam incurrat; exceptione tantum fructuum partis prædictæ, Comiti, vel Baroni, a quo feudum tenetur, nullum omnino volumus præjudicium generari.

TITULUS VIII.

De uxoribus forjudicatorum, & parentibus

I. Imperator Fridericus.

PŒna carere volentes innoxios, & punire nocentes, generali lege sancimus, forjudicatorum uxores, & matres, in earum rationibus, dotibus scilicet, donationibus propter nuptias, & quarta, atque dotarii (3), occasione forjudicationis, aut damnationis prædictæ, nullam omnino molestiam sustinere; sed eas integre habeant, & ab omni inquietatione securas; ita tamen ut personæ prædictæ, & etiam forjudicatorum filii, seu parentes, forjudicato, quem egere volumus, non sustentationem ab aliquo postulari (4), de bonis ipsius, eisdem pietatis nostræ lenitate servatis, in nullo penitus providere præsumant. Quod si fecerint, gratia, qua videntur abuti, ipsos privari censemus, & bona ipsa nostro ærario applicari.

TITULUS IX.

Ut pater forjudicati ex delicto filii non teneatur.

I. Imperator Fridericus.

OB filiorum culpas innocentes patres arceri, non tam injustum, quam impium reputantes, præsentis nostræ pietatis decreto decernimus, patrem superstitem ex delicto filii in nullo prorsus affligi, vel puniri debere. Mortuo vero patre, si liberos alios præter forjudicatum non habeat, bona, quæ ei ex successione patris mortui deberent deferri, fisci nostri juribus vindicentur. Si autem liberos alios habeat, si quidem res tales sint, quæ dividi possint, hereditariæ, vel feudales, in parte contingente forjudicatum pro numero liberorum fiscus noster succedat. Si quidem fratrem forjudicatus, vel sororem denique in capillo non habeat, in bonis ipsis fiscum nostrum esse decernimus successorem; omnibus, quæ super criminibus læsæ majestatis veteres juris autores, tam contra ipsos reos, quam successores eorum specialiter induxerunt, in suo robore duraturis.

TI-

(1) Ed. V. & N. *Fructus tamen partis contingentis* &c.

(2) Addenda videtur particula *si*. In Ed. autem V. & N. hæc tantum habentur: *Sed Comiti, vel Baroni, a quo feudum tenetur, nullum omnino volumus præjudicium generari.*

(3) Ed. V. & N. *atque dotariis.*

(4) Corrige: *postulare*. Pecchia.

TITULUS X.

De his, qui fidejussores dare possunt, ne incarcerentur.

I. Imperator Fridericus.

HUmanitate nobis suggerente sancimus, quod siquando accusatus, vel delatus super criminalibus, & capitalibus causis, fidejussores dare paratus sit, si pro qualitate criminis, & personæ, nec minus facilitate conveniendi sufficientes, & idonei reputentur, tradi militibus, vel squalore carceris macerari non volumus accusatum; nisi crimen adeo vel confessione sua, vel ipsa flagranti deprehensione sit evidens, aut publice facta inquisitione sit publicum, aut notorium habeatur, ut jam constet reum ad nihil aliud inficiari proposita, nisi ut pœnam differat, quam levis, & infamatæ personæ temeritas, & propositæ qualitas accusationis exposcit. Ab hujus autem nostræ sanctionis humanitate præcludimus accusatos, vel delatos criminis majestatis contra personam nostram, seu nostrorum collateralium satagentes, quos velut suspectos interdum nos ipsi ante supplicium carcerali custodia specialiter, & expressim detineri mandamus; vel Justitiariorum nostrorum aliquis hoc injungat, cum vel personæ levitas, & immanitas criminis istud exegerit, quod contra salutem nostram aliquid attentasse dicatur. Quod si fidejussorum committeretur custodiæ, non tanti haberet fidejussores relinquere pœnæ, quanti quod pro commisso facinore pœnam debitam posset evadere, aut non commissum aliquando facinus, quod esset acerbius, confirmaret: vel si levis conversationis, & vitæ per publicam famam, vel inquisitiones de eis aliquando factas, accusati forte extiterint, aut delati, aut aliquando, quod sui copiam subtraxerint, forbanniti. Prædictis autem cessantibus, de regulari, & communi jure sufficientiam fidejussorum fidei committi decernimus accusatos, vel (1) non incarcerentur, propterea quod accusati sunt tantum, qui in nullo forsitan deliquerunt; & incarcerati etiam, qui incarcerationis tempore fidejussores idoneos dare non poterant, datis fidejussoribus liberentur. Contingebat enim aliquando, quod ob timorem carceris accusati etiam innocentes se a judiciis subtrahebant, et pœnæ nocentium, qui carcerali custodiæ tenebantur, differebantur: (2) interdum dum causam in vinculis non dicebant, contingebat hoc sæpe propter accusatorum absentiam, qui ad victoriam sibi abunde sufficere credunt, quod adversarios suos faciunt carceri mancipari. Illud etiam præsenti adjungimus sanctioni, ut si quando accusati, vel delati propterea in carcere tepeantur, quod fidejussores dare non possint, & se defendere sint parati, soluti vinculis judicio præsententur, ne ex vinculis causam dicant, & deinde post instantiam soluti judicii ad vincula deducantur. Accusatores instanter accusationem volumus prosequi institutam, a qua si forte in odium incarcerati destiterint, ut supplicio carceris affligant, desistentiæ pœnam nostris constitutionibus stabilitam ipsos decernimus sustinere. Custodiantur autem in curia Justitiarii incarcerati cum expensis suis, vel si nimium pauperes sint, cum expensis curiæ. In utroque casu cuilibet custodi per diem XIII. grana (secundum assisiam curiæ) tribuantur, ut in captivorum custodiis, sicut hactenus, homines non graventur. Eorum tamen causas, quos de conscientia nostra capi, & detineri mandamus, inconsultis nobis examinari non volumus, nec decidi. Maluimus enim aliquando reum criminis carcere detineri, quam perdere. Et vidimus aliquos juste captos, & deinde misericorditer liberatos, postea factos bonos, & frugi, dum ipsis vexatio præbuit intellectum. Ab illo potissime Justitiarii nostri prorsus abstineant, ut unum pro alio, velut patrem pro filio, vel e converso, seu fratrem pro fratre, vel quamcumque conjunctam personam pro reo, fidejussores forsitan non præstante carceri non intrudant.

TITULUS XI.

De eo, qui post crimen adulterii intentatum uxorem recipit.

I. Imperator Fridericus.

QUi post crimen adulterii intentatum uxorem acceperit, destitisse videtur; ideoque suscitare quæstionem ultra non poterit.

TITULUS XII.

Si quis petierit aliquem citari, & citatus in termino sibi dato comparuerit, accusatore non comparente, condemnatur in sexta parte mobilium accusato.

I. Imperator Fridericus.

ACcusatorum temeritatem antiquis legum latoribus odiosam, tanto magis nos ipsi persequimur, quanto in nostra Republica ipsam magis invenimus abundare. Hac igitur constitutione sancimus, ut siquis a curia nostra, vel Justitiario regionis aliquem citari petierit, citatus tanquam obedientiæ filius in peremptorio sibi dato compareat, accusatori suo legitime responsurus. Accusatore in accusati dispendium, & in delusionem curiæ nostræ minime comparente, accusatorem in sexta parte mobilium bonorum mulctari censemus, expensis nihilominus accusato, sacramento suo cum taxatione ju-

(1) *Vel*. Lege: *ut*. Ed. V. & N.
(2) Ed. V. & N. hanc habet interpunctionem: *differebantur interdum, dum causam in vinculis non dicebant; contingebat* &c.

judicis declarandis, integre restitutis. Quæ omnia per eum, qui reum ipsum coerceri mandaverit, perfectæ executioni mandentur. Abolitionem namque accusator, si voluerit ab accusatione desistere, a nobis poterat impetrare, quam justa de causa petitam nostra serenitas non negasset.

TITULUS XIII.

De desistentibus ab accusatione.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

Accusator post litem super criminali accusatione in judicio contestatam in termino peremptorio sibi dato nisi venerit accusationis solennia impleturus, tertia parte bonorum mobilium decernimus esse mulctandum. Et si in delicto alio sibi denuo destinato inchoatam accusationem detrectaverit exequi, contumaciam contumaciæ aggregando, quia secundum veterum legum scita destitisse videtur, in centum augustales condemnetur. Quam pœnam loco quinque librarum auri, in quibus desistentes hactenus damnabantur, succedere debere censemus. Eadem multa fortius obtinente, si accusator expressim accusationi renuntiaverit institutæ.

TITULUS XIV.

De pœna calumniæ contra calumniantes stabilita.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

Pœnam calumniæ contra calumniantes antiquis sanctionibus provide stabilitam, & de consuetudine quadam abolitam innovantes, universis judicibus, ad quorum cognitionem criminales causæ spectare noscuntur, injungimus, ut ad accusandum, vel etiam defendendum (1) accusatores, vel delatores aliquos non admittant, nisi primitus cingulum inscriptionis arripiant accusatores, vel etiam deferentes, quo se ad pœnam obligent per calumniam, non probantes quam exposcunt accusatis, aut delatis infligi. Judices autem hujusmodi judiciis resistentes (2) nihil omnino gratiæ, vel potentatui deferentes, accusatores, vel delatores, quos in evidenti calumnia deprehenderint, eadem pœna condemnent, quam accusatis imponi, si intentata probassent, objecti criminis qualitas requirebat. Ita tamen, ut non ex hoc solo, quod accusantes, vel delatores in probatione defecerint, calumniantes ipsos esse præsumant. Subesse namque potest causa probabilis, propter quam speratas probationes inducere nequeat accusator, vel forte delator; sed (ut dictum est) calumniam evidentem exigimus, ut accusator temerarius arguatur. Quanto enim durius nocentes prosequimur, tanto libentius absolvimus innocentes.

TITULUS XV.

Si accusator, & reus dolo, vel fraude dato sibi termino a judicibus non comparuerint.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

Sæpe contingit accusatorem cum accusato colludere, ut non in totum ab accusatione discedant, sed ut terminum judicii prorogent sine licentia curiæ neutro ad judicium veniente; quem terminum ante vel ipsi sponte receperant, vel quem ipsis autoritas judicialis indulsit. Nolentes igitur lites fieri aliquorum machinationibus immortales, statuimus, utrumque, accusatorem, & accusatum, pro æqualibus portionibus eamdem pœnam in casu præscripto subire (centum augustalium scilicet) nostris utilitatibus applicandam; quam alter eorum subire deberet, si in statuto sibi termino prosecuturus accusationem non venisset ad curiam.

TITULUS XVI.

Lite non contestata in criminali judicio, an possit actor, & reus inter inter se componere, non dato termino aliquo, vel retento.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

Post citationem emissam, lite nondum in criminali judicio contestata, nec aliqua partium comparente, si accusatus, & accusator voluerint inter se componere, transigendi eis licentiam impartimur. Quod si aliquid, ut ab accusatione desistat, accusator receperit, quia sine licentia curiæ hoc præsumpsit, duplum ejus, quod proinde eum accepisse constabit, absque diminutione aliqua curiæ nostræ solvat; nisi forte pro æstimatione damni commissi accusatorem aliquid accepisse constiterit, cum damnum rei familiaris instituenda accusatio continebat. Quod si usque adeo sit processum, ut ex citatione facta partes in judicio sint præsentes, sine licentia, & mandato curiæ componendi, partibus tunc (3) concedimus potestatem: contra quod si factum fuerit, accusator decem augustales fisco nostro componat. Post litem vero contestatam si transigant, aut componant, XXIV. augustales accusator, & accusatus ærario nostro se noverint illaturos: causa nihilominus suo ordine peragenda, si transactionem, aut compositionem eamdem curia non acceptat. Quæ omnia in illis criminibus locum habere censemus, quæ sanguinis pœnam imponunt, in quibus transactiones, vel pactiones fieri vetera jura permittunt; aliis, quæ sanguinis pœnam non irrogant, excepta falsi accusatione, in suo robore duraturis.

TI-

(1) *Defendendum*. Lege, *deferendum*. Ed. V. & N.

(2) *Resistentes*. Lege, *præsidentes*. Ed. V. & N.

(3) *Tunc*. Lege, *non*. Pecchia.

TITULUS XVII.

De jure Francorum in judiciis sublato.

I. Imperator Fridericus.

SPeciale quoddam Francorum jus, imo ut proprius loquamur, injuriam, quæ in judiciis tam civilibus, quam criminalibus hactenus obtinebat, de medio tollere cupientes, præsentis nostræ sanctionis programmate cunctis regni nostri fidelibus volumus esse notum, quod nos, qui singulorum jura justitiæ libra pensamus, in judiciis aliquam discretionem haberi non volumus personarum, sed æqualitatem, sive sit Francus, sive Romanus, aut Longobardus, qui agit, seu convenitur, justitiam sibi volumus ministrari. Cavillationes, & captiones antiquas jure Francorum, qui (1) noscentias, & momenta temporum, quæ inter Francos litigantes in judiciis hactenus servabantur, nec non quasdam alias subtiles observationes, tam in civilibus, quam criminalibus causis submovemus; pœnam etiam, per quam Francus ante litem contestatam contumax bonis mobilibus omnibus privabatur, in pœnam tertiæ partis mobilium nostra constitutione contentam, volumus esse transfusam. Illud nihilominus, quod acerbius reputamus, præsenti lege corrigimus, videlicet quod Francus, lite cum eo in pecuniaribus litibus, vel in causis criminalibus contestata, contumax, bonam, vel malam causam habeat, ipsam amittat. Hoc enim & ab omni justitiæ tramite discrepat, & hoc omnis ratio æquitatis abhorret, ut propter alicujus absentiam, quæ Dei debet repleri præsentia, firma justitia vel etiam in sui perpetuitate deficiat, vel inconstantia varietur. Prædicto igitur tempore Francus contumax, qui (2) non (ut olim) causam amittat, sed juxta nuper editam nostri nominis sanctionem, videlicet, possessionem, & venditionem bonorum, aut perpetuo possessionis jacturam, vel decisionem principalis causæ, remedio appellationis excluso, secundum jus, & justitiam patiatur.

TITULUS XVIII.

De dilationibus, & exceptionibus in judicio præcedentibus abbreviandis.

I. Imperator Fridericus.

DIlationes in judiciis hactenus observatas, quæ non tantum jura nostrorum fidelium differebant, verum etiam perimebant, præcidere disponentes præcipimus, utraque parte præsente, quocunqne jure agatur, sive etiam quis criminaliter privato, aut publico judicio accuset, statim oblato libello, quem in judiciis omnibus offerri volumus, prout actionis qualitas, vel accusationis forma deposcit, nisi causa valde sit modica, infra duos augustales scilicet, quas ipsum non desiderat offerendum, litem contestatam (3), quæ in principalibus personis per negationem, vel confessionem, in procuratoribus, & defensoribus aliorum per ignorantiæ verbum fieri potest, sequi debere. Ut tamen in causis civilibus, quæ coram bajulis, vel locorum dominis aguntur, pridie ante futurus reus citari debeat, & in ipsa citatione contineatur expressim, a quo, & de qua re, & de quo etiam impeditionis (4) genere, impetratur, nisi dilatoria competens exceptio opponatur. Deliberatoriis tamen judiciis omnino sublatis; sed incontinenti gaudiis (5) datis in civilibus judiciis, ut est juris, & fidejussoribus post triduum præstitis (nisi conventus possessor rerum immobilium inveniatur, quo casu fidejussoriam cautionem judicio sisti cessare debere censemus) in ipso loco judicii cum amicis, & advocatis suis super principali causa conventus deliberet responsurus, Mobilium etiam rerum possessor, si fidejussores dare nequiverit, cautioni juratoriæ committatur; nisi pauper, aut chirographus (6) aliquis injuriarum, aut de quolibet alio maleficio, cujus cognitio spectat ad bajulum, impeditus (7) fidejussores dare nequiverit; qui usque ad finem litis per bajulum carceris custodiæ mancipetur.

TITULUS XIX.

De exceptionibus, & dilationibus proponendis in judicio.

I. Imperator Fridericus.

EXceptiones dilatorias, prout communis juris regulis est introductum, in ipso judicii exordio proponendas infra triduum a die oblati libelli, vel in civili, vel in criminali judicio objici posse censemus; in quibus si de eis incontinenti constare non possit, sed dilationem requirat is, qui eas objicit, sacramento prius (si hoc Judex decreverit) præstito, quod non tantum causa differendi, vel frustrandi judicii ipsas conventus opponat; sed quod eas ad levamen causæ suæ se probare posse confidit, ad probandum eidem octo dierum terminus concedatur, Nisi reus in longinquis probationes se habere juraverit; quo quidem casu, consideratis locorum distantiis, causarum qualitatibus, & conditionibus personarum, terminus longior debebit, & poterit indulgeri. Et si in eorum probatione reus defecerit, in omnes

(1) In Ed. V. & N. deest particula, *qui*.
(2) Hic quoque in Ed. V. & N. deest particula, *qui*.
(3) *Litem contestatam*, id est, *litis contestationem*. Ed. V. & N. & Pecchia.
(4) Ed. V. & N. *& quo etiam impetitionis genere impetatur, nisi dilatoria &c.*
(5) *Gaudiis*. Lege: *guadiis*. Pecchia.
(6) *Chirographus*. Lege: *girovagus*. Ed. V. et N.
(7) *Impeditus*. Lege, *impetitus*. Ed. V. et N.

omnes expensas sacramento actoris cum taxatione Judicis declarandas ab eo occasione prædictæ dilationis factas ipsum decernimus condemnari.

TITULUS XX.

De exceptione hostici ponenda.

I. Imperator Fridericus.

Hostici exceptionem, quam in judiciis nostris frequentius audivimus, determinare volentes statuimus, si quando submonitus ad exercitum citatus extiterit, exceptionem prædictam per se, vel per alium coram eo, qui ipsum citavit, opponat; qua opposita, & probata, quindecim diebus antequam iter arripiat, & quindecim postquam reversus fuerit, immunitatem responsionis habebit, ita quod nullus per se, vel per procuratorem, quem teneatur relinquere, respondere cogatur. Quod inviolabiliter obtinere censemus, etiam cum litis contestatione sequuta submonitione facta reum reipublicæ causa prædicto modo abesse debere contingit. Si tamen ambæ partes (actor scilicet, & reus) in exercitu inveniantur, exceptionem hostici alter alteri non opponat; dum tamen is, qui voluerit alterum in exercitu convenire, munitus sit in exercitu competentibus equis, & armis, & aliis omnibus opportunis, & necessariis, quæ opportunitas, & necessitas moris exercitalis inducunt. Illo etiam non omisso, ut si conventus in exercitu per se, & suis expensis militat, is, qui eum impetit, ut adversarium, possit hostici exceptione privare, eodem modo, & suis expensis militare debebit, ne alterius tædio, sub cujus expensis, & necessariis fuerit in exercitu sustentatus, eum, qui cum expensis suis nobis laudabiliter servit, impugnet. Quæ omnia per Marescalcum nostrum, vel per alium, qui exercitui de mandato nostro pro tempore præerit, cui omnes, qui ad exercitum venerint, absque discretione aliqua volumus præsentari, probari debebunt. Tamen si eorum amborum conditio sit æqualis, ut ambo scilicet alienis expensis in exercitu commorentur, alter alteri tenebitur respondere. Ut tamen occasione inchoati (1) litigii, etiam si peremptorium fuerit missum, a servitio speciali, quod ei per nos, vel per præfatum Marescalcum nostrum in exercitu fuerit injunctum, is, qui citatus est, nullatenus advocetur (2). Bannitos, & forbannitos etiam secure in exercitu, & absque alicujus offensione volumus commorari; adeo etiam ut, dum in exercitu sint, privilegium habeant commune cum ceteris, quod a nemine valeant conveniri. Banniti tantummodo, non forjudicati ab accusatoribus suis, & his, qui eodem modo muniti, equis, & armis scilicet in exercitu fuerint, intra annum (juxta pridem a nobis statutum modum) poterunt conveniri. In forjudicatis autem idcirco hoc non concedimus, quia cum ipsis nulla sit (3) defensio, non esset aliud eos conveniri permittere, quam suspendi mandare. Salvis per omnia his, quæ in exercitu contrahuntur, aut committuntur, ad quæ præsentem non extendimus sanctionem, sed ea juxta exercitalem ritum volumus terminari.

TITULUS XXI.

De litis contestatione in criminali, vel in civili ab adversario prosequendo.

I. Imperator Fridericus.

SI civiliter agens ab adversario criminaliter accusetur, vel criminaliter accusans ab ad[illegible] similiter de majori crimine impetatur, [illegible] ut olim, litis contestationem, vel proces[illegible] judicii volumus impediri, sed absque præjudicio aliquo in utraque causa similiter procedendum esse censemus (etiamsi crimen majestatis fuerit objectum) & in utroque judicio, secundum quod juris est, et causarum qualitas exegerit, procedatur. Evidens enim videtur esse accusantis nequitia, & frustratio manifesta, quod non prius adversarium suum voluerit accusare, vel de majori crimine convenire, nec etiam crimen, quod majestatem nostram læserit, zelo fidelitatis accensus proponere voluerit, quam esset ab eo, qui jura, vel injuriam suam prosequitur, in judicio lacessitus. Eadem censura servanda in quibuslibet præjudicialibus aliis, etiamsi tales sint, ex quibus probatis nullum retro judicium redderetur: dummodo petitorum juris (4) varietate decisa, super criminali causa tantummodo diffinitiva condemnationis, vel absolutionis sententia proferatur. In emergentibus tamen quæstionibus, velut super incompetentia judicis allegata, aut super dilationibus dandis, vel super personis testium, qui interdum a dicendo testimonio repelluntur, & similibus quæstionibus terminandis, in quibus communis juris altercatio conquievit, præsenti lege nihil volumus innovare.

TITULUS XXII.

De accusato coram Justitiario, & quomodo accusato.

I. Imperator Fridericus.

Contingit interdum aliquem de crimine capitali coram Justitiario accusatum, pendente causa ipsa, per magistrum Justitiarium magnæ curiæ nostræ citari de pari crimine, vel minori, aut etiam de quæstione ci-

---

(1) Ed. V. et N. *tam inchoati, quam inchoandi litigii &c.*

(2) *Advocetur*. Lege *avocetur*. Ed. V. et N.

(3) Ed. V. et N. *sit reservata defensio.*

(4) Ed. V. et N. *peritorum juris varietate decisa, super principali causa tantummodo &c.*

civili castrorum, vel aliorum feudaliu n, quorum cognitio specialiter ad curiam nostram spectat; sicque prorogativa (1) majoris auditorii causa, quæ aliquando coram Justitiario usque ad calculum diffinitivæ sententiæ jam devenerat, necessario prorogatur, nec innocens absolvendus detegitur, nec puniendus debita pœna damnatur. Sancimus itaque priorem causam coram Justitiario motam terminari debere; quæ omnia (scilicet, qualiter, & in quantum sit in quæstione processum) per literas Justitiarii magistro Justitiario pateſiant. Ac tunc demum, si hoc eventus prioris judicii patiatur, puta, quod ex priori sententia non sit mortuus accusatus (quo casu jam pœnam aliam sufferre non potest) citatus ad curiam nostram venire debuit (2). Ceterum si de majori crimine per magistrum Justitiæ (3) citabitur accusatus, privilegio majoris auditorii cum majoritate judicii concurrente, nisi coram priori judice usque ad diffinitivam sententiam sit proventum (4), citatus si contumax videri noluerit, coram magistro Justitiæ se præsentet. In omnibus superioribus crimina læsæ majestatis excipimus, de quibus convicti, & damnati vitam cum bonis amittant: in quibus quovis alio capitali crimine coram Justitiariis accusati, vel citati per superiorem Judicem, ad evitandam contumaciæ pœnam sui copiam facere non detractent.

TITULUS XXIII.

De litis contestatione non tardanda exceptionis objectu.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

EXceptione filiationis, generis, sive gentis, & quod heres non sit, qui actum (5), vel accusationem intendit, tam in civilibus, quam in criminalibus causis contestationem litis continuo faciendam nolumus retardari; sed eis propositis, in causa principali nihilominus procedatur, eo (6) quod ipsas opponit ad probationem. Admissio cujus probationis eventus judicii, qualiter in causa procedere debeat, demonstrabit.

TITULUS XXIV.

De processu judicii.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

LIte legitime contestata, sacramentum de calumnia volumus ab utraque parte præstari, juxta divales veterum Principum sanctiones. Quo irremissibiliter subsecuto, principalis actoris, aut accusatoris persona simul omnia, quæ ad probationem, seu adminiculum suæ probationis faciunt, per se, vel per advocatum suum offerat, aut (7) eodem die, vel sequenti ad plus, proponat in scriptis; ulterius autem de communi jure nullatenus audietur, nisi personæ minoris, aut mulieris privilegium, vel causa alia superveniens allegetur. Reus similiter principaliter conventus, aut accusatus defensiones omnes sibi de jure competentes in judicio proponere studeat simul, & semel, aut (8) in scriptis per se, vel per advocatum suum in prædicto spatio curiæ dare procuret; eumdemque terminum ad oblata probanda recipiant ambæ partes. Quod si per procuratores, aut defensores in his, in quibus intervenire possunt, causæ agantur, ea jura procurator alleget, aut defensor illas defensiones opponat, quæ principali parti competere non ignorat. Ceterum si ignorantiam forte prætendat, jura sua principalis partis conscientiæ poterit reservare; ut tamen infra prædictum terminum, quem ambæ partes ad probandum acceperint, procurator tam ea, quæ primo opposuit, probet, quam ea, quæ per dominum postea ad ipsius scientiam pervenerunt. Terminum autem ad probandum in omnibus supradictis, & aliis, quæ judiciorum natura requirit, quantum sine causæ periculo, & rerum dispendio fieri potest, per Judices, qui cognitionibus præsident, in causis omnibus breviari jubemus.

TITULUS XXV.

De exceptionibus malitiose oppositis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

SI exceptio peremptoria, replicatio, vel triplicatio etiam opponatur, quæ ex qualitate personæ opponentis, vel causæ, Judici malitiosa, vel frivola videatur, non prius objicientem ad eam probandam admittat, quam sacramentum præbeat corporale, quod non malitiose, nec causa tantum prorogandi judicium eas opponat, sed quod ipsas pro firmo se credat posse probare. Quas postea si non probaverit ad terminum sibi datum, opponentem ad expensas omnes, sacramento partis cum taxatione judicis declarandas, condemnandum esse censemus.

TITULUS XXVI.

De interrogandis litigatoribus a judice.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

PArtes in judicio litigantes, tam ante litem contestatam, quam post, prout ju-

---

(1) Ed. V. et N. *prærogativa*; et infra; *prorogatur*.
(2) *Debuit*, Lege, *debebit*. Ed. V. et N.
(3) Id est, *Magistro Justitiario*, quod alias quoque occurrit, neque amplius annotabo.
(4) *Proventum*: id est, *perventum*. Ed. V. et N.
(5) *Actum*, id est, *actionem*. Ed. V et N.
(6) Pecchia: *eo, qui ipsas opponit, ad probationem admisso: cujus probationis eventus Judicii, qualiter in causa procedere debeat, demonstrabit*.
(7) *Aut*. Lege, *&*. Pecchia.
(8) *Aut*. Lege, *&*. Pecchia.

ris ratio, & æquitas Judicem moverit, de facto interrogari posse decernimus, & interrogatos per se, vel per alium cum advocatorum consilio respondere. Plerumque etiam vel pro qualitate personæ, vel causæ, vel si Judex, quod falsum respondeat, suspectum habeat respondentem, ad sacramenti religionem adducere eum posse censemus.

TITULUS XXVII.

De fide instrumentorum testium.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

INstrumenta de donationibus, aut concessionibus, vel quibuscunque contractibus, in quibus nomen alicujus hostis, vel proditoris nostri, & generaliter cujuslibet invasoris regni scriptum sit, cassa, & inania reputantes, nullam ex eis volumus in judiciis, vel extra judicia probationem assumi, sed ea igne cremari mandamus.

TITULUS XXVIII.

De revocatione privilegiorum.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

PRivilegia, & instrumenta proditorum nostrorum (1) regni nostri quorumlibet nomina continentia, & quæ a judicibus factis ab eis, aut tabellionibus scripta, & subscripta inveniuntur, usque ad annum a die insinuationis constitutionum nostrarum, declarari, & renovari decernimus, ac appositione nostri nominis roborari; nulla ex instrumentis prædictis, ex præsenti jussione nostra non declaratis, in judiciis, aut extra judicia fide imposterum assumenda.

TITULUS XXIX.

De privilegiis a curia Capuana tempore turbationis indultis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

CUm concessiones, & privilegia omnia tam a divis Augustis parentibus nostris, quam nobis (2) ante curiam Capuanam indulta, quæ per nos post eamdem curiam confirmata non essent, nec non ea, quæ proximæ turbationis tempore post transfretationem nostram usque ad festum Purificationis (3) a nobis, aut Raynaldo Duce Spoleti concessa fuerint, mandaverimus revocari, edicto præsentis legis edicimus, prædictis privilegiis, & concessionibus nullam omnino fidem haberi; sed malevolum eorum propositum, qui ipsa post prohibitionem nostram retinent, prosequentes, jubemus prædictos omnes in tanta æstimatione damnari nostræ cameræ applicanda, quanta id, quod concessum fuerat, dignoscitur extitisse.

TITULUS XXX.

In quibus casibus audientia testium committatur, & de pœna contravenire volentibus, & de dolo ejus, cui audientia committitur.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

IN pecuniariis litibus omnibus, præterquam in quæstionibus castrorum, & feudorum, quæ specialiter in curia nostra tractantur, audientiam testium permittimus delegari: in criminalibus autem, & prædictis civilibus causis, testes in curia nostra præcipimus præsentari, nisi testes adeo senes, & valetudinarii sint, quod sine ipsorum periculo curiæ præsentari non possunt (4). Quo quidem casu ipsorum audientia judicibus electis a partibus, vel datis a curia committatur, qui eos tantum testes recipient, quos ad curiam viderint venire non posse. Contra quos auditores, idest per electionem partium, vel a curia approbatos, probationes in contrarium nullatenus admittantur; videlicet, si pars receptos testes sanos, & juvenes fore contendat. Sane, si in termino ad probandum dato pars, quæ probare debuerat, in probatione deficiat per defectum testium, qui sibi venire promiserant, vel ipsius Judicis, aut coactoris alleget nequitiam, atque propterea terminum exigat prorogari; non aliter ad hoc ipsum audiri decernimus, quam si infra prædictum terminum hoc alleget, quod infra eumdem diem Judex, vel coactor alius dari poscatur. Tunc postquam parti alteri fuerit per cognoscentes literas intimatum, ex justa causa, & necessaria prorogatio termini poterit impetrari. Is tamen, cui commissa est audientia, seu coactio testium prædictorum, si in commisso sibi officio dolosus, aut negligens inventus fuerit, curiæ nostræ in tertia parte mobilium condemnetur, & nihilominus parti læsæ omnem damni æstimationem satisfacere teneatur. Eadem pœna testibus irroganda, si per cogentem admoniti venire detractent; nisi certa pœna ab eo, cui hoc commissum fuerit, testibus sit inducta (5), quæ prædicta pœna sit major; quo casu pœna imposita exigetur. Hæc in civilibus causis vindicant sibi locum. In criminalibus autem, in quibus aliquando, videlicet, cum quis capitaliter accusatur, æstimatio causæ haberi non potest, pœna tertiæ partis mobilium omnino curiæ nostræ soluta, testes, aut Judices impetrati (6) parti læsæ in viaticis, & sumptibus litis, sacramento suo cum taxatione Judicis declarandis, volumus esse damnandos: principali causa nihilominus, non obstante lapsu termini, suo ordine peragenda. Eodem etiam obtinente in civilibus causis, si testes, aut coactores eorum non

(1) Ed. V. et N. *proditorum nostrorum, aut invasorum Regni nostri &c.*
(2) *Nobis*: id est; *a nobis*. Ed. V. et N.
(3) Ed. V. et N. *usque ad festum Purificationis Beatæ Virginis a nobis &c.*
(4) *Non possunt*. Lege, *non possint*. Ed. V. et N.
(5) *Inducta*. Lege, *indicta*. Ed. V. et N.
(6) *Impetrati*. Lege, *impetratos*. Ed. V. et N.

non solvendo fuerint, ut parti læsæ per restituendæ causæ beneficium succurratur.

TITULUS XXXI.

De legibus paribilibus sublatis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

LEges, quæ a quibusdam simplicibus sunt dictæ paribiles, quæ nec rerum naturam respiciunt, nec veritatem attendunt, nos, qui veram legum scientiam perscrutamur, & (1) errores a nostris judiciis separamus, præsentis nostri nominis sanctionis edicto in perpetuum inhibentes omnibus regni nostri judicibus, ut nullus ipsas leges paribiles, quæ absconsæ a veritate deberent potius nuncupari, aliquibus fidelibus nostris indicet; sed communibus probationibus sunt (2) contenti, tam antiquis legibus, quam nostris constitutionibus introductis. Eorum etenim sensum non tam corrigendum duximus, quam ridendum, qui naturalem candentis ferri calorem tepescere, imo (quod est stultius) frigescere, nulla justa causa superveniente, confidunt: aut qui reum criminis constitutum, ob conscientiam læsam tantum asserunt ab aquæ frigidæ elemento non recipi, quem submergi potius aeris competentis retentio non permittit.

TITULUS XXXII.

De pugnis sublatis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

PRosequentes benevolum nostræ voluntatis propositum, quo pugnas a nostra republica, præterquam in quibusdam paucis admodum casibus perexceptis, prævidimus submovere, ingerente se casus præsentis materia circa Francos, qui personarum suarum, plurimumque rerum suarum omnium, aut majoris partis earum fortunam in monomachiam, quæ duellum vulgariter dicitur, reponebant, quid de eis celsitudo nostra providerit statuendum, constitutioni præsenti manifestissime declarantes. Prædictum igitur probationis modum, per pugnam videlicet, quo jure Francorum viventes hactenus utebantur, tam circa principales personas, eam sibi invicem offerendo, quam circa personas testium invicem productorum, tam in civilibus, quam in criminalibus causis, de cetero volumus esse sublatum. Sed si Francus aliquis Franco (3), vel etiam Longobardo, super aliqua quæstione civili, vel etiam criminali extiterit impetitus, per probationes testium, vel instrumentorum, & similium, per quos posset plene probari veritas, convincatur. Probationes verumtamen testium, pro personarum qualitatibus, videlicet, & causarum, volumus esse amodo pinguiores. Præstituentes inprimis, quod nullus angariarius, vel villicus, seu quicunque villanus, qui in villis, & casis habitat, & postremo nullus vilis conditionis, contra Comites, aut Barones, aut etiam simplices milites, capitaliter accusatos, vel de personæ conditione, utpote de homagio, aut de omnibus bonis, seu majori parte eorum, vel etiam de uno castro conventos, in testem possit induci, aut inductus contra prædictos fidem aliquam in judiciis, vel arbitrio, vel extra judicia in contractibus, seu quasi contractibus, fidem aliquam faciat; sed perinde habeatur, ac si non esset inductus. Sed contra prænominatas personas, milites tantummodo, & Burgenses bonæ, & honestæ opinionis inducantur in testes, contra quos nulla omnino pugna de cetero offerri valeat ab eisdem. Numerum etiam testium in prædictis personis, & causis volumus esse majorem. Videlicet, ut contra Comitem criminaliter accusatum, vel de statu personæ, aut de omnibus bonis suis, vel de majori parte bonorum, seu etiam ad castrum (4) conventum, duo Comites fidem faciant, vel quatuor Barones, aut octo milites, & sic per consequentiam sedecim Burgenses, probationem plenam inducant. Et sic gradatim, contra Baronem duo Barones, aut loco duorum Baronum quatuor milites, & vice quatuor militum octo Burgenses (& idem in milite, prout inferioris gradus se habeat conditio) inducantur in testes. Pauciores autem numero in personis prædictis, & causis, nullam omnino fidem inducant; & contra prædictos, aut plures nulla omnino pugnæ probatio vindicet sibi locum. In omnibus tamen prædictis crimen læsæ majestatis excipimus, in quo omnium accusatorum, & testium sit conditio exæquata. Militaribus tamen privilegiis in omnibus supradictis, & aliis causis, & casibus, in quibus prærogativæ militum aliquid indulgetur, eos tantummodo milites uti volumus, qui honorem dignitatis militaris, & onus decenter observent, in equis, & armis videlicet, & aliis militaribus signis, quibus Barones, & milites condecet decorari. Consuetudinem autem, quæ in quibusdam regni partibus obtinebat, per quam hi, qui Franci non sunt, sed de jure communi censentur, testibus contra se productis in quocunque judicio possint pugnam offerre, funditus extirpamus: sed personarum, & causarum distinctione servata, in eorum causis juxta novæ constitutionis nostræ statuta, justitia prævia, & æquitate servata, ad diffinitivam sententiam procedatur.

(1) Ed. V. et N. *perscrutamur, & inspicimus, errores a nostris judiciis separamus* &c.
(2) *Sunt*. Lege: *sint*. Ed. V. et N.
(3) *Franco*. Lege: *a Franco*. Ed. V. et N.
(4) *Ad Castrum*. Lege: *de Castro*. Ed. V. et N.

TITULUS XXXIII.

In quibus casibus pugna locum non habeat.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

MOnomachiam, quæ vulgariter duellum dicitur, paucis quibusdam casibus exceptis, inter Barones regni nostræ ditioni subjectos, in perpetuum volumus locum non habere: quæ non tam vera probatio, quam quædam divinatio dici potest; quæ naturæ non consonans, a jure communi deviat, æquitatis rationibus non consentit. Vix enim, aut nunquam duo pugiles inveniri poterunt sic æquales, ut vel in totum non sit alter altero fortior, vel in aliqua parte sui vigore majori, & potiori virtute, vel saltem ingeniis alter alterum non excedat. Ab hujus autem sanctionis humanitate præcludimus homicidas, qui veneficio, vel quolibet genere furtivæ mortis, alium extinxisse dicuntur; in quibus etiam a pugnæ probatione non permittimus inchoari, sed per probationes ordinarias, si supersint aliquæ, procedi primo debere jubemus. Et denique officio curiæ, subtili prius inquisitione præmissa, si per probationes aliquas, vel per inquisitionem plene non poterit facinus comprobari, tunc demum ad pugnæ judicium indiciis præcedentibus descendatur. Quæ omnia per officium Judicis provide cognoscentis volumus explicari, ut inquisitionis probata caute, & diligenter discutiat. Et si probatum non invenerit (ut est dictum) offerendi pugnam licentiam tribuat accusanti, nullo ex eo, quod ipse ex officio suo fecit, accusatoris juri præjudicium generando (1). Si tamen accusator in crimine prius offerat se probare per testes, & in eorum probatione deficiat; tunc inquisitionis, & pugnæ probatione minime locum habente, reus, qui nocens non convincitur, & præsumitur innocens, absolvatur. Quod jus inter omnes, tam Francos, quam Longobardos, & in causis omnibus volumus esse commune. Satis enim militibus, & nobilibus regni nostri probationum impugnationes (2) providimus, & aliis etiam, qui poterunt pugnam offerre, prout novella constitutione nostra evidentius est statutum: crimen etiam læsæ majestatis excipimus, in quo infra scriptis capitulis pugnæ judicium reservamus. Nec mirum, si læsæ majestatis reos, fortius (3) homicidas furtivos, atque veneficos subjicimus non tam judicio, quam terrori; non quod in ipsis nostra serenitas justum æstimet, quod injustum in aliis reputavit; sed quod in eorum pœnam, & aliorum exemplum, publice in conspectibus hominum, sub tremenda probationis specie tales constitui volumus homicidas, qui occultas, atque furtivas insidias vitæ hominum, quos sola potest creare divina potentia, parare minime timuerunt. Eos enim (4) extra omnes modestiæ terminos stabilimus, qui adversus securitatem nostram, per quam omnibus aliis præstatur securitas, moliri aliquid non verentur.

TITULUS XXXIV.

De causa depositi.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

IN causa depositi, in qua olim pugna locum habebat, pugnæ prorsus interdicimus facultatem. Sed ut de ea dubietas oriri non possit, sub tali cautela volumus depositum amodo celebrari; videlicet, ut in deposito, cujus quantitas infra libram unam auri subsistit, tres testes fide digni, & omni exceptione majores, debeant interesse. Ultra libram autem auri si consistat depositum, debet fieri publicum instrumentum per manus tabellionis, qui intersit tempori (5) deposito, non qui jussione Judicis instrumentum fecisse se dicat, & trium Judicum in depositione præsentium subscriptione signatum; vel si unus Judex tantum intersit, simul cum eo debent interesse tres testes, qui specialiter una cum Judice, & tabellione prædictis se instrumento subscribant.

TITULUS XXXV.

De probationibus, & testibus ante litem contestatam producendis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

PRobationum incursibus competenti remedio succurrentes permittimus, lite etiam nondum in judicio contestata, testes valetudinarios, & senes, de quorum proxima morte futura timetur, vel eos, de quorum peregrinatione, & longa absentia dubitatur, ab eo, qui sibi per depositiones eorum cavere desiderat, posse produci; præsente tamen eo, qui adversarius futurus speratur, si ejus præsentia facilis possit haberi, vel vel eo se per contumaciam absentante, omni jure (6) ei, qui præsens non fuerit, contra personas, & dicta productorum testium reservato. Quarum depositionum vigorem intra annum tantum valere disponimus, & non ultra annum extendi, cum litis contestatio non intercesserit, nec præsens fuerit adversarius, vel absenti parti denuntiari potuit, ut receptioni testium interesset.

TI-

(1) Ed. V. et N. *præjudicio generato*.
(2) *Impugnationes*. Lege: *impugnatione*. Pecchia.
(3) Ed. V. et N. *Nec mirum si læsæ majestatis reos, homicidas furtivos, atque veneficos pugnæ subjicimus, non tam judicio &c.*
(4) *Enim*. Forte legendum, *etiam*.
(5) *Tempori*. Lege: *ipsi*. Ed. V. et N.
(6) Lege: *omni jure, & protestatione ei .... servata*. Pecchia, quem vide.

TITULUS XXXVI.

Quæ probationes in causa homagii exigantur.

I. Imperator Fridericus.

PRobationum defectum in causis, quas super homagiis movere contigerit, competenti munimine fulcientes statuimus, siquando aliquis fuerit ab aliquo de homagio impetitus, ipse autem hominem nostrum immediate se esse contendat: si quidem per privilegia prædecessorum nostrorum, aut nostra, vel alia legitima, & authentica instrumenta, sive per testes fide dignos, & omni exceptione majores, qui forte concessioni interfuerint, probare possit, qualiter petitor, aut prædecessores sui, hominis petiti dominium, vel prædecessorum adepti fuissent; si nullas exceptiones conventus opponat, & probet, per quas possit se ab ejus dominio liberare, pro actore Judex competens ferre sententiam non moretur. Quod si probationes legitimæ de dominio haberi non possint, sufficiat petitori probare, quod homo petitus temporibus Regum prædecessorum nostrorum, prædecessoribus nostris, suis, vel sibi fidelitatis, & homagii præstiterit sacramentum; & quod ut vasallus ejus ei servierit in omnibus, & per eum in curia sua de persona conventus justitiam fecerit conquerentibus; & quod prædictorum Regum tempore usque ad ea tempora, quibus de homagio retulerit quæstionem, terram ab actore tenuerit; ne alius (1) recommendatus præsumatur potius, quam vasallus. Quæ omnia in militibus, & Baronibus de vasallagio conventis volumus observari. Prædictis autem omnibus (2) cessantibus, conventus immediate majestatis nostræ communi dominio relinquatur. In omnibus tamen prædictis libertatis favorem, ac interpretationem benignam pro libertate in dubiis faciendam, prout veteribus legibus est inductum, integre reservamus.

TITULUS XXXVII.

De Campionibus.

I. Imperator Fridericus.

NUllus campio, si devictus fuerit, ad faciendum bellum denuo pro aliquo admittatur, nisi pro se; non cum ipse impetit alium, sed cum fuerit ab aliquo impetitus. Statuimus præterea, ut amodo campiones habeant clavas æquales, non spinosas, nec cum aguzonibus, nec habentes cornua, nec ex parte fustis ad modum unguis.

II. Idem.

PRæsenti lege decernimus, ut campiones amodo, postquam circulum pugnatorum fuerint (prout est moris) ingressi, corporalia subeant sacramenta, quod juxta probabilem credulitatem eorum credunt, dominos, pro quibus pugnam intraverint, veritatem fovere, & non per calumniam, seu per astum ad accusationem propositam, vel defensionem adhibitam processisse; & quod cum omni virtute, & potentia, studio, & vigore, partes, pro quibus pugnaverint, adjuvabunt. Pugilibus etiam expressius inhibemus, quod se non debeant invicem affidare, quod manibus, vel dentibus, & modis quibuslibet poterunt, alter alterum non offendat, immo unus ad confusionem alterius toto posse conetur.

III. Idem.

SUmmo periculo, quod ex pugilum fraudibus, inertia, vel timore hactenus contingebat, provisione necessaria succurrentes decernimus, ut si is, qui pugnæ præerit, videat cum aliorum consilio, qui tunc temporis inveniantur esse præsentes, quod campio in pugnando fraudem adhibeat, aut segnitiem manifestam, vel quod melius potuerit se defendere, nec tam cito jure cedentis (3) vocem erumpere debuisset: si quidem is, pro quo pugnat, excusatus (4) extiterit, cum, si pugnæ succumbat, mori debeat (utpote reus habitus criminis majestatis; vel de homicidio absconso convictus) campio similiter periculum mortis incurrat. Ceterum si is, pro quo pugnat, accusat, quia forte dolorem justum prosequitur pater, vel forte mater, aut filius de morte suorum, qui succumbit in pugna, mori non debet; cum nec ad pugnam fuisset admissus, nisi quia ipsum justi doloris impetus, & indiciorum præcedentium probatio admiserunt. Campio tamen manum amittat, quam exigente legitima pœna perjurii quilibet alius scienter perjurus amittat. Videbatur etenim impium in causa præsenti capitali supplicio subjacere campionem, cum is, cujus causam principaliter agit, per casum suum periculo capitis non succumbat. In crimine tamen læsæ majestatis accusatorem etiam, qui in pugna succumbit, sicut & reum, si succubuisset in ea, ultimo supplicio subjugamus.

IV. Idem.

COnsuetudinem pravam, & a tramite rationis cujuslibet alienam, quæ in regno nostro obtinuit hactenus, funditus extirpantes statuimus, ut is, qui alii pugnam obtulerit in his casibus, in quibus est pugnæ judicium reservatum, juxta conditionem, & qualitatem ipsius pugnare debeat, quem convincere per oblatam pugnam intendit, non, ut olim, ad electionem illius, qui ipsam

(1) *Alius*. Lege: *alias*. Ed. V. et N.
(2) Ed. V. et N. *Prædictis autem omnibus, vel aliquo prædictorum cessantibus* &c.

(3) *Jure cedentis*. Lege: *in recedentis*. Ed. V. et N.
(4) *Excusatus*. Lege: *accusatus*. Pecchia.

ipsam pugnam obtulerit, fieri debere. Præmeditari namque deberet primitus accusator, & secum perpensa deliberatione pensare, quis, & qualis conditionis existat is, cui pugnam intendit offerre; & reus, qui favorem jure promeruit, & præter spem omnem ad pugnæ dispendium advocatur, cum se defendat ab alio propulsatus, suæ defensionis modum non debet admittere eum (1), qui antequam veniret ad pugnam, consilio forsitan fraudulento tractaverat impugnationis speciem, contra omnem (2) veritatem, aliquando confundere valeat accusatum. Sed si miles fuerit is, qui pugna impetitur, & eques se voluerit defendere, adversarius ejus, quamvis miles non sit, eques similiter ipsum impugnet. E contrario, si pedes fuerit is, qui se defendere nititur, licet is, qui pugnam obtulerit, fuerit miles, non ut miles, sed ut quilibet alius pugil, accusatum impugnet. Defendentis namque debet esse electio, qualiter melius se defendere valeat ab alio impetitus. Illud etiam præsenti sanctioni duximus annectendum, ut si is, qui pugnam obtulerit, læsus fuerit in aliqua parte sui corporis, propterea is, qui pugna impetitur, in nullo se defendere (3) auxilium minorabit. Ceterum si impetitus forte sit læsus in quacunque parte corporis, quæ necessaria sit ad pugnam; is, qui eam obtulit, in ea parte se debilitare debebit, in qua debilitatus est, cui duellum offertur. Veluti si unum tantum oculum habeat impetitus, is, qui pugnam offert, aliquibus diebus antea illum oculum apposito aliquo sibi claudet, in quo pati dignoscitur accusatus. Similiter & in digitis, & in membris aliis, hoc volumus obtinere, juxta proborum virorum consilium, & discretionem providam judicantis. Nec illud prætermittendum vidimus, quod necessario gratiam nostræ benignitatis exposcit; ut qui ætatis annum sexagesimum tetigerint, & qui nondum viginti quinque annorum curricula impleverunt, per se pugnare minime teneantur; sed possint ad defensionem suam, non cum alios impetunt, subjicere campiones; ne vel ætates (4), in altero naturali frigescente calore, vel juveniles virtutum in altero robore non impleto, non tam incerto, quam periculoso pugnæ judicio, quod esset asperrimum, relinquamus.

TITULUS XXXVIII.

De restitutione mulierum.

I. REX ROGERIUS.

MUlieribus, ubi non modice læsæ sunt, propter fragilem sexum, legum æquitatem sectantes, tam per nos, quam per officiales nostros, visceribus pietatis subveniendum esse decernimus, sicut & decet, quatenus & oportet.

II. IMPERATOR FRIDERICUS.

OBscuritatem legis divi Regis Rogerii avi nostri de restituendis mulieribus editam declarantes, mulieres Longobardo, seu Francorum jure viventes in judiciis tantum restituendas esse sancimus, cum per negligentiam, vel fraudem mundualdorum, seu procuratorum suorum, enormiter læsæ probantur, & adversus prædictos mundualdos, vel procuratores, dum forte non sint solvendo, indemnes servari non possunt: item si propter nimiam simplicitatem ipsorum enorme damnum incurrant. Nam licet præscriptorum simplicitas ipsos excuset, simplicitas tamen eorum in damnum mulierum reverti non debet. In contractibus autem, in quibus non tam ipsæ præsentes esse possunt, quam & aliorum præsentiam judicum, & mundualdorum, atque procuratorum habere, ipsis non vidimus succurrendum; nisi forte per circumventionem, aut fragilitatem sexus, immoderatam dotem ultra patrimonium, vel ultra vires patrimonii sui, videlicet promisisse, vel constituisse probentur. Casus etiam, in quibus antiqua jura mulieribus jus ignorantibus succurrebant, in suo robore reservamus. Videlicet, si per errorem, non pretio accepto, ab accusatione desistant; si incestus crimen per ignorantiam juris committant; vel si instrumenta edenda per fragilitatem sexus ignorantes non edant. Succurritur etiam eis, si in satisdationibus in judiciis præstandis per juris ignorantiam inveniantur esse deceptæ: item si solverint ex intercessione, ignorantes se beneficio Vellejani munitas. Quos omnes, & si quos alios probata juris antiquitas introduxit, in suo robore volumus remanere.

TITULUS XXXIX.

De restitutione minorum.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

MInorum jura, qui in judiciis, vel extra judicia in modico (5) læsi probantur, præcipimus inviolata servari. Quibus in illis casibus tantum succurrimus, beneficio in integrum restitutionis indulto, in quibus eisdem leges veteres succurrebant. Videlicet, si facilitate sui, tutorum, curatorum, seu etiam procuratorum fraude, vel negligentia, aut dolo adversariorum suorum læsi probantur. Eis autem delinquentibus, si delictum procedat ex animo, nisi quatenus

(1) *Admittere eum*. Lege: *amittere per eum*. Ed. V. et N.

(2) Pecchia legendum censet: *contra omnem alioquin veritatem, qua confundere valeat accusatum*.

(3) *Se defendere*. Lege: *suæ defensionis*. Ed. V. et N.

(4) Lege: *vel ætatis .... vel juvenilis virtutis* &c. Pecchia. Ed. V. et N.

(5) *In modico*. Lege: *immodice*. Pecchia.

nus miseratio ætatis judicem moverit, minime subvenimus. Illud etiam expressim constitutione præsenti duximus admittendum, ut in causis non tantum civilibus, verum etiam criminalibus, & publicis, tutorum, vel curatorum seu bajulorum autoritas ipsis assistat. Abundantiorem etiam providentiam de fonte gratiæ nostræ pupillis volumus impartiri; ut causas criminales, & publicas, etiam per tutores, aut accusatores (1) eorum ad lites datos, in judicibus deducere valeant, dum suam, vel suorum injuriam prosequuntur, sive accusent, sive ab aliis accusentur, pœnis exactionibus (2) debitis, constitutionibus nostris, & antiquo jure statutis, personis principalibus infligendis. Minores autem tam masculos, quam fœminas, intelligimus eos, qui, vel quæ nondum ætatis suæ decimum octavum annum excesserint; quo completo, ipsos tam in contractibus, quam in judiciis, & in omnibus, perfectæ ætatis volumus reputari.

TITULUS XL.

De restitutione Reipublicæ.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

BEneficium restitutionis in integrum nostræ Reipublicæ in judiciis, & contractibus antiquis legibus reservatum, non ipsi præcidimus, sed illud nobis integre reservamus sanctioni præsenti manifestius inserentes, ut ad petendam restitutionem eamdem speciale mandatum, quod in minoribus, & mulieribus exigitur, quorum procuratores, & defensores restitutionem implorant, a procuratoribus statutis a nobis, vel a magistro justitiario nostro, aut regionum justitiario, quibus in causis civilibus, & criminalibus statuendi procuratores, & defensores concedimus facultatem, nullatenus exigatur.

TITULUS XLI.

De alienationibus rerum in judicio deductarum.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

EOrum fraudibus occurrentes, qui res mobiles, vel immobiles, seu etiam incorporales, ante litem contestatam, vel etiam ante citationem factam, in alium quemlibet potentiorem transtulerint, causa mutandis judicii, decernimus ipsos non ut olim tantum ad interesse, cujus probatio est difficilis, & incerta, sed in tertia æstimationis rei, quam transtulerint, condemnari, quam sacro nostro ærario præcipimus applicari. Quod si post litem motam res in judicium litigiosi cadentes aliquis scienter transtulerit, ut processum judicii valeat impedire, venditor pretio rei venditæ, emptor etiam sciens alio tanto pretio rei venditæ, utroque fisco nostro applicando, mulctetur. Si autem sciens emptor probari non possit, cum præsumatur ignorans, propter bonam fidem suam pretium recuperare volumus, quod exolvit; & de toto pretio, in quo venditor, qui semper sciens invenitur, ut prædiximus, est damnandus; quartam lucri facere volumus ignorantem emptorem, aliis tribus partibus fisci nostri juribus sociandis. Quæ omnia non tantum in venditionibus, sed in quibuslibet contractibus locum habeant. Contractus tamen de donationibus (3) dotium, & donationum propter nuptias, nec non divisionum rerum hereditariarum, & alienationum, legati, vel fideicommissi causa factarum, excipimus, tenore etiam veteris legis excepto.

TITULUS XLII.

De expensis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

Nova Constitutio.

DIvorum Principum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, universaliter omnibus judicibus nostris injungimus, ut victoribus victos, quos ignorantiæ causa probabilis, & evidens non excusat, condemnare debeant in expensis: sic ut eas volumus de facultatibus propriis elargiri. In victoris sane judicio ponimus, utrum expensarum ipsarum quantitatem nulla taxatione judicis muniendam, probationibus dilucidare voluerit, vel proprio sacramento firmare, proinde judicialis taxationis arbitrio moderandas.

TITULUS XLIII.

De salario pro scripturis sententiarum.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

PRo scripturis, & scriptoribus sententiarum recipiant bajulus, judex, & notarius centesimam partem æstimationis rei in litem deductæ, pro juribus eorum æquis inter eos portionibus dividendam, & suis utilitatibus applicandam; quam a victore, vel eo (4) recipient, qui sententiam ipsam ad sui cautelam voluerit in scriptis habere. Salarium autem prædictum inter eas expensas computari censemus, quas præstandas fore præscripsimus a victo victori.

(1) Ed. V. et N. *aut curatores eorum ad lites datos in judicium deducere valeant &c.*

(2) *Exactionibus*. Ed. V. et N. *ex accusationibus*.

(3) Ed. V. et N. *Contractus tamen causa transactionum, dotium . . . . factos excipimus, tenore etiam veteris legis exceptos*.

(4) *A victore vel eo*. Ed. V. et N. *ab actore, vel reo*.

TITULUS XLIV.

De appellationibus.

I. Imperator Fridericus.

APpellationum tempora, per quas diffinitivæ ſententiæ ſuſpenduntur, certo dierum ſpatio juſſimus limitari; ſtatuentes, ut in quacunque parte regni ſententia extiterit per quoſcunque officiales, ſeu judices quoſcunque prolata, delegationis jure, vel ex officio ordinario cognoſcentes, a qua fuerit ad audientiam noſtri culminis appellatum, quinquaginta dierum ſpatium a die appellationis interpoſitæ habeat appellator, infra quod proceſſum judicii, & appellationis noſtræ curiæ præſentet. Et ut omnis omnino allegandæ difficultatis occaſio in poſterum conquieſcat, appellationes ipſas magiſtro juſtitiario, ſeu judicibus magnæ curiæ noſtræ ſufficiat præſentari. Ceterum ſi ad alios majores judices a minorum ſententia fuerit appellatio interjecta, qui nobiſcum in curia commorantur, tunc pro locorum diſtantiis, & cauſarum qualitatibus, nec non & perſonarum pronunciationibus, judicibus præſentandarum appellationum tempora præſtitui volumus appellanti: dummodo prædictorum quinquaginta dierum ſpatium non excedat indulta dilatio. Quæ omnia in ipſo apoſtolorum tenore volumus contineri. Illud etiam præſenti conjungimus ſanctioni, quod ſi poſt appellationem præſentatam appellator ſine licentia judicis, ad quem appellavit, diſceſſerit, nec inſtanter inſtet, ut rurſum debitum conſequatur, quaſi nunquam appellaverit, rata ſententia permanebit, niſi ipſo jure nulla a judice ſuperiore dicatur.

TITULUS XLV.

De cauſis in judicio cito decidendis.

I. Imperator Fridericus.

UNiverſos, & ſingulos judices regni noſtri volumus cum voto noſtro concurrere, ut cauſas in eorum examine ventilatas cito decidant, advocatorum allegationibus, qui philacteria ſua perorando dilatant, niſi quatenus deſideratæ inſtructionis neceſſitas exegerit, nullatenus indulgentes; ſed poſt dicta teſtium publicatorum in judicio, & ex eis rubricas aſſumptas, in qualibet cauſa duorum dierum ſpatium tantum habeant advocati ad diſputandum de jure, & concludendum in cauſa. Quorum ſegnitiem ſi judex cauſæ forte repererit evidentem, expenſas omnes, quas parti propter tarditatem ipſorum afflixerint (1), cum integritate perſolvant. Quod ſi per advocatos forte non ſteterit, ſed per partes, quæ concludere forte non volunt, expenſas omnes ſimiliter pars concluſionem, & renunciationem differens, adverſario ſuo in utroque caſu ſacramento partis cum taxatione judicis manifeſtandas exolvat. Partibus autem concludentibus, judices ad deciſionem cauſæ ſecundum Deum, & juſtitiam inſtanter intendant: quibus propter cauſarum multitudinem certum pronunciandi tempus nequivimus diffinire: ita quod infra decem dierum ſpatium a die concluſionis numerandum, & ſalubri noſtræ conſtitutionis proviſione judicibus præſtitutum, cauſam ſtudeant ſententiali calculo terminare.

TITULUS XLVI.

De pœna judicis, qui male judicavit.

I. Rex Rogerius.

SI judex fraudulenter, atque doloſe contra leges ſententiam protulerit, ab auctoritate judiciaria irrecuperabiliter cadat, noteturque infamia, rebus ſuis omnibus publicatis. Quod ſi ignorantia juris in ſententia oberraverit, & per ſimplicitatem animi manifeſtam, pro noſtræ voluntatis arbitrio puniatur.

II. Idem.

JUdex, ſi accepta pecunia reum aliquem criminis, & mortis fecerit, periculo capitis ſubjacebit.

III. Imperator Fridericus.

Nova Conſtitutio.

COrruptelæ crimen præſenti ſanctione publicum omnibus eſſe decernimus, ut accuſandi, vel deferendi quomodolibet (2) de donatione, vel promiſſione corruptos, quibuslibet libera licentia concedatur. Promiſſa pecunia de corruptione legitima probatione convicta, in præmium detur deferentibus, vel accuſantibus corruptelas: videlicet, ut ſi certum quid officialem aliquem in corruptelam ſui recepiſſe, vel pollicitum admiſiſſe conſtiterit, denuntians, vel accuſans, accuſatione, vel denuntiatione probata, tantundem ab officiali recipiat, quantum ſibi promiſſum fuiſſe conſtiterit, vel ab ipſo receptum. Ceterum ſi incertum ſit, quod (3) ſibi promiſſum extiterit, vel receptum, pœnam pollicitationis incerti, pro qualitate perſonarum, & cauſæ, arbitrio permittimus judicantis. Verum ſi promiſſor, aut dator, infra triduum denuntiare data, vel promiſſa diſtulerit, tantundem, quantum ab eo datum, vel promiſſum conſtiterit, fiſco noſtro componat.

T I-

(1) *Afflixerint*. Lege: *affixerint*. Pecchia.
(2) *Quomodolibet*. Ed. V. et N. *quoslibet*.
(3) Ed. V. et N. *Cæterum ſi incertum ſit, quid ſibi promiſſum extiterit, vel receptum, pœnam pollicitationis incertæ, pro qualitate &c.*

TITULUS XLVII.

De pœna illorum, qui judices corruperint, vel corrumpere voluerint.

I. Imperator Fridericus.

Litigator autem, qui judicem dando corrumpit, vel corrumpere promittendo voluerit, etiamsi bonam causam habeat, in ipsa succumbat. Hoc idem in eisdem magistro justitiæ, & justitiario, si contra prædictam prohibitionem nostram receperint aliquid, volumus observari. Et ut in talibus quælibet omnibus delinquendi materia subtrahatur, edicimus, ut officialis, cui in corruptelam sui promissionem fieri contigerit, promittentis nomen, & promissi etiam quantitatem, & modum nobis, vel alicui, per quem ad nos notitia facti perveniat, studeat nuntiare.

TITULUS XLVIII.

De probationibus in appellationibus producendis.

I. Imperator Fridericus.

Jurisperitorum altercationes determinare volentes sancimus, si quando testes in principali causa producti fuerint, & etiam publicati, super eodem articulo a producente, vel adversario testes amodo produci non posse, propter falsi fabricandi materiam. Propter cujus timorem post publicationem testium testes produci denuo jura in principalibus judiciis vetuerunt, in appellationibus etiam removentes. Quod si nulli testes fuerint in causa principali producti, ita demum in appellationum judiciis eos appellanti producere liceat, si is, qui terminum ad probandum in principali causa receperit, justa ex causa impeditum se doceat, propter quam speratos testes producere nequivisset: alioquin ad probandum denuo nullatenus admittetur. Præsenti etiam sanctioni illud edicimus ascribendum, si quando in causis appellationum probationes inducendæ sunt, vel interrogationes, & confessiones fieri desiderantur, in eis ambæ partes necessario sint præsentes, ut eis cominus constitutis, causa plenius instruatur. Quod si in termino peremptorio prius (1) appellata citata non venerit; nihilominus appellatore præsente, altera parte contumaciter absente, ad confirmationem sententiæ secundum jus, & justitiam procedatur.

Explicit Liber Secundus.

CONSTITUTIONUM
NEAPOLITANARUM
SIVE SICULARUM
LIBER TERTIUS.

TITULUS PRIMUS.

De juribus rerum regalium, & de personis quibuslibet servilis, & vilis conditionis clericali officio removendis.

I. Imperator Fridericus, (2)

Scire volumus Principes nostros, Comites, Barones, Archiepiscopos, universos Episcopos, & Abbates, quod quicunque de regalibus nostris magnum, vel parvum quid tenet, nullo modo, nullo ingenio, possit ad nostra regalia pertinens alienare, donare, vel vendere, aut in totum, vel in partem minuere, unde jura nostra regalia minuantur, aut subtrahantur, aut damnum aliquod patiantur,

TITULUS II.

De vasallis non ordinandis.

I. Imperator Fridericus.

Adscriptitios sine voluntate, & assensu eorum, quorum juri subditi sunt, & potestati, nullus Episcoporum ordinare præsumat. Hi, quorum adscriptitii sunt, si quod præmium ob licentiam ordinandi, vel consecrandi suscepisse convicti fuerint, jus ascriptitium perdant, & qui dederit pecuniam, ab ordine motus fisco nostro cum rebus omnibus suis vindicetur. Ne tamen sinistrum aliquod aliquando possit nostris constitutionibus obviare, si forte in rure vel vico Ecclesia constituta assignatos habuerit sacerdotes, quibus decedentibus sunt aliqui subrogandi, & pertinaces domini ruris vel vici su-

---

(1) *Prius*. Lege: *pars*. Ed. V. et N.
(2) Ed. V. et N. *Rex Rogerius*. Quæ vera esse lectio videtur ex Tit. V.

ſuper aſcriptitiis fieri ſubrogationem negaverint, præſertim cum ex ipſis aſcriptitiis perſona idonea ſacerdotio ab Epiſcopo expetitur, dignum clementiæ noſtræ videtur, atque juſtiſſimum, ad juſtam petitionem Eccleſiæ, adſcriptitiorum dominum jure cogendum. Filii vero adſcriptitii ordinati ad adſcriptitiorum conditionem redeant, omni occaſione remota.

TITULUS III.

De his, qui debent accedere ad ordinem clericatus.

I. Rex Rogerius.

ERrores eorum, qui villanos quoslibet ſine licentia dominorum ad ordinem clericalem accedere regia conſtitutione dicunt eſſe prohibitum, interpretatione benevola corrigentes decernimus, eos tantum villanos prædicta conſtitutione intelligi fore prohibitos clericari, qui perſonaliter, intuitu perſonæ ſuæ ſcilicet, ſervire tenentur; ſicut ſunt adſcriptitii, & ſervi glebæ, & hujuſmodi alii. Qui vero reſpectu tenementi alicujus beneficii ſervire debent, ſi voluerint ad ordinem clericatus accedere, liceat eis ſine voluntate etiam dominorum, prius tamen his, quæ tenent a dominis ſuis, in eorum manibus reſignatis.

TITULUS IV.

De jure ſuo curiæ obſervando.

I. Imperator Fridericus.

DIgnum fore credimus, & conſentaneum rationi, ut qui juſtitiæ ſolio præſidemus, & conſtanter, atque perpetuo jura ſua quibuslibet conſervamus, rationum noſtrarum non ſimus immemores; ſed eas ab aliis temeritate quadam, & (ut ita loquamur apertius) illicita præſumptione detentas, ad dominium noſtrum, atque demanium revocemus. Hujus igitur legis edicto inviolabiliter obſervando, regni Siciliæ omnibus fidelibus noſtris edicimus, ut omnes civitates, caſtra, munitiones, caſalia, villas, & quidquid in eis intus, aut foris eſſe demanium, vel de demanio conſuevit, in noſtras manus integre debeant reſignare. Redditus etiam, & ſervitia nobis debita detineri ab aliquibus amodo, vel ſupponi (1) prohibemus: ſcituris firmiter cujuſcunque conditionis hominibus, regni noſtri fidelibus univerſis, quod qui de prædictis tenuerit aliquid, de quo non habet privilegium Divorum Regum Rogerii, & Guilielmi primi, aut ſecundi prædeceſſorum noſtrorum, aut oraculum noſtræ celſitudinis ſpeciale a nobis ex certa ſcientia impetratum, vel indultum a prædeceſſoribus noſtris divis parentibus noſtris, & ex certa ſcientia noſtra confirmatum, & uſque ad feſtum Nativitatis proximum in manus noſtras, vel ordinatorum noſtrorum, irrequiſitus etiam, non reſignaverit, quadruplum etiam fructuum, vel reddit1uum, ſeu cujuſcunque utilitatis, quod de detentis ſic injuſte perceperit, proculdubio curiæ noſtræ cum integritate perſolvet.

II. Idem.

Nova Conſtitutio.

PErſonas rebus aliis præferentes, quanto eas pretioſiores habemus, tanto ipſarum detentoribus, quæ ad demanium noſtrum immediate ſpectare noſcuntur, pœnam imponimus duriorem. In hoc enim non tam nobis proſpicimus, quam libertatis favori favemus, cum omnes merito liberi cenſeantur, qui nullo medio ad imperialem celſitudinem, & regiam pertinent poteſtatem. Hoc igitur prohibitionis noſtræ decreto omnibus regni noſtri nobilibus expreſſim prohibemus, ut nullus Comitum vel Baronum, ad noſtrum demanium pertinens, vel Baroniam aliquam, quæ noſtri demanii ſit, ulterius detinere præſumat. Alioquin ſiquis de cetero ſub diſſimulatione tranſiens, hoc noſtræ curiæ non exponat, publicatione bonorum omnium mulctandum eſſe cenſemus; detentorem vero ſcientem alio æquavalenti puniri cenſemus.

TITULUS V.

De procuratione feudorum, & rerum feudalium.

I. Imperator Fridericus.

COnſtitutionem divæ memoriæ Regis Rogerii avi noſtri ſuper prohibita diminutione feudorum, & rerum feudalium ampliantes decernimus, omnes alienationes, ſeu quoſcunque contractus ſuper feudis, & rebus feudalibus minuendis, aut commutandis, nullam omnino firmitatem habere, niſi de ſpeciali noſtræ celſitudinis licentia confirmentur. Tranſactiones etiam, ſiquæ ſuper eis ſine mandato noſtræ curiæ factæ fuerint, jusjurandum interpoſitum, ſeu etiam ſtipulationem pœnalem, nullius decernimus eſſe momenti. Eiſdemque contrahentibus, & alienantibus concedimus poteſtatem, jure proprio prædicta omnia revocare. Arbitria etiam ex compromiſſo ſuper præmiſſis facta, nulla cenſemus, cum de eis conſtitutione noſtra certis perſonis magiſtro juſtitiario, & juſtitiæ (2) tantum cognitio ſit delata. Excadentias autem Baronibus, & militibus locare permittimus, dummodo ſub eo annuo ſervitio, & redditu locentur, ſub quo antiquo locari conſueverunt; ita quod in nullo debitum ſervitium vel redditus minuantur.

II.

(1) *Supponi*. Ed. V. et N. *ſupprimi*.
(2) *Et juſtitiæ*. Lege: *& juſtitiariis*. Pecchia.

II. IDEM.
Nova Constitutio.

HAc edictali lege in perpetuum valitura in (1) omnibus regni nostri fidelibus expressius inhibemus, ut nullus Comes, Baro, vel miles, vel etiam quilibet alius, vel clericus, res qualitercunque servitutibus obligatas, de quibus redditus, & servitia curiæ nostræ debeantur, quocunque alienationis titulo, inter vivos vel in ultimis voluntatibus, in alium pro parte vel in totum transferre præsumat, vel etiam commutare, unde servitium ipsum aut redditus curia nostra perdat.

TITULUS VI.

De revocandis transeuntibus ad alienam habitationem.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

QUisquis de Burgensibus aut villanis ad nostrum demanium pertinentibus, temporibus retroactis ad Ecclesiarum loca, Comitum, seu Baronum, vel aliorum quorumlibet, quacunque occasione transierit, incolatu seu habitatione nostri demanii derelicta, intra tres menses, si in eadem provincia fuerit, & si extra provinciam fuerit, intra sex menses post requisitionem ordinatorum nostrorum, ad terram demanii, quam deseruit, redire præcise cum tota familia compellatur. Quicunque autem hujusmodi homines receperint scienter, aut receptos ab initio forsitan ignoranter contempserint reddere requisiti, libram unam auri purissimi cameræ nostræ componant; & recepto (2) nihilominus cum omni commodo, quod inde admiserint, curiæ nostræ restituantur (3). Æqua etiam lance sancimus, ut Ecclesiarum homines, Comitum, Baronum, vel militum, qui tamen dominis suis de personalibus servitiis minime (4) teneantur, si a tempore nostræ felicis coronationis se ad terras nostri demanii, seu aliorum quorumlibet transtulerint, ab eodem tempore, spatio trium, vel sex mensium, scilicet, a tempore requisitionis emissæ, redire ad terras dominorum suorum, mora qualibet, & occasione depositis, compellantur. Prælatus, seu Comes, Baro, vel miles, seu quilibet alii supradictorum hominum detentores, si scientes extiterint, vel ignorantes, & ipsos non reddiderint requisiti post temporis spatium supradictum, in dimidiam libram auri purissimi sentiant se fore damnandos; cujus medietas nostro ærario, reliqua medietas damnum passis volumus applicari.

TITULUS VII.

De hominibus demanii affidatis non tenendis.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

CUm universis & singulis regni nostri fidelibus credamus in tantum sufficere præeminentiæ nostræ favorem, ut adversus quorumlibet impetus valeant clypeo nostræ defensionis defendi, grave non immerito ferimus, & moleste, quod aliqui ad aliorum patrocinia transeuntes, a nobis, & officialibus nostris in eorum præsertim judiciis protegi se posse diffidunt. Nolentes igitur hæc sub dissimulatione transire, & quæ in nostram perpetrantur injuriam æquanimiter tolerare, præsentis legis edicto firmiter inhibemus, ut in terris demanii nostri nulli omnino liceat affidatos, vel recommendatos habere, vel dudum non sine offensa nostræ celsitudinis habitos retinere, nisi de habitis a quocunque tempore retroacto, vel in posterum habendis, a nobis, vel divis Regibus, vel Augustis prædecessoribus nostris privilegium, vel scriptum debita solennitate munitum ostendat. Præscriptionem etenim aliquam eis prodesse non volumus, qui fidei debita (5) sacramento contempto, quo non usurpare fiscalia, sed defensare tenentur, homines ad nostrum demanium pertinentes, vel qui si ab eis recepti non essent, in nostro demanio remansissent, quantolibet tempore tenuerunt. Quisquis autem temerario ausu recipere aliquos tentaverit in posterum, vel retinere receptos, post mensem a die insinuatæ sanctionis istius decem libras auri purissimi fisco nostro componat. Quod si iterato alios vel eosdem affidatos susceperit, vel etiam commendatos, bona sua omnia mobilia, & immobilia publicentur. Iterum si temeritatem eamdem reiterare tentaverit, volentes acerbius prosequi consuetudinem delinquendi, puniri decernimus supplicio capitis contemptorem; contraria consuetudine, quæ hactenus in quibusdam locis regni nostri obtinuisse dicitur, omnino sublata.

TITULUS VIII.

De probatione per instrumenta publica super quæstione homagii.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

SI dubitatio aliqua super hominibus oriatur, quod eos Cæsariani nostri ad nostrum demanium pertinere contendant, qui possessiones, aut feuda in civitatibus tenent, vel hereditagia sua afferant pertinere, hujusmodi formam volumus observari, ut omnes omnino ad nostrum demanium pertinere noscantur, communi jure dominii pro no-

(1) Dele particulam, *in*. Ed. V. et N.
(2) *Recepto*. Lege: *receptum*. Ed. V. et N.
(3) *Restituantur*. Ed. V. et N. *reddere compellantur*.
(4) *Minime*. Lege; *minimo*. Vid. Pecchia.
(5) *Debita*. Lege; *debito*. Ed. V. et N.

nobis prima facie faciente, quos possessor per privilegia, ut nostra lex sanxierit, aut per emptionis alia publica & authentica instrumenta ad se non probaverit pertinere, vel felicium Regum tempore prædecessorum nostrorum prædecessoribus suis, qui feudum ipsum retinuerunt, juraverint, & de feudo suo retinuerint, & hodie inveniantur de feudo ipso aliquid pro certo tenere. Duo igitur sunt necessario requirenda ad hoc, ut homines, quos aliquis in civitatibus & castris nostri demanii tenet, affidatorum, vel recommendatorum jure ad nostrum demanium nequeant advocari; videlicet, quod prædictis prædecessorum nostrorum temporibus homines ipsos ipsi vel antecessores sui tenuerint, & quod in eisdem temporibus, vel ab ipsis vel prædecessoribus suis, de feudo, vel hereditagio suo tenuerint aliquid, propter quod homines ipsorum merito censeantur.

TITULUS IX.

De hominibus non tenendis ratione terræ, vel feudi.

I. Imperator Fridericus.

Quia frequenter sub prætextu liciti illicita attentantur, viam omnem & materiam fraudibus præcludentes decernimus, nemini licere occasione alicujus terræ vel feudi, quod teneat vel recipiat a Comite, Barone, seu milite, vel persona ecclesiastica, aut etiam seculari, conventione qualibet, quavis juris solennitate vallata, personam propriam aliquibus servitiis obligare, & sic sub occasione hujus ad alterius commendationem seu dominium convolare: sed tantum redditus in pecunia, vel rebus aliis, pro eo, quod receperit, agnoscat. Nos etenim, qui sumus domini personarum, absque nostræ serenitatis assensu personas servitiis perpetuis aut conditionibus nolumus obligari.

TITULUS X.

De hominibus Baronum possidentibus terram hominis demanii.

I. Imperator Fridericus.

Si quando contigerit aliquos Ecclesiarum homines, Comitum, seu Baronum, aut militum, sive etiam angariarii sint, sive etiam villani simpliciter, aut cujuscunque conditionis esse noscantur, hereditagia (vel partem eorum) ab hominibus nostri demanii, aut quibuslibet aliis, qui ea in terra demanii aut pertinentiis ejus possideant, comparare, aut aliter acquirere, sub ea conditione emptorem habere comparanda vel comparata disponimus, sub qua venditor ipse tenebat. Videlicet ut proinde domino suo in nullo penitus teneatur, & sine ipsius licentia, & mandato ea eis vendere, donare, aut qualitercunque alienare inter vivos, vel ultima voluntate liceat, quæ sine ipsius licentia jure licito comparavit. Et si contigerit talem emptorem ab intestato decedere, hi ad successionem ejus veniant in prædictis, qui alias possent ad successionem ejusdem ex descendenti, vel ascendenti, aut collaterali in ea (1) ab intestato venire. Quod si de prædictis nullus omnino superfit in eo, quod de feudo, tum ab eo (2) dominus feudi succedat: in hereditagiis autem defuncti quolibet jure quæsitis fiscum nostrum esse decernimus, sicut & in omnibus aliis bonis vacantibus, ultimum successorem. Postquam autem ad fiscum nostrum pervenerint res prædictæ, per nos, prout nostræ majestati, & sub quibus conditionibus, vel redditibus, & servitiis placuerit, poterunt collocari. A tenore autem hujus sacratissimæ sanctionis excipimus bajulos dominorum, qui res ipsas administrandas susceperint; quos non prius hujusmodi acquisita alienare volumus, aut quolibet modo transferre, quam de administratione sua satisfaciant dominis, vel per eos steterit, quominus satisfactionem recipiant requisiti.

TITULUS XI.

De recommendatis, vel revocatis non detinendis.

I. Imperator Fridericus.

Ad subjectorum nostrorum invidiam non convenit revocare, si privatis aliquando commodis nostris intendimus, si jura nostra non patimur ab aliis usurpari. Hinc est, quod Prælatis Ecclesiarum, Comitibus, Baronibus, seu quibuslibet aliis nostris fidelibus firmiter inhibemus, quod nullus recommendatos vel ad nostram revocationem (3) in posterum retineat: sed ipsos in civitatibus nostri demanii bajulis, vel aliis officialibus nostris, sine difficultate assignent, vel ad loca ipsis revocatis destinata remittant. Quod si hujus constitutionis nostræ quispiam violator extiterit, vel eidem fraudem fecerit, bonorum suorum omnium mobilium publicatione damnetur. Ceterum ne Prælati, Comites, vel Barones, seu quilibet alii detentores, occasione præsentis constitutionis contra justitiam in possessionibus aggraventur, quas revocatos ab ipsis tenere contigerit, dummodo alibi commorantes possessionibus ipsis libere perfruantur; & ne revocati prædicti per nos possessionum suarum emolumento priventur, dum ipsi uti non permittantur a dominis, vel uti nequiverint, ad remotiora forsitan loca translati; utrisque discreta provisione pro-

(1) *In ea.* Lege: *linea.* Ed. V. et N.

(2) *Quod de feudo, tum ab eo.* Lege: *quod e feudo tenet ab eo.* Ed. V. et N.

(3) *Vel ad nostram revocationem.* Ed. V & N. *vel ad nostram Curiam revocatos,*

providimus, ut rigore juris communionis (1) in hac parte sopito, revocati possessiones easdem hominibus aliis vasallis pristini detentoris distrahere compellantur, & domini vassallos suos emere justo pretio distrahendo compellant.

TITULUS XII.

De non opprimendis vasallis a dominis.

I. Imperator Fridericus.

PRæsenti constitutione decernimus, ut nullus dominorum vasallos suos contra justitiam opprimat, vel ab eis contra constitutionem nostram illicitum auferat; quod qui fecerit, expensas vasallo suo victori resarciat, & ablati duplum curiæ nostræ componat. Vasallus autem, qui dominum suum occasione prædicta contra justitiam impetere calumniose tentaverit, in expensis victori dominus (2) condemnetur. Sic enim utrique consulimus, & nequitiam domini, & vasalli calumniam condemnamus.

TITULUS XIII.

De adhibenda fidejussione dominorum in vasallis.

I. Imperator Fridericus.

SI dominus vasallum suum, qui pro eo in criminali causa fidejusserit, a fidejussione non liberaverit, ipso jure homagium amittat. Si vero in civili causa, vel pro debito, ipsum fidejubentem liberare non curarit, ad omne damnum, quod proinde vasallus incurrerit, dominus teneatur: data licentia pignorandi vasallis dominos suos in mobilibus, aut deinde in hereditariis, & ultimo in feudalibus, & etiam vendendi mobilia, postquam pro dominis suis solverint, & hereditaria per annum a die solutionis & pignorationis ea tenuerint, ut ex prædictorum pretio suæ indemnitati provideant. Feudalia tamen capta pignori obligare non poterunt, sed ex eorum fructibus indemnitati suæ similiter prospicere curabunt. E contrario, si vasallus dominum pro criminali (3) causa fidejubentem liberare neglexerit, quidquid ab eo tenet, amittat: in quæstione civili, seu pro debito, si dominum fidejussorem suum vasallus detractaverit expedire, data plena licentia domino pignorandi, ad omne damnum, quod proinde incurrerit dominus, vasallus ejus integre teneatur.

TITULUS XIV.

De dotariis constituendis in feudis, & castris.

I. Rex Rogerius.

SI quis Baro vel miles uxorem duxerit, & tria feuda habuerit, liceat ei unum dotarium uxori suæ de tribus feudis constituere. Si autem pauciora habeat, secundum qualitatem feudorum, dotarium ei in pecunia constituere permittimus. Ceterum, si plura tribus habeat, proportione, quæ superius statuta est, habita, dotarium ipsum constituere licebit. Comes autem, vel Baro, qui castra tenet, de castris ipsis dotarium constituere poterit, dum tamen castrum, unde Baronia vel Comitatus nomen assumpsit, in dotarium constituere non possit.

II. Rex Guilelmus.

MUlier, quæ dotarium habuerit in terra, post mortem viri heredem vel dominum Baroniæ de dotario assecurare tenetur, videlicet de vita, membris, & captione corporis sui, & quod non quærat artem, vel ingenium, qualiter prædictum dotarium de Baronia vel Comitatu subtrahatur; salvo per omnia mandato superioris domini. Filios tamen communis matrimonii mulier assecurare non tenetur. Ad submonitionem præterea domini Baroniæ, domina, quæ dotarium tenet, tantum servitium curiæ tenetur præstare; quod si non præstiterit, ter submonita, per dominum poterit dissaisiri. Injusta etiam gravamina hominibus dotarii illata domina per dominum Baroniæ vel feudi emendare tenetur. Homines dotarii debent assecurare dominam, salvo jure per omnia dominii Comitis vel Baronis: similiter & Comitem seu Baronem assecurare tenentur, salvo jure dotarii dominæ supradictæ.

III. Imperator Fridericus.

LIcentiam Baronibus, & militibus impertimur, posse etiam de duobus feudis dotarium constituere: & si unum tantum, & dimidium habeant, dimidium feudum ei in dotarium constituere licebit. Ceterum, si unum tantummodo, non in terra, sed in pecunia uxori suæ, pro qualitate feudi, facultatem constituendi dotarium in posterum Barones, & milites sibi noverint fore permissam.

T I.

(1) *Juris communionis*. Lege: *Juris communis*. Edit. V. & N.
(2) *Victori dominus*. Lege: *victori domino*, Ed. V. & N.
(3) *Pro criminali causa*. Lege: *pro eo in criminali causa*. Ed. V. & N.

TITULUS XV.

De fratribus obligantibus partem feudi pro dotibus fororum.

I. REX GUILELMUS.

FRatribus ob dotes fororum fuarum, fi mobilia, vel hereditagia non habeant, fororibus fuis partem feudi permittimus obligare: & fi etiam tria feuda, aut plura habeant, unum ex eis in dotem forori dare poffunt. Ut tamen in omnibus fupradictis, quando feudum alienatur, vel obligatur, aut in dotarium conftituitur, matrimonium ipfum de fpeciali noftra licentia contrahatur. Aliter omnes conventiones nullas vires habebunt.

TITULUS XVI.

De affecuratione dominorum a vafallis.

I. REX GUILELMUS.

DOmini a vafallis fuis affecurari debent, videlicet, de vita, membris, & captione corporis fui, & terreno honore. Confilium, quod eis crediderint, nulli revelent; & fi aliquod finiftrum de eis audierint, quod per fe vel per alium difturbare non poffunt, eis, aut aliis pro parte eorum, per fe, vel per alios, quam citius poterunt, nuntiare curabunt. Non erunt in arte, confilio, vel confenfu, qualiter domini terram, quam habent, amittant; imo eam ipfis contra omnem hominem defendere pro poffe curabunt, falvo per omnia fidelitate, & mandato, & ordinatione noftra, & heredum noftrorum.

TITULUS XVII.

De fidejuffione dominorum a vafallis.

I. REX ROGERIUS.

SI vafallus a domino fuo publice requifitus, pro eo fidejubere noluerit, vel feloniam contra ipfum, filios, vel uxorem commiferit, vel fervitium, quod ei debet, ter fubmonitus non præftiterit, vel rationem pro eo in curia fua conquerentibus de eo, quod ad dominum fpectat, per fententiam judicis facere noluerit, dominus poteft de eo, quod tenet ab ipfo, ipfum per exguardium diffaifire. E contra, fi dominus pro vafallo fuo, qui fit in curia criminaliter accufatus de eo, quod ad regiam majeftatem non fpectat, fidejubere noluerit, vel ipfum fine jufta caufa verberaverit, vel cum uxore fua adulterium commiferit, vel filiam ejus invitam defloraverit, homagium ejus amittat, & homo prædictus immediate ad curiam noftram pertineat.

TITULUS XVIII.

De adjutoriis exigendis ab hominibus.

I. REX GUILELMUS.

QUamplurium regni noftri fidelium ad nos querela pervenit, quod Prælati Ecclefiarum, Comites, Barones, & milites in neceffitatibus fuis pro fuæ voluntatis arbitrio ab hominibus fuis adjutoria exigunt, & extorquent. Volentes igitur tam duræ fubjectorum noftrorum oppreffioni mifericorditer providere, ftatuimus, dominos non nifi in fubfcriptis cafibus ab hominibus eorum adjutorium petere: videlicet, in redimenda perfona domini, fi forte ab inimicis noftris in fervitio noftro captus fuerit, pro faciendo filio milite, pro maritanda filia vel forore, pro emenda terra, videlicet ea tantum vice, cum eam emerit pro fervitio noftro, vel exercitus noftri, moderate tamen in his, quæ pro noftro corredo dantur. De Prælatis tamen Ecclefiarum ftatuimus, ut in his tantum cafibus ab hominibus fuis adjutorium petant; videlicet, pro confecratione fua, cum ad concilium a domino Papa fuerint vocati, pro fervitio exercitus noftri (fiquidem in exercitu fuerint), vel fi vocemus eos, vel miferimus eos pro fervitiis noftris, vel corredo noftro, cum in terris eorum nos hofpitari, vel corredium ab eis recipere contigerit. In omnibus prædictis cafibus, moderate tamen, domini ab eis adjutorium exigant, & requirant.

TITULUS XIX.

De adjutoriis pro militia fratris.

I. IMPERATOR FRIDERICUS.

COmitibus, Baronibus, ac univerfis militibus regni noftri, qui feuda tenent, concedimus facultatem pro militia fratris, cum Comes, vel Baro, aut miles fuis expenfis militem fecerit, ab hominibus fuis adjutorium exigere moderatum, pro facultatibus hominum, & expenfarum, etiam quantitatis (1); tamen pro faciendo fratre milite, non minus quam pro fororibus maritandis, occafione eorum, quæ a communi patre frater major habere dignofcitur, ex debito teneatur. Et licet frater minor a familia fratris, fratre etiam contradicente, difcefferit, dum forte ad fortunæ melioris compendium adfpirat, rediens tamen quolibet tempore militiam fibi debitam, abfque alicujus repulfæ timore, de bonis patris a fratre majore petere poterit, & habere.

TITULUS XX.

De matrimoniis publice contrahendis.

I. REX ROGERIUS.

SAncimus lege præfenti volentibus omnibus contrahere matrimonium, neceffitatem

(1) *Et expenfarum, etiam quantitatis.* Lege: *& expenfarum etiam quantitate.* Edit. V. & Neap.

tem imponi universis hominibus regni nostri, & nobilibus, maxime post sponsalia celebrata, solennitate debita, & sacerdotali benedictione præmissis, matrimonium solenniter, & publice celebrari. Alioquin noverint amodo, morientes contra nostrum regale edictum neque ex testamento, neque ab intestato se habituros heredes legitimos, ex clandestino matrimonio & illicito contra nostram sanctionem procreatos; mulieres etiam dotes aliis nubentibus legitime debitas non habere. Rigorem cujus sanctionis omnibus illis remittimus, qui promulgationis hujus tempore jam matrimonium contraxerunt. Viduis etiam volentibus ducere virum hujus necessitatis vinculum relaxamus.

TITULUS XXI.

De uxore non ducenda sine permissione curiæ.

I. Imperator Fridericus.

Honorem nostri diadematis debitum conservantes, præsenti constitutione sancimus ubique per regnum, ut nullus Comes, Baro, vel miles, vel quilibet alius, qui Baronias, castra, vel feuda in capite a nobis tenet, vel ab alio, quæ in quaternionibus doanæ nostræ inveniuntur in scriptis, sine permissione nostra uxorem ducere, aut maritare filias, sorores, aut neptes, vel quaslibet alias, quas ipsi possent, aut debeant maritare, aut filios uxorare, cum immobilibus aut mobilibus præsumat; huic legi consuetudine, quæ in aliquibus regni partibus obtinuisse dicitur, non obstante.

II. Idem.
Nova Constitutio.

Cum hereditarium regnum nostrum Siciliæ, cujus præclara nobis hereditas laudabiles mores suorum incolarum consueverit enutrire, ac processu temporis habitatores ipsius servitii & fidei exhibitione claruerant (1) in necessitatibus dominorum: sæpe jam contigisse dolemus, quod post diversarum mixturam gentium passa est ex alienis moribus regni sinceritas corruptelam. Itaque ex quo homines regni Siciliæ se cum alienarum (2) filiis miscuerunt, denigrata est puritas hominum; & excrescente dierum malitia, & infirmitate mentium inquinata, conversationibus, ac usibus ceterorum, veritas decrevit in populis, & ab illorum fermento grex est fidelium maculatus. Ne timeatur ergo deinceps cohabitantium in regno diversitas nationum magna illatura discrimina, vel ad regni magna incommoda progressura; volentes hominum diversitatibus competens adhibere remedium, præsertim ne in regno nostro gentium infirmitas nutriatur, edicto generali solenniter duximus statuendum, universis de regno & singulis inhibendo, ut nulli liceat amodo de filiis, & filiabus regni matrimonium cum exteris, & alienigenis, qui, vel quæ non sunt de regno, absque speciali requisitione, & mandato, ac consensu nostræ curiæ contrahere. Eo videlicet modo, ut nec aliqua de regno nubere alienigenis audeat, nec aliqui filias alienigenarum ducere in uxores. Eos, qui contra præsumpserint, bonorum omnium spoliatione mulctamus.

TITULUS XXII.

De morte Baronis nuntianda Imperatori.

I. Imperator Fridericus.

Post mortem Baronis, vel militis, qui a Comite, vel Barone alio Baroniam aliquam, vel feudum tenuerit, quæ in quaternionibus doanæ nostræ inveniuntur in scriptis, defuncti mortem per Comitem, vel Baronem, a quo prædicta tenuerit, excellentiæ nostræ volumus nuntiari; & quid sive quantum (3) sit illud, quod defunctus ab ipso tenebat; mobilia etiam decedentis scribi volumus seriatim. Et ea omnia in publica documenta redacta ad nostram curiam destinari jubemus, ut ex jussione nostra, quibus prædicta assignari debeant, injungantur (4). Baroniam etiam, sive feudum, quod ad concessionem munificentiæ nostræ spectat, si quando a nobis concedi contigerit, ut est moris, literas nostras ad eum, a quo feudum tenetur, curabimus destinare: & quod id, quod tenet ab eo, sive sit castrum, sive sit terra plana, ei, cui nos concesserimus, debeat assignare: suscepto tamen mandato nostro, & nulla mora protracta, Comes, vel Baro illud exequi procurabit. Recepto verumtamen aliquo relevio (ut est moris) quod quantitatem decem unciarum auri non excedat, pro assignanda possessione terræ concessæ.

TITULUS XXIII.

De successione filiorum Comitum, & Baronum.

I. Imperator Fridericus.

In aliquibus regni nostri partibus consuetudinem pravam audivimus hactenus obtinuisse, quod in bonis Comitis (5), vel militis, qui decesserit, filiis masculis non relictis, filiæ non succedunt; sed consanguinei quantumcunque remoti masculini sexus tam balium puellarum ipsarum post mortem pa-

(1) *Claruerunt*. Lege: *claruerint*. Pecchia.
(2) *Alienarum*. Lege: *alienigenarum*. Ed. V. & N.
(3) *Et quid, sive quantum*. Ed. V. & N. *& quid & quantum*.
(4) *Injungantur*. Lege: *injungatur*. Ed. V. & N.
(5) Ed. V. & N. *Comitis, Baronis, vel militis* &c.

patris accipiunt, quam successionem usurpant, & ipsas pro ipsorum dispositione maritant. Quod quidem & naturæ dignoscitur esse contrarium, quæ parentum votis absque discretione sexus tam masculos quam fœminas commendavit, & juri tam communi quam nostro specialiter derogatur. Hac igitur lege nostra per universas partes & singulas regni nostri valitura sancimus, patre mortuo, tam filios, quam filias, puberes, aut majores, minoresve, ad parentum (1) successiones absque sexus discretione vocari. Si autem filii masculi una cum filiabus fœminis, aut etiam sororibus, patri decedenti supersint, cujuscunque conditionis pater fuerit, Francus videlicet, aut etiam Longobardus, vel miles (2) burgensis, in successione bonorum præferrri volumus masculos fœminis; dum tamen sorores, aut amitas, fratres, aut nepotes, pro modo facultatum suarum, & filiorum superstitum numero, secundum paragium debeant maritare. Ceterum si tantum fœminæ superstites fuerint, ipsas, si majores sint, exclusis aliis consanguineis, volumus ad successionem admitti. Si vero minores filiæ Comitum, Baronum, aut militum superstites fuerint, ipsarum balium nostra excellentia recipiat, ipsum vel sibi tenendum, vel alii, qui ex fide illud gerere debeat, juxta approbatam regni consuetudinem, concedendum. Ac deinde ipsas, quum ad nubilem ætatem pervenerint, & balium nostrum, vel alterius supervenientem, quintumdecimum annum excesserint, de provisione mansuetudinis nostræ, Deum habentes præ oculis, cum bonis omnibus, quæ patris fuerunt, secundum paragium curabimus maritare.

TITULUS XXIV.

De successione nobilium in feudis.

I. Imperator Fridericus.

Comite vel Barone viam universæ carnis ingresso, filii eorumdem, aut nepotes eorum recipere ab hominibus sacramenta non audeant, nisi prius de sacramentis ipsis recipiendis ab excellentia nostra, prout moris est, obtentis licentia, & mandato. Quod qui contra fecerit, tam Baroniam prædictam, & feudum, quam reliqua bona sua, tam mobilia, quam stabilia, noverit publicanda.

II. Idem.

Ut de successionibus Comitum, & Baronum, & eorum omnium, qui feuda a nobis in capite tenent, vel ab aliis etiam, nulla omnino in posterum dubietas possit oriri, dilucida constitutione sancimus, feuda tenenti filios, & nepotes, & ex eis pronepotes, trinepotes, & usque ad infinitum, ex descendenti linea descendentes, cujuscunque sexus sint, libere, & absolute posse succedere; servata tamen sexus prærogativa, ut mulieri masculus præferatur. Nec non majoris ætatis inter eos, qui vivunt in regno specialiter jure Francorum, (3) ex collaterali linea venientes, ut fratres, sive ex utroque parente, sive ex altero tantum, & sorores in capillo, excluso etiam communi patre superstite, omnino succedunt: conjugatæ autem, & dotatæ a fratrum successionibus repelluntur. Filii autem fratrum in his, quæ communis patris fuerunt, avi eorum scilicet, idem jus, quod pater eorum, habeant. In acquisitis autem patruo ex largitione nostra, vel quolibet titulo jure suo, nepotes ex fratribus non succedunt. In ulteriori autem gradu positis, scilicet filiis nepotum ex fratribus, & sequentibus, in his etiam, quæ communis proavi fuerunt, successio non defertur. Filiæ autem in capillo post mortem patris in domo manentes, majores sorores conjugatas, & dotatas de bonis patris excludunt. Ceterum si de bonis paternis dotatæ non sunt majores, minoribus præferuntur, si Francorum jure vivant. Si autem vivant jure Longobardo, collatis dotibus in viriles partes successione divisa, portionem suam conjugata, seu conjugatæ, quæcunque sint, poterunt vindicare. In omnibus autem, in quibus prædiximus aliquos velut ulteriores gradu, sive in communium prædecessorum rebus, sive in acquisitis, excludi debere, spem nostræ gratiæ petentibus non negamus: immo ipsos aliis in liberalitate nostra præferre disponimus, si ejusdem feudi ad nos rationabiliter devoluti simul cum petitores existant; dummodo a consanguineis tantum nostræ curiæ offeratur, quantum ab extraneo est oblatum. Si tamen nos vel in demanio nostro feuda ipsa tenere velimus, vel aliis ex mera liberalitate donare, injuriam nullus sibi fieri existimet, si quod ad jus nostrum juste devolvitur, vel retineamus nobis, vel aliis, qui a nobis præstolantur beneficia, conferamus.

TITULUS XXV.

De filiis clericorum.

I. Imperator Fridericus.

Sicut accepimus, nostrorum servitia subditorum, & ipsos, quoties expedit, ad nostra mandata, & beneplacita nostra in personis, & rebus expositos invenimus; ita spe-

---

(1) Pecchia (quem vide) legendum docet: *ad parentis successionem*.
(2) *Vel miles burgensis*. Lege, *miles*, *vel burgensis*. Ed. V. et N.
(3) Pecchia legendum docet hac interpunctione servata: *servata tamen sexus prærogativa ut mulieri masculus præferatur; nec non majoris ætatis inter eos, qui vivunt in Regno specialiter jure Francorum. Ex collaterali linea venientes &c.*

ſpectat ad noſtri culminis dignitatem, ipſorum commoda digna proviſione penſare; ut ſiquis defectus impediat, auctoritate noſtri remotus edicti, commodum curiæ noſtræ proveniat, unde noſtrorum fidelium utilitas procuretur. De ordinatione igitur noſtra procedit, ut quia filii clericorum in paternis, & maternis bonis, vel rebus, pro legitimo defectu natalium jus ſucceſſionis amittunt, beneficio curiæ de poteſtatis plenitudine, quam habemus, ſubveniatur eiſdem; ut ea, quæ per ſucceſſionem habere non poſſunt, jure locationis a noſtra clementia recognoſcant. Quare mandamus, quatenus per totam juriſdictionem tuam, in quibuslibet civitatibus, villis, & caſtris, ſuper poſſeſſionibus, quæ paterno, vel materno jure debentur filiis clericorum, objectione prolis illicitæ non obſtante, certum, & annuum redditum, videlicet pro quantitate rerum, adjici facias, ſicut commodius videris expedire. Deinde de auctoritate noſtræ curiæ filios clericorum in ſarcinam paternarum, & maternarum rerum, & poſſeſſionum immittas; ſalvo certo, & annuo reddito, de quo teneantur annis ſingulis in feſto Natalis Domini noſtræ curiæ reſpondere; ita quod ſi in conſtituto cenſu defecerint, a paternis, & maternis bonis penitus excludantur. Adjicimus inſuper, ut donec parentes ipſorum vixerint, niſi de bonis ex poſſeſſionibus ſuis cenſuerint ſpontanea voluntate, bona, & poſſeſſiones ſuas libere teneant uſque ad obitum eorumdem; cenſu in quaternionibus curiæ nihilominus annotato, quem filii, poſtquam ad eos paterna, & materna bona pervenerint, noſtræ curiæ ſolvere teneantur; nec bona ipſa poſſint devolvi ad alios, vel alias, vel alienare (1) in præjudicium filiorum per parentes eorum, niſi quatenus noſtris legibus eſt permiſſum.

TITULUS XXVI. (2)

De rebus ſtabilibus Eccleſiaſticis non alienandis.

I. Imperator Fridericus.

PRædeceſſorum noſtrorum veterum Principum conſtitutionem, quam antiqua turbatio præteriti temporis antiquarat, nova proviſione novantes edicimus, quod nulli ſubjectorum noſtrorum clerico, vel laico liceat de domibus templi, vel hoſpitalis, ſeu quolibet alio loco religioſo, de quo noſtræ curiæ ſervitium minime debeatur, poſſeſſiones hereditarias, vel patrimoniales vendere, vel donare inter vivos, ſeu aliquo donationis modo, niſi ex æquali cauſa permutationis, transferre. Ceterum, ſi in ultima voluntate aliquem de prædictis locis heredem inſtituerit, vel aliquod ſibi legaverit, tunc domus, quæ inſtitutionem, vel legatum acceperit, teneatur infra annum alicui de proximioribus defuncti, vel de Burgenſibus noſtris, relicta ſtabilia vendere, vel locare. Quod ſi ultra annum facere prædicta diſtulerit, poſſeſſiones ipſas poſt anni lapſum fiſci noſtri juribus volumus applicari. De rebus autem quibuſcunque mobilibus quantumcunque pretioſis, relinquendi prædictis domibus, & aliis religioſis locis, concedimus omnibus liberam facultatem.

TITULUS XXVII.

De jure balii.

I. Imperator Fridericus.

MInoribus, qui ætatis ſuæ ſuffragio juvari non poſſunt, imperiali remedio providentes ſtatuimus, ſi quando balium impuberum maſculorum, aut fœminarum gerendum alicui ſerenitas noſtra conceſſerit, hi qui balium geſſerint pupillorum, poſtquam balium, pubertate ſuperveniente, dimiſerint, de adminiſtratione balii reddere debeant rationem, præſente juſtitiario regionum, aut alio, cui hoc ſpecialiter duxerimus delegandum; ita videlicet quod deducto eo, quod curia pro ipſo balio, (prout moris eſt,) dederit, nec non deductis juſtis, & moderatis expenſis, quas pro victu, & veſtitu ſuo, & quas in perſona, aut rebus pueri, vel pro ſervitio debito curiæ noſtræ, de his, quæ minor tenet, ipſum balium feciſſe conſtabit, reliqua pupillo integre reddere teneantur (3). Quod ſi fraudulenter eum res minoris adminiſtraſſe fuerit manifeſte comprobatum, omne damnum, quodcumque per fraudem ipſam pupillo contigerit, eidem de rebus ſuis reſarcire cogatur, & tantundem ſacris noſtris largitionibus inferre: prava conſuetudine, quæ hactenus balios a ratiociniis eximebat, in poſterum quieſcente.

TITULUS XXVIII.

De adminiſtratione rerum eccleſiaſticarum poſt mortem Prælatorum.

I. Rex Rogerius.

PErvenit ad audientiam noſtram, quod bajuli, qui olim ſtatuti fuerant ſuper Eccleſiis paſtoribus carentibus, ad cuſtodiendas, & ſalvas faciendas res Eccleſiarum, quamdiu eiſdem de paſtoribus providebatur, non ita fideliter, & ſtudioſe, ſicut a noſtra curia erat injunctum, ipſum ſervitium peragebant; ſed male tractabant & cuſtodiebant res ipſarum Eccleſiarum. Verum, quia omnes Eccleſias regni noſtri, & ſpecialiter ipſas, quæ paſtoribus carent, in manu, & protectione noſtra habemus, nolentes, ut res Eccleſiarum illarum in aliquo mi-

(1) *Alienare*. Lege: *alienari*. Edit. V. & Neap.

(2) Aliam hujus Conſtitutionis valde diverſam lectionem habes in Appendice.

(3) Rectius legendum: *teneatur*. Ed. V. & Neap.

minuantur, vel defraudentur: statuimus & sancimus, ut deinceps si quis Archiepiscopus vel Episcopus regni nostri decesserit, res ipsius Ecclesiæ in custodia trium de melioribus, & fidelioribus, nec non & sapientioribus ipsius Ecclesiæ, ad custodiendas, & conservandas eas, ad opus Ecclesiæ, usque dum de pastore in eadem Ecclesia provideatur, committantur: & tantummodo de redditibus, & proventibus ipsius Ecclesiæ, ad usum servientium ibidem morantium, necessaria rationabiliter, & sufficienter ministrentur. Et (1) ex eis ipsi Ecclesiæ multum bene & rationabiliter serviatur: residuum ab ipsis custodibus ad opus ipsius Ecclesiæ, salve & integre custodiatur, donec ibi pastor fuerit constitutus. Constituto autem in Ecclesia pastore, quidquid de rebus, & introitibus ipsius Ecclesiæ remanserit, ipsi pastori eorum assignent, & ei rationem reddant.

TITULUS XXIX.

De novis ædificiis.

I. Rex Rogerius. (2)

CAstra, munitiones, & turres, ab obitu divæ memoriæ Regis Guilielmi consobrini nostri, erecta, super quibus minime diruendis majestatis nostræ licentia non præcesserit, prout in Capuana curia per nos extitit stabilitum, revocata (3) constitutione nostra, denuo dirui debere mandamus; publicationis pœna ipsius castri, vel novi ædificii, constitutionis nostræ contemptoribus imminente, si usque ad Nativitatem Domini proximam diruere ædificia contemnant. Illud etiam præsenti adjungimus sanctioni, ut nec munitiones alicui reficere dirutas liceat, sine nostri culminis jussione.

II. Idem.

IN locis demanii nostri ædificia erigi in posterum prohibemus, per quæ ipsorum locorum defensio, vel munimen, aut liber introitus, aut exitus valeat impediri. In prædictis locis turres erigi amodo per privatos expressius inhibemus. Munitiones etenim nostras, & quod est securius, protectionis nostræ munimen, regni nostri fidelibus plene sufficere credimus ad tutelam.

TITULUS XXX.

De servis, & ancillis fugitivis.

I. Rex Guilelmus.

SErvos, & ancillas omnes fugitivos ab aliquo capi generaliter omnibus prohibemus; nisi captos, quam citius poterint, domino suo restituant: vel si dominum ignoraverint, bajulis curiæ nostræ assignent, & bajuli magnæ curiæ nostræ transmittant eosdem. Sciturі quod quicunque amodo aliquo modo servum aliquem vel ancillam fugitivam capere, vel quomodolibet detinere præsumpserit, ipse cum omnibus bonis suis pœnæ curiæ subjacebit; bajulis, nisi magnæ curiæ nostræ transmiserint, eamdem pœnam laturis.

II. Imperator Fridericus.

MAncipia fugitiva, quæ constitutio regia per bajulos ad magnam curiam nostram debere transmitti constituit, nec quid de eis fieri debebat statuit, per annum præcipimus dominorum commodis reservari: ut si intra annum, is, qui legitimis documentis dominium probare potuerit, appareat, supradicta mancipia ei restitui debere censemus: salvo jure, quod ex obtenta veteri consuetudine proinde curiæ nostræ debetur. Alias si domini non appareant, privatis nostris utilitatibus aggregentur. Statuimus etiam, ut inventas res, & pecunias, quarum veri, & legitimi domini non apparent, & quas per inventores earum constitutio regia ad magnam curiam debere deferri præscripsit, locorum bajulis sufficiat assignari. Nec enim æquum vidimus, ut is, qui zelo fidei, quo tenetur, curiæ totum quod invenit, assignet, propter fidem suam incommodum sentiat, ut cogatur invitus ad curiam remotam multis locorum distantiis forsitan laborare. Quicunque autem res inventas hujusmodi bajulis nostris non assignaverint, & bajulis (4) etiam, qui assignatas ad curiam nostram non miserint, furti pœna nostro ærario inferenda pro certo se noverint fore damnandos.

TITULUS XXXI.

De pecunia inventa, & rebus alienis.

I. Rex Guilelmus.

PEcuniam si quis invenerit, aurum vel argentum, lapides pretiosos, vel quaslibet res alias, quæ suæ non sint (animalibus exceptis, de quibus fiat, sicut præordinatum est) inventor justitiariis nostris, vel bajulis ipsarum partium statim ostendat, & sine dilatione ipsemet ad magnam nostram curiam deferat, & assignet: alioquin & ipse furti pœna tenebitur. Scire etenim debet unusquisque, inventiones omnes regni nostri, quarum dominus non apparuerit, ad fiscum specialiter pertinere. Pietas enim nostra propter absentes misericorditer statuit, res ipsas, postquam ad manus nostræ curiæ pervenerint, usque ad annum completum per se conservare; ut si quis forte intra annum

(1) Legendum videtur: *ministrentur*; *& ex eis ipsi* &c.

(2) Conditor hujus legis ex legis ipsius verbis fuisse videtur Fridericus Imperator. In Edit. V. & N. ea Regi Guilelmo adscribitur.

(3) *Revocata*. Lege: *renovata*. Pecchia.

(4) *Et bajulis*. Lege: *& bajuli*. Edit. V. & Neap.

num venerit, & de rebus ipsis aliquas suas fore probaverit, quod suum fuerit, consequatur: alioquin post transactum annum fiscalibus utilitatibus adscribantur.

TITULUS XXXII.

De præscriptionibus.

I. Imperator Fridericus.

DUram & diram consuetudinem & iniquam, quæ circa præscriptiones in aliquibus regni nostri partibus obtinet, in posterum silere præcipimus, & præsentem legem circa ipsas inducimus, omnibus aliis ipsi contrariis inter regni nostri fideles omnino sublatis. Sancimus igitur præscriptionem anni, mensis, diei, & horæ, per quam aliquis de dominio suæ rei cadebat, & Francus de dissasina quæri non poterat, penitus amoveri: sed generales præscriptiones communis juris locum habere, scilicet inter præsentes decennii, inter absentes vicennii, præcedente scilicet titulo, & bona fide ex utraque parte undique concurrente. Per tricennalem etiam præscriptionem inter privatos (excepta hypothecaria actione, cujus vita interdum in annos quadraginta protenditur) omne jus, & omnem actionem volumus submoveri. Quadragenaria etiam præscriptione, inter fratres lege Longobardorum inducta, super adæquatione stantium partium minime facienda, & super rebus, quas alter ex fratribus tempore prædictæ possessionis aliunde habere se jurat, in suo robore duratura, & ad omnes regni nostri fideles per præsentem constitutionem nostri culminis prorogata: usucapionibus, quæ in rebus mobilibus juris communis inductæ sunt, in sua firmitate servatis.

II. Idem.

COnsuetudinem pravam hactenus in judiciis obtinentem de medio tollere disponentes, per quam feuda quamvis magna temporum longinquitate possessa, præscribi non poterant, & sic possessio possessori, vel etiam petitori ad probandum dominium rerum, quas forsitan ipsi, & antecessores sui, tempore cujus memoria non extabat, possederant, in nullo valebat: præcipimus eum, qui in posterum triginta annis feudum integrum, vel quotam partem feudi, de quo certum, & designatum servitium nostræ curiæ, vel cuilibet alii debeatur, continue, & sine interruptione civilis, vel naturalis temporis, vel minoris ætatis adversarii, præsente etiam in regno adversario suo, possederit, in perpetuum fore securum: & actionem ei contra quemlibet possessorem, si a possessione ceciderit, exceptionem (1) contra petentem quemlibet indulgemus. Quod etiam ad illos porrigimus, qui usque ad hæc tempora triginta annis præteritis tenuerunt; in quibus, etsi non plene justitiam potuerunt consequi conquerentes, in hoc saltem de evidenti desidia excusari non possint, quod interruptionem præscriptionis apud eos, qui a nobis administrationem habebant, per conventionem legitimam, aut contestationem litis, prout veteribus legibus est inductum, inducere potuerunt. Prædicta autem omnia ita sane accipi volumus, ut tricennalis præscriptio in feudis integris, & eorum quotis partibus, locum habeat: ex quibus præscriptionibus nullum potest reipublicæ præjudicium irrogari, cum apud quemcunque resideat servitium designatum, & debitum, quod non tam personæ, quam rei ipsi adscriptum esse dignoscitur, minime amitti poterit, vel in aliquo minorari. Ceterum si super aliquo prædio, vel prædiis ad feudum, seu partem feudi certam pertinentibus, quæ velut libera a servitiis, vel qualitercunque aliter quis præscribat, de quibus nullum est certum servitium prætaxatum, præscriptionem quanticunque temporis in nullo prodesse sibi censemus: cum his de feudo subtractis, de necessitate per consequens ipsum servitium minoretur.

III. Idem.

QUadragenalem præscriptionem, & sexagenariam, quæ contra fiscum in publicis hactenus competebat, usque ad centum annorum spatium prorogamus, minoribus præscriptionibus adversus fiscum inductis; quadriennii scilicet in rebus donatis a nobis, & triennii a sententiis contra nos latis, in suo robore duraturis.

TITULUS XXXIII.

De injuriis curialibus personis seu quibuslibet aliis irrogatis.

I. Imperator Fridericus.

OBservent diligentissime judices, ut in accusatione injuriarum curialium personarum dignitatem considerent, & juxta personarum qualitatem eorum, quibus fuerit facta injuria, & eorum, qui faciunt, & quando, & ubi hujusmodi temeritates præsumuntur, sententiam ferant. Ipsis autem facta injuria, non ipsis duntaxat, sed etiam ad regiæ dignitatis spectat offensam.

II. Imperator Fridericus.

EOs tamen officiales nostros officialium illatis (2) ipsis injuriis volumus prærogativa lætari, qui officium exercendo commissum, injurias aliquas patiuntur, non qui inimicitiarum suarum vindictas, vel sua privata negotia pertractando, dum aliquos subjectos nostros indebite persequuntur, ipsorum exigente nequitia, a fidelibus nostris in-

(1) *Exceptionem*. Lege: *& exceptionem*. Ed. V. & Neap.

(2) *Illatis*. Lege: *de illatis*. Ed. V. & N.

injuriam patiuntur. Interdum vero nedum officiales hujuſmodi in caſu præſenti prærogativa officii gaudere velimus (1), imo in tanto ipſorum exceſſus velamento adminiſtrationis noſtræ commiſſos perſequi deſideramus inſtantius, quanto in grave diſpendium ſubjectorum, & noſtræ majeſtatis injuriam, ipſorum diſſimulata facinora; qui noſtram effigiem repræſentant, reduci valeant, & experimento viſibili nos ipſi perſenſimus jam reducta. Eos itaque, qui occaſione officiorum quorumlibet, ipſis ab ordinatis noſtris a noſtra (2) munificentia commiſſorum, aliquid per injuriam a fidelibus noſtris abſtulerint, quibus diu forſitan ante ſuſceptum officium deprædationis inſidias præpararunt, eo quod acceperint primitus integre reſtituto paſſis injuriam, in quadruplum damnandos eſſe ſancimus. Quod ſi aliter ipſos afflixerint, eos forte injuriis propulſando, tertiæ partis bonorum omnium publicatione damnandos eſſe cenſemus. Et in utroque caſu nihilominus cum perpetua infamia ab officio illos, qui ſic officiis abutuntur, decernimus amovendos; ita quod nullo unquam tempore ad noſtrarum adminiſtrationum officia a nobis, vel a noſtris adminiſtratoribus admittantur.

III. Idem.

Varietates pœnarum ſuper compoſitionibus injuriarum, ſecundum diverſas hominum conditiones, ad unitatem juris communis prævidimus reducendas; legibus, & conſuetudinibus, quæ ſuper hujuſmodi conditionibus hactenus obtinebant, omnino ſublatis. Statuimus igitur providentiam juris communis in omnibus obſervari debere, videlicet ut circa paſſos injuriam habeatur diſcretio perſonarum, quæ injuriam inferunt, & quæ injuriam patiuntur, ſi ſint publicæ, vel privatæ, & in quo dignitatis ſpeculo conſtitutæ. Temporis etiam commiſſæ injuriæ conſideratio eſt habenda; nec minus in quo loco, quibus præſentibus, an in judicio, vel extra judicium, injuria ſit commiſſa. Illam etiam loci conſiderationem jubemus habendam, in qua parte corporis is, qui injuriam patitur, injuriam patiatur. Et ſic omnibus diligenter attentis, & ſingulariter juſte penſatis, is, qui in judicio præſidet, ſententiam ferre debebit; videlicet a paſſo injuriam cum (3) ſacramento recepto, quod tantum voluiſſet de ſuo proprio amiſiſſe potius, quam injuriam ſuſtinere voluiſſet illatam; & in eo quod actor prædicto modo juraverit, condemnatio ſubſequatur. Appellationis remedio actori, qui in taxatione a judice forſitan gravatus extiterit, & a reo, qui in quantitate taxationis condemnationis ſententia comprehenſa ſe ſenſerit fore gravatum, a diffinitiva ſententia ad ſuperiores judices non negando. Illud etiam noſtræ providentiſſimæ ſanctioni duximus inferendum, quod in quibuſdam regni noſtri provinciis correctione etiam neceſſaria indigebat, quod paſsus injuriam nullam omnino partem compoſitionis habebat, ſed totum fiſco noſtro, vel ei, cujus erat curia, quærebatur: quod corrigentes decernimus, injuriam paſſum, ubique per regnum, ejus, quod in condemnatione devenerit, ſive per ſacramentum, ſive per taxationem judicis, ſive per pœnas certas legibus comprehenſas, tertiam partem omnino habere debere, reliquis duabus partibus domino facientis injuriam, cujus eſt juriſdictio, relinquendis. Indignum namque fore credimus, paſſum injuriam in recompenſationem doloris nullam ſibi partem compoſitionis accipere, quæ per eum aliis eſt quæſita, ſed tantum illatis injuriis, aut conviciis eſſe contentum.

IV. Idem.

Ut dignitatum gradus, & hominum qualitates, injuriis (4) apertius diſtinguantur, ſtatuimus, Burgenſem, ſeu ruſticum, qui militem verberaverit, niſi probabitur quod ſe defendendo hoc fecerit, manus detruncatione puniri: eadem pœna valleto imminente, qui militem nobilioris gradus verberare tentaverit. Ceterum ſi æque nobilem verberare tentaverit, honore militiæ ipſum in perpetuum volumus eſſe privatum, & ut nobilium judiciis non interſit, & quod per annum eſſe debeat extra regnum. Si vero minus nobilem verberare tentaverit, eadem pœna, privationis militiæ & judiciorum ſcilicet, teneatur. Æquum eſt enim, eum militiæ decore privari, qui militiæ (5) dignitatis cujuslibet fundamentum, pudicitiæ neſcius, & pudoris ignarus, dedecorare tentaverit. Denique ſi miles militem verberaverit, extra regnum ſpatio annali proſcriptum injurias inferentem, armorum, & equorum ſuorum omnium amiſſione mulctandum eſſe jubemus. Ceterum ſi Burgenſem, aut ruſticum, qui vaſallus ſuus non ſit, verberaverit miles, conſideratis a judicibus ſingulis, quæ in examinatione (6) injuriarum conſideranda eſſe prædiximus, taxatione judicis & ſacramento injuriam paſſi præcedentibus, pro qualitate injuriæ reum puniendum eſſe cenſemus.

(1) *Velimus*. Lege: *nolumus*. Pecchia.
(2) *A noſtra*. Lege: *vel a noſtra*. Ed. V. & Neap.
(3) Ed. V. & N. *cum taxatione præcedente, ſacramento recepto*, &c.
(4) *Injuriis*. Lege: *in injuriis*. Ed. V. & N.
(5) *Militiæ*. Lege: *militiam*. Pecchia.
(6) *In examinatione*. Lege: *in æſtimatione*. Ed. V. & N.

TITULUS XXXIV.

De probabili experientia Medicorum.

I. Rex Rogerius.

Quisquis amodo mederi voluerit, officialibus nostris, & judicibus se præsentet, eorum discutiendum judicio; quod si sua temeritate præsumpserit, carceri constringatur, bonis suis omnibus publicatis. Hoc enim prospectum est, ne in regno nostro subjecti periclitentur ex imperitia medicorum.

II. Imperator Fridericus.

Utilitati speciali prospicimus, cum communi saluti fidelium providemus. Attendentes igitur grave dispendium, & irrecuperabile damnum, quod posset contingere ex imperitia medicorum, jubemus in posterum nullum medici titulum prætendentem audere practicari (1) aliter, vel mederi, nisi Salerni primitus, & in conventu publico magistrorum judicio comprobatus, cum testimonialibus literis de fide, & sufficienti scientia, tam magistrorum, quam ordinatorum nostrorum, ad præsentiam nostram, vel nobis a regno absentibus, ad illius præsentiam, qui vice nostra in regno remanserit, ordinatus accedat, & a nobis, vel ab eo medendi licentiam consequatur: pœna publicationis bonorum, & annalis carceris imminente his, qui contra hujusmodi nostræ serenitatis edictum in posterum ausi fuerint practicare.

III. Idem.

Quia nunquam sciri potest scientia medicinæ, nisi de scientia logicali præscribatur (2), statuimus, quod nullus studeat in medicinali scientia, nisi prius studeat ad minus triennio in scientia logicali: post triennium, si voluerit, ad studium medicinæ procedat: ita quod chirurgiam, quæ est pars medicinæ, infra prædictum tempus addiscat. Post quod, & non ante, concedatur sibi licentia practicandi, examinatione juxta curiæ formam præhabita, & nihilominus recepto pro eo de prædicto tempore studii testimonio magistrali. Iste medicus jurabit servare formam curiæ, hactenus observatam, eo adjecto, quod si pervenerit ad notitiam suam, quod aliquis confectionarius minus bene conficiat, curiæ denuntiabit; & quod pauperibus consilium gratis dabit. Iste medicus visitabit ægrotos suos ad minus bis in die, ad requisitionem infirmi semel nocte; a quo non recipiet per diem, si pro eo non egrediatur civitatem vel castrum, ultra dimidium tarrenum auri. Ab infirmo autem, quem extra civitatem visitat, non recipiet per diem ultra tres tarrenos, cum expensis infirmi; vel ultra quatuor tarrenos, cum expensis suis. Non contrahat societatem cum confectionariis, nec recipiat aliquem sub cura sua ad expensas suas pro certa pretii quantitate; nec ipse etiam habebit propriam stationem. Confectionarii vero facient confectionem expensis suis, cum testimonio medicorum, juxta formam constitutionis: nec admittentur ad hoc, ut teneant confectiones, nisi præstito juramento, quod omnes confectiones suas secundum prædictam formam facient sine fraude. Lucrabitur autem stationarius de confectionibus suis secundum istum modum; de confectionibus & simplicibus medicinis, quæ non consueverunt teneri in apothecis ultra annum, a tempore emptionis, pro qualibet uncia poterit & licebit tres tarrenos lucrari. De aliis vero, quæ ex natura medicaminum, vel ex alia causa, ultra annum in apotheca tenentur, pro qualibet uncia licebit lucrari tres (3) tarrenos. Nec stationes hujusmodi erunt ubique, sed in certis civitatibus per regnum, ut inferius describitur. Nec tamen post completum quinquennium practicabit, nisi per annum integrum cum consilio experti medici practicetur. Magistri vero infra istud quinquennium libros authenticos, tam Hippocraticos quam Galeni, in scholis doceant, tam in theorica quam in practica medicinæ. Salubri etiam constitutione sancimus, ut nullus chirurgicus ad practicam admittatur, nisi testimoniales literas offerat magistrorum, in medicinali facultate legentium, quod per annum saltem in ea parte medicinæ studuerit, quæ chirurgiæ instruit facultatem; & præsertim anatomiam humanorum corporum in scholis didicerit, & sit in ea parte medicinæ perfectus, sine qua nec incisiones salubriter fieri poterunt, nec factæ curari.

IV. Idem.

In terra qualibet regni nostri nostræ jurisdictioni subjecta, duos viros circumspectos & fide dignos volumus ordinari, & corporali per eos præstito sacramento teneri, quorum nomina ad curiam nostram mittentur, sub quorum testificatione, electuaria, & sirupi, ac aliæ medicinæ legaliter fiant, & sic factæ vendantur, Salerni maxime per magistros in physica hoc volumus approbari. Præsenti etiam lege statuimus, ut nullus in medicina vel chirurgia, nisi apud Salernum vel Neapolim legat in regno, nec magistri nomen assumat, nisi diligenter examinatus in præsentia nostrorum officialium, & magistrorum artis ejusdem. Conficientes etiam medicinas sacramento corporaliter præstito volumus obligari, ut ipsas fideliter juxta artes & hominum qualitates, in

(1) *Practicari*. Ed. V. & N. *practicare*.
(2) Ed. V. & N. *nisi de scientia logicali aliquid præsciatur*.
(3) *Tres*, Ed. V. & N. *sex*.

in præsentia juratorum conficiant; quod si contra fecerint, publicatione bonorum suorum mobilium sententialiter condemnentur. Ordinati vero, quorum fidei prædicta sunt commissa, si fraudem in credito ipsis officio commisisse probentur, ultimo supplicio feriendos esse censemus.

TITULUS XXXV.

De conservatione aeris.

I. Imperator Fridericus.

SAlubritatem aeris divino judicio reservatam, studio provisionis nostræ, in quantum possumus, disponimus conservare: mandantes, ut nulli amodo liceat in aquis cujuslibet civitatis vel castri vicinis, quantum miliare ad minus protenditur, linum vel canabum ad maturandum ponere, ne ex eo, prout pro certo didicimus, aeris dispositio corrumpatur: quod si fecerit, linum ipsum immissum, & canabum amittat, & curiæ applicetur. Sepulturas etiam mortuorum, quæ urnas non continent, profundas, quantum mensura dimidiæ cannæ protenditur, esse jubemus. Si quis contra fecerit, unum augustalem curiæ nostræ componat. Cadavera etiam, & sordes, quæ fœtorem faciunt, per eos, quorum fuerint coria, extra terram ad quartam partem miliaris, vel in mari aut in flumine projici debere mandamus. Si quis autem contra hæc fecerit, pro canibus aut magnis animalibus, quæ majora sunt canibus, unum augustalem, pro minoribus vero dimidium curiæ nostræ componat.

TITULUS XXXVI.

De fide mercatorum in vendendis mercibus adhibenda.

I. Imperator Fridericus.

MAgistros mechanicarum artium, quorum operibus homines carere non possunt, legaliter & fideliter sua opera exercere jubemus. Artifices autem, qui in auro & argento laborant, sellarios & scutarios, frenarios atque armerios (1), candelarios, fabros, qui æris & ferri quæcunque opera formant, balistas etiam facientes & arcus, & generaliter omnes artifices, cum fide & studio, prout artificium uniuscujusque melius noverit, volumus operari. Specialiter autem scutariis & sellariis injungimus, ut emptores certiorare fideliter studeant, utrum argento (2) vel auro suppositæ sint picturæ, & quod sellas & scuta munire debeant necessariis & fortibus guarnimentis. Buzerios autem & piscium venditores, qui vitæ hujusmodi necessaria subministrant, ex quorum fraudibus magnum posset non rebus tantum, sed personis etiam damnum inferri, in eorum mercibus & mercationibus volumus esse fideles, videlicet ut scrophas pro porcis, vel carnes morticinas, aut ab uno die in alium reservatas, si hæc emptoribus non prædixerint, seu qualitercunque corruptas vel infectas, in damnum & deceptionem emptorum vendere non præsumant. Venditores etiam piscium in corruptis piscibus non vendendis, & ab uno die in alium sine prædictione similiter reservatis, fidem præcipimus observare. Et ut prædicti omnes & singuli superius nominati rerum vitium vendendarum ex fide prædicent; & ut cibos pridie præparatos, & in die altera calefactos, similiter sine prædictione non vendant. Venditores etiam candelarum eas fideliter facient, nec in eis in emptorum dispendium immisceant aliquid ceræ, nec in eis nisi bombacinum papyrum includant: vel si aliter fecerint, emptores exinde certiorare curabunt. Tabernariis autem, & venditoribus vini quibuslibet prohibemus, ne vendere audeant vinum lymphatum pro puro. Sic nullus in regno nostro laboret aurum, quod per libram de puro auro minus teneat, quam octo uncias. Similiter argentum aliquis non laboret, quod minus uncias (3) undecim puri argenti per libram habere noscatur. Quod obtinet, sive venale opus hujusmodi artifices per se faciant, sive ab alio recepta materia opus fingant; ut anulos, fibulas, parapsides, vel cuppas aureas, aut argenteas, in quibus aliquid vel (4) ultra prædictam quantitatem & formam a materiarum dominis immisceri minime petatur. Et ut omnibus artificiis (5) ipsis committendarum fraudium via & materia præcludatur, per loca quælibet duos eligi volumus fide dignos, per terræ bajulos ordinandos, quibus imminentibus prædicta omnia in statu conservare debeant, & debitæ executioni mandare, & contradicentibus se opponere; ac per eos artificum fraudes nostræ curiæ nuntientur. Quorum officialium nomina etiam per literas sub sigillis & subscriptionibus eligentium, & eorum qui in his consilium dederint eligendis, ad nos per locorum dominos volumus destinari: & ex approbatione nostra, vel aliorum, quorum intererit, retineantur idonei, & non idonei refutentur, in eorum locum qui minus idonei visi fuerint, in subscripta forma idoneis subrogandis. Quos officiales, ut officium eis commissum fideliter, & diligenter exerceant, tactis sacrosanctis Evangeliis sacramenti religione volumus obligari. Electorum etiam nomina prædictorum in quaternis nostræ curiæ volumus contineri,

---

(1) *Armerios*. Pecchia legendum censet: *lamerios*.
(2) *Argento*. Ed. V. & N. *in argento*.
(3) *Uncias*. Ed. V. & N. *unciis*.
(4) Deleatur particula, *vel*. Ed. V. & N.
(5) *Artificiis*. Lege: *artificibus*. Ed. V. & Neapol.

ri, ut de eis in posterum dubitatio oriri non possit. Statuimus etiam constitutione præsenti, ut bajuli nostri, qui pro tempore fuerint, operariorum operas, messorum scilicet, vindemiatorum, & similium, sub certa mercede constituant. Cujus constitutionis metam transgredi operariis non licebit; quam si transgressi fuerint, & receptam mercedem amittant, & quadruplum curiæ nostræ solvant. Et ut fraudes artificum singulorum pœna non careant, si contra prohibitionem & ordinationem nostram in eorum artificiis fuerint inventi dolose versari; prima vice deprehensus in dolo, falsa opera faciens, vel cibaria prohibita vel corrupta, vel vinum lymphatum pro puro vendendo, libram unam auri purissimi fisco nostro componat: quam si propter inopiam forte dare non poterit, fustigetur. Iterato vero deprehensus in simili, manum perdat; tertio deprehensus talia perpetrare, suspensus in furcis, mortis periculum subeat, quod justo judicio meruit toties illicita perpetrando, & non corrigendo commissa. Eadem pœna præfatis officialibus imminente, si prece, vel pretio, amore delinquentium mercatorum vel artificum, aut timore corrupti, magnæ curiæ nostræ, vel regionum justitiariis, commissa neglexerint nuntiare.

II. Idem.

MErcatores quoslibet regni nostri sub eisdem ponderibus & mensuris, in rebus magnis & minimis, & sub eisdem cannis, quas ipsis curia nostra dederit, vendere volumus merces suas: ita tamen, ut ex mensuris majoribus, in jure, quod ex mensuris ipsis curiæ vel cujuslibet loci domino debebatur, nullum collatoribus damnum seu præjudicium afferatur: sed proportione minoris mensuræ diligenter attenta, non plus proinde solvatur, nisi quantum primitus solvebatur. Illud etiam præsenti nostræ constitutioni conjungimus, ut vendentes pannos in posterum ipsos ultra non distrahant, nisi quantum canna protenditur: sed sine abstractionis alicujus violentia, sicut melius cum emptore poterint convenire, nulla alia fraude vel machinatione adhibita, pannos ipsos vendere procurabunt.

III. Idem.

AD legitima pondera & mensuras merces quaslibet vendere volumus venditores. Quicunque vero falsitatem aut fraudem aliam in mensuris, seu ponderibus, vel cannis, inventus fuerit commisisse, aut qui pannos extraxerit, libram unam auri purissimi fisco nostro componat; quam si dare non poterit condemnatus, cum pondere aut mensura ad collum ejus appensis, in sui pœnam & aliorum exemplum, per terram, in qua fraudem commiserit, publice fustigetur. Manum ejus deinde, si secundo fuerit deprehensus in simili, decernimus amputandam: & si tertio iteraverit, ipsum suspendi jubemus.

IV. Idem.

POEnas contra mercatores, corruptas merces & vetitas, seu ad falsas mensuras, cannas & pondera distrahentes, nostris constitutionibus præstitutas, peregrinis deceptis ab eis, volumus duplicari. Defensionem etenim conscientiam (1) nostram succedere volumus loco imbecillitatis, & ignorantiæ prædictorum.

V. Idem.

PEr universas provincias regni nostri volumus infrascriptas assisias inviolabiliter observari, quas in curia nostra deliberatione perpensa de salubri consilio nostrorum fidelium determinari mandamus, & singulorum ministeriis considerata qualitate taxari; quas etiam singulis camerariis regionum sub sigillo nostræ celsitudinis præcipimus designari.

TITULUS XXXVII.

De furtis, & latrociniis.

I. Imperator Fridericus.

PErvenit ad aures nostri culminis, quod furta plurima & latrocinia in Apulia hactenus committebantur de animalibus, quæ quadam vana & inani excusatione velata remanebant pariter & inulta. Nam apud aliquos animalia reperiebantur, hanc excusationem prætendentes, videlicet quod ea invenerint oberrantia, vel de manu latronum arripuerant, cum non possent latrones ostendere, fures ipsi vel furti (2) consentientes, de animalibus ab eorum dominis (quod erat iniquum) redemptionem extorquentes, fraudulenter cum lucro pœnam & maculam evadebant. Verum cum nostrum sit amplecti justitiam, fovere pacem, & quæ paci contraria sunt resecare; placuit majestati nostræ, ipsorum fraudulentam nequitiam constitutione nostra ex superabundanti justitia reprimentes, hujusmodi velata furta detegere, & perpetua securitate delere. Præsenti itaque constitutione nostra in perpetuum valitura præcipimus & sancimus, nulli omnino licere aliena animalia, ubicunque invenerit, cujuscunque sint, capere, vel apud se modo quolibet detinere, nisi ea forte cum latrone ceperit; & tunc statim ea justitiariis nostris in illis partibus constitutis, cum eodem latrone assignet. Quod si non fecerit, apud quemcunque animalia ipsa inventa fuerint, quicunque sit, ipsum pro latrone, & fure capi, & judicari præcipimus. Satis enim constat ipsum furtum commisisse, qui aliena ani-

(1) *Conscientiam*. Ed. V. & N. *& scientiam*.

(2) *Furti*. Lege: *Furtis*. Ed. V. & N.

animalia invito domino usui suo detinuisse probatur: cum manifestum sit, neminem posse fugitiva animalia sua perdere, si a nemine capta fuerint, vel detenta. Quod si quis in laboribus, vineis, & possessionibus suis damnosa animalia cujuslibet intercepit, non liceat ipsa apud se detinere, sed tantum capere, & justitiariis nostris assignare, ut de illicito damno, quod probare poterit, justitiam consequatur. Quod si non fecerit, & animalia hujusmodi intercepta apud se detinuit, ipse sicut & ceteri, pœna furti teneatur. Illos autem, qui animalia cum latrone ceperint, & ea cum eodem latrone (sicut præscriptum) (1) justitiariis nostris assignaverint, pro labore eorum & studio, quod ad ea capienda apposuerunt, in decima parte ipsorum animalium ab ipsorum domino remunerari statuimus, & jubemus.

TITULUS XXXVIII.

De animalibus in pascuis affidandis.

I. Imperator Fridericus.

Cum per partes Apuliæ feliciter transiremus, communis undique clamor, & querimonia proposita est celsitudini nostræ, videlicet quod foresterii gravissimas molestias, & injusta gravamina plurima generaliter omnibus inferebant, & variis ac diversis exactionibus totam terram intolerabiliter opprimebant. Volentes igitur hujusmodi maleficia corrigere, & subjectorum paci ac tranquillitati misericorditer providere; ad coercendam malitiam, & iniquitatem eorum statuimus, sicut superius annotatum est, videlicet ut in unaquaque contrata, tam in terris demanii nostri, quam in terris Comitum, Baronum (2), ultra quatuor foresterii non statuantur; quibus non liceat animalia aliquorum (sicut hactenus) injuste capere, vel tractare: sed si oves, vel alia animalia de una contrata in aliam ducta fuerint in transitu, si una die tantum, vel una nocte, & non ultra, in terra alicujus pascua sumpserint, non liceat domino illius terræ, vel bajulo ejusdem loci aliquid inde accipere; sed sine impedimento vel datione aliqua animalia ipsa dimittant transire. Si vero animalia alicujus in terra alterius longe a contrata sua per diætam unam vel duas inventa fuerint, siquidem laboribus vel fructibus damnum intulerint, juxta æstimationem proborum hominum dominus animalium domino laborum vel fructuum damnum restituat, & in nullo alio teneatur. Si quidem animalia inventa fuerint, non inferentia damnum, sed pascentia, & inventa fuerint cum pastore & custode eorum; si dominus terræ, in qua inventa fuerint, voluerit eis pascua in terra inantea concedere, accipiat ab eis affidationem, juxta affidaturam, quam recipiunt alii vicini ejus, & nihil aliud. Si vero noluerit eis pascua impartire, juxta affidaturam (3), ad sacramentum illius, qui animalia custodierit, de tot diebus, quot ibi pascua acceperint, ad rationem totius anni affidaturam recipiat, & non aliud, & ea sine impedimento abire permittat. Si vero sine pastore inventa fuerint, siquidem animalia ipsa (4) ultra decem dies in terra steterint, accepto sacramento a domino, vel pastore, quod ipsi prædicta animalia in terram ipsam non duxerint, nec per conscientiam suam ibi inducta fuerint, sine aliqua donatione dominus de terra ipsa animalia in pace abire permittat. Si autem ultra decem dies ibi pascua sumpserint, sicut prædictum est, juxta affidaturam, quam recipiunt aliqui convicini sui, vel eorum, qui affidaturam recipiunt, ad sacramentum illius, qui animalia ipsa custodierit, de tot diebus, quot ibi pascua susceperint, ad rationem totius anni affidaturam recipiat, & nihil aliud, & ea in pace abire permittat. Inter convicinos & convicinales statutum est, ut si animalia vicini in terra alicujus vicini, & convicinalis sui in fraudem vicini in die ac nocte pascua sumpserint, vicini, in cujus terra pascuntur, ostendant illud vicino suo, cujus animalia fuerint, una vel duabus vicibus, coram viris bonæ opinionis, ut illud emendet. Quod si non emendaverit, & deinde in terra sua animalia invenerit, sicut prædictum est, & de aliis est statutum, juxta affidaturam quam recipiunt alii vicini ejus, qui affidaturam recipiunt, ad sacramentum illius, qui animalia custodierit, de tot diebus, quot ibi pascua receperint, ad rationem totius anni affidaturam recipiat, & nihil aliud. Hujus autem constitutionis nostræ quicunque temerarius violator extiterit, post iram nostri culminis, amissionem personæ, & publicationem bonorum omnium sustinere debebit. Si somarii, bordonarii, vel alii custodes aliquorum animalium, ducentes animalia in transitu aliquomodo in terram alicujus aut nemus diverterint, & damnum in eo non fecerint, sed forte de nemore tortam aliquam, vel virgam inciderint; a domino ipsius terræ, vel nemoris non impetantur, nec in aliquo inde teneantur, sed sine impedimento aliquo transire dimittat.

II. Idem.

Animalia in vineis & possessionibus cujuslibet damnum facientia, intercepta, locorum bajulis seu dominis, ut per eos illati damni restauratio subsequatur, sufficiat assignari: constitutione regia, quæ ipsa pro-

(1) Ed. V. & N. *sicut præscriptum est.*
(2) Ed. V. & N. *Comitum, & Baronum.*
(3) Ed. V. & N. *Si vero noluerit eis pascua impartiri, juxta affidaturam, quam recipiunt alii vicini ejus, qui affidaturam accipiunt, ad sacramentum illius* &c.
(4) Hic addenda videtur particula, *non.*

provinciarum justitiariis assignari debere mandabat, in hac parte remota. Notum dispendium esset, propter damnum forte modicum, provinciam circuire. Nec justitiarii de talibus etiam, prout prædecessorum nostrorum & nostris constitutionibus est expressum, intromittere se debent.

III. Idem.

UT delicti fines pœnæ crudelitas non excedat, capitalem pœnam & publicationem bonorum omnium statutam in eis, qui affidaturarum occasione etiam pascuorum homines in animalibus suis ultra licitum, & in rebus aliis gravare noscuntur, divæ memoriæ Regis Guilielmi prædecessoris nostri constitutione sancitam, competenti moderamine moderantes decernimus, eos qui occasione prædicta ultra licitum aliquid ab hominibus, vel animalibus, vel rebus aliis, homines, quorum animalia fuerint, gravare tentaverint, in quadruplum ejus, quod taliter extorquere præsumpserint, fisco nostro solvendum, fore mulctandos: ita videlicet, ut dominis sic injuste exacta restituant, & solitum quadruplum curiæ nostræ componant.

IV. Idem.

SI quando necessitate cogente contigerit, aliquem cum equitaturis suis, aut quibuslibet animalibus, forsitan oneratis, & ex itinere (prout assolet) fatigatis, in alterius agrum frugibus plenum velle divertere, dum forte herbas alias, vel fœnum per loca ipsa non invenerit, unde animalia sua valeant confortari, omnem materiam sibi præcidimus malignandi: statuentes, prout in aliquibus imperii nostri partibus observatur, ut non nisi medietatem equi, vel cujuslibet alterius animalis, in agrum ipsum intromittere audeat, ita quod posteriores pedes animal ipsum in via, vel in loco non laborato teneat, & anteriores in agro: ita tamen, ut nihil omnino de segetibus ipsis ad hospitium suum deferat, sed de eo contentus sit tantummodo, quod pascendo equum absumpsit.

TITULUS XXXIX.

De nova militia.

I. Rex Rogerius.

DIvinæ justitiæ consentientes probanda probamus, & contraria refutamus. Sicut enim nullatenus spernendi sunt boni, ita beneficio non sunt fovendi mali. Sancimus itaque, & tale præponimus (1) edictum, ut quicunque novam militiam acceperit, sive quocunque tempore arripuerit, ad regni beatitudinem, pacem atque integritatem, a militiæ nomine et professione penitus decidat; nisi forte a militari genere per successionem duxit prosapiam. Idemque statuimus de sortientibus cujuscunque professionis ordinem, utputa si autoritatem judicis obtinuerint, sive notarii officium, ceterisque similibus.

II. Idem.

COnstitutione præsenti in posterum valitura sancimus, ut amodo ad militarem honorem nullus accedat, qui non sit de genere militum, sine mansuetudinis nostræ licentia, et mandato: militibus, qui hactenus contra prohibitionem divæ memoriæ avi nostri dignitatem fuerint militarem adepti, ex serenitatis nostræ gratia suam retinentibus dignitatem, dummodo vivant militariter, ut dictum est. Præsenti etiam edicto illud edicimus, ut Judex, vel notarius publicus aliquis, qui vilis conditionis sit, villanus aut angariarius forsitan, item filii clericorum, spurii, aut modo quolibet naturales, in posterum dari (2) non possint, aut aliquatenus promoveri.

TITULUS XL.

De falsariis.

I. Rex Rogerius.

QUi literas Regias aut mutat, aut eas noto sigillo signat, capitali sententia feriatur.

II. Idem.

ADulterinam monetam cudentibus, vel scienter accipientibus, pœnam capitis irrogamus, & eorum substantiam publicamus. Consentientes etiam hac pœna ferimus.

III. Idem.

QUi nummos aureos vel argenteos raserint, vel quocunque modo minuerint, tam personas eorum, quam bona omnia publicamus.

IV. Idem.

QUi falso instrumento nesciųs utitur, falsi crimine non tenetur.

V. Idem.

QUi falsitatem astruxerit testibus, falsi pœna coercetur.

VI. Idem.

TEstamentorum publicorum deletor, cœlator, provisor, eadem pœna tenentur.

VII. Idem.

SIquis patris testamentum aboleverit, ut quasi ab intestato succedat, patris hereditate privatur.

VIII.

---

(1) *Præponimus*. Lege: *proponimus*. Ed. V. & N.

(2) *Dari*. Rectius: *creari*. Ed. V. & N.

VIII. Idem.

Qualitas perſonæ gravat, & relevat pœnam falſi.

TITULUS XLI.

De veneficis.

I. Rex Rogerius.

Mala & obnoxia (1) medicamenta ad alienandos animos, ſeu venena qui dederit, vendiderit, vel habuerit, capitali ſententia feriatur.

II. Imperator Fridericus.

Quicunque toxicum aut malum venenum, quod ad confectionem utile vel neceſſarium non ſit, habuerit, vel vendiderit, ſuſpendatur. Taxum etiam vel herbas hujuſmodi, de quibus piſces mortificantur aut moriuntur, a piſcatoribus in aquas projici vetamus: propter quod etenim & ipſi piſces redduntur infecti, & aquæ, de quibus homines & beſtiæ interdum, ſi ſæpius potum adſumunt (2), nocivæ redduntur. Quod qui fecerit, per annum cum ferris operibus publicis deputetur.

TITULUS XLII.

De correctione poculum amatorium porrigentium vel ementium.

I. Rex Rogerius.

Poculum amatorium, vel quemlibet cibum nocivum, ſi quis inſtruxerit, etiamſi neminem læſerit, impunis non erit.

II. Imperator Fridericus.

Eadem pœna ferire debet emptorem.

III. Idem.

Amatoria pocula porrigentes, vel cibos quoslibet noxios, illicita vel exorciſmata aſtruentes, tali decernimus pœna conſtringi, ut ſi hi, quibus talia ſunt porrecta, vitam proinde vel ſenſum amittant, mortis periculo ſubjici volumus talia perpetrantes. Si vero qui prædicta ſuſceperint, in nullo lædantur, tunc voluntates inultas non volumus remanere, ſed publicatis bonis ipſorum omnibus, carcerali per annum cuſtodiæ ipſos decernimus mancipari. Et quamquam veritatem & rerum naturam intuentibus videri poſſit hoc frivolum, &, ut proprie loquamur, fabuloſum, quod per cibos aut potus ad amores vel odia mentes hominum moveantur, niſi quatenus recipientur, (3) læſa ſuſpicio hoc inducat: ipſorum tamen præſumptionem temerariam, qua ſaltem nocere deſiderant, etſi nocere non poſſint, relinquere nolumus impunitam.

TITULUS XLIII.

De adulteriis, & lenociniis.

I. Imperator Fridericus.

Legum aſperitate lenita non ut olim contra adulteratas & adulteros ad aliorum conjuges accedentes gladio eſt agendum, ſed rerum ad eos pertinentium confiſcatio inducetur, ſi filios legitimos ex eo matrimonio violato, vel alio non habuerit: periniquum enim eos ſucceſſione fraudari, qui nati ſunt eo tempore, quo hujus thori lex legaliter ſervabatur. At viro tradenda eſt mulier, nullatenus vitæ periculum ſubitura, ſed ultionem (4) thori violati, naſi truncationis, quod ſævius, & atrocius inducitur, perſequutura: ultra enim neque viro neque parentibus ſervire licebit. Quod ſi vir ejus in eam vindictam dare noluerit, nos hujuſmodi maleficium non ſinemus inultum, ſed ipſam præcipimus publice flagellandam.

TITULUS XLIV.

De pœna adulterii.

I. Rex Rogerius.

Qui coram, ſe ſpectante, alii permittit cum conjuge ſua laſcivire, non facile poterit eam judicio accuſare. Viam quippe mœchandi aperit, qui cum poſſit prohibere, conſentit.

TITULUS XLV.

De probibita quæſtione fœminæ.

I. Rex Rogerius.

Quamvis uxorem ſuam ſuſpectam quis habeat, eum lenociniis non deputamus (5). Quis enim alieni thori jure inquietat quietem? Quod ſi patenter deprehenderimus, quemquam habere uxorem quæſtuoſam, digna noſtris temporibus mox ſequatur pœnæ vindicta; eum quoque infamiæ condemnamus.

TITULUS XLVI.

De ſummota converſatione inter bonas fœminæ quæſtuoſæ.

I. Rex Rogerius.

Quæ paſſim venalem formam exhibuit, & vulgo proſtitutam ſe prohibuit (*6*), hujus criminis accuſationem amovit: vio-

(1) *Obnoxia*. Rectius: *noxia*. Ed. V. & N.

(2) Ed. V. & N. *Et aquæ, de quibus homines, & beſtiæ interdum ſæpius potum aſſumunt, nocivæ redduntur.*

(3) Pecchia: *Niſi quantum recipientis læſa ſuſpicio hoc inducat.*

(4) Pecchia legendum cenſet: *Sed ad ultionem thori violati, naſi truncationem, quod ſævius & acerbius inducitur non ſequatur.*

(5) Ed. V. & N. *Quamvis uxorem ſuam ſuſpectam quis habeat, ſi tamen ei fidem adhibeat, eum lenocinii non damnamus; quis enim alieni thori jure inquietet quietem?* &c.

(6) *Se prohibuit*. Lege: *ſe præbuit*. Ed. V. & N.

violentiam tamen ei ingeri prohibemus; & inter boni testimonii fœminas ejus habitationem vetamus.

TITULUS XLVII.

De repudiis concedendis.

I. Rex Rogerius.

REpudium in hac accusatione semper est permittendum, neque violentia seu detentio adhibenda.

(1) TITULUS XLVIII.

De matribus suas filias exponentibus.

I. Rex Rogerius.

MAtres, virgines filias prostituentes, & maritalia fœdera fugientes, ut lenas ipsas prosequimur, & nasus eis similiter abscindatur. Castitatem enim suorum viscerum vendere inhumanum est, & crudele. Quod si filia seipsam prostituerit, & mater solummodo consentit, judicis arbitrio relinquatur.

TITULUS XLIX.

De pœna uxoris in adulterio deprehensæ.

I. Rex Rogerius.

SI maritus uxorem in ipso actu adulterii deprehenderit, tam adulterum quam uxorem occidere licebit: nulla tamen mora protracta.

TITULUS L.

De pœna mariti ubi adulter aufugit.

I. Rex Rogerius.

MAritum lenocinii pœna coercet, qui uxorem in adulterio deprehensam retinuit, adulterumque dimisit: nisi forte sine sua culpa aufugit.

TITULUS LI.

De adulteriis coercendis per Ecclesiam.

I. Rex Guilelmus.

MAjestati nostræ quorumdam prælatorum querimonia patefecit, quod Ecclesiæ suæ a justitiariis, camerariis, & bajulis regni nostri privantur, & minuuntur jure suo; videlicet de adulteriis, quæ non permittunt judicari, & corrigi in curia Ecclesiæ, sicut debent; & de personis clericorum, quæ ab eis ut laici judicantur, & incarcerantur. Quod si verum est, nobis displicet, & grave videtur; non enim decet neque volumus, ut ea, quæ ab Ecclesia judicari, & coerceri debent, ab eis puniantur, & judicentur, aut corrigantur. Quare mandamus, & præcipimus firmiter, ut amodo de adulteriis judicandis justitiarii, camerarii, & bajuli non se intromittant: sed si quis de parochia alicujus Ecclesiæ de adulterio accusatus vel deprehensus fuerit, ad judicium ipsius Ecclesiæ, in quo ipsa adulteria judicare debet (2), consistat, & a curia ipsius Ecclesiæ judicetur, & corrigatur. Excepto si per insultum, vel per violentiam adulterium committatur: quod si acciderit, judicetur ab Ecclesia de adulterio, quod spectat ad judicium Ecclesiæ: & hoc quod spectat ad judicium seculare, videlicet de insultu, & violentia, in curia (3) judicetur. Præterea mandamus omnibus nostris officialibus, ut adulteriis coercendis omnibus prælatis, quibus opus fuerit, auxilium tribuant.

TITULUS LII.

De lenonibus.

I. Imperator Fridericus.

LEnas sollicitantes pudicitias uxorum, filiarum, sororum, & postremo quarumlibet virginum, vel aliarum honestarum mulierum, quas vir bonus aliquis intra septa domus suæ tenere noscitur, detruncatione nasi ipsas tanquam adulteras, juxta divæ memoriæ Regis Rogerii avi nostri statuta puniri censemus. Aliarum tamen mulierum animos attrahentes, quæ velut sui arbitrii existentes, nemine custode, virorum voluntatibus, & voluptatibus se dederunt, aliquando licet non esset juste credibile quod dare se vellent, prima vice quæ talia perpetrant, si fuerint legitima probatione convictæ, fustigari censemus, & ipsas in cognitionem semel attentati facinoris in fronte signari. Scituris firmiter lege (4) hujusmodi, quod si tentaverint denuo reiterare commissa, detruncationis nasi pœna (5) proculdubio subjacebunt.

TITULUS LIII.

De pœna matris filiam publice prostituentis.

I. Imperator Fridericus.

MAtres, quæ publice prostituunt filias, pœnæ nasi truncati a divo Rege Rogerio statutæ subjacere sancimus: alias etiam consentientes, & filias, quas forte propter inopiam, nedum maritare, sed etiam nutrire non possunt, alicujus voluptatibus exponentes, a quo & sustentationem vitæ, & gratiam præstolantur, pœnæ subjacere non tam injustum credimus, quam severum.

(1) Deest hic Constitutio, quæ in Vulgatis adest, quæ incipit: *Lenas sollicitantes alienam*; quæ porro a Glossatoribus antiquis non glossatur. Ejus tamen mentio fieri videtur in Constitutione: *Lenas sollicitantes pudicitias*. Illam habebis in Appendice.

(2) *Judicare debet*. Lege: *judicari debent*. Ed. V. et N.

(3) *In curia*. Lege: *in nostra curia*. Ed. V. et Neapol.

(4) *Lege*. Ed. V. et N. *lenis*.

(5) *Pœna*. Lege: *pœnæ*. Ed. V. et N.

TITULUS LIV.

De venditione liberi hominis.

I. Rex Rogerius.

QUi sciens liberum hominem vendiderit, hac pœna legitima teneatur, ut ex bonis suis, si possibile est, venditus redimatur; ipse vero maleficus curiæ servus fiat, bonorum suorum residuo publicato. Quod si non poterit redimi, pro servo tradatur parentibus venditi, bonis suis curiæ additis (1). Quocunque autem casu venditus redeat, maleficus curiæ servus fiat; filiis etiam post hunc casum nascentibus curiæ subjectis perpetuæ servitutis (2).

TITULUS LV.

De incendiariis.

I. Rex Rogerius.

QUi dolose domum incenderint, capitis pœna plectentur, velut incendiarii.

TITULUS LVI.

Qui ramum de alto projiciens hominem occiderit.

I. Rex Rogerius.

QUi de alto seipsum præcipitat, & hominem occiderit, & qui ramum incautus projiciens non proclamat, seu lapidem projicit, hominemque occiderit, pœna capitali succumbat.

II. Imperator Fridericus.

PŒnam præcedenti sanctione statutam imperialiter mitigantes decernimus, eum qui se de alto præcipitat, vel ex alto incaute aliquid projicit, & proinde occiderit aliquem, siquidem in loco habitabili hoc contingat, per annum carceri mancipari: quod si hæc in campestribus acciderint, sacramento ab ipso præstito, quod transeuntem non viderit, omni calumnia absolutum ipsum esse censemus. Quod si ex prædictis percussus minime moriatur, omnes expensas justas & moderatas, quas in ipsa infirmitate fecerit, tam pro se, quam pro medicinis, incaute projiciens ei reddere teneatur. Absurdum istud (3) prævidimus, punire æqualiter simplicem & dolosum.

TITULUS LVII.

De his, qui ludunt ad dados.

I. Imperator Fridericus.

MOres dissolute viventium interpositæ pœnæ formidine ad frugem melioris vitæ reducere cupientes, statuimus, eos, qui ad dados sic ex quadam consuetudine ludunt, & in ludo ipso continue conversantur, ut nulli alii vacent officio, de quo vivant: tabernarios etiam, qui tabernas velut naturales lares & proprios elegerunt; eos etiam, qui aleas, & dados tenent, ut ea prædictis ludentibus accommodent, inter infames haberi, ita ut nec ad testimonium, nec ad officium aliquod publicum admittantur. Judices etiam, & advocatos, & notarios publicos, qui hujusmodi vilitatem (4) & sordidam vitam ducunt, infamia prædicta notatos, a susceptis etiam officiis in perpetuum volumus admoveri (5). Postremo etiam milites, quos saltem equestris dignitatis decus deberet a talibus coercere, si famæ suæ prodigi, & pudoris ignari, ad utilitatem (6) hujusmodi deduxerint vitam suam, in perpetuum a testimonio submovemus, ab eis judicia etiam, quæ viris militaribus sunt concessa, in perpetuum abdicantes.

TITULUS LVIII.

De blasphemantibus Deum, & Virginem Mariam.

I. Imperator Fridericus.

BLasphemantes Deum, & Virginem gloriosam, linguæ maliloquæ mutilatione punimus.

TITULUS LIX.

De perjuriis.

I. Imperator Fridericus.

EOs, qui scienter perjurant in judiciis, aut extra judicia, detruncationem manus volumus sustinere, nisi ipsorum perjurium in crimen læsæ majestatis inciderit; in quo jura vetera & divorum Principum instituta servamus.

TITULUS LX.

Qui hominem mortuum spoliaverit.

I. Imperator Fridericus.

SI quis aliquem occisum, vel obitum forte repererit, vel ad quem specialiter se forte contulerit, spoliare tentaverit, aut nudum aut verendum reliquerit, mutilatione manus ipsum volumus esse plectendum. Pœna, quæ in violatores sepulchrorum, & eis violatis cadavera spoliantes, veteribus legibus est statuta, in suo robore permanente.

Epi-

(1) *Additis*. Lege: *addictis*. Ed. V. et N.
(2) *Servitutis*. Lege: *servituti*. Ed. V. et N.
(3) Ed. V. et N. *Absurdum enim in casu isto prævidimus &c.*
(4) *Vilitatem*. Ed. V. et N. *vilem*.
(5) *Admoveri*. Lege: *amoveri*. Ed. V. et N.
(6) *Ad utilitatem*. Lege: *ad vilitatem*. Ed. V. et N.

Epilogus Imperatoris.

AD laudem & gloriam Dei nostri, sub spe divini favoris opus inceptum, & ejusdem gratia prosequente completum, Universitas vestra recipiat, quæ augustalis nominis titulo præsignatur. In reverentiam serenitatis augustæ, & honorem regiæ dignitatis, accipite gratanter, o populi, Constitutiones istas, tam in judiciis, quam extra judicia, potituri; quas per magistrum Petrum de Vineis Capuanum, magnæ curiæ nostræ judicem, & fidelem nostrum, mandavimus compilari. Nec subsequentis seculi posteritas præsentium Constitutionum librum compilasse nos existimet, ut famæ tantummodo serviamus, sed diebus nostris temporum præteritorum injuriam, quibus juris lingua subticuit, deleamus, ut in novi Regis victoria novella justitiæ propago consurgat.

Actum solenni consistorio Melfiensi, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo (1), mense Augusti, Indictionis quartæ. Insinuatum vero mense Septembri, sequentis quintæ Indictionis. Amen.

Constitutionum Neapolitanarum, sive Sicularum
Liber Tertius explicit.

---

(1) *Millesimo ducentesimo vigesimo primo*. Lege: *millesimo ducentesimo trigesimo primo*. Videatur Pecchia, aliique eruditi. Consonat et Codex Vaticanus n. 6770. in quo legitur: *An. Dominicæ Incarnationis MIIXXX. primo*.



CAPITA
OMNIUM CONSTITUTIONUM
SICULARUM, SIVE NEAPOLITANARUM

Editionis Lindenbrogianæ.

Primus numerus indicat Librum, ſecundus Titulum, tertius Conſtitutionem.

Exce-

F I N I S.

A. P-

APPENDIX.

Constitutio, quæ deest in Lindenbrogiana Editione; habetur autem in vulgatis, ac locus illi est immediate post Constitutionem, quæ incipit: *Causas per Magistros*. Vide tamen quæ diximus in Monito ad has Constitutiones. Ea porro in novissima Neapolitana Editione anni 1773. sic effertur.

De officio Capitaneorum, & Magistri Justitiarii.

IMP. FRIDERICUS.

CApitaneorum autem, & Magistrorum Justitiariorum officium tale erit: circuire Provincias sibi decretas, & in dies solemnes Curias in locis, & terminis, prout ea melius videbitur expedire. Cognoscere de magnis maleficiis, videlicet, per Universitates locorum, Comites, & Barones publice perpetratis. Super illis etiam maleficiis cognitionem suam impartiri debebunt, quæ præsentibus ipsis in locis, vel parum ante adventum ipsorum contigerit perpetrari. Ut tamen si regionum Justitiarii sint præsentes, causas ipsas per eos sine mora qualibet audiri jubeant, & finiri. Absentibus autem Justitiariis, si periculum evidens in cognitionis dilatione præviderint, consequentes audiant, & definiant quæstiones. Alioquin non (1) Officialium ordo servetur ad Justitiarium primum: deinde ad Magistros Justitiarios, & demum in defectum omnium, ad magnam Curiam nostram volumus proclamari. Appellationes a sententiis inferiorum Judicum ad ipsos volumus interponi: & ab ipsorum sententiis ad nostram audientiam provocari. Ex generali etiam commissione nostra specialiter eis facta committimus Magistris Justitiariis antedictis, ut nobis circa Imperii nostri partes extra Regnum agentibus, appellationes a sententiis Justitiariorum, seu quorumlibet inferiorum Judicum ad nostram audientiam interjectis, ipsi suscipiant, & prout viderint de jure, decidant. Ita quod nulli nostrorum fidelium liceat occasione appellationis ad auditorium nostrum factæ adversarios suos extra Regnum expensis, & laboribus fatigare: nisi forsitan super crimine læsæ majestatis, vel super eo crimine, de quo condemnatus vitam, vel membrum amitteret, vel forsitan exularet, aut exilii judicio statum, aut omnia bona sua, vel majorem partem ipsorum, deberet amittere condemnatus, appellationes ad nos contingeret interponi: tunc enim in electione esse volumus appellantis, utrum ad præsentiam nostram adire voluerit, vel cupierit ipsorum judicium experiri. Querimonias etiam, quæ fient contra Justitiarios regionum, Secretos Cameræ, Castellanos, Procuratores Demaniorum nostrorum, & alios Officiales, audient (2), & ex officio suo ipsorum excessus, & negligentias puniant, & interdum defectum eorum, juxta subscriptam formam, prout expedierit, supplere procurent.

Specialiter autem si Castellanos, vel Procuratores Demaniorum, seu animalium nostrorum, & custodes defensarum nostrarum, inveniunt (3) per fraudem, vel manifestam negligentiam male sibi commissa tractasse; ipsos capiant de personis, & nobis significent transgressionem ipsorum, ut inde fieri mandemus, prout nostro beneplacito residebit. Ut tamen Castellanos de nostra conscientia destitutos de castris non amoveant sine causa, quorum aliquem, qui se ex prædictis causis removere contigerit, per eosdem remoti delictum, & substituti nomen nobis significent seriatim, ut de substituto ipso, aut de substituendo alio mandatum de sanio conscientiæ nostræ procedat. Industriam, solicitudinem, & diligentiam Castellanorum nostrorum, quæ in conservandis, & medicandis) castris, & Demaniis nostris habuerint, per ipsos Celsitudini nostræ frequentius volumus intimari, ut quemadmodum injustos, & iniquos pœnis affici, sic bonos, & justos Imperialibus præmiis volumus decorari. Prædictis præterea Magistris Justitiariis, & Capitaneis nostris injunximus, ut si invenerint aliquem Officialium nostrorum per gratiam, aut odium manifestum, justitiam detraxisse, seu pecuniam, seu jojectas, seu canes, aut accipitres, aut aliquid aliud, præter esculentum aut poculentum, quod ad plus duobus diebus semel in anno tantum, sibi sufficiat recepisse, ut tamen a litigantibus nihil omnino nec esculentum recipiat, si de jurisdictione sua ab aliquo litigante receperit, cum infamia privatus officio, per ipsorum (4) bonorum suorum omnium infiscationem mulctetur. Ceterum si de aliis non litigantibus, qui tamen de jurisdictione sua sint Officiales, receperit aliquas res, accepta domino restituta, in quadruplum fisco nostro da-

(1) *Alioquin non Officialium*. Corrige: *Alioquin ut Officialium* &c. Pecchia.
(2) *Audient*. Corrige: *audiant*. Pecchia.
(3) *Inveniunt*. Corrige: *invenient*. Pecchia.
(4) *Per ipsorum* &c. Corrige: *per ipsos bonorum suorum infiscatione mulctetur*. Pecchia.

damnatur. Litigator autem, qui judicem aliquem dando corruperit, vel corrumpere promittendo voluerit, etiamsi bonam causam habebat, in ipsa succumbat. Hoc idem in eisdem Capitaneis, & Magistris etiam Justitiariis, si circa prædictam prohibitionem nostram receperint aliquid, volumus observari. Et ut in talibus quibuslibet, vel omnibus delinquendi materia subtrahatur, edicimus, ut Officiales (1) cui in corruptelam sui promissionem fieri contigerit, promittentis nomen, & promissionis etiam quantitatem, & modum nobis, vel alicui, per quem ad nos notitia perveniat, præcipimus (2) nunciari.

Constitutio, quæ in Lindenbrogiana Editione habetur Tit. XXVI. Libri Tertii; de qua in Monito ad has Constitutiones aliqua dicta sunt. Diverso prorsus sensu habetur in Editione novissima Neapolitana, in qua sic legitur.

De rebus stabilibus non alienandis Ecclesiis.

IMPER. FREDERICUS.

PRædecessorum nostrorum veterum Principum Constitutionem, quam antiqua turbatio præteriti temporis antiquarat, nova promissione (3) novantes, edicimus, quod nulli subjectorum nostrorum Clerico, vel Laico, liceat Domibus Templi, vel Hospitalis, seu cuilibet alii loco religioso, de quo nostræ Curiæ certum servitium minime debeatur, possessiones hereditarias, vel patrimoniales vendere, vel donare inter vivos aliquo donationis (4), nisi ex æquali causa permutationis transferre. Ceterum si in ultima voluntate aliquem de prædictis locis heredem instituerit, tunc domus, quæ institutionem, vel legatum acceperit, teneatur infra annum alicui de proximis defuncti, vel de Burgensibus nostris relicta stabilia vendere; at si ultra annum facere prædicta distulerit, possessiones ipsas post anni lapsum Fisci nostri juribus volumus applicari. De rebus autem quibuscumque mobilibus, quantumcumque preciosis, relinquendi prædictis Domibus, & aliis religiosis locis concedimus facultatem. CIϽCCXXXVIII.

Deest apud Lindenbrogium hæc Constitutio, cui locus est post Titulum XLVII. Libri Tertii. Vide ibi notata. Ea porro his verbis describitur in Editione novissima Neapolitana.

De lenis.

REX ROGERIUS.

LEnas, sollicitantes alienam, scilicet, castitatem, genus criminis pessimum, tanquam ipsas adulteras puniendas esse, præsenti lege sancimus.

---

(1) *Ut Officiales*. Pecchia legendum censet: *ab Officiali*.
(2) *Præcipimus nunciari*. Delendum τὸ *præcipimus*. Pecchia.
(3) *Promissione*. Corrige: *provisione*. Pecchia.
(4) *Aliquo donationis*. Lege: *aliquo donationis modo*. Pecchia.

F I N I S.

TITULI
CONSTITUTIONUM SICULARUM
GRÆCE SCRIPTARUM

Ex Manuscripto Codice Bibliothecæ Barberinæ.

NB. *Priores Tituli desunt in Codice.*

ΚΕΦΑ'ΛΑΙΟΝ κϛ.

Περὶ ποινῆς τῶν μὴ συντρεχόντων ταῖς γυναιξὶ βιαζομέναις.

κζ. Περὶ τῶν ἀδίκως γογγυζόντων γυναικῶν.

κη. Περὶ τῆς ἐν τοῖς ἀκινήτοις πράγμασι γινομένης βίας.

κθ. Περὶ τοῦ ἔχειν ἐπιλογὴν τῶν βιαίως ἀπεκδυθέντων ἐν ... εἴτε κατὰ τοῦ βιαστοῦ, ἢ κατὰ τῶν κληρονόμων εἰς τὸ διαφέρον, εἴτε κατὰ τοῦ κατέχοντος.

λ. Περὶ τῶν κρυφίως γινομένων ζημιῶν.

λα. Περὶ φόνου κρυφίου.

λβ. Περὶ ποινῆς τῶν ἁρπαζόντων τὶ ἐκ ναυαγίου.

λγ. Περὶ ποινῆς τῶν ὑβριζόντων Ὀφφικιαλίους τινὰς, ἢ τὰς αὐτῶν φαμιλίας.

λδ. Περὶ διαφορᾶς Ὀφφικίων.

λε. Περὶ ποινῆς τῶν ἐκταραττόντων τὸ δικαστήριον.

λϛ. Περὶ ποινῆς τῶν Ὀφφικιαλίων, οἵτινες ἀμελοῦσι περὶ τῶν δημοσίων πραγμάτων.

λζ. Περὶ ποινῆς τῶν Ὀφφικιαλίων ἀφελόντων τὶ ἀπὸ τῶν δημοσίων πραγμάτων.

λη. Περὶ τῶν ἀνηκόντων τῷ Ὀφφικίῳ τῶν Λογοθετῶν.

λθ. Περὶ τοῦ δίδοσθαι παρὰ τῶν Ὀφφικιαλίων τοῖς Λογοθέταις βοήθειαν.

μ. Περὶ τῶν ἀνηκόντων τῷ Ὀφφικίῳ τῶν Πρακτόρων.

μα. Περὶ τῶν Πρακτόρων, ὅταν κλέπτην κρατήσουσι, τί μέλλουσι ποιεῖν.

μβ. Περὶ ποινῆς τῶν Πρακτόρων οἵτινες τοὺς ἐξ ἀποφάσεως διδομένους ὅρκους συμπαθοῦσιν.

μγ. Περὶ τοῦ πότε ὁ ἐναγόμενος παρὰ τοῦ Πράκτορος χάριν τοῦ δικαίου τῆς Κόρτης εἰσφίγγεται.

μδ. Περὶ τοῦ, ποῦ δεῖ τοὺς κληρικοὺς ἐνάγεσθαι.

με. Περὶ τῶν ἀνηκόντων τῷ Ὀφφικίῳ τῶν Καμμερλίγγων.

μϛ. Περὶ τοῦ ὅρκου τῶν Καμμερλίγγων καὶ Πρακτόρων.

CAPUT XXVI.

De pœna non succurrentium mulieribus, quibus vis infertur.

XXVII. De mulieribus injuste conquerentibus.

XXVIII. De vi rebus immobilibus illata.

XXIX. De opinione habenda ab his, qui violenter spoliati sunt, sive contra eum qui vim intulit, sive contra hæredes indifferenter, sive contra possidentem.

XXX. De damnis clam factis.

XXXI. De homicidio occulto.

XXXII. De pœna rapientium aliquid ex naufragio.

XXXIII. De pœna injuriis afficientium Officiales, vel ipsorum familias.

XXXIV. De diversitate Officiorum.

XXXV. De pœna perturbantium Tribunal.

XXXVI. De pœna Officialium, qui publicas res habent neglectui.

XXXVII. De pœna Officialium qui auferunt aliquid e publicis rebus.

XXXVIII. De spectantibus ad Officium Logothetarum.

XXXIX. De auxilio ab Officialibus præbendo Logothetis.

XL. De spectantibus ad Officium Factorum.

XLI. De Factoribus quando furem comprehendunt, quid facere debeant.

XLII. De pœna Factorum, qui danda juramenta ex sententia remittunt.

XLIII. De eo quod aliquando conventus apud Factorem pro jure Curiæ constringitur.

XLIV. Ubi oportet Clericos convenire.

XLV. De iis quæ pertinent ad Officium Cammerlingorum.

XLVI. De jurejurando Cammerlingorum & Factorum.

XLVII.

μζ. Περὶ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν Πρακτόρων, καὶ τῶν ἀπὸ τῶν πράξεων οἱ κληρικοὶ ἀποκινοῦνται.

μη. Περὶ δικαίου τῶν Πρακτόρων καὶ ποινῆς αὐτῶν, εἰ ὑπὲρ τὸ δίκαιον τὸ τετυπωμένον αὐτοῖς ἀπαιτήσουσιν.

μθ. Περὶ τῶν πεφυλακομένων, καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐλευθερωθέντων.

ν. Περὶ ποινῆς τῶν Καστροφυλάκων τῶν ὑπὲρ τὸ δίκαιον τετυπωμένον αὐτοῖς λαμβανόντων.

να. Περὶ ποινῆς ἐκείνων, οἵ τινες καταφρονοῦσι τῶν πεφυλακομένων.

νβ. Περὶ τῶν Καστροφυλάκων.

νγ. Περὶ τῶν ἀνηκόντων τῷ Ὀφφικίῳ τοῦ δικαιότου.

νδ. Περὶ δικαστηρίου τῶν κληρικῶν, καὶ ποῦ τὰ ἐγκλήματα τούτων ἐξετάζεσθαι μέλλουσι.

νε. Περὶ τοῦ ἀποφαίνειν τοὺς μαΐστρους δικαιότας συντόμως τὰς ὑποθέσεις.

νς. Περὶ τῶν ἀνηκόντων τῷ Ὀφφικίῳ τοῦ Μαΐστρου δικαιότου.

νζ. Περὶ τῶν ἀποφάσεων τῶν προφερομένων κατὰ Κομήτων, καὶ Βαρουνίων.

νη. Περὶ τῶν καθιστάντων Βικαρίους χωρὶς εἰδήσεως τῆς ῥηγικῆς ἐξουσίας.

νθ. Περὶ ποινῆς ἐκείνων, οἵ τινες πληροῦσι τὸ Ὀφφίκιον τοῦ δικαιότου ἐν ταῖς ἰδίαις χώραις.

ξ. Περὶ ποινῆς τῶν καθιστάντων Κονσούλους, ἢ κυβερνήτας ἐν ταῖς κοινοταῖς τῶν τόπων.

ξα. Περὶ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν δικαστῶν, καὶ τίνες, καὶ πῶς ὀφείλουσι καθίστασθαι.

ξβ. Περὶ τοῦ, πῶς δεῖ τὰ ἔγγραφα ἔστεσθαι.

ξγ. Περὶ τοῦ μὴ τυποῦσθαι Ἀτζιούντας, καὶ Ἀμμετζάτορας.

ξδ. Περὶ τοῦ, πόσους μάρτυρας ἐν τῷ ἐγγράφῳ προσλαμβάνεσθαι χρή.

ξε. Περὶ τοῦ σαλαρίου τῶν δικαστῶν.

ξς. Περὶ ποινῆς ἐκείνων οἵ τινες εἰς ἕτερον φόρον ὑπὲρ τὸν ἀνήκοντα ἀπελθεῖν θαῤῥοῦσι.

ξζ. Περὶ τοῦ Ὀφφικίου τῶν συνηγόρων.

ξη. Περὶ τοῦ ὅρκου τοῦ γενομένου παρὰ τῶν συνηγόρων, ὅτε τὸ Ὀφφίκιον τοῦτο δέχονται.

ξθ. Περὶ τῶν μὴ γινωσκόντων ἐν τῇ Κόρτῃ κατηγορεῖσθαι.

ο. Περὶ γραμμάτων ἀναζητήσεως.

οα. Περὶ τοῦ, πῶς δεῖ τὰ τῆς ἀναζητήσεως γράμματα παραδίδοσθαι.

οβ. Περὶ ποινῆς τῆς κοντουματζίονος.

ογ. Περὶ τοῦ ἀπειθοῦντος πρὸ προκατάρχεσθαι δίκην.

οδ. Περὶ τῶν ἀπειθούντων μετὰ προκατάρξιν.

XLVII. De numero Factorum, & a quibus Factoriis Clerici removentur.

XLVIII. De jure Factorum & ipſorum pœna, ſi præter jus ipſis præſcriptum aliquid flagitarint.

XLIX. De carceratis, eademque die liberatis.

L. De pœna Cuſtodum Caſtrorum quid accipientium ſupra jus ipſis præſcriptum.

LI. De pœna illorum, qui carceratos negligunt.

LII. De Caſtrorum Cuſtodibus.

LIII. De ſpectantibus ad Officium Judicis.

LIV. De Foro Clericorum, & ubi eorum accuſationes dijudicari debent.

LV. De cauſis breviter declarandis a Magiſtris Judicibus.

LVI. De convenientibus Officio Magiſtri Judicis.

LVII. De ſententiis proferendis contra Comites, & Barones.

LVIII. De pœna conſtituentium Vicarios inconſulta Regia auctoritate.

LIX. De pœna illorum, qui Officium dicæolæ gerunt in ſuis Provinciis.

LX. De pœna conſtituentium Conſules, aut Gubernatores in locorum communitatibus.

LXI. De numero Judicum, & qui, & quando debeant conſtitui.

LXII. Quomodo diſponi debeant ſcripturæ.

LXIII. De non deſignandis Actoribus, & Adminiſtratoribus.

LXIV. Quot teſtes in ſcriptura oportet adhibere.

LXV. De Salario Judicum.

LXVI. De pœna illorum qui ad aliud forum incompetens migrare audent.

LXVII. De Officio Advocatorum.

LXVIII. De juramento præſtito ab Advocatis, quando illud Officium ſuſcipiunt.

LXIX. De his qui neſciunt in Curia patrocinari.

LXX. De literis requiſitoriis.

LXXI. Quomodo literas citationis tradere oporteat.

LXXII. De pœna contumaciæ.

LXXIII. De inobediente ante cœptam litem.

LXXIV. De inobedientibus poſt cœptam litem.

LXXV.

οε. Περὶ φανερώσεως...

ος. Περὶ τοῦ, τί μέλλει γίνεσθαι περὶ τῶν πραγμάτων τοῦ ἀπειθοῦντος εἰς νομὴν ἑτέραν διδομένων, ὁπότε μέχρι παραδρομῆς ἐνιαυτοῦ τῇ ἀπειθίᾳ παραμένουσιν.

οζ. Περὶ τοῦ, πόσον ἔλαττον ὀνόματι τῶν καρπῶν ἀπὸ τοῦ νεμωμηθέντος φίου ἀπολάβῃ ὁ ἀπειθείς, εἰ ἐντὸς τῶν νενομισμένων χρόνων ἀπολαβεῖν θελήσοιε τὴν νομήν.

οη. Περὶ ποινῆς διδομένης κατά τε ἄκτωρος καὶ ῥέου συνενοῦντος.

οθ. Περὶ τῶν ἑκουσίως ἀναχωρούντων ἀπὸ τῶν ἀγωγῶν.

π. Περὶ Σιγίλλων καὶ συνηθειῶν ἔν τισι τόποις ἐπικρατούντων τῆς τούτων ἀνατροπῆς.

πα. Περὶ κοινότητος πόλεως, ὅταν κόντουμαξ ὀφθῇ.

Ἀρχὴ σὺν Θεῷ τοῦ δευτέρου βιβλίου.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ α.

ΠΕρὶ τῶν ἀποκηρυττομένων διὰ κοντουματζίωνα.

β. [illegible] τοῦ συνοῦσθαι συνδίκους παρὰ τῶν κοινοτήτων τῶν πόλεων, ὅταν ἐνάγουσιν, ἢ παρ' ἄλλων κατηγορηθῶσιν.

γ. Περὶ φουρτζινδικάτων.

δ. Περὶ τοῦ παρατηρουμένου καιροῦ τῷ ἀποκηρύκτῳ.

ε. Περὶ τοῦ γνωρίζειν τῇ Κόρτῃ τοὺς φουρτζινδικάτους.

ς. Περὶ διαδοχῆς ἀποκηρύκτων.

ζ. Περὶ τῶν ἀνήβων παίδων τῶν ἀποκηρύκτων, οἵ τινες φίου νέμονται.

η. Περὶ τοῦ δικαίου τῶν γυναικῶν τῶν ἀποκηρύκτων καὶ μητέρων.

θ. Περὶ τοῦ μὴ κωλάζεσθαι τοὺς πατέρας χάριν τῶν πταισμάτων τῶν τέκνων.

ι. Περὶ τοῦ ἐγκληματικοῦ κατηγορουμένου, καὶ ἐγγυητὰς διδόντος.

ια. Περὶ τῶν κατηγορούντων γυναῖκας περὶ μοιχίας, καὶ μετὰ ταῦτα λαμβανόντες αὐτάς.

ιβ. Περὶ ποινῆς τῶν κατηγορούντων, καὶ ἐν τῇ δοθείσῃ διορίᾳ μὴ ἐρχομένων.

ιγ. Περὶ ποινῆς ἐκείνων, οἵ τινες ἐν τῇ δευτέρᾳ διορίᾳ τῇ δοθείσῃ αὐτοῖς οὐ παραγίνονται ἐπὶ τὸ συστῆσαι τὰ παρ' αὐτῶν προτεθέντα.

ιδ. Περὶ ποινῆς τῶν συκοφαντῶν.

ιε. Περὶ ποινῆς τιθεμένης κατὰ τοῦ κατηγοροῦντος καὶ τοῦ κατηγορουμένου, ὅτε συνενοῦντες τὴν διορίαν παρεκτείνουσιν.

ις. Περὶ τῶν συνενούντων πρὸ προκατάρξεως, καὶ μετὰ προκάταρξιν.

LXXV. De notorietate debiti.

LXXVI. Quid oporteat facere de bonis inobedientis ad aliam possessionem traditis, quando usque ad annuum spatium persisteret in inobedientia.

LXXVII. Quanti minoris nomine fructuum ab eo qui feudum possidet, recipiat inobediens, si intra tempus legitimum recuperare velit possessionem.

LXXVIII. De pœna data contra actorem, & reum consentientem.

LXXIX. De sponte recedentibus ab actionibus.

LXXX. De Sigillis & consuetudinibus, quæ quibusdam in locis obtinent, & eorum revocatione.

LXXXI. De Communi urbis, quando contumax videbitur.

Principium Deo juvante secundi Libri.

CAPUT I.

DE proscriptis sub præcone propter contumaciam.

II. De constituendis Syndicis a Communitatibus Urbium, quando vocantur in jus, aut accusantur.

III. De foris judicatis.

IV. De consignato proscriptis tempore.

V. De notificando Curiæ foris judicato.

VI. De successione proscriptorum.

VII. De pueris impuberibus proscriptorum, qui feuda possident.

VIII. De jure uxorum proscriptorum, & matrum.

IX. De non puniendis patribus causa delictorum a liberis patratorum.

X. De reo accusato & vades dante.

XI. De accusantibus adulterii mulieres, & postea ipsas ducentes.

XII. De pœna accusantium, nec in termino dato venientium.

XIII. De pœna illorum, qui in secundo termino ipsis assignato non adsunt ad constituendum seu confirmandum ea, quæ proposuerunt.

XIV. De pœna calumniantium.

XV. De pœna posita adversus accusantem & accusatum, qui consentientes terminum protendunt.

XVI. De consentientibus ante vel post contestationem litis.

XVII.

ιζ. Περὶ ποινῆς τῶν ἀπειθήντων, καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ μὴ ἐρχομένων.

ιη. Περὶ τοῦ γίνεσθαι προκάταρξιν τῆς δίκης μετὰ τὸ δοθῆναι τὸν λίβελλον, καὶ ἐν ποίᾳ ποσότητι ὁ λίβελλος οὐκ ὀφείλει δοθῆναι.

ιθ. Περὶ δηλατηρίων παραγραφῶν, καὶ πότε προτίθενται.

κ. Περὶ τῆς ἐν τῇ στρατείᾳ παραγραφῆς.

κα. Περὶ τοῦ χρηματικῶς ἐναγόντος, καὶ ἐγκληματικῶς κατηγορουμένου.

κβ. Περὶ τοῦ κατηγορηθέντος ἐνώπιον τοῦ δικαιότου, καὶ παρὰ τοῦ μαίστορος ἀναζητουμένου.

κγ. Περὶ γραφῆς υἱότητος.

κδ. Περὶ τοῦ προτίθεσθαι τοὺς δικαιολόγους τόν τε ἄκτορα καὶ τὸν ῥέον εἴσω τριῶν ἡμερῶν τὰς πρὸς ... καὶ βεβαίωσιν τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως ποιοῦντες.

κε. Περὶ περεπτορίας παραγραφῆς ἀντιτεθείσης, καὶ πότε ὁ δικαστὴς τῷ προτιθέντι ὅρκον ἐπάγει.

κς. Περὶ τοῦ ἐρωτᾷν τὸν δικαστὴν τὰ μέρη περὶ φάκτου.

κζ. Περὶ ... τῶν ἐγγραφῶν τῶν περὶ δωρεῶν, καὶ στέρξεων, καὶ συναλλαγμάτων, καὶ οἷς περιέχεται ὄνομα τινὸς τῶν ἐχθρῶν, ἢν τῶν προδότων τοῦ βασιλέως.

κη. Περὶ τοῦ ἐμφανισθῆναι τὰ πριβελέγια καὶ ἔγγραφα τὰ γινόμενα παρὰ τῶν ἡμετέρων ἐχθρῶν ἔσω ἐνιαυτοῦ ἀπὸ τῆς ἡμέρας τῆς φανερώσεως τῶν ἡμετέρων διατάξεων.

κθ. Περὶ ποινῆς οἵτινες τὰ σιγίλλια κατὰ τὴν νέαν διάταξιν τῇ Κόρτῃ οὐκ ἐμφανίζουσιν.

λ. Ἐν ποίοις θέμασιν ἡ τῶν μαρτύρων ἀκρόασις ἀνατίθεται.

λα. Περὶ τοῦ μὴ ἀναγινώσκειν κατά τινος τοὺς δικαστὰς νόμους τοὺς λεγομένους Παρήβιλε.

λβ. Περὶ μονομαχίας.

λγ. Ἐν οἷς θέμασιν ἡ μονομαχία τόπον ἔχει.

λδ. Περὶ παρακαταθήκης, καὶ πόσοι μάρτυρες προσλαμβάνονται.

λε. Περὶ τοῦ πότε πρὸ προκατάρξεως τῆς δίκης οἱ μάρτυρες προσκομίζονται, καὶ ἐν ποίοις θέμασι.

λς. Περὶ ὀχλουμένου περὶ ὁματζίου, καὶ ἐνιαυτοῦ βεβαιοῦται.

λζ. Περὶ ἡττηθέντων πολεμάρχων.

λη. Περὶ τοῦ ὅρκου τοῦ γινομένου παρὰ τῶν πολεμάρχων, ὅτε τὸν κύκλον τῆς μονομαχίας ὑπεισέρχονται.

XVII. De pœna inobedientium, neque venientium ad tribunal.

XVIII. De facienda conteſtatione litis poſt datum libellum, & in qua quantitate libellus dandus eſt.

XIX. De exceptionibus dilatoriis, & quando proponuntur.

XX. De exceptione ob militiam.

XXI. De civiliter conveniente, & criminaliter accuſato.

XXII. De accuſato coram Judice, & a Judice majore convento.

XXIII. De ſcriptura filiationis.

XXIV. De proponendis allegationibus ab actore ac reo intra triduum, ad conſtitutionem & probationem ipſius cauſæ facientibus.

XXV. De peremptoria exceptione oppoſita, & quando Judex jusjurandum defert proponenti.

XXVI. Quando Judex interrogat partes ſuper facto.

XXVII. De reprobatione Scripturarum, circa donationes, acceptationes & contractus, & quibus nomen continetur alicujus ex inimicis, aut proditoribus Regis.

XXVIII. De manifeſtandis privilegiis conceſſis a noſtris inimicis per annum a die notificationis noſtrarum Conſtitutionum.

XXIX. De pœna illorum qui ſigilla ſecundum novam Conſtitutionem Curiæ non pandunt.

XXX. Quibus cauſis teſtium auditio reponitur.

XXXI. Ne Judices renuntient adverſus aliquem leges dictas Parebile.

XXXII. De duello, ſeu ſingulari certamine.

XXXIII. In quibus cauſis duellum habeat locum.

XXXIV. De depoſito, & quot teſtes accipiantur.

XXXV. Quando ante litem cœptam ſeu conteſtatam teſtes producantur, & quibus de cauſis.

XXXVI. De turbato de homagiis, & ut anno probatur.

XXXVII. De victis Præfectis prælio.

XXXVIII. De juramento præſtando a Præfectis prælio, quando ſingularis certaminis circulum ingrediuntur.

XXXIX.

λθ. Περὶ ποινῆς τοῦ δόλου τῶν πολεμάρχων.

μ. Περὶ τοῦ ἔχειν ἐπιλογὴν τὸν κατηγορηθέντα, ὡς βούλεται πολεμεῖν.

μα. Περὶ τοῦ συντρέχειν ταῖς γυναιξὶ καθὼς δεῖ καὶ ὅσον δεῖ.

μβ. Περὶ ἀποκαταστάσεως ἐλαττομένων.

μγ. Περὶ ἀποκαταστάσεως τοῦ δημοσίου.

μδ. Περὶ ἀποκαταστάσεως γυναικῶν.

με. Περὶ ποινῆς τῶν εἰς δυνατοὺς τὰς δίκας μεταφερόντων.

μϛ. Περὶ διορίας διδομένης τοῖς ἐκκλητεύσασιν.

μζ. Περὶ τοῦ ἀποφαίνειν τοὺς δικαστὰς ταχέως τὰς ὑποθέσεις, καὶ μὴ παραχωρεῖν τοῖς συνηγόροις, παρεκτείνειν τὰς ὑποθέσεις ματαίαις δικαιολογίαις.

μη. Περὶ ποινῆς τῶν δικαστῶν τῶν κατὰ τῶν νόμων τὴν ἀπόφασιν δολερῶς διδόντων.

μθ. Περὶ ποινῆς τοῦ δικαστοῦ, ὅτε λαβὼν δῶρα ποιήσῃ ἔνοχον τινὰ ἐγκλήματι θανάτου.

ν. Περὶ τοῦ μὴ προφέρεσθαι μαρτυρίας ἐπὶ τῇ πρινκιπαλίᾳ ὑποθέσει μετὰ τὴν φανέρωσιν τῶν καταθέσεων.

να. Περὶ τοῦ μὴ ἐκποιεῖσθαι τὰ ῥηγικὰ πράγματα παρά τινος εἰς ἐλάττωσιν τῶν ἡμετέρων δικαίων χρεωστημένων παρ' αὐτῶν.

νβ. Περὶ τοῦ μὴ χειροτονεῖσθαι τοὺς ἐναπογράφους χωρὶς βουλῆς, καὶ συναιρέσεως τῶν δεσποτῶν.

νγ. Τίνες τῶν ἐναπογράφων χειροτονεῖσθαι κωλύονται.

νδ. Περὶ ποινῆς τῶν κατεχόντων τὰ ἀνήκοντα τῷ Δουμανίῳ.

νε. Περὶ ποινῆς τῶν κατεχόντων ἀνθρώπους τινὰς τοῦ Δουμανίου, καὶ μὴ ἀπαγγέλλοντας τοῦτο· καὶ τοὺς κατεχομένους καὶ μὴ ἀπαγγέλλοντας τοῦτο.

νϛ. Περὶ κεκωλυμένης ἐλαττώσεως τῶν φίων.

νζ. Περὶ τοῦ μὴ ἐκποιεῖσθαι παρά τινος πράγματα τὰ ἐνεχυροποιηθέντα τῇ Κόρτῃ ὑποδουλείαν τινὰ τὰ καθόλου, οὔτε ἐν μέρει, πρὸς ἐλάττωσιν τῆς Κόρτης.

νη. Περὶ ποινῆς τιθεμένης κατ' ἐκείνων, οἵτινες ἀποδέχονται, καὶ κρύπτουσι τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ἀνήκοντας τῷ Δουμανίῳ.

νθ. Περὶ τοῦ ἐξεῖναι ἔχειν ἀφφιδάτους, ἢ παρακατατιθεμένους ἀνθρώπους.

ξ. Περὶ τοῦ πῶς δεῖ ἀποδεικνύειν τοὺς ἔχοντας φία αὐτοῖς ἀνήκειν τοὺς ἀμφιβαλλομένους ἀνθρώπους, ὁπότε οἱ ἄνθρωποι τοῦ Δουμανίου λέγουσιν ἀνήκειν τῷ Δουμανίῳ.

XXXIX. De pœna doli Præfectorum prælio.

XL. Quod accusans non habeat electionem seu optionem pugnandi ut vult, ad libitum.

XLI. De succurrendo mulieribus, quemadmodum, & quantum decet.

XLII. De restitutione minorum.

XLIII. De restitutione rei publicæ.

XLIV. De restitutione mulierum.

XLV. De pœna lites transferentium in potentiorem.

XLVI. De termino præscripto dato illis qui appellarunt.

XLVII. Cito a Judicibus dijudicandas esse materias: neque permittendum esse Advocatis lites producere variis juris strophis & verbis.

XLVIII. De pœna Judicum sententiam dolose ferentium contra leges.

XLIX. De pœna Judicis, qui accipiens dona obnoxium quem faxit crimini lethali.

L. De non ferendo testimonio in causa principali post declarationem depositionum.

LI. Ut ne regia bona alienentur ab aliquo ad jurium nostrorum diminutionem ab ipsis debitorum.

LII. Ut ne ordinentur censiti sine consilio, & consensu dominorum.

LIII. Qui censitorum ordinari prohibentur.

LIV. De pœna occupantium ea, quæ pertinent ad Domanium.

LV. De pœna usurpantium homines Domanii, & id non denunciantium, & usurpatorum, nec id renunciantium.

LVI. De prohibita Feudorum diminutione.

LVII. De non alienandis ab aliquo bonis oppignoratis Curiæ ob servitium aliquod, sive universim, sive in parte, ad Curiæ detrimentum.

LVIII. De pœna imposita contra illos, qui suscipiunt & occultant homines ad Domanium spectantes.

LIX. Quod non liceat alicui habere affidatos, aut sequestratos homines.

LX. Quod non oportet renunciare eos, qui Feuda habent, ambiguos homines ad eos pertinere, quando homines Domanii dicuntur spectare ad Domanium.

ξα. Περὶ τοῦ μὴ ἐνοχοποιῆσαι τινὰ τὸ οἰκεῖον πρόσωπον τισὶ δουλείαις δι' αἰτίαν γῆς τινὸς ἢ φίου.

ξβ. Ὑπὸ ποίαν αἵρεσιν χρὴ τοὺς ἀνθρώπους τῶν Ἐκκλησιῶν, Κομήτων, ἢ Βαρωνίων ἀγοράζειν τὰ πράγματα τῶν ἀνθρώπων τοῦ Δουμανίου.

ξγ. Περὶ Βαρώνου ποιοῦντος δουδάριον τῇ αὐτοῦ γυναικί.

ξδ. Περὶ δεσπότου μὴ ἐγγυοῦντος τὸν βασσάλλον αὐτοῦ ἐγκληματικῶς κατηγορούμενον.

ξε. Περὶ ἀδείας διδομένης τοῖς Βαρωνίοις τοῖς ἔχουσι δύο φία ποιῆσαι δουδάριον.

ξϛ. Περὶ τοῦ ὅρκου τοῦ γινομένου ....

LXI. Ut ne quis propriam personam oppignoret quibusdam servitiis ob causam terræ, vel feudi alicujus.

LXII. Sub qua conditione oportet homines Ecclesiarum, Comitum, aut Baronum, vendere bona hominum Domanii.

LXIII. De Baroni constituente dotalitium uxori suæ.

LXIV. De domino non fidejubente Vassallum ipsius criminaliter accusatum.

LXV. De licentia data Baronibus habentibus duo Feuda Doarium constituere.

LXVI. De juramento facto a mulieribus habentibus Doarium super aliquod feudum aut regionem, aut villam alterius.

LXVII. De licentia data Baronibus oppignerandi ac in dotem donandi propriarum sororum gratia partem feudi.

LXVIII. De juramento dominis debito a Vassallis.

LXIX. Quibus ex caussis Vassalli a dominis re, quam ab ipsis tenent, spoliantur.

LXX. Quibus de caussis domini Vassallorum homagium amittant.

LXXI. In quibus casibus domini possunt a propriis hominibus subsidium petere.

LXXII. De debita militia fratri Baronis in bonis fratris sui.

LXXIII. De observatione cohabitationis.

LXXIV. Quod non possit aliquis ducere uxorem mulierem habentem feudum seu castrum sine benignitate Baronis.

LXXV. Ne filii Comitum seu Baronum ab hominibus exigant jusjurandum ipsorum patribus decedentibus.

LXXVI. De significando Curiæ mortem Baronis aut Militis, qui ab alio feudum obtinet.

LXXVII. De successione Comitum seu Baronum.

LXXVIII. De prærogativa successionis Comitum seu Baronum.

LXXIX. De Ballio impuberum.

LXXX. De Factoribus constitutis in Ecclesiis, quæ Pastoribus carent.

LXXXI. De turribus erectis post mortem Guillelmi deturbandis.

LXXXII. De non erigendo ex nunc in aliquibus locis munimenta, & turres.

LXXXIII. De servis fugitivis.

LIBER TERTIUS.

Cætera desunt.

EXPLICIT VOLUMEN PRIMUM.



INDEX RERUM.

Ai-

B

C

ho-

D

F

I

L

Le-

M

Pa-

Scul-

Ser-

T

Te-

X

Z

Hoc Legum Barbarorum Volumen I. excudebant Venetiis Anno M. DCC. LXXXI. Menſe Auguſto Sebaſtianus Coletius & Franciſcus Pitterius, apud quos proſtat pretio Librarum Ven. XX.

